SPICILEGIUM SOLESMENSE

COMPLECTENS

SANCTORUM PATRUM

SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

ANECDOTA HACTENUS OPERA.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

SPICILEGIUM SOLESMENSE

COMPLECTENS

SANCTORUM PATRUM

SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

ANECDOTA HACTENUS OPERA,

SELECTA E GRÆCIS ORIENTALIBUSQUE ET LATINIS CODICIBUS,

PUBLICI JURIS FACTA

CURANTE DOMNO J. B. PITRA

O. S. B. MONACHO E CONGREGATIONE GALLICA

NONNULLIS EX ABBATIA SOLESMENSI OPEM CONFERENTIBUS.

TOMUS TERTIUS

IN QUO PRÆCIPUI VETERES AUCTORES DE RE SYMBOLICA
PROFERUNTUR ET ILLUSTRANTUR.

PARISIIS,

PROSTAT APUD FIRMIN DIDOT FRATRES,

INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHOS.

M DCCC LV.

NOBILI · VIRO

CAROLO

COMITI DE MONTALEMBERT

OLIM · INTER · FRANCIAE · PARES

EX · XLVIRIS · GALLICAE · ACADEMIAE

HEROUM · CRUCE · SIGNATORUM · FILIO

QUO · VINDICE

PATRIIS · SACRISQUE · AEDIFICIIS

REFLORUIT · HONOS

MANSIT · INCOLUMITAS

MELITONIANUM OPUS

QUO

REI · SYMBOLICAE · ET · ANTIQUORUM · ARCANORUM

CLAVIS · PENE · UNIVERSA

CONTINETUR

EGREGIO · DEFENSORI

CHRISTIANARUM · ARTIUM · ET · INTERPRETI

PERITISSIMO

ORDINIS · SANCTI · BENEDICTI · STUDIOSISSIMO ·

CONSCRIPTORES

D. D. D.






1
2
3

ANECDOTORUM MONUMENTORUM PICTURÆ

AD TOMUM ACCESSERUNT.

Tab. I,	n. 1.	Mensa eucharistica cum pane et pisce, v. p. 566, n. 22.
	2.	Sacerdos manus pani et pisci imponens, orans mulier, v. ibid.
	3.	Piscis dorso ferens canistrum sacris panibus refertum, v. p. 565, n. 21.
Tab. II,	n. 1.	Convivium in quo de pane et assis piscibus epulum fit, v. p. 566, 568.
»	2, 3.	Convivium septem discipulorum ad lacum Tiberiadis, v. p. 568, 569.
	4.	Piscator, de quo v. p. 566, n. 22.
	5.	Delphinus anchoræ implicatus, v. p. 571.
Tab. III,	n. 1.	Lampas transfixo delphino ornata, n. 118, p. 578.
	2.	*Cœna Dominica* e Sacramentario VIII Sæc., v. n. 120, ibid.
	3.	Christus rex et sacerdos pisci benedicit, v. n. 136, p. 579.
	4.	Gemma ex annulo S. Arnulfi Metensis, v. n. 119, p. 578.
	5.	Imaguncula pensilis, in qua piscis calici imponitur, v. n. 166, p. 580.
	6. A, B, C.	Sculptura Ecclesiæ S. Germani a Pratis, Parisiensis, v. n. 176, p. 582.
Schemata,	p. 548.	1° Pars exhibetur cœmeterii Callistiani, v. p. 565, 566, 570.
		2° Titulus in *Indice monumentorum*, etc., rescriptus n. 6, v. p. 572.
	p. 584.	1° Titulus in cœmeterio Callistiano repertus, v. p. 572.
		2° Gemma sive bætylus, descriptus p. 509, n. 1.

SIGLA

CODICUM PRÆCIPUORUM QUI IN HOC TOMO ADHIBENTUR.

CODICES GRÆCI ET ARMENII.

Α	Biblioth. Parisiens. Imper.	2426.
Β	—	1140 A.
Γ	—	2509.
Δ	—	2027.
Ε	—	390.
Ϛ	—	929.
Α′	Armenius Mechitaristarum Venetorum	1.
Β′	— Parisiensis	62.
Γ′	— Mechitaristarum	2.
÷	Physiologi veteris textus ab interpretationibus allegoricis distinguendus	338

CODICES LATINI.

A	Codex Bibliothecæ Trecensis, inscriptus sub numero	510.
B	Codex Bodleianus, e Claromontano descriptus	Grab. IV.
C	Codex Mesmianus sive Theodulfi Biblia, in Bibl. Paris. Imper. Supplem. lat.	687.
D	Codex Biblioth. Argentoratens	195. A.106.
E	Codex Biblioth. Trecens	827.
F	Codex Alcobacensis in Bibl. Ulissipon	XL.
G	Codex Parisiens. in Biblioth. Imper.	2327.
H	Codex Biblioth. Pictavensis	70.
÷	Loci in uno codice A exstantes. Cs. *Prolegom.*	p. XXI.
-:-	Loci qui in eodem codice desiderantur. Cs. ibid. et infra	p. 2, n. 3.

[*Vide ad calcem hujus tomi locupletiorem indicem omnium codicum qui duobus tomis exigendis inservierunt.*]

PROLEGOMENA

AD

SPICILEGII

SOLESMENSIS

TOMUM III.

Satis multa tam de Clavis libro quam de ejusdem commentatoribus in superiore tomo præfatus sum, ut, omissa priore hujus voluminis parte, statim ad posteriorem accedam : quæ, angusto quidem in spatio, non pauca tamen monumenta, neque ignobilia continet.

Varronis enim, Origenis et Hieronymi, trium sane virorum, quorum unus vel amplissimam hujusmodi ἀνεκδότων bibliothecam sufficienti laude cumularet, nomina sub uno et primo lemmate ab initio præfiguntur. Nolim autem hanc qualemcumque laudem ita Spicilegio vindicare, quin prius eam nobilissimo et erudito viro Thomæ Phillipio, Mediomontani musei conditori, jure merito rependam. Cui enimvero olim Atrebatenses codices discutienti ad manum venit membrana, codici 854 assuta, in qua latere aliquid rarum tam vehementer suspicatus est vir gnarissimus, ut eam, licet nullo auctoris nomine insignitam, ad suos et pauciorum amicorum usus, domestico prælo committeret. Quæ vero æque rarissima plagula, ex dono cl. viri, in schedis meis anglicanis jacebat, quum nuperrime scrutatus eam vigilantius, agnovi alacer et salutavi illam Hieronymi ad Probam epistolam, in qua Varronis et Origenis opera conferebat; quam ipse, suo in libro *Virorum illustrium*, quasi monstravit digito; quam præ cæteris Rufinus dente livido corrosit; quæ denique erudito cuilibet, sive Varronis studioso, sive Ada

mantini, talia a tribus sæculis desideria movit, ut jam Erasmo aliud non esset quam quod acerbe desperanti solet, solatium illud : « Hæc epistola, inquit, prorsus intercidit una cum indice, quæ nostro bono periit. Nam si superesset, magis etiam discruciaremur, ejus viri tot egregia periisse monumenta. » Da igitur veniam et epistolam et indicem restituenti. Nulli enim dubio locus, quum ea quæ unus nobis Rufinus parcissime rescripsit, Mediomontanæ plagulæ admoveris, similia utique simillimis. Ad hæc, quis Dalmatam leonem ex ungue non agnoverit? Præter enim utramque librorum recensionem, vere Hieronymianam, non desunt Stridoniano sale conspersa, qualia de Paxamo et Apicio, de conchis et patinis, et de turbarum salivis. Nihil confidentius et lubentius in vulgus emisi. Verum ut meo, qui nondum edita promiserim, officio fungerer, parum esse duxi novum et certum cudere titulum, nisi, tam mea quam amicorum ope, novam instituerem codicis Atrebatensis recensionem, qua fere omnia utriusque indicis elogia sinceritati integerrimæ restituuntur.

Ne vero nimium fieret Erasmis desiderium ex tot exstinctorum librorum funebri nomenclatura, nonnihil tam e Varrone quam ex Origene, idque novum, e tenebris erui. Novæ utcumque sunt, vel post multos editores [1], Varronianæ *Sententiæ ad Paxianum* aut *Paxamum,* eumdem, opinor, quem in nova epistola cavillando laudat Hieronymus; eas enim, maxime ad fidem codicis hactenus neglecti, quod miror, utpote in amplissimo Bibliothecæ imperialis theatro palam positi, partim nitori primo restituimus, partim auximus additamentis, accedente inprimis fragmento ex unica quæ lucem viderit Varronis epistola [p. 318-320]. Sunt etiam fragmenta e libris rerum naturalium, minus forte sincera : quæ spero tamen fore ut deinceps meliora redhibeam et auctiora. Sunt denique paulo post, habita temporis ratione, quædam Origenis, a vetusto lexicographo sæculi VIII, Ansileubo, ex ignotis commentariorum interpretationibus excerpta [p. 395-396].

Quæ inde ad finem sequuntur, quum maxime ad rem symbolicam spectant, uti jam antea, ita deinceps locus erit singula convenientius et uberius tractandi. Quorum in hoc procemio satis erit indiculum brevem texuisse.

(1) *Editores.* Scilicet eas quum invenisset cl. v. J. Quicherat in codice Atrebatensi 650, inde nonnullas prælibare et ostentare vel post alios voluisse videtur, rarioris operis gustu allectus, potius quam edere plenas : atque ipse ad novam codicis Atrebatensis recensionem, quo consilio uti nos juvit, ultro hortatur (cf. *Biblioth. de l'École des Chartes*, IIIe série, t. I, p. 3).

Varronem excipit Loxus medicus, forte æqualis, certe antiquissimus, cujus unum fere nomen, vix non corruptum, ex uno Alberto Magno hactenus ad nos pervenerat [p. 321-323].

Neque multo præeuntibus recentior Damigeron, Tertulliano notus et Arnobio, immo, ut videtur, Plinio non incompertus, a cujus libello *de Lapidibus* nostra variorum Φυσιολόγων sylloge incipit [infra p. LVIII et p. 324-335].

Ejusdem fere argumenti est libellus Cethel, sive *de Sigillis lapidum*, qui opportunam præbet occasionem veteres Judæorum de re symbolica traditiones attingendi [p. 335-337].

Proxime sequitur variisque locis occurrit Physiologus, ut aiunt, sive e fonte primigenio veterum Græcorum [p. 338-374, 534], sive ex diversis Armeniorum [p. 375-390], Æthiopum [p. 426], Arabum [p. 535], Latinorumque [p. 418] versionibus, nunc primum integre restitutus.

Ad hæc vetusta de naturis rerum aut allegoriis documenta satis apte accedunt quatuor et decem eximiæ notæ fragmenta, quibus insignia Damostrati Apamensis, Timothei Atheniensis, et Metrodori Lampsaceni nomina non fallaci fuco librarii alleverunt [p. 391-394]. Per me non stat quin eorumdem in censum addicas novem alia quæ proxime sequuntur, nisi tibi rem facessant subjecta mox iisdem χρησμοὶ καὶ σημεῖα, certe Astrampsycho Mago adjudicanda. Sed hæc alias [p. LX].

Christianorum agmen ducit Origenes [p. 395, 396] e latino, ut dixi, glossario excerptus.

Tum Tichonii *septem Regularum* brevis epitome [p. 397] et S. Nili epistolion [p. 398] quasi viam sternunt, quam, ut ita dicam, exhilarat jucundo et eleganti celeumate Patricius quidam Hibernicus, Scotorum apostolo recentior [p. 399].

Habes dein spiritualium formularum quasi σχεδίασμα in minoribus Eucherii *glossis* [p. 400-406], de quibus infra.

Interjecto rursus veteri Rhythmo de evangelicis canonibus [p. 407], illic, quasi in opportuno diversorio, lector tantisper quiescat, mox in hospitiolo nostro excepturus Gregorium magnum; quin ab illo donandus vere pontificio munere trecentarum et decem de re spirituali formularum, quæ alias Melitoniano commentario sparsim quidem insertæ, jam uno intuitu conspiciuntur, et plurimis accrescunt non antea editis [p. 408-416].

Ad hujusmodi formulas refer, ut infra dicturus sum, tum Salvatoris encomium, quod nobis asservavit codex Isidorianus VII aut VIII sæculi [p. 417], tum excerpta quæ nobis ejusdem ætatis glossaria Ansileubi et Ebarcii Elnonensis præstitere [p. 418-421].

Prudentii deinceps ambo *Ædificium spirituale* describunt ille metro, hic soluto sermone; quorum unus Aurelius est, « super æthera notus, » et alter cognomine Galindo, sive Tricassinus; sed prior a posterioris ornatus commentario, quandoquidem ita viris doctis placuit unius et misere mutili codicis titulo dubio utcumque supplere [p. 421-424].

Unus quoque Thomas Cantipratanus nobis asservavit Adhelmum philosophum, sed in exiguas dissectum lacinias, quarum præcipuas eo libentius collegimus [p. 425-427], quod hunc philosophum eumdem omnino esse cum quodam celeberrimi Joannis Erigenæ fratre non minima suspicio est [cf. p. xxvi].

De Rabano ejusque allegoriis notitiæ infra positæ nihil addiderim [p. xxiv et 428-446].

Regerere etiam pigeret quæ ad illustranda variorum ὀνομαστικὰ *sacra,* tam ab aliis quam a nobis edita [p. 446-451], opportuniori loco diximus [p. xii-xviii].

Jam ad voluminis metam haud injucundo calle ducet *Anonymus Anglus Cisterciensis* de quo libenter multus eram in præcedenti volumine [*Proleg.,* p. xxvi, infra p. 452-488].

Denique non deerit qui longioris viæ terminum flosculis inspergat, Petrus videlicet Capuanus, primus e nostris et præ omnibus uberrimus *Rosæ* allegoricæ ἐξηγητής [p. 489-498].

Facile animadverterit lector nec inopportunum duxerit ad Gregorium magnum, Rabanum, Anonymum Cisterciensem et Petrum Capuanum accessisse accuratum indicem locorum omnium qui in præcedenti ad Clavem commentario nominibus eorumdem inscribuntur.

Sed quum rerum omnium universitatem Summa hæc symbolica, una forte provincia excepta, complectitur, necesse visum est, statim ab initio singularem *de Re Symbolica* diatriben mox sequuturam in hæc inserere Prolegomena, tum decuit, ut nihil allegorico orbi deesset, ad peculiarem in Ichthyologiam sacram excursum sub extremo voluminis stadio me accingere [p. 499], quem ita bonis avibus incœpi, ut priusquam attigissem metam, se viæ ducem dederit illustrissimus Eques J. B. de Rossi, fessumque viatorem per amœnum et splendidum iter ad finem fauste perduxerit. His fruere, bone lector, et fave.

DE RE SYMBOLICA

Ad Clavem S. Melitonis illustrandam.

1. Quæ sit de re symbolica dicturo

Quod in superiore tomo pollicebar, huic me præmissurum ob incœpti operis necessitatem, qualemcumque meum de Re symbolica tractatum, non aggredior quidem, quin ab illo consilio quæ me amoveant potius, quam quæ illuc referant vel invitum, bene perspiciam. Prima quidem ejusmodi disputationis, qualem etiam nunc multi et summi viri instituere solent, ea lex est, ut si quis hanc provinciam susceperit, disciplinarum pene omnium polleat peritia, maxime latinarum et græcarum litterarum utatur copia, immo plenitudine, neque desit eidem tam orientalium quam occidentalium antiquitatum consuetudo, ut nulli ætati sit novus, nulla in gente hospes, ideoque, sive veterum fabulæ, sive loquelæ, sive monumenta in sermonem veniunt, promtus et idoneus arbiter illico reperiatur. Quid plura? Nempe altera mea conditio est, qui ἀνέκδοτα promiserim, ut quæcumque vel de tritissimo argumento, in medium proferam, nova et nulli hominum fando audita sint. Unde timendum ne si pauca dixerim, vix trita regeram; si multa, imprudens videar; si nihil, infantissimus.

lex obeunda non oblitus,

2. pro modulo tantum dicam

Verumtamen prosilio, ut spopondi, nonnisi notulas e cariosis membranis corrogatas ad manum habens, cæteramque pauperculam e monastica lectione supellectilem. Qua quidem vetere succinctus armatura, tam indole et religione mea, quam prudentia cohibeor, ne, inter cataphractos equites consularesve eruditionis imperatores, in apertum campum descendam. Placet angulus, squalore obsitus et pulvere, quem hisce exiguis circumscribam terminis : quænam videlicet fuerit inter nos fortuna vel historia rei symbolicæ in spiritualis intelligentiæ formulis consignatæ.

de *Spiritualis intelligentiæ Formulis.*

Missis igitur quæcumque extra notos Ecclesiæ cancellos, immo vel intra illius septa quæcumque privato ex arbitrio nata sponteque exorta, inde in immensum vagantur, ea mihi maxime christiana erunt, quæ quasi publico consignata sigillo, per authenticas regulas sive κανονίσματα συμβολικῶς explicantur; hæc enim cum Eucherio dixi *spiritualis intelligentiæ Formulas.*

3. Quæ primum προσεχῶς definiuntur,

Sed a primo hoc limine erumpunt, denso examine, innumera hujus argumenti vocabula, quæ, nisi breviter et presse significata, caliginem in meam inducerent orationem, omnemque consilii mei viam et rationem obnubilarent. Quod mystice latet in symbolo, id græcis πνεῦμα, νοῦς, τὸ ἀπόῤῥητον, μυστήριον, ἀντίτυπον; latinis, *arcanum*, *spiritus*, *spiritualis intellectus.* Quod vero tegit sententiam, his est *littera*, sive *historia ;* illis τὸ ῥητὸν, τὸ γράμμα, ὁ τύπος. Utrumque si consideraveris, symbolum habes, quod in ecclesiastica consuetudine, strictius quam solet alias, usurpandum venit. Lato enim sensu, symbolum quodvis signum est, σημεῖον. Nostro autem, qualem exprimunt plerique allegorici nostri interpretes, proprie signum est, quo sub rerum aut verborum integumentis, mysteria supra naturam posita, quæ noscere nostra refert, significantur. Inde omnium præclarissima symbola sunt et rectissime dicuntur Ecclesiæ catholicæ sacramenta, quibus superna mysteria et significantur et efficiuntur.

4.
deinde ὄντως explicantur.

Certum est autem esse duo supra naturalem rerum ordinem, quæ non sunt sine Dei dispensatione, nec nisi cum divino agnoscenda lumine, tum animam Christianis dotibus instructam, tum Ecclesiam a Christo conditam in præsenti ævo, et in futuro perficiendam.

Ubi igitur a rerum corporalium signo ad animam juxta christianam dignitatem compositam transieris, moralis sensus est, aliter moralitas, ἠθικὸς τρόπος. Ascenderis superius, tibi erunt, ut aiunt græci generatim, γνῶσις, ἡ ἄνω θεωρία, παραβολή, αἴνιγμα, φυσιολογία, ἀναγωγή, ἀλληγορία, τροπολογία. Pressius vero latini, si Ecclesiam hic manentem intuentur, sumunt *allegoriam*; *anagogen*, quum ad superiora et futura suspiciunt. Quæ vero sive moralia, sive allegorica, sive anagogica, ita dictante Deo, e veteri testamento ab ipsis scriptoribus sacris in novi figuram transferuntur, aut ex utroque ab iisdem aptantur in Ecclesiæ imaginem, ea sublimius et proprie *typi* dicuntur [1]. Valere autem easdem definitiones, qualicumque modo symbola exprimantur, re, exemplo, aut verbo, vel pictura, sculptura, aliave qualibet arte, perspicuum est.

Ad cuncta vero pertinet, id quod totius rei nostræ caput est, ut quilibet demum de christianis symbolis sermo fiat, semper ab ordine naturali ad sublimiorem ascendatur [2]: adeo quamdiu intra humani ordinis fines constiteris, non habueris nisi metaphoram, prosopopœiam, aliave dictionum σχήματα aut emblemata rerum, quæ a nostrorum τρόποις, ut proprie loquar, toto cœlo distant. Audi summum rei allegoricæ hierophantem Gregorium, argute, ut solet, et luculenter Scripturæ figuras definientem [3]: « Scriptura, ait, scientias omnes atque doctrinas, ipso etiam loquutionis suæ more, transcendit: quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium; et sic scit præterita dicere, ut eo ipso noverit futura prædicare; et, non immutato dicendi ordine, eisdem ipsis sermonibus novit et ante acta describere et agenda nuntiare. »

5.
Obiter quæsitum an sit verum citra Scripturæ et Ecclesiæ auctoritatem symbolum?

Qua quidem auctoritate perpensa, visum est Angelo Aquinati, quo quid oculatius? sensum spiritualem adeo esse Scripturæ sacræ proprium, ut extra illius interpretationem ab Ecclesia institutam, legitimum non sit

(1) *Dicuntur*. Quæ tamen et alia hujusmodi non adeo subtili discrimine fuisse semper notata, quin promiscue haud semel accepta fuerint, ne dubita. Sed tantine est addere ista duo vocabula μῦθος, *Legenda*, tam esse toti ecclesiasticæ antiquitati inaudita, quam hisce diebus frequenter et temere usurpata? Cæterum de variis id genus vocibus lexicographi sacri aut ipsimet theologi negligenter et minus caute egerunt. Egit novissime multo diligentius R. P. Patritius e S. J. *De interpret. S. S.*, lib. I, c. 8-14, in eo tamen parcior, quod in *typologiam* stricte dictam cogat sensum omnem spiritualem, nec eos esse velit typos, nisi ea quæ in veteri testamento, peculiari Dei consilio, ad futura, Christum scilicet et Ecclesiam aut morum informationem, accommodantur; unde typos et typica verba sive spiritualia e novo testamento exsulare contra D. Thomam concludere non dubitat. Id vero latius intellexisse patres, ex innumeris testimoniis dicat unum Junilii: « Quid est τύπος? Quam nos figuram dicimus sive formam. Quid est ergo? Præsentium aut præteritarum, aut futurarum rerum ignotarum per opera manifestatio. » Et in fine: « Veteris testamenti figuræ ad novum intentione respiciunt; novum autem futuræ vitæ beatitudinem repromittit, et sic omnia ad futuri sæculi spem ex ipsa intentione currunt. » *De part. div. leg.*, lib. II. c. 16, 17. — (2) *Ascendatur.* In eodem plane sensu intelligendum esse cultum Mosaicum, dum contra gentilium ritus humi perpetuo repunt et intra naturalia versantur, K. Chr. W. Bähr, lutheranus licet, satis probe assequitur in rariori opere, caute tamen legendo: *Symbolik des Mosaischen Cultus*, Heid., 1837, 2 vol. — (3) *Definientem*. Greg., *Moral.* XX, c. 21.

symbolum, neque tutum, sed nec verum; ac si solius Dei esset res et acta ad hujusmodi significatum attollere. Unde, quum omnes Melitonianæ Clavis formulæ, ne una quidem excepta, e biblicis fontibus et iisdem ad singulas diligenter admotis, deriventur, minime importunum erit cum Divo Thoma quærere « utrum in aliis quam in sacris Scripturis, præter intellectum litteralem et historicum, cæteri sensus distingui debeant. » Quod ille negat, addita hujusmodi declaratione : « Spiritualis sensus sacræ Scripturæ accipitur ex hoc quod res cursum suum peragentes significant aliquid aliud quod per spritualem sensum accipitur. Sic autem ordinantur res in cursu suo, ut ex eis talis sensus possit accipi, quod ejus solius est qui sua providentia res gubernat, qui solus Deus est. Sicut enim homo potest adhibere ad aliquid significandum aliquas voces vel aliquas similitudines fictas, ita Deus adhibet ad significationem aliquorum ipsum cursum rerum suæ providentiæ subjectarum. Significare autem aliquid per verba vel per similitudines fictas ad significandum tantum ordinatas, non facit nisi sensum litteralem [1]. Unde, in nulla scientia, humana industria inventa, proprie loquendo, potest inveniri nisi litteralis sensus, sed [spiritualis] solum in ista Scriptura cujus Spiritus sanctus est actor. »

an extra omnem theologiam?

Nolim urgere quod alius consequenter intulerit, non esse ullum extra theologiam symbolum. Modo satis erit statuatur, nostra profecto in divinis versari, ad summa accedere, nec nisi mysticæ theologiæ sublimitati cedere. Cujus videlicet et hæc symbolica sunt quasi primus gradus, quum sint prævius per imagines corporeas ascensus ad contemplationem, quæ ipsa demum, imaginibus sepositis, tota in eo est ut simplicis animæ unionem cum simplice Deo quam purissimam efficiat.

6.

His ergo circumscripta terminis, respicit disciplina illa, qua animam, mysticæ et asceticæ theologiæ axiomata; qua Ecclesiam, liturgicæ, dogmaticæ, canonicæ; quarum jure existimaveris ipsam esse, si doctrinas sacras recte capis, nobilissimam; sin ejus originem et majorum instituta, longe antiquissimam. Utrum vero ab ortu suo ad nos usque venerit, nonnullis instructa legibus, regulis, canonibus, quæsituri, eodem ordine dicturi sumus ac in præcedenti diatriba, primum de formulis ex universa spirituali intelligentia sumtis, deinde de iis quæ ad singularem tantum ejusdem notitiam pertinent.

CAPUT PRIMUM.

DE FORMULIS EX UNIVERSA RE SYMBOLICA SUMTIS.

7.

In historica Rei symbolicæ tractatione

Sunt mihi, in hoc priori et generali tractatu, quinque præ cæteris nominandi viri, Melito, Eucherius, Gregorius Magnus, Rabanus Maurus, Bernardus Clarevallensis; non propterea quod eos totius theologiæ symbolicæ cardines atque columnas omnino haberi oporteat, sed quod hac notatione nominum, ad id quod institui, spiritualium formularum genera et incrementa distinguere ætatibus, nihil accommodatius existimo. Ut igitur a nomine quod inter rei nostræ incunabula enuntiatur, proficiscar, præfigendus.

(1) *Litteralem*. S. Thomas, I. P. q. 1, a. 10; Quodlib. VII, q. 6, a. 14, 15, 16.

Art. I,

Sanctus Melito.

8.
ad Melitonem,

Illum enimvero facilius dixerim totius provinciæ meæ gerere personam, quum ab eo pendeat quidquid de re allegorica ante Origenem steterit. Atque detur, quod vix ac ne vix quidem negaveris, etiam tunc fuisse Christianis signorum arcanorum doctrinam, nondum quidem omni absolutam numero, necdum exquisitissime limatam, sed Clavem denique, ex apostolica διδασκαλίᾳ exsculptam, et eam Alexandrinis antiquiorem, jam ex hoc labore meo ut non parum emolumenti erit, ita nec minima sancto Melitoni laus comparabitur.

exandrinis antiquiorem,

Communis enim hominum opinio est, qua nihil esse potest theologiæ symbolicæ exitiosius, scilicet eam e palæstra Origeniana in campum christianorum insiluisse. Inde quot convicia in nimiam juvenescentis Ecclesiæ facilitatem, quot in senescentis ineptam, ut aiunt, delirationem? Et quanto vehementiora in latinos quoscumque patres, ac si græcis stolidiores, unico vesano duce abrepti, in hanc Alexandrinorum novitatem, conferto agmine, proruissent? Sed deteriorem conditionem nobis facere solet quisquis paulo altiora repetens, quæ allegoriæ sint primordia, anquisierit. Aut enim a Philone, vix recutito homine, nullius vel apud suos nominis, telam retexet; quam quidem sententiam Photius primus videtur intrusisse [1]. Aut auctores Philoni dabit nescio quos, sophistas platonicos aut stoicos, tunc temporis otia in veterum fabulis argute interpretandis male terentes; id quod nobis Porphyrius acerrimum in opprobrium vertit [2]. Non plura, sed nec saniora ab optimis nostris vindicibus, inde ad ultimum Moehlerum [3] et merito spectatissimum : nempe aut hinc Pheremonem, Nicomachum, Cornutum; aut illinc Philonem, Eleazarum, Aristobulum, plerosque ψευδεπιγράφους, ementitaque larva, ducere nostrorum familiam! Viden' utrinque qualem hostes de Ecclesia triumphum agant [4]?

a Philone et Platone alienissimum,

9.
primas præstat reducere formulas spirituales.

Sed falsam esse utramque lineam, ut alia multa, duo primum evincunt, tum neminem ex illa infensorum hostium turba, quæ in Origenem, sive vivum, sive mortuum sæviit atrociter, ante Photium impegisse in illam ab Adamantino invidiosam nebulonum judaizantium æmulationem; tum calumniam a Porphyrio e græculis allegorizantibus petitam neminem refricuisse. Fuere, non diffitear, qui Origenem justo nomine reprehenderunt, quod in investigandis Scripturæ arcanis aut modum excesserat, aut certas non tenuerat regulas; nullas vero eum habuisse quibus regeretur, nec accepisse quas habuerit nisi ab inani philosophia aut antiquata Synagoga, cætera demum de suo audacter excogitavisse, vereor ut qui hæc dixerit olim, non inveniatur.

Sed alterum est quod Alexandrinis multarum errorum excusationi

(1) *Intrusisse.* In *Biblioth.* cod. 105. « A quo omnis allegoricus S. Scripturæ sermo in Ecclesiam venerit. » — (2) *Vertit.* Apud Euseb., *Hist. eccl.* VI, 19. — (3) *Moehllerum.* Patrol. tom. II, p. 119. Cf. Huet, *Origen.* lib. II, q. 13. Ruæus, *Proleg.* in t. II, p. XXI. — (4) *Agant.* Lege totam hanc tragœdiam cum magno apparatu expositam in G. Rosenmüller, *Hist. Interpr. lib. SS.* 5 vol. 1795-1812.

10.
quas ipsi Alexandrini veterum esse,

erit, quibus videlicet fauste contigit præcipuum allegoricæ interpretationis fundamentum aptissime tangere et præclarius quam sive ante eos sive post, a quocumque factum fuit, proferre et tueri : servari videlicet ab Ecclesia catholica interpretandæ Scripturæ regulam, ex apostolis ad episcopos derivatam; qua, quum non inesse Scripturis sacris mysticos sensus citra impietatem dici nequeat, jubetur quisque eos eruere, insistendo vestigiis apostolorum, maxime Pauli et Joannis, quin et ipsius Verbi Dei Salvatoris exemplo et documento [1]. Ita Clementi Alexandrino persuasum erat extra Ecclesiam nullam esse symbolorum ac mysteriorum Dei Clavem, ut novo usus vocabulo, ἀντίκλειδα sive falsam Clavem, dicere non dubitaverit regulam hæreticorum : « Non oportet enim umquam, ait, sicut faciunt qui hæreses sequuntur, adulterare veritatem, neque furari regulam Ecclesiæ. Qui impios ergo attingunt sermones, aliisque tradunt, neque verbis divinis recte, sed perverse utuntur; neque ipsi in regnum cœlorum ingrediuntur, neque eos quos deceperunt, sinunt assequi veritatem. Verum nec ipsi introitus clavem habentes, sed falsam quamdam, et, ut dicit consuetudo, ἀντίκλειδα, id est aversam clavem, per quam non relaxato velo, ut nos ingredimur, per Domini traditionem, sed exciso ostio et muro Ecclesiæ perfosso, veritatem transgredientes, principes ac duces mysteriorum animæ impiorum [2] efficiuntur. »

11.
Et Ecclesiæ traditionem constanter asseruerunt :

A quo quidem furore nemo inter Alexandrinos cautius abstinuisse se visus est quam infelix Origenes, qui latentes in Scripturis sensus ideo tenere se profitetur quod ea totius Ecclesiæ una est sententia; neque velle se in iis scrutandis nisi veterum verba excutere; nec sperare fore ut per se eos detegat, « quum iis tantum innotescant quibus gratia Spiritus sancti (quam singulis fere paginis deprecari solet), in verbo sapientiæ et scientiæ, condonatur. » Infelicem tamen illum dixi, cujus scripta fraude audacissima, vel ipso vivente, corrupta fuere; infeliciorem dicam, si, quæ summa videtur fuisse sua dementia, Scripturæ sensum litteralem omnem pessum dederit.

12.
quibus certe auctores sunt

Sed quo difficilius stupendi Origenis errores concipi possunt, tanto minus eum unum omnibus esse in allegorica interpretatione auctorem, persuasum erit. Adducantur siquidem necesse foret in partem novitatis, quidni falsitatis cum nonnullis dicam? non solum ejusdem asseclæ, sed

(1) *Documento.* « Eo nomine Origenes laudandus est quod disertiora et quibus quæstio plane decisa sit non omiserit, cujusmodi sunt I Cor. IX, 9; XI, 1 sqq. Galat. IV, 21 sqq. Ephes. V, 31. Coloss. II, 16, 17. Hebr. VIII, 5; IX, 1; XI, 1 sqq. Cf. *de Princ.* lib. IV, n. 12, 13. Contra Cels. IV.» Ruæus, in prol. t. II, p. XII. — (2) *Impiorum.* Οἱ τοίνυν τῶν ἀσεβῶν ἁπτόμενοι λόγων, ἄλλοις τε ἐξάρχοντες μηδὲ εὖ τοῖς λόγοις τοῖς θείοις ἀλλὰ ἐξημαρτημένως συγχρώμενοι, οὔτε αὐτοὶ εἰσίασιν εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὔτε οὓς ἐξηπάτησαν, ἐῶσιν τυγχάνειν τῆς ἀληθείας· ἀλλ' οὐδὲ τὴν κλεῖν ἔχοντες αὐτοὶ τῆς εἰσόδου [Matt. XVI, 19. Luc. XI, 52], ψευδῆ δέ τινα καὶ, ὥς φησιν ἡ συνήθεια, ἀντίκλειδα, δι' ἧς οὐ τὴν αὐλαίαν ἀναπετάσαντες, ὥσπερ ἡμεῖς διὰ τῆς τοῦ Κυρίου παραδόσεως εἰσίεμεν, παράθυρον δὲ ἀνατεμόντες καὶ διορύξαντες λάθρα τὸ τειχίον τῆς Ἐκκλησίας, ὑπερβαίνοντες τὴν ἀλήθειαν, μυσταγωγοὶ τῆς τῶν ἀσεβῶν ψυχῆς καθίστανται. *Strom.* VII, 17, p. 897, 898. Cf. Origen., *de Princip.* IV, 8, 9, tom. I, p. 47-49. *Fragm. in ps.* I, t. II, p. 525. Hilarius qui multa ex Origene descripsit, eadem habet in procem. *Comm. in ps.* n. 5, 6.

Patres apostolici,

adversarii quoque fere omnes, una cum θαυμασταῖς conspirantes. Adducantur veteres quorum verba et exempla sequitur, Irenæus, ipse Melito, Papias, Clemens, Ignatius, Barnabas, viam ab apostolis stratam cæteris præmonstrantes. Adducantur et apostoli, sed in primis ecclesiæ Alexandrinæ et Asianæ fundatores Petrus, Paulus et Joannes, quorum ultimus videtur, sub divino afflatu, conspersisse in totius canonis biblici clausula prophetica pene infinitam arcanorum et symbolorum multitudinem, quasi totius allegoricæ interpretationis ἀνακεφαλαίωσιν. Adducatur denique ipse Deus et Dominus, Christus Salvator, qui suo protulit ore, suo spiritu dictavit in novi fœderis instrumento, quadringentas circiter et amplius quinquaginta allegoricas dictiones, quas cuique in promtu semper erit, et recensere juxta formularum nostrarum rationem, et Melitonis more exigere.

Apostoli,

immo Christus ipse,

Tantum enimvero exemplum quum non deceat obiter adorare, hic multa ultro notanda veniunt; primum adeo communem fuisse et in omnium animis inveteratum symbolicum sermonem, ut eo evangelicus Magister cum omnibus indiscretim utatur, nec nisi raptim et paucissima vel inter familiares duodecim explicet; deinde, non pauca ex arcanis ejusdem verbis et parabolis lecta fuisse in vetustissimis Synagogæ vel repudiatæ libris, quorum etiam nunc vestigia supersunt [1]. Porro quemadmodum Judæi, ne quidquam cum christianis haberent commune, ab hujusmodi novitatibus abhorruissent, ita profecto divinus antiquarum traditionum instaurator inventa ista Philoniana et Platoniana cum cæteris Judæorum novis et falsis opinionibus, fuste et flagello e templo expulisset. Jam postremo, insana minime videtur non paucorum e summis doctoribus nostris sententia, existimantium remansisse ad Christi tempora sublimiorem quamdam et oralem legem a Moyse ad septuaginta seniores traditam [2], quæ inde in Levitarum et Prophetarum collegiis, in Nazaræorum sodalitiis, et, Philone ipso teste, in asceteriis Therapeutarum et Essenorum [3] exculta, floruisse dicitur.

divinus antiquarum traditionum instaurator,

13. ne Judæis quidem diffitentibus.

Ne jam notiora testimonia referam, hæc duo dumtaxat, e re omnino nostra, velim potissimum perpendantur. Unum, quod in hoc tomo nunc tandem profertur e bono et veteri anonymo, nimirum triginta et quatuor Christi nomina, symbolicæ totidem Messiæ προσηγορίαι, quas singulis Hebræis, sed adultis, traditas fuisse perhibetur [vid. p. 446]. Cujusmodi appellationes, mystico sensu non omnino depravato, in recentissimis quæ circumferuntur lexicis abditarum [4] apud Judæos loquutionum invenimus.

Adde, quod majoris, ni fallor, momenti est, Maiemonidem, facile omnium a Christo Judæorum doctissimum, in præcipuo suo tractatu *Perplexorum doctore* sive *More Nebochim*, circa finem sæculi XII edito,

(1) *Supersunt.* Vid. J. Drusii 1177 *Proverbia,* in *Crit. sacr.* VI, p. 1589, ne adducam libros *Sohar*, *Sepher Ietzira*, et Eleazar in Aristobulo plane Melitonis instar disserentem. Eus., *Præp. Ev.* VIII, 10. — (2) *Traditam.* Præ cæteris Hilarius, p. 6 e; 28 b. — (3) *Essenorum.* Philo, t. I, p. 475, 476; t. II, p. 438. — (4) *Abditarum.* Excussisse juvit et hic laudare non piget ἀνέκδοτον Jac. Caffarelli *Lexicon cabalisticum*, « in quo voces omnes admirandarum rerum... quæ habentur in omnibus Hebræorum libris curiosioribus explicantur, etc. » Quod peculium D. Haffringue mecum ab amico viro Haigneré communicatum est.

statim ab initio tam proxime ad multas Clavis formulas accessisse ut alterutrum inde inferri oporteat, aut in manus ejus devenisse quædam commentatorum nostrorum collectanea, aut ad ejus usque ætatem in scholis hebraicis κανονίσματα allegoricæ interpretationis, a nostris non absimilia, perdurasse [1].

14. Unde manifesta formularum dignitas, in re tamen libera

Versamur enimvero, pene otiosum est dicere, in re libera, quam nulla quidem lex, sive antiquis, sive recentioribus data, nisi profecto aut de fide aut de liturgia sacra publice tractandis agatur, ita jussit esse circumscriptam, ut a vetere symbolorum intellectu discedere sit nefas, nec jam ullus sit accommodatitio, ut aiunt, sensui novo locus : quæ tamen libertas in licentiam abierit, nisi ex veneranda formularum spiritualium origine, quanta sit earum dignitas, probe noveris. Quæ quum fortasse non ita multis perspiciatur, non deerit nasutus homo a me quæsiturus, cui proficuum et quorsum illud morosum et opiniosum argutandi genus, ut in condendis tot allegoriis boni nostri Patres, doctores quoque et sancti martyres ab ævo apostolico insudaverint. Paucis satis erit factum. « Hæc enim est, ut cum Bernardo loquar, miranda prorsus et miseranda humanarum conditio animarum, ut licet tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, egeant omnino figuris et ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus et exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atque interna conjicere [2]. » Deinde, meminisse juverit qualis, Ecclesia nascente, fuerit animorum conditio, quam quidem a tempestate nostra omnino abludere non dixerim. Creverat in immensum id de quo jam Salomon conquerebatur, φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχὴν, sive pessima mentis πολυφρόντιδος ex inhabitatione terrena depravatio [3]; eo pejor quod fortasse ab idolorum initio seges errorum ingens fuit pravus ille usus symbolorum et facillima cum antitypis typorum confusio. Quum enim mundus ille eo fine conderetur ut Deum quem in se visuri sumus, prius in suis creaturis, quasi in ludo quodam et schola divinæ contemplationis, intueremur, illic demum luctuoso errore, omnia jam dii erant, a cunctis vero Deus aberat. Accedit illa quæ, tam hæreticorum quam infidelium scelere, per orbem increbuerat, occultarum et magicarum artium fallacia, quæ ex universo rerum corporearum theatro et millemodis perversorum symbolorum laqueis terriculamenta sua acciverat. Sed quid jam hanc tuear disciplinam, quum noscere satis sit eam fuisse ab eo traditam, qui Clavis Davidica est, quo aperiente, nemo claudit; claudente, nemo aperit [4]? Quum satis sit eam quasi digito monstrari a sancto Matthia, cujus unam feliciter nobis asservavit Clemens Alexandrinus voculam vere auream, qua nos « admirari jubet præsentia, ac per ea nos gradatim ad ulteriorem cognitionem attollere [5]. » Quum satis sit eamdem a divo Bartholomæo (neque hæc enim ab Areopagita ficta fuisse credam) dici « copiosam esse theologiam et minimam, evangelium simul amplum et magnum et rursus concisum [6] : » scilicet, ut

sed non sine summa Dei sapientia

instituta a Christo,

et apostolorum encomio commendata.

(1) *Perdurasse.* Quin lege quæ infra notantur ad p. LXXXVI. — (2) *Conjicere.* S. Bern. Opp. t. II, p. 1264, ed. BB. ult. — (3) *Depravatio.* Sapient. IX, 15. — (4) *Aperit.* Apoc. III, 7. — (5) *Attollere.* Clem. Alex., Strom. II. Petav. Cf. *de* VI *dier. Opif.* procem. n. 3, p. 117. — (6) *Concisum.* Dionys. Areop., de Theol. myst. c. I, n. 3, t. I, p. 709. Cf. comm. Cord. p. 718. Judæis solemne erat *verbum parvum* sive litterale, *dabar katon*, et spirituale sive *magnum*, *dabar gadol.*

ait doctus quidam interpres, ob rerum quas continet amplitudinem mole quidem exiguum, sensu autem et perfectione maximum, quo videlicet ex creaturis in earumdem conditoris notitiam, quæ est symbolica theologia, devenitur.

15. Incepisse vero constat hujusmodi formulas cum arcani disciplina;

Jam vero ut ab hoc primo rerum nostrarum exordio et principio ad propiora pergamus, monitum te velim spiritualis intelligentiæ formulas arctissimo nexu coaluisse cum *arcani* quæ dicitur *disciplina*. Quæ quum non tam gentilium metu instituta fuerit, quam ut ab Ecclesiæ doctrina hæreticorum depravationes arcerentur, inde arcanorum religio paulo remissior ab initio fuit, tum sæculo demum tertio arctius observata est, nec statim post Constantinum, saltem in Oriente, a juris sui rigore cessit [1]. His præmissis, facile concedetur, licuisse symbolorum formulas vel a primo ævo generatim conscribi, ut fuisse alias sive liturgicas, sive canonicas, jam in confesso est [2]; quæ tamen scripto consignatæ, antistitum procurationi committerentur, ut dum e manibus non exciderent sive earum authenticæ versiones, sive primigenius textus, quem forte tulit nimius secreti tenor, interim selecta signorum arcana, ac in primis ea Christi nomina quæ duplicem ejus naturam graphice describebant, coram plebe et cum perfectis catechumenis recitarentur.

ut ab initio conscriptæ generatim,

partim fuerint in vulgus emissæ.

16. Qualia symbolica Christi nomina quorum exstant recensiones XXII; Prima SILVII,

Exstant enimvero hujusmodi nomenclaturæ supra viginti, neque numero fallor, quarum breviorem non incommode dixerim esse cæteris ætate priorem. Jam non piget eam in hoc loco reponere, ex unico fere exemplari manuscripto [3] superstite, Silvii cujusdam ignoti nomen præ se ferente, quam religiosissime describam :

Lumen

Spes. Ratio. Via. Vita. Salvs. Sapientia. **VERSVS SILVII DE COGNOM̄TO SALVATORIS**

Ivdex. Porta. Gigas. Rex. Gemma. Propheta. Sacerdos

Messias. Sabaoth. Rabbi. Sponsvs. Mediator

Virgo. Colvmba. Manvs. Petra. Filivs. Emmanvhel

Vinea. Pastor. Ovis. Pax. Radix. Vitis. Oliva

Fons. Panis [Paries]. Agnvs. Vitvlvs. Leo. Ihesus

Verbvm. Homo. Rete. Lapis [Dominus]. Domvs. omnia

☧

(1) *Exacta.* Cf. imprimis Emman. Schelstrate *Dissert. apolog.* contra Tentzel. Rom. 1685; Tentzelii *Disputat. de disc. arc.* Witteb. 1683. *Animadversiones*, 1686; Jo. Lud. Schedius, *de Sacris opert. vet. Christ.* Götting. 1790. — (2) *Est.* Quæstionem satis operose agitatam de origine formularum liturgicarum solvit nuperrime rev. admod. Abb. Solesmensis. in *Inst. liturg.* t. III, p. 17 sqq. Symbolicam vero theologiam sub illo severiore sigillo fuisse consignatam, ut non pauca sunt testimonia, sic uno exemplo defungar, Nazianzeni [*Or.* II, 36], inter eas ob quas, sacerdotio suscepto, in Pontum fugerit, unam causam egregie producentis, magni nimirum laboris esse et periculi « de prima nostra constitutione et postrema refectione, de typis et veritate ac testamentis, » aliisque hujusmodi arcanis scite et tuto dicere.— (3) *Manuscripto*. Monuit Montefalconius eosdem versus reperiri in Vatic. cod. 553, fol. 126. Neque alios novi memorari. Codex enim Caroli de Monchals a Labbeo descriptus idem est ac noster Parisiensis 2273. Edidit eos primum Goldastus in *Manuali biblico*, et ex eodem Arevalus ad v. 104 *Eleg.* Sedulii, sed uterque cum proœmio inconcinno, quod spurium mihi videtur glossema. Malim cum illis conferre similes Ennodii versus quos ex antiquiore

Septem igitur illos senarios in quibus quinquies novem Christi nomina prædicantur, ad annosam pertinere antiquitatem idcirco mihi persuasum est, quod hebraica vocabula eisdem innexa ad Bethleemiticas Ecclesiæ cunas propemodum referunt.

Sed ecce eadem hæc nomina, quasi sub oculis conjunctim posita, Clemens, maxime in Pædagogo, non semel respicit [1]; quippe quorum decem inseruit suavissimo illi parvulorum ad Jesum hymno quem videtur ex ore Neophytorum excepisse [2]. At enim similem nomenclaturam in Alexandrinorum catechumenorum παιδευτηρίῳ fuisse decantatam, Origenes ipse idoneus testis est. Quum enim ab exordio commentarii sui ad Joannem incideret in nomen λόγος, *ratio*, secundo loco a Silvio positum, ansam arripuit omnem pene seriem cæterorum evolvendi, inter quæ fusius exponuntur *sapientia*, *lumen*, *resurrectio*, *vita*, *via*, *veritas*, *porta*, *pastor*, *Dominus*, *magister* (*rabbi*), *pater*, *rex*, *vitis*, *panis*, A *et* Ω, *agnus*, *sacerdos*, *virga*, *lapis*, *flos* [3], etc.

secunda, Alexandrina;

Bene est quod tertiam hujusmodi formulam, eamque ex armario Hierosolymitanæ Ecclesiæ S. Cyrillus, catecheticus ille doctor, promere et solemni non dubitaverit encomio illustrare, quod habes in ejusdem oratione decima, ubi ex multis Christi nominibus duodecim splendidiora sigillatim describit [4].

tertia, Hierosolymitana;

Quarta, quæ est Constantinopolitana, duodecim quoque nominibus quadam nomenclatura sacra eum renovavisse putem; neque eos repetere non juvat [*Carm.*, lib. I, 9]:

quarta, Constantinopolitana;

Corda domat qui cuncta videt, quem cuncta tremiscunt,
« Fons, via, dextra, lapis, vitulus, leo, lucifer, agnus,
« Janua, spes, virtus, verbum, sapientia, vates,
« Hostia, virgultum, pastor, mons, rete, columba,
« Flamma, gigas, aquila, sponsus, patientia, vermis,
« Filius excelsus, Dominus, Deus, omnia Christus. »
Nunc precor, ut dictis adsit, etc.

Sed eadem ac Silvii temere, opinor, fluxerunt in S. Damasi opera, non sine mendis, neque codicibus satis suffragantibus. Placet e diversis varietates relegere, quibus nostra illustrentur: v. I. *Spes*, *vita*, *salus*, *ratio*, in Damaso edito metrum deficit. *Sapientia*, *mons*; *mens*, Goldast. — V. 4. *Virga*, *columna*, *m. p. f. Emmanuelque* Dam. *Virgo*, *columba*, *m. p. f. Emmanuel*, *lux* Goldast. Præplacet noster spondaicus. — V. 6. *Fons*, *paries*, *agnus v. l. propitiator* Dam. sed Goldastus: *fons, panis, ethos*. Quæ vox barbara codici Paris. deest, cui verbum excidit. Legendum non suadeo: *et os*, repugnante, non symbolismo, sed elegantia. Audaciorne erit conjectura illic legentis *cetos*, e græco κῆτος, pro celeberrimo symbolo Ἰχθυς, ad quod *fons* et *panis* provocant? — V. 7. *Lapis, domus, omnia* codex, cui forte supplendum ex Ennodio et Goldasto *dominus*, nisi rursus cum Damaso spondaicum cuderis: *lapis*, *domus*, *omnia*, *Christus Jesus*. — (1) *Respicit.* Cf. t. I, p. 126, l. 10; 119, l. 10-25; 121-125, ed. Potter. — (2) *Excepisse.* T. I, p. 312. Cæterum, quibus volupe est vetera et nova commiscere, non celabo poematii hujusce initium ex illo hymno quem apud Euripidem in Dianæ laudes erumpens canit Hippolytus στεφανοφόρος, a venatione redux [v. 58], desumtum manifesto videri; id enim odoratus est semel et iterum nasutus ille Villoisonius, in *Anecdot.* t. II, p. 98, et *Epist. Vinariens.* p. 92. — (3) *Flos.* Orig. Opp. IV, 22 D sqq., ubi multo plura monet esse Christi nomina catechumenis ediscenda, nec omnia sibi satis intellecta conqueri videtur. « Atque reputanti mihi quænam frequenter dicuntur de Christo ab iis qui in ipsum credere volunt, mirari subit curnam totidem imposita nomina Servatori nostro, quæ vix numerari possunt, plerumque hæc silentio pertranseant, atque etiamsi eorum mentio facta fuerit, illa immutent, non proprie, sed typice Jesum his nominibus appellari dicentes. » Id fortasse non satis pensitari solet, scholam Alexandrinam fuisse catecheticam potius quam theologicam, presbyterorum videlicet διδασκαλεῖον, sed non episcoporum, quorum neminem illi unquam præfuisse noverim. — (4) *Describit.* S. Cyrill., *Catech.* X, n. 3, p. 137 *b*, ed BB

constat, quam omnium Græcorum patrum κορυφαῖος, ὁ θεολόγος nimirum, ea quæ illius est celebritate, in ævum produxit [1].

quinta, *Nyssena;*

Multo vero plura quam quæ hic obiter attinguntur, prædicata fuisse in Byzantino patriarchatu luculenter testatur Nyssenus, quum, data occasione de perfecta christiani viri forma disserendi, huic themati plane catechetico quatuor et viginti Christi nomina attexuit [2], quæ jam erit recensio quinta.

sexta, *Gallicana;*

Sexta Gallicanæ Ecclesiæ non deerit, quæ quidem, sive amanuensium incuria, sive Augustini eam Gregorio cuidam orientali aperte adjudicantis auctoritate, diu in Byzantinæ Ecclesiæ jus et Nazianzeni peculium cessit, donec nostri Galliæ litterariæ conscriptores *tractatum de Fide orthodoxa adversus Arianos* Phœbadii Agennensis episcopi esse bonis et legitimis argumentis tandem evicerint. Quo nimirum docemur quanta fuerit ad fidei integritatem et incolumitatem veterum nostrarum formularum efficacia, quum in æstu Arianæ tempestatis sanctus ille episcopus, symbolum, ut aiebant, catechumenis suis traditurus, confidenter proponit [3] ter septena Christi nomina, quasi totidem tela in Arianam pravitatem torquenda.

septima, *Romana;*

Agedum, Romana et pontificia erit septima, præter eam quæ supra Silvio datur [4], cui nimirum jus civium nomenque suum S. Damasus fortasse contulerit. Sed mallem eidem integrum restituere insigne procemium, Gelasiano *de libris legendis* decreto præfixum, hactenus vero ævi edacitate misere corrosum : in quo tamen dignoscitur aliquis sacrorum librorum indiculus, præmissis allegoricæ interpretationis canonibus, quos a commemorandis Christi XXII nominibus, sanctus pontifex inchoare statuerat [5].

octava, *Aquileiensis;*

Sed euge : en octava nuperrime, procurante perillustri Maio, S. R. E. pridem cardinali, e patriarchio Aquileiensi prodiit, quam porrexit S. Nicetas, exposuitque in tertia homilia, ex iis quas Competentibus, sive « renatis hominibus per fidem et sanctificatis, secundum Evangelii formam, » recitare [6] solebat.

nona, *Aquitana;*

Rursus in Galliam nos revocat sanctus Orientius, Ausciensis episcopus, cujus tempore (a. CDXL), crescente fidelium numero, jam usu venit ut baptismi solemnia cum Christi natalibus haberentur. Tum vero, declinante prisca disciplina arcani, penes quemque episcopum fuit uberius mysticas formulas edere et exornare : inde illud Auscitanæ ecclesiæ carmen *de Nativitate Domini,* in quo triplex de epithetis Salvatoris commentarius metricus eo retexitur artificio, ut primum jejuna series nominum, sexies novenaria, præmittatur; tum, interjecto de Trinitate epimetro, per quinquaginta versus eadem nomina fusiori stylo rescribantur ; claudatur denique rhythmus laudatione, in qua duodecim nomina cæteris in cumulum accedunt [7].

(1) *Produxit.* Naz. *Orat.* XXXVII, n. 4, t. I, p. 647 E, 648 A. — (2) *Attexuit.* Nyss. *Opp.* t. II, p. 712. — (3) *Proponit.* Galland., *Bibl. vet. PP.* t. V, p. 261. — (4) *Datur*, monente Arevalo. Cf. supra Silv. — (5) *Statuerat.* Idem edidit in postliminio Sedulii col. 781-790, ed. Migne. — (6) *Recitare.* Maii, *Collect. Vet. SS.* t. VII, p. 330. — (7) *Accedunt.* Galland., t. X, p. 194, 195. Legenti Silvii titulum quem modo descripsimus, in promtu erit nonnulla in Sirmondiano textu emendare, ut v. 13 : « Dextra, *columba* [Sirm. *columna*], puer.» V. 14 :

Verum cujusnam Ecclesiæ testis decimus futurus sit ille Magnus Felix Ennodius, ambigitur, quum Arelate natus, Mediolanensis alumnus, Ticinensi demum ascitus fuerit Ecclesiæ, diaconus et episcopus. Habes supra ab eodem e vetere titulo, ut videtur, XXX Christi nomina eleganter disposita [1] et pronunciata in natali S. Epiphanii, a. post Chr. CDXCVI.

X Ennodii *Italica;*

Atque undecimum catalogum Hispana Ecclesia libenter recitabit, eumque aut Hispalensem habe, dum versaveris *Etymologias* Isidori et *Sententias;* aut Toletanum, quum tibi tabulas longe locupletissimas, modesto tamen, sed non injucundo titulo, S. Hildephonsus inscripserit, *Baptismi adnotationes* sive *Iter quo pergitur post baptismum*, manu videlicet acturus neophytum suum per flores, volucres, animalia innumera, ac si, in novi paradisi theatro, Adamo alteri nova iterum appellanda, cum pio et perpetuo ad Christum respectu, proponeret [2].

XI *Hispana;*

Indiculi alii tres aut Germanorum Ecclesiæ, aut ævi Carolini erunt monimenta; quorum unum Rabani Mauri alias explicui [3]; alium in beati Notkeri tropario [4], ultimum in quodam hymnario ab erudito Germano recens editum [5] inveneris.

XII-XIV, *Germanorum;*

Ad hæc quatuordecim sacrorum nominum stemmata, octo alia sive Græcorum sive Latinorum una coegimus [infra p. 446-451]. Quod nostras e Græcis symbolas attinet, in earum prima recensentur juxta Nazianzenum *Lumina mystica* XIV, sive τὰ φῶτα quæ illuminandis catechumenis prælucere solebant. Secundam supra, ubi Synagogæ traditiones, tetigimus. Tertia mox legetur. Quarta etsi ad duo et nonaginta Christi cognomenta assurgat, mutilam puto nihilominus, quum non pauca resecta esse moneat vix ad secundam litteram ductus ordo alphabeticus. Sunt denique bis duodena elogia sancti Joannis Baptistæ, eoque solo nomine cuncta illuc spectare quo cætera, declaratur. Magis tamen e re erit duplex divinorum nominum index latine exactus, prior a capite notatus cujusdam Widonis nomine, a fine vero symbolico monogrammate baptismatis ΦΩΣ-ΖΩΗ insignitus; posterior decem hebraica Dei nomina rhythmis immixta largius enuntiat. Quæ ut fauste absolvantur, excipiet duplex ad beatissimam Virginem hymnus, unus græcorum alphabeticus, quem lecturus es statim, et alter in quo ejusdem sunt LXXXVIII εἰκονισμοί [6].

XV-XXII, nunc primum editæ.

17. Quarum omnium quanta sit dignitas repetere non piget.

Etsi nolim ab initio et de re satis nota tuba canere, ægre inde re-

mitis Adam, lege *Vitis, Adam*. V. 130, ubi : *cur sanctum*, omnino legam : *cur semen*, respectu ad prælixa in v. 10 sacra nomina; ex quibus etiam suspicor deesse unum versum post 139, immo unum aut alterum ad calcem, quibus Christus, ut *thesaurus*, *justus* et *Deus*, iterum celebretur. — (1) *Disposita*. Galland, t. XI, p. 194. — (2) *Proponeret*. Baluz., *Miscell.* II, pag. 15 et 39, ed. Mansi. — (3) *Explicui*. Tom. II *Spic.* pag. 45. — (4) *Tropario*. Quod accedere jussit Arevalus ad *Proleg.* Prudent. n. 212, id esse novum cum aliis, inquit, ratus, re quidem vera jam editum in Pezii *Thes. anecd.* t. 1, p. 1, et diu ante tritum in Chlictov. *Elucidar.* lib. 1. A quo tamen de Levis non abstinuit in suis quæ dixit *Anecdotis*, p. 113, neque nuperrime Mone in *Hymnis lat.*, p. 5.— (5) *Editum*. Mone, l. l. p. 9. — (6) Εἰκονισμούς B. Virginis XIX haud inconcinne ornavit Petrus de Riga in *Aurora*, ad Evangel. v. 72, quæ spero fore ut alias cum eximio illo poemate edantur. Hæc vero eo lubentius in coronidem appendere jussi, quod hæc mea tam exilia, veluti villoso stramine supposito, subdita viderem telæ illi auratæ et purpureæ quam in t. 1, *de Immaculato B. Virginis conceptu*, cl. p. Car. Passaglia S. J. hisce diebus ordiri incœpit : quem moneri forte juverit Hugonis S. V. esse elegantes versiculos ἀδεσπότους, ab illo t. 1, p. 320 adductos, teste æquali auctore nostro, in t. II, p. 416.

cedam quin iterum iterumque lectorem moneam hujusmodi sacrorum nominum diptycha maximi esse momenti sive ad veterum christianorum titulos, gemmas, picturas, monumenta quæque declaranda, sive ad priscorum doctorum tam cum Judæis quam hæreticis disceptantium intelligentiam. Aut enim hi plerique tibi more andabatarum gladium in tenebris ventilabunt, aut necesse est fuisse hinc et inde communem quamdam symbolicorum Christi nominum loquelam, quam nemo detrectaret, quin se ipsum extra omnem fidei communionem extorrem faceret. Alioquin lusus esset ineptus et perpetuus Justini cum Tryphone dialogus [1]; immo non pauca Apostolorum cum Judæis certamina.

Sit vero in confesso id quod audacius visus fortasse est asserere anonymus auctor quem inter nostros nomenclatores secundum posuimus, vel apud veteres Judæos fuisse Messiæ nomina perpetuo usu consecrata [2]. Vide quantum inde erit antiquitatis ac σεμνότητος brevissimis Christi vocibus, quoties se simpliciter dicit Dominum, ostium, vitem, agnum, et alia id genus, quibus quum singulis enuntiandis os aperit, se esse omnium sæculorum exspectationem uno verbo profitetur [3]. Sed oc-

(1) *Dialogus.* Non solum Justini esse egregium illud opus, sed veram referre historiam, dubio caret. In quo tamen, tacentibus et assentientibus Judæis, sanctum philosophum juvit congerere uno tenore varia Christi nomina; ac si omnibus ille esset « rex, sacerdos, Dominus, angelus, homo, dux, exercitus [p. 137 b, a; 139 b, ed. BB.], sapientia, filius, angelus, Deus, Dominus, verbum, ἀρχιστράτηγος [p. 165 e]; sapientia, dies, oriens, gladius, lapis, virga, Jacob, Israel [p. 206 c]; angelus, vir, filius, puerulus, lapis, sapientia, Joseph, Judas, stella, oriens, Israel, virga, flos [p. 231 c], » et sic porro centies. — (2) *Consecrata.* Ex anecdoto Caffarelli Lexico, jam semel laudato, quo continentur sententiæ excerptæ ex octo præcipuis theologiæ kabbalisticæ libris, inter quos *Portæ Lucis*, *Portæ justitiæ*, *Ietzirah*, *Themuna*, *Pardes*, R. Jos. Ghicatilia *de Nomine*, una cum variorum expositionibus, ecce quædam ab initio satis apposite descripta : « Adonai [t. I, p. 5], plura sunt cognomina ipsi appropriata, scilicet Benedictio, Puteus, Beerseba, Mare, Omnia, Lapis pretiosus, Domus sanctuarii, Divinitas, Tabernaculum fœderis, Justitia, Gladius vindicans vindictam fœderis, Ego, Malchuth, Aquila, Sic, Lignum scientiæ, Terra viventium, Liber vitæ, Ista, Dicere sive Dictio [Λόγος, Verbum], Lex ore exhibita, Omnipotens, Eloïm, Fons aquæ vivæ, Justus, Terra Israel [*Portæ Lucis*, in voce *Adonai*]. — Iod, he, vau he [Jehovah in eodem libro, ibid. p. 247] explicatur : « Linea media, Lignum vitæ, Lex scripta, Veritas, Thiphereth, Scientia, Terribilis, Judicium, Tu. » Connumerantur insuper alia cognomina una cum istis, et sunt : Jacob, Israel, Pater Israel, Humilis, Fortis, Pax, Salomon, Tertius, Cœli, Dies sabbati, Vir, Perfectus, Sanctus benedictus, Modicæ iræ, Misericordia, Lac, Mel, Dies, Candelabrum, Luna, Sabbathum, Ego, Homo, Altare, Aurum. » — (3) *Profitetur.* Græcis semper hæc placuisse, exemplum habes illustre in silva densissima divinorum epithetorum quæ alphabetice produxit Theodorus Ducas Lascaris imperator, in oratione nuper edita a Cl. Maio, *Bibl. nov.* tom. VI, pag. 259. Simile ὀνομαστικὸν in schedis nostris reponi monuimus in tom. II *Proleg.* pag. XVIII. Omnino videnda quæ notavimus infra pag. 448, n. 1. Nolim in hac divina quadam polyonymia jam ἑρμαῖον in via sibi invenisse exsultent qui, omni data occasione, post duo jam millia annorum ævi christiani, ethnicos adhuc nos esse ubivis detegunt. Non me fugit sua esse Buddæ nomina 58 aut 112, sua 32 cognomina physica, suasque 80 pulchritudines, quas eleganter recensuit Abel Remusat (*Mines d'Orient*, t. IV, p. 83-201; *Journ. des Sav.* 1819, p. 625). Non me latet olim in profanis Græcorum et Latinorum hymnis fuisse frequentem *epithetorum* congeriem. Neque ignoravi illum in Villoisonii *Anecdotis* (t. I, p. 123) hymnum a Bacchi nominibus 99, vocibusque 100, in 24 versibus, operose elaboratum. Sed et

currit mihi Joannes Geometra qui hunc primum formularum orbem circumcurrente per alphabetum linea efficiat, Dionysiacum hymnum [1], neque fallor, imitatus in laudem intemeratæ et πολυωνύμου Κόρης [2] :

Μέλπωμεν θεόπαιδα, θεείκελον, ἀφθορόνυμφον,
Ασπορον, ἁγνοτάτην, ἄχραντον, ἀνακτοτόκειαν,
Βασιλίδα, βασιληγενέα, βασιληγενέτειραν,
Γεννογεναρχὴν, γεννόθεον, γενογηθέα, γουνόν,
Δωσίθεον, δοτόλυτρον, δεινολύτιν, δοτόευκτον,
Ενθεον, εὐώδινα, ἐγερσιχαρῆ, ἐθνορύστιν,
Ζωοτόκον, ζάθεον, ζαοσῶστιν, ζωοδότειραν,
Ημεροφῆ, ἡδύθεον, ἤπιον, ἠπιόδωρον,
Θελξίθεον, θελξίφρονα, θελξιμελῆ, θεόπαιδα,
Ιοπάρειον, ἰόμματον, ἰόφρυν, ἱμερόεσσαν,
Κοσμογενῆ, κατάκαρπον, κλεινήν, κοσμογύναικα,

ἀφθορονύμφην *ed.*
ἀνακτοτόκειον *ib.*
γεννογον. *cod.*
δεινολύτην *cod.*
δοτιευκτόν *ed.*
εὐερσιχαρῆ *ib.*
ζαόσωστιν *ib.*
ζαοδότειραν *ib.*
ἡμεροφαῆ *cod.*
ἡδόθεον *ib.*

liberaliter concedam exstitisse hymnos ad Venerem ter centum ejusdem nominibus infercitos (J. Lydus, *de Mensib.* p. 92). Neque ægre Servio suffragarer, cui placet *Hecaten* dici ob centum ejus ἐπιφωνήματα, indeque cecinisse Maronem : « *Ter centum* tonat ore deos, » Æneid. VI, 510, eo quod « ter centum numina Hecates [*forte leg.* nomina ?] intonuerit. » Quid plura ? Ecce alia et plenis manibus largiar : quis enim ignorat omnium Orientalium ore celebratissima 99 Dei nomina ? quæ in gemma disertissime legit arabice inscripta cl. v. Raynaud (*Monuments arabes du cabinet de M. de Blacas*, tom. II, p. 16-24), eodem vero et Maracci (in *Alcoran.* Sur. 17, p. 414) testibus, centesimum nomen esse Jehovæ perditum, sed et nomina aliis numerari insigniora 7, aliis 36, aliis 72; demum non deesse quibus nomina sunt 1001, quæ quidem quotidie neophytus Mahumedanus centies et semel insuper recitat; non deesse denique alios his epithetis 1001 utentes thoracis instar et monilis. Cf. Chardin, t. VI, p. 260; Herming. *Mahumedanus precans*, p. 112; Hottinger, *Hist. orient.* pag. 386. Hæc igitur est christianorum miserrima conditio, ut nihil sit in hominum visceribus insitum, quod suum esse non vindicent. Homo enim est unusquisque nostrum et nihil humani a se alienum putat. — (1) *Hymnum.* Quem supra memini, eodem modo incipientem : Μέλπωμεν βασιλῆα, eodemque structum artificio. Procli similia exstant in *anthologiis.* Joannes adeo rara sectatus est ut pleraque solus habeat, qui tamen nonnulla ex optimis classicis accepit. Lexicographis non est incognitus, etsi plura omiserint plane. Ex edit. Fr. Morelli transiit in *Biblioth. PP.* græco-lat. Appar. t. III, p. 444. — (2) Κόρης. Cod. Paris. 1630, f. 131. Ab illo argumento non admodum recedunt tum encomia quæ variis in locis edidimus sub Irenæi (t. I, p. 4), aut Melitonis (t. II, p. L), aut Isidori (t. III, p. 417) nomine, tum expositiones allegoricæ Genealogiarum Christi, quales edidit Ailerannus (*Bibl. PP.* XII, 79), ubi singulis Patriarcharum nominibus Christi virtutes prædici feruntur. Hibernicis adeo hæc solemnia erant, ut monialis quædam Sæc. VIII, e Germania ad fratrem suum scribens, suam hisce nominibus Dei hebraicis epistolam concludat (Vid. Bonifac. *epist.* C). Cf. etiam de nominibus Christi hebraïcis, Chr. Bened. Michaelis, dissert. *de XII nominib. Christi divinam ipsius naturam designantibus.* 1707. Tam latinorum igitur quam græcorum est talis Deum aut sanctos appellandi consuetudo. Nam præter notissimas Latinorum litanias, duo vel tria ad cumulum libenter addiderim : primo, quidam monachus e nostris, Romaricensis, in codice sæc. X-XI, quem D. Calmetus sub oculis videtur habuisse, encomium B. V. Mariæ e mille et amplius sexcentis epithetis retexuit [*Not. litt. de Lorr.* in catal. auct.]. Deinde Christophori Vlierden etiam in lucem editus est, a. 1519, *Thesaurus nominum Dei et hominis Jesu*, VII libris contentus et duobus volum. in-folio. Sed nondum, nisi erraverim, idem lucis munus concessum immensis Fulgentii Maraccii voluminibus, in quibus insunt *Emblemata eucharistica* et *Epitheta Mariana* ac *de Nominibus Deiparæ*, et *de*

Λαοχαρῆ, λαοθαμβέα, λιτήν, λαομάκαιραν,
Μυρίθεον, μυρίκοσμον, μυριφανῆ, μυρικλῆτον [1], — μυριφαῆ *ed.*
Ναοπόλον, νεόκοσμον, ναόθεον, νεοπλάστην, — ναόθετον *ib.* ναιοπόλον *cod.* ναοπλάστιν *ib.*
Ξεινοτόκον [2], ξενοτρέπτιν, ξεινοδόκον, ξενόθηλον, — ξενυθήλυν *ed.*
Ολβιον, ὀλβιοεργόν, ὀνήτορα, ὀλβοδότειραν,
Παντοκρατῆ, πανταλκῆ, πασιθέην, πασικλῆτον,
Ρύστιν, ρυσίπολιν, ρυσιγεννέα, ρυσίκοσμον, — fort ρυσιόκοσμον
Σώτειραν, σεληγενέτιν, σελαλάμπεα, σεμνήν,
Τριττογενῆ, τριμάκαιραν, τρισσοφαῆ, τρισέληνον,
Υψίνον, ὑψικάθεδρον, ὑπέρτατον, ὑψιμέδουσαν,
φωτοτόκον, φαόμορφον, φωτοβόλον, φαέθουσαν,
Χρυσόπεπλον, χαρίεσσαν, χρυσόθρονον, χαριδῶτιν, — f. ψυχοσῶστιν.
Ψευδολέτην, ψύχανον, ψυχοσώστριαν, ψαλτῴδη,
Ωκυτάτην, ὡραίαν, ὥριον, ὡριόπαιδα.

Art. II.

S. Eucherius.

18. *Ab Eucherio incipit alter formularum spiritualium delectus,*

Quantumvis ab Ecclesia caute provisum fuerat ne pravum in sensum sive divina oracula, sive fidei sententiæ traducerentur, per duo fere sæcula, vix ullus modus fuerat abeundi in omnis generis novitates maxime inter Græcos. Nec fuit modica tumultus origo insania Origenistarum, cuncta in allegorias immutantium, qua nonnulli in alium scopulum acti, nescio quid corporeum vel in Dei summi substantia extuderunt. Quo reciproco variorum et multiplicium errorum æstu disjecti animi et dissoluti, in fœdam manichæismi colluviem tam prono alveo defluxerunt, ut ab extremo Oriente inde in Occidentis fines allata lues, cum maxime per Africam, Hispaniam et Aquitaniam, ne Roma quidem excepta, pervagata sit. Id vero istius errorum monstri caput est, ut, sive boni sive mali ejus principii indolem respexeris, pura ac simplex Dei idea in crassum coeat figmentum, cui neque hominis, neque materiæ omnino conditio deest et imbecillitas : quod a gentilismo vix uno gradu dividitur. Cui malo ut prava symbolorum intelligentia facile datura esset incrementum, ita pura eorumdem et accurata œconomia quoddam remedium præstare poterat; qua videlicet integerrime explanarentur vocabula, quæ summi Dei naturam et triplicem hypostasin tam a mundo quam ab homine, tam a bono quam a malo angelo secretam et prorsus separatam definiunt.

quo sive Origenistæ, sive Manichæi impugnarentur,

19. *ut et multis in Hexaemeron et hominis opificium commentariis.*

Huc vero mihi spectare videntur non modo Eucherii formulæ, de quibus mox, sed commentarii de mundi et hominis opificio, feracissima, si quæ fuit, symbolorum materies. Atque mirum quot hujusmodi libri tunc temporis exstiterint, sive novo labore conditi aut recens e græco translati in latinum; sive, catenarum instar, e vetustissimis interpretibus excerpti. Quorum etsi jam alias, semel et iterum, longo ordine deduxerim catalogum [3], velim his addas, certe tunc adhuc superstites commentarios in Hexaemerum Papiæ, Philonis (*de Microcosmo*), Pantæni Alexan-

Nominibus Divinis et Dei hominis, etc. — (1) Μυρικλῆτον. Præcedentia edidit nuper cl. P. Passaglia, l. l. p. 197. — (2) Ξεινοτόκον, ξεινοδόκον ionice, ita forte ναιοπόλον. — (3) *Catalogum.* T. II, p. 186, 273.

drini, Theophili Antiocheni, Maximi, Victorini philosophi, Diodori Tarsensis, Ceponii, Joannis diaconi, Olympiodori. Neque ab illo agmine dimoveam strenuos græcorum interpretes quos plerumque ignotos piget me non posse appellare una cum diaconis romanis Rustico, Joanne, Pelagio, cum Victore Capuano, Bellatore, Aniano, Eustachio, Uranio, Urso, Evagrio, Epiphanio, Mutiano, Boethio, Facundo Hermianensi. Sed et omnes propemodum Lirinenses et Vivarienses monachi nominandi essent : inter quos exstitisse plures Melitonis nostri interpretes aut abbreviatores, vix est dubitandi locus.

Sed ne omnium ducem taceam, Cassiodorus variorum textus aut versiones universas, quoad licuit, in suo museo Vivariensi collegit, et præcipuorum indicem retexuit, cujus præstat prima verba recitare :

« Primum est, inquit, ut ad introductores Scripturæ divinæ sollicita mente redeamus, id est, Tichonium donatistam, Augustinum de Doctrina christiana, Adrianum, Eucherium, Junilium [1]. »

Cassiodori testimonium.

Missis tribus Africanis, quamquam ab hoc argumento minime alienis, juvat paulisper immorari in duabus non minimi pretii vocibus : *Eucherium, Adrianum.*

Prius enim est de Eucherii in spiritualem intelligentiam *Formulis* testimonium primum. Posterius vero, cum altero Photii, unicum est quod sciam in tota antiquitate elogium de Adriani *ad Scripturam* εἰσαγωγῇ [2].

20. De Adriani Εἰσαγωγῇ in *Script. Sacr.*

Is a quo sua Photius orditur, apud Græcos egit quod inter nostros Eucherius, ut parcis videlicet manibus carperet potissimum e primis capitibus Melitonis, quæ de Deo et Filio Dei maxime adversus grassantes hæreses faciebant. Tria dicit in textu sacro peculiariter observanda, alia ob sensum, alia ob verba, alia ob compositionem. Ultima ad grammaticorum σύνταξιν merito amandat. Sed eorum quæ ad sensum et verba pertinent, priora sub quinque et decem distinctionibus comprehendit. Quarum explanationem, sive ἐπίλυσιν τῶν ῥηθέντων [sic] διαιρέσεων, triginta aliis sectionibus inserit, quæ ad verbum Melitonianas formulas, cum iisdem auctoritatibus sacris, referunt; posteriora similiter, eadem ratione exacta, quatuor et quadraginta articulis continentur. Ea est Adriani εἰσαγωγὴ τῆς γραφῆς, χρήσιμος τοῖς εἰσαγομένοις ἡ βίβλος.

21. et de Eucherii *formulis spiritualibus*, quarum syntaxis triplex; 1° minores; 2° majores;

Iterum ad Eucherium, de quo jam non semel et post sexcentos, rursus accedere juvat. Vereor tamen ut multi non noverint triplex esse Eucherianum opus spiritualium formularum : primum videlicet inscribitur *Glossæ* sive formulæ minores : quarum CCCXC qua potuimus diligentia collectas, nunc primum e vetustissimis membranis eruimus [Infra fol. 400-406].

Aliæ sunt *Formulæ majores*, ab iis quæ vulgo leguntur non parum diversæ, sed quas retinent et primæ editiones et codices propemodum universi. Qui vero fiat ut ex omnibus Patrum bibliothecis, excepta Floriacensi perexigua et rara, excludantur, non satis video [3]. Sed in illis

(1) *Junilium.* Cassiod. *Inst. div. litt.* c. x, p. 445, edit. Ven.—(2) Εἰσαγωγῇ. Phot. cod. 2. *Crit. sacr.* t. VI, p. 11. Primam in lucem græca protulit Marq. Freher, August. Vindel. 1601, cum Hœschelii notis, 4°. Eadem latine transtulit Aloys. Lollius, inter sua *opuscula,* Bellunæ, 1650.—(3) *Video.* Princeps editio *formularum*, quæ Panzerum, Schœnemannum, aliosque latuit, est sæc. XV, sine loco nec anno, et exstat in Bibl. Lambeth. n. 384. Repetita deinde, quasi nova, ab Erasmo et Cratandro, Basil. 1530, neglecta vero a Frobenio qui, Brassicano

sane apertius se prodit Eucherii consilium : scrutator ille verborum diligentissimus, cujus consilio Agrœtius Capri grammaticam absolvit [1], ipse sibi novam Clavis Melitonis recensionem reservavit, ut ea maxime seligeret quæ ad explananda dogmata conducebant, ut veterum sententias ex recentiorum opinionibus declararet, et quæ in bonam, quæve in malam partem, de Deo videlicet et Christo aut de diabolo et antichristo essent, sedulo distingueret. Hæc porro misit filiis duobus, episcopis, cum plebe christiana ab illis communicanda.

3° vulgatæ.

Tertium denique est, quod a tribus fere sæculis ejus nomine inscribitur, laudatur, expilatur, varium profecto et dubium opus, in quo non pauca, ut dixi, e Gregorio, Isidoro aut venerabili Beda audacter vidi suffurata, sed in eo præsertim a præcedente diversum quod huic præmittitur ὁλομερῶς libellus similis quidem argumenti, alius tamen auctoris, huc eo incommodius invectus quod exinde non pauca bis regeruntur inepte.

Interea quum libellus iste ad ea quæ de ætate Eucheriana diximus, aptissime spectet, quumque splendida Melitonis loca in eo præclare repræsententur, extra oleas vagari non videor, si fata illius repetam. Sed ecce Ilias altera retexenda mihi.

22. Quibus incommode præmissum est ἀδέσποτον βίβλιον quod non Eucherio tantum dederunt :

In hoc prorsus rerum articulo, quo ego nunc, stetit a. 1548, Conradus Brunus, quum in singulari suo *de Imaginibus* libro, ad eadem Eucherii scriberet [2] : « Etsi hæc inter opera Augustini impressa reperiamus, et Erasmus ex facilitate styli subodorans non esse Augustini, eumdem Hugoni Victorino ascribat, tamen hunc nobis scrupulum eximit, quod is totus liber, in duobus primis capitibus Eucherii, ad verbum refertur, ut jam certum et verum auctorem habeamus quem iniquum est laborum suorum memoria et honore defraudare. » Belle quidem, sed vix censura columnis affixa, censor ipse suum fecit αὐτολεξεὶ libellum totum.

sed Gersoni, Bonaventuræ,

Totus abhinc prostat, emtore non semper monito, in mole operum Augustini, Hieronymi, Bonaventuræ [3]. Inde ad codices si respicias, per me

procurante, ibidem, a. 1531, vulgatam invexit. Prior tamen et tertio prodiit ut *anecdota*, in Biblioth. *Floriacens.*, a. 1605 (Nisi forte omnium antiquior editio habenda sit a. 1468, quam notavi in catalogo recentioris auctionis). Sed Brassicanensis editio, ex uno et incognito codice exacta, per omnes Bibliothecas Patrum secundis auris navigavit. In hac obiter vidi loca, conceptis verbis, interpolata e Gregorii *Moralium* lib. XII, c. 17; e lib. XVIII, c. 27; e libro XIX, c. 48 (cf. Eucher. edit. Migne, col. 745, *de palma*, cum Greg. edit. Venet. pag. 629); e lib. XXXII, c. 5, 6; in I Reg. c. X, etc. Genuinum vero textum tam multi codices, boni et antiquissimi referunt, ut inde satis liqueat quanti eam veteres fecerint. Ad eam fortasse aut certe ad Melitonianas formulas alludit Faustus Regiensis in epist. *ad Sacerdot.*, apud Canis. tom. I, p. I, p. 363. Notatu quoque dignum, jam a sæculo VII sive Melitonis, sive Eucherii fuisse formulas non solum episcopis et clericis familiares, sed etiam sanctimonialium manibus permissas, quum id genus aliqua petierit S. Florentina ab suo fratre S. Isidoro legenda, cui ille hæc respondit : « Dicis formulas spiritualis intelligentiæ componendas, tibique mittendas..... » Et paulo post : « Igitur quum in libris sanctis *oculi Domini, uterus Domini, pedes, arma*, etiam *Domini* scripta reperiuntur... requirendum est qualiter ista per Spiritum sanctum figurali expositione reserentur. » Non est quod vellicationes Arevali leviores in hujus loci αὐθεντίαν excutiamus. Cf. Isid. t. VI, p. 114. — (1) *Absolvit.* Fabric. *Bibl. lat.* III, 414. — (2) *Scriberet.* Vide *de Imaginibus*, c. 4, pag. 22. Mogunt. fr. Behem. 1548. — (3) *Bonaventuræ*, t. VII, p. 340, ed. Lugd. VII, 1495, edit. Rom. 1596. Natus inde error, quod alius genuinus Bonaventuræ tractatus *Determinatio terminorum*

licet omittas recentiores [1], quibus Gersonis, Seraphici doctoris, aut forte (quos tamen non vidi ego, neque, opinor, Erasmus, a quo recitantur) Victorini et Anselmi, nomina præfixa fuere. Vix te obiter monitum velim quemdam esse anonymum sæculi XII, bonæ frugis, *Igniacensem* scriptorem, quidni Guillelmum a S. Theodorico? qui rursus libellum inter sua, neglecta prorsus junctura callida, integrum rescripsit. Sed nonne salutandi raptim et Rabanus et Alcuinus et Isidorus [2] qui, auctoris quidem suppresso nomine, eumdem edidere totum? primus, in ingenti opere *de Universo;* secundus, juxta morem suum, ad instar dialogi; tertius, inter *Sententias*. Verum tibi sunt non pauci codices sæculi IX et VIII, forte VII, qui rotunde scripserunt in capite Augustinum, *de Essentia Divinitatis et de indivisibilitate atque immensitate ejus* [3]. Sunt tibi alii quoque præcedentium æquales, Hieronymo inscripti, cum eodem ferme hoc elogio, breviori et saniori : *de Membris Domini* [4]. Neque unus deest qui Fulgentium sibi auctorem vindicat [5], nec denique alter, qui Hilarium [6] : sed qui Eucherium, ne unum quidem hactenus novi. Tum demum alii sunt (vix enim invenies aliquid ἀδέσποτον frequentius rescriptum) neque pauciores, neque recentiores [7], in quibus de quovis auctore silentium altum. Cæterum ad Eucherii ævum accedere duxerim hujusce libelli fusiorem textum, qui exstat in Augustino cum addititia appendice qua Manichæi et Priscillianistæ exagitantur. Sed brevior, qui Hieronymo aliquando datur et Eucherio, quem solum Isidorus retinuit, longe antiquior mihi est. Dirigitur enim in Judæos et Gnosticos, eaque fulget rerum et verborum σεμνότητι, quæ antenicæna tempora non dedecet. Quin immo idem a Novatiano non obscure expilatur, tum Areopagitica sapit, neque fortasse aliunde demum derivatur quam a simili libro Aristobuli περὶ τῶν ὀνομαζομένων ὡς Θεοῦ μελῶν [8].

Guillelmo S. Theodorici, Rabano, Isidoro, Augustino, Fulgentio, Hieronymo, et Hilario.

Ipse libellus duplex, auctior Eucherio σύγχρονος, brevior antenicænus per me erit.

Art. III.

Gregorius Magnus.

25.

« Nunc ergo hæreticarum plebium principes, auctoritatem sanctæ Ecclesiæ perpendentes, cessant loqui, et quasi ori suo digitum superponunt, dum falsis querelis, non ratione vocis se reprimi, sed virtutis manu significant. Vocem suam duces cohibent, quia nimirum hi qui post se errantes populos trahere conantur, ne loqui perversa nunc audeant, et auctoritatis frenantur pondere, et virtute rationis [9]. » Hæc ille. Numeri enim pacatissimi sæculum septimum est, ætas vere aurea, id quod

Moralia præ cæteris e formulis eduxit Gregorius M., quod sæculi ejus aurei erat,

theolog. (t. VI, p. 200, ed. Lugd.) iisdem verbis incipit : *Omnipotens Deus, etc.* Hier. *Opp.* t. XI, p. 175, Vallars.; t. V, p. 117, edit. BB. August. *Opp.* t. VIII, p. 1199, ed. BB. — (1) *Recentiores.* Cf. Trithem. 351, Cod. Argentor. G. 335.— (2) *Isidorus.* Vide *Etymol.* VII; et *Sententiarum*, lib. I, c. 5; Raban. (*de Univ.* t. I, p. 59), Alcuin., *Opp. dub.* t. III, p. 423. — (3) *Ejus.* Contuli obiter præter nonnullos codd. Paris. S. Audomari, 398, 9 et Carnotens. 7, sæc. VIII. — (4) *Domini.* Cf. Argent. 104 B., Paris. 1008, sæc. X, et recentiores 1865, 3630, 270, Sorb. 1528; Oxon. Univ. 99, Linc. 55, S. Trin. 34. Ambros. 48 A. Sed Vallarsio sua non defuit conjectura, ut novum etiam post tot alios auctorem excogitaret, Paulum nescio quem presbyterum pannoniensem, ad Hier. XI, col. 175. — (5) *Vindicat.* Apud Trithemium.—(6) *Hilarium.* De quo alias. — (7) *Recentiores.* Cod. Albiens. 43, sæc. IX; Par. 1637, 1850, 3358, 3879, sæc. IX. — (8) Μελῶν. Cf. Novat. *de Trinitate.* Ed. Migne. 895. Euseb. Pr. ev. VIII, 10. —(9) *Rationis.* Greg. *Moral.* lib. XIX, n. 2.

alibi cum Mabillonio et Beda nostro, dicere non dubitavi [1], quum ruente in occasum suum orientali orbe, daturo mox ab spurio propheta pœnas dirissimas, sole vero illucescente splendidius in altero cœlo, facem e Græcis ereptam Gregorius manu sua accepit et firmiter tenuit, qua e sacro Scripturarum igne accensa, non ætatem illam dumtaxat, sed ævi christiani perennitatem mirum in modum illustravit. Ingentem enim sub oculis habemus seriem mox proferendam librorum et auctorum qui ab illius ore et manu per omnem Ecclesiam pendent. At quanto magis prodigio simile esset, si recuderetur album sanctorum qui e singulis *Moralium*, *Homiliarum*, *Pastoralis*, *Sacramentarii* apicibus, fontium instar ab illa romana rupe manantium, in vitam æternam exsilierunt. Nam profecto moralium pater is dicendus est. Et quæ avicula dicta est ipsius auribus leniter illapsa, ea mihi visa est quot verba, tot illi instillasse semina, quæ innumeros in flores eruperunt, ac deinde orbi christiano fructus protulerunt uberrimos. Quæ quidem columba, ut cum eodem loquar, pennis deargentata foris, primum intuentibus blande affulget; sed a tergo deaurata, oculos perstringit, si quis eam penitius respiciat. Nemo sane e Patribus nostris feliciori commercio hæc duo in unum conjunxit, tum summam rerum sublimitatem, integritatem, plenitudinem; tum eximiam verborum simplicitatem, ut pene de illo quæ ipse de Scripturarum flumine, dicam, « quasi quemdam eum esse fluvium, planum et altum, in quo et agnus ambulet, et elephas natet [2]. »

maxime Sanctorum feracissimi.

24.

Alios sensus mysticos sæpe recenset;

Unum fuit magni illius ingenii artificium, ut quasi præ oculis habens varios sensus allegoricos qui e littera emergere solent, omnes sæpissime, formularum instar, coram auditoribus ex ordine proponat, illos dein præ cæteris qui ad mores efformandos inserviant efficacius, excutere, adornare, consecrare delectetur. Inde juris omnino nostri erat ex illis Gregorianis formulis silvulam decem et trecentarum [vid. p. 409] ad usus nostros cædere. Recensuere alii longe plures [3]. Sed vix ad duo millia sistet, ut Ignatius Casinensis [4], quicumque diligenter singulas ejus paginas evolverit.

viam dedit Isidoro et aliis de proprietatibus rerum disserentibus.

Sed eo usque Gregorius non sectatus est moralitates, quin ad ornandam litteram, quasi consilio dato, multas venaretur rerum proprietates, quas integrius, ejus, ut videtur, ductus exemplo, Isidorus Hispalensis, in suas Etymologias coegit. Næ ille mihi a via aberraverit, qui Hispalensem autumaverit immensum illud opus absolvisse, aut veterum thesauros ethnica repurgasse fæce, ut qualemcumque sæcularium disciplinarum bibliothecam conderet. Immo vero tene eum firmum litteræ sacræ posuisse fundamentum, ut ex illo structura triplicis sensus spiritualis assurgeret. Sed mox, ubi de Rabano, qui Isidorum continuavit, plura hujusmodi.

Gregoriani ævi triumviratum perficit venerabilis Beda, quo præside,

(1) *Dubitavi*. Mabillon. *Acta SS. ordin. S. B.* sæc. II, præf. n. I. *Hist. de S. Léger*, introd. p. VII, Paris. 1846. — (2) *Elephas natet*. Epist. ad Leandr. c. 4. Opp. t. I, p. 5, 6. — (3) *Plures*. Si cui placuerit propius intueri Gregorianum illud artificium, suadeo illi ut, omissa prima et secunda Moralium parte, quas secundis curis elimavit S. Doctor, se in tertiam recipiat, quam idem testatur se, prout ab ipso loquente excepta est, sic dereliquisse; abhinc quippe formularum tela, nullis velata textilibus filis, aperte se prodit, v. g. lib. XI, n. 7, p. 368; XII, n. 5; XV, n. 19, 20; XVII, n. 22; XIX, n. 2; XXIII, n. 49; XXVII, n. 15; XXIX, n. 56; XXXI, n. 51; XXXIII, n. 2, etc. — (4) *Casinensis*. cod. 118.

25. In quam æquo pede venerabilis Beda incessit.

tam rerum naturalium quam sensuum mysticorum inquisitio in scholis hibernicis floruit. Quibus etiam exemplum dedit duplicem metendi segetem symbolorum, ab ævo apostolico in diem perpetuo et uberiori semine repullulantem : una est commentatio in Hexaemeron, altera in Cantica canticorum : illa de mundi et hominis creatione ; hæc vero de Ecclesiæ et animæ refectione intelligenda. Cyclum enim celeberrimorum *Hexaemeralium* interpretum auget triplici opere, metrico primum, in quo sex dies ad sex mundi ætates haud inconcinne componuntur; deinde perpetuo in Pentateuchum commentario; tum peculiari Hexaemero, quod fere simul Galli et Britanni primum ediderunt nuper et cum iisdem plausibus exceperunt [1]. Solemniorem vero antiquos inter et recentiores personam agit, dum medius in amborum terminis stat, ad ostium hortuli mystici, sponsi et sponsæ cantica expositione triplici adornaturus. Prima est ἀντιῤῥητικὸν [2] quo Pelagium hostem ab hortulo arcet ; secunda est proprie ἐπιθαλάμιον, tertiam dixerim γρηγοριοκέντρονα, sive stromata quibus versiculos omnes Canticorum cum verbis Gregorianis alligavit [3]. Neque abstinuit se a duobus aliis capitibus, quæ post physicam Jobi prophetiam et liturgicas Ezechielis visiones, quas non ita pridem Moralis doctor præoccupaverat, profecto symbolorum sunt loci feracissimi, templum videlicet Salomonis et tabernaculi arca, vasa, vestimenta [4]. Sed quo facilius digito contrectetur quot ab uno e tribus illis ducibus agmina inde subsequantur, præsto sit, ut promisi, series qualiscumque eorum qui non tantum vestigiis Gregorii κατὰ πόδα institerunt, sed nomen, quasi tesseram, et formulas, quasi viaticum, de manu ad manum tradiderunt, ut tota legio ex uno duce et vexillo dicatur *Gregoriana* [5].

26. Accedunt Scriptores *Gregoriani*.

SÆC. VII.

Claudius Classitanus.
Paterius.
Isidorus.
Taio.
Hedericus.

SÆC. VIII.

Ladkenus sive Lathcenus Anglus.
Vener. Beda.
Maimbertus.

SÆC. IX.

Alcuinus.
Adrianus papa.
Joannes Scotus.

SÆC. X.

S. Odo Cluniacensis.
Ignatius Casinensis.
Joannes Abbas.

SÆC. XI.

S. Leo pp. IX.
Alulfus et Bruno.
Joannes Cluniacensis.
Lanfrancus.

SÆC. XII.

Gislebertus Universalis.
Adalbertus.
Rupertus Tuitensis.
Petrus Trecensis.
Guillelmus de Campellis.
Garnerius S. V.
Petrus Blesensis.
Petrus Longobardus.
Guillelmus S. Theod.

SÆC. XIII.

Nicolaus Mutiis.
Nigellus Wirekerus.
Jacobus Folquerius.
Eustachius Lensius.
Guillelmus de Medlitona.
Joannes de Grandissono.
Philippus de Grævia.
Simon Afflighemensis.

SÆC. XIV.

Petrus Carnotensis.
Wigerus Ultrajectensis.
Thomas Docking.
Richardus Hampoole.
Zenobius Strada.

SÆC. XV.

Hubertus Sculteputeus.
Richardus Conington.

SÆC. XVI.

Gregorii Speculum.
Antonius Carafa.

SÆC. XVII.

Jacobus Homey.
David Lenfant.

SÆC. XVIII.

Tobias a Nativitate.
D. August. Calmet.

(1) *Exceperunt*. De Hexaemero, cf. t. v, p. 821; II, I, 190. Dudum jam monuere, quem Beda suo in cantica commentario Julianum exagitat, eum esse Pelagium—(2) Ἀντιῤῥητικόν. Vener. Bed. *Opp.* t. II. — (3) *Alligavit.* Post Maurinos Heinius (*Bibl.* p. 168), ut anecdotum, edidit spuria in C. C. Sed commode stetit ante finem cap. I. — (4) *Vestimenta.* Ibid. t. II, p. 394.—(5) *Gregoriana.* Longum erat singulos ex ordine describere; unde rariores illic modo designabimus : Claudius Classitanus dicitur ab Gregorio multa de libris sacris quos, ipso loquente,

ART. IV.

Rabanus Maurus.

27. A Rabano novus formularum et symbolorum ordo,

In quo, gente nimirum germano, sed litteris ac magistris quasi scotico, integra ævi carolini indoles exprimitur. Quæ enim bonæ litteræ, pene ex orbe barbarico expulsæ, in ultimos Hibernos exsulaverant, jam de victoribus triumphantes, inde in Galliam, in Germaniam, in Italiam usque receptæ, academias scoticis instructas disciplinis, incoluerunt : quarum in primis floruit Fuldensis sub magistro et abbate Rabano Mauro. Et sicut ab eodem incipere videtur nova formularum series, per elementa litterarum digesta, ita ab illo rei symbolicæ novus ordo nascitur, quem tamen a Gregorio et Isidoro aliquatenus diximus oriundum : in quo variæ rerum proprietates uberius longe quam antea ad allegorias accommodantur.

tum alphabeticus, quales sunt triplices Rabani *allegoriæ*,

At sub Rabani nomine syllogæ tres *Allegoriarum*, non modicum dissimiles superavere. Brevior, sed eadem, ut spero, sincerior, ut pote quæ pressius et genuinos Rabani libros et consimilia Melitonis lemmata assequatur, nunc primum in medium producitur. Est et alia quæ singulis lemmatibus addit quasi brevem allegoriæ explicationem, quam, monente uno codice Pictavensi, bonæ notæ, leviter videtur perstrinxisse et emendavisse Adamus Præmonstratensis, ut alias jam notavi. Tertia demum, cæteris deterior, sola in editis libris comparet, quæ adeo oscitanter et temere prodiit, ut, præter innumera loca hiulca, absona, inepta, passim consarcinetur e laciniis Gregorii, Isidori, Eucherii, ex integris homiliis in medium positis, quin ex Hildeberti, ne tacito quidem nomine, versiculis [1]. Jam vero in hoc volumine, quod

audierat exponi, ex ore suo excepisse. *Sigebert.* n. 44. — Hedericus Moralia defloravit circa a. 650. *Fabric.* — Maimberti codex sæc. VIII, Deo favente, superest et pie asservatur in Majori Æduensi seminario. — Ladkenum hactenus nemo præter Notkerum nomine excitaverat; sed eumdem certe invenio designatum in catalogo librorum Murbacens. sæc IX, in quo : *Liber euglagarum Ladcen filii Baith.* Vix anni 60 sunt, quum eumdem hunc codicem D. Gerbert oculis suis se vidisse testabatur in itinere suo allemannico, p. 368, sub illa rubrica : *Ecloga quam scripsit Lathcen filius Baith de moralibus Job quas Gregorius fecit.* — Adrianus I regestum excerpsit, eadem fortasse ratione qua usus est Antonius Carafa S. R. E. card. in mantissa ejusdem regesti ad t. II, *epist. Decret.* Rom. 1591 : « utiliora enim quæque decerpens, XIII l. ad II redegit. » *Joann. Diac.* — Scotus *in Job* occurrit in Catalogo sæc. XI S. Nazarii apud Maium, in Spicil. Rom. V, 161. — Ignatius monachus et Joannes abbas exstant in codd. Casinens. — Est Guillelmi de Campellis in cod. Trecensi epitome Moralium, haud incomta nec tanto viro indigna. — In schedis D. Calmet jure hæreditatis accepisse se testatur ejus nepos D. Fangé præclarum in Job commentarium quem *a Moralibus* non omnino recedere significavit. — (1) *Versiculis.* Quos videre est ad vocem Byssum : « Unde Hildebertus Cenomanensis episcopus hoc modo dicit : « Nunc est ecce Byssus..... » qui tamen non exstant in ejusd. Opp. Ad vocem *humerum* assuitur duplex nescio cujus homilia, utraque satis prolixa, de bono pastore una, altera de filiis Noe. Et sic alia bene multa. Excitabo raptim istiusmodi quædam obvia, quæ piguit alias carpere : ad vocem *Botrus*, ubi *nequitiæ*, lege *justitiæ;* ad *Butyrum*, pro *nutus carnis*, legendum : *virtus charitatis.* Ad *Caro*, *immortalitatis corruptio* (!), pro *mortalitatis.* Paulo infra : *cogitationes mundæ*, ubi codices : *invidæ.* Rursus ibidem : *opera carnis exornant.* Supple vocem omissam :

nonnihil arduum erat, sategimus ut, temperatis opportune signis, stellulis, italico charactere, triplex illa ac pene quadruplex editio in paucis paginis sub uno intuitu conspiceretur [vide infra p. 429-436], neque interim aut anecdocta loca omitterentur, aut quædam editorum sphalmata crassiora [1].

28. tum in rerum natura præcipuus; quale opus de Universo

Potiori tamen jure noster est Rabanus ob illud spissum opus quod editi libri *de Universo*, aptius vero manu scripti signant *De sermonum aut rerum proprietate et mystica significatione*. Quid illi in eo conscribendo consilii fuerit, palam fecit in duplici epistola nuncupatoria, una ad Ludovicum regem, altera ad Haymonem Halberstadiensem [2] : quibus monemur Rabanum suos in usus adduxisse inque unum compegisse 1° veterum libros *de Naturis rerum;* 2° variorum etymologias, quarum præcipuas ac pene omnes partes habet Isidorus; ejus enim, vix mutato ordine, xx libros in *duos* et xx dispertitus est; 3° formulas spiritualis intelligentiæ, non Eucherii quidem, sed Melitonis nostri puras putas, juxta Theodulfi recensionem. Quæ ut liquido perspiciantur, sit priorum librorum breve illud schema, fontibus quam accuratissime designatis :

ab initio Melitonianum.

De Univ., lib. I, c. I, col. 14-17 *c*.......... *Isid.* Etym., l. VII, c. I, n. 3-40.
col. 17 *c* ad fin....... *Melit.*, c. I integr.
c. II, ad col. 21 *c*.............. *Isid.*, c. II integr.
col. 21 ad 23 *b*....... *Melit.*, c. II integr.

« Opera carnis *munditiam* exornant. » Ad *v. Manus*, et *Virga*, bis chorda erratur eadem : *persecutio divina*, pro *percussio divina*. Ad *Nervus*, divina *essentia* est *sententia ;* sed ecce *duo pisces*, sunt *duo peræ*, regia et sacerdotalis, ubi *duæ personæ* ultro legent etiam pueri qui « nondum ære lavantur. » Ex hoc disce, lector, quam deploranda sit auctorum nostrorum fortuna, qui typis sæpius deturpantur quam illustrantur. — (1) *Crassiora*. Harumce allegoriarum ad manum habui codd. Parisiens. 588, 589 A, 599, 6556, 6838, S. Vict. 871, S. Germ. 329, Mazarin. P. 1274 ; Trecens. 1697, 1304 ; Pictavens 60 ; Valentianens. B. 3, 11 ; Montens. 8358 ; Brugens. 379 ; Hagæcomit. 44 et 379. Ex anglicanis, Arundel. 298 et 323 ; Oxon. Merton. 200. Quorum unus omnino Rabani nomine inscribitur, Sangermanensis 329, sed nec prima manu ; quocum fortasse facit codex Casin. 439 quem Montefalconius signavit *Rabani vocabularium*. Item duo dumtaxat, Trecensis et Brugensis, olim Clarevall., et Dunens., ex eodem Cisterciensium fonte, nostrum Rabani referunt textum, longe breviorem et sinceriorem. Cæteri codd. cum Adami Præmonstratensis recensione concordant. In nullis enim pene dicam occurrere textum editionis vulgatæ interpolatum. Ex hac ἀδεσπότων codicum copia facilis venia erit recentioribus et clarissimis historiæ nostræ litterariæ Conscriptoribus qui, quum nuper aut Rabani aut Garnerii Lingonensis aut Petri Cantoris syllogas describerent, non semper probe sunt cujusque auctoris nomen assequuti. Cf. *Hist. litt. de la Fr.*, t. XXII, p. 17-20 : ubi codex Paris. 599 certe Rabani est, Petri vero Cantoris codex 613, Hugonis demum ea quæ describuntur p. 17 ; quorum quidem vulgaris textus (t. II, p. 475) cl. Academico minus movisset stomachum, dum ibidem legisset : « Sermo prius debet venire *ad limam*, » ubi mirabundus in cod. legit : « Venire *ad lunam*. » — (2) *Halberstadiensem*. Ad Carolum : « Sunt in eo plura exposita de rerum naturis et verborum proprietatibus, nec non etiam de mystica rerum significatione. » Ad Haymonem : « Venit in mentem ut juxta morem antiquorum, qui de rerum naturis et nominum atque verborum etymologiis plura conscripsere, ipse aliquod conderem..... de rerum naturis et verborum proprietatibus, sed etiam de mystica rerum earumdem significatione. » Opp. t. V, p. 10, 11, edit. Migne. Contuli codd. Paris. 2420, 7608. Neque enim hæc pauca sine mendis edidere.

c. III, totum..............	*Isid.*, c. III, integr.
c. IV, col. 26 *c*.............	— c. IV, n. I.
col. 26 *d*, 27 *a-d*......	Ex ignota Symboli fid. exposit.
c. V, ad col. 30 *b*..........	*Isid.*, ib. c. V.
col. 306 ad 32 *a*......	*Gregor.* Mor.
col. 32 *a-c*...........	*Melit.*, c. III, art. 3.
lib. III, IV, V, nullus erat Melitoni locus.	*Isid.*, lib. XI, c. I, n. 1-8.
lib. VI, c. I, col. 137 ad col. 139 *b*..	*Gregor.* in Moral.
col. 139 *b* ad 140 *a*....	*Melito*, c. V, art. I, n. 4, cum *Gregorio* mixtus.
col. 140 *a*...........	*Gregorius* solus.
col. 140 *a-d*.........	*Isid.*, ib. n. 9-13.
col. 140 *d* ad 141 *b*....	*Melito* mixtus, cum *Gregorio*, c. III, n, I.
col. 141 *b* ad 142 *a*....	*Isid.*, ib. n. 14-17.
col. 142 *a*, *b*, *c* ad 143.	*Melito*, c. V, 32, cum *Gregorianis*.

29. Idem librorum genus, Scotis solemne philosophis,

Et sic porro. Ex eodem hoc opere non minus quam ex alio venerabilis Bedæ *de Naturis rerum* haud illibenter derivari putem innumera ejusdem argumenti collectanea, quæ in eo ferme conveniunt, quod, exposita, juxta veterum opiniones, naturæ notitia, hanc veluti alteram divini cujusdam codicis scripturam allegoriis exornant : id quod Scotorum curiositatem magnopere videtur allexisse. Ex eorum fortasse penu aut e Rabani schola prodiit cujusdam Adhelmi philosophi libellus, quem speciminis instar parcius excepimus e simillima, sed ampliori Thomæ Cantipratani compilatione [p. 425]. Quumque vix alia ætas est quam Carolina in qua se philosophos dixere libentius medii ævi scriptores, neque aliunde omnino ignotus est celeberrimi Scoti frater, eodem nomine Adhelmus [1], idemque agnomine philosophus, ejus esse hanc opellam, ego lubens neque solus subscribam.

jure symbolicæ attexitur historiæ;

Eorum enimvero philosophorum scoto-germanorum indolem referunt, nec omnino a nostris abludunt membranæ copiosissimæ, quas præ cæteris hodiernorum incuria a tineis blattisque eripere negligit, veterum scilicet scholasticorum et grammaticorum christianorum miscellanea de etymo, numero, computo; quibus *scholasticolis* pueris, ut aiebant, non ea tantum tradebantur quæ supersunt ex optimis Græcorum Latinorumque monumentis, sed iis accedebant, immixtæ vulgarissimis glossariis et *algorithmis*, arcanæ rerum symbolicarum significationes : id quod satis superque prædicant tum ea quæ obiter ex Ansileubi et Ebarcii lexicis corrasimus [p. 418-421], tum Remigii, Papiæ, Hugutionis, Heliæ, Auxilii et sexcentorum anonymorum glossaria. Hæc igitur erat plerumque candida veterum Scotorum philosophia, qua vix alia gens aut ætas saniorem habuit; sed quo simplicior et ingenua magis, cæterisque a fide alienis immunior, eo promtius in symbolicam sublimitatem efferebatur. Nondum enim Occidentem infecerat sive Arabum, sive Byzantinorum malesana scientia, utpote aut ratiocinio audacior, aut putidis astrologiæ, magiæ, mythologiæ oppleta deliramentis. Hibernici vero magistri sua e melioribus veterum, omnia fere e sacris et ecclesiasticis fontibus hauserant. Illis certe neque deerant Latinorum optimi, neque Græcorum germani

(1) *Adhelmus.* In cod. S. Germ. 1108, a. 896 scripti, legitur : *Frater Johannis scotti Aldelmus fecit hanc paginam.* Cf. *Patrolog.* t. CXXII, p. XXIV.

codices, ab Augustino, Theodoro, Benedicto et aliis huc usque allati [1], ex quibus effloruit litteratura tam allegoriis biblicis quam classicorum rhetorum flosculis distincta. Visne illas visitare scholas? Ecce tibi eas patere jubet Venerabilis magister qui hæc de Theodoro et Adriano scripsit : « Et quia litteris sacris simul et sæcularibus abundanter ambo erant instructi, congregata discipulorum caterva, scientiæ salutaris quotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant; ita ut etiam metricæ artis, astronomicæ et arithmeticæ ecclesiasticæ (*sic*) disciplinam, inter sacrorum apicum volumina, suis auditoribus contraderent. Indicio est, quod usque hodie supersunt de eorum discipulis qui latinam græcamque linguam æque ut propriam in qua nati sunt, norunt. Neque umquam prorsus ex quo Britaniam petierunt Angli, feliciora fuere tempora [2] » Si quis autem attente evolverit subtilissimos Scotorum tractatus de naturis rerum, de numeris, de computo, de astronomia, de septem artibus, persuasum illi erit eorum in manibus, diu ante Arabum versiones, versatos sedulo fuisse, præter latinos Plinium, Senecam, Varronem, etiam Græcos insigniores, Hippocratem, Galenum, Theophrastum, Dioscoridem, Oribasium, Euclidem, Aristotelem pene totum [3].

30. nec italis alienum, quorum præcipuorum

Scoticæ tamen scientiæ arbitror apparatum non parum fuisse auctum et ornatum ex Italica philosophia, quæ, eadem hac ætate, in scholis Patavinis, in Bobbiensium, Casinensium, Romanorum et Siculorum monasteriis, non minori laude floruit. Hi vero Hibernos una manu, altera Græcos, forte et Arabes nonnullos attingebant. Inde mirum exortum est omnium fere litterarum commercium, quod ex Hibernia et Italia quasi in commune emporium, apud Rhenanos monachos convenit; ex quo, ut notissimos aut tantum theologos omittam, nec nisi physicos excitem, qui quum venas rerum rimarentur, innumera symbolorum arcana excutiebant, rariores effluxerunt libri Ceolfridi, Sedulii Scoti, Veremberti Sangallensis, Bassatii, Amati, Pandulfi, Constantini Africani, Joannis ejus discipuli, quinque Casinensium, Hermanni Contracti, Wigerici Metensis, Markardi et Heriberti Epternacensium, Hildemanni Senonensis, Ethelwoldi Wigorniensis, Brunonis Gladbacensis, Guillelmi Hirsaugiensis, Abbonis Floriacensis, Notgeri medici, Bernelini, Adelboldi, Teutcarii, Franconis, Attonis, Adælardi, O'Creati, Leontii mythographi, etc. Quidni addiderim et physicos poetas haud inconcinnos, Aldhelmum, Benedictum Crispum, Strabonem, Milonem, Theodoricum, Odonem pseudo-macrum, Hugonem Lugdunensem et duos Alfanos, iterum Casinenses?

catalogus breviter attingitur;

Sed in transcursu hæc de præcipua Physiologorum et Allegoristarum ætate, quam quisque solet plenis buccis plumbeam dictitare et ferream : cui potius, ob rei symbolicæ periculum, crimen fecerim nimium dedisse levioribus et profanis litteris, facilius indulsisse naturali physicæ, nec teneras satis præbuisse aures classicis extraneisque musis, aut

(1) *Allati*. Cf. Bed. *Hist. eccl.* I, 26; III, 23; IV, 18. — (2) *Tempora*. Bed. *id.* III, 23. Et cf. Doctissimi Smith not. ad eamdem hist. n. 5, 10. — (3) *Totum*. Nolumus nimis excedere limitem eruditissime positum a cll. vv. A. et C. Jourdain in *Disquisit. critic. de Aristotel. lat. interpr.* Par. 1843. Sed cf. J. O. Halliwell *Rara mathematica*. Lond. 1839, p. 57. Neque omitte quæ infra *de Physiologis*.

minus caute flores carpsisse Varronis, Plinii, Solini, et hujusmodi Philosophorum. Sed in hoc iidem laudandi maximopere, quod, quum elegantiorem sermonem studiose venarentur, demisso tamen scientiore fastu, nihil non omisere, ut sive metris popularibus, sive picturis, sive vulgaribus libris, reconditiora magistrorum arcana in vulgus disseminarent. Successit vero illud satis prospere ut idem illud ævum, conviciis sannisque tamdiu proscissum, eam sit nihilominus adeptum spiritualis theoriæ subtilitatem, ut quæ etiam nunc doctissimos latent, intimus videlicet monumentorum intellectus, penitior rituum Ecclesiæ sapor, mystica totius naturæ physiologia, illa etiam tunc, id quod ex homiliis vulgaribus ipsisque rudimentis catecheticis patet, vel e plebecula mulierculas minime fugerent. Alia quidem erat, nemine diffitente, hujusmodi eruditio omnium, alia clericorum, alia fortasse monachorum. Nondum enim fuerat penitus antiquata disciplina arcani, cujus ad sæculum XII manifesta habes vestigia in ea quam retinuere externæ et internæ monasteriorum scholæ variam scientiæ sacræ οἰκονομίαν; sed quod inter claustrorum penetralia a monachis diu noctuque in lege Domini meditantibus hauriebatur, ut illud libenter scholasticis eorum propinabatur, ita idem hi clericis ascripti, pro cujusque conditione, e pulpito in vulgus eructabant. Si quid vero omnibus commune, si quid gratum et desideratum, si quid avidius haustum, in imisque gustatum præcordiis, totum hoc, quodcumque erat, ad spiritualis doctrinæ intelligentiam pertinuit. Sed quo breviori schemate cohibeam argumentum latissimum, quo non tam symbolicæ, quam totius scientiæ christianæ fines et incrementa comprehenduntur, syllabum exigam eorum qui apud christianos dixere generatim, peculiari tamen libro, id quod scoticis magistris frequens erat, de rerum natura, ordine aut proprietatibus, quorum utinam e latibulo exeat primus, Manlius Theodorus, Augustini amicus, quem Salmasius sua contrectavit manu!

31. cui accessit index scriptorum *de Naturis rerum.*

Manlius Theodorus.................. *de Natura rerum.*
Heliodorus.......................... *de Natura rerum exordialium.*
Isidorus............................. *de Ordine creaturarum. — De Natura rerum* [an *Etymologiæ?*]
Jacobus Edessenus.................. *de Universo.*
Venerabilis Beda.................... *de Naturis rerum.*
Rabanus Maurus..................... *item* [forte libri *de Universo*].
Adhelmus philosophus............... *item.*
Hugo S. V........................... *de Proprietatibus rerum.*
Alvredus............................ *de Natura rerum.*
Alexander Neckam.................. *de Natura rerum,* metrice.
Thomas Cantipratanus............... *de Naturis rerum.*
Albertus Magnus..................... *item* [forte libri *de Animalibus*].
Bartholomæus de Glanvilla........... *de Proprietatibus rerum.*
Guillelmus Peraldus.................. *de Naturis rerum.*
Joannes Zamorensis.................. *de Proprietatibus rerum.*
Giroldus, Simon, Thom. Bon. Joannes } ord. FF. PP..... *de Natura rerum.*
Robertus archiepiscopus Roccæ S. Joan. *de Proprietatibus rerum.*
Gaufredus Cochlearis................. *item.*
Vincentius Bellovacensis............. *de Natura rerum* [al. *Spec. naturale*].
P. Berchorius........................ *item* [*Reductorium morale*].
Ab his *de nat. rer.* laudantur Lucretius, Varro, Seneca, Egnatius, Archytas, etc.

ART. V.

S. Bernardus.

32. **Bernardus noster est**

Dicet aliquis : Quamquam ætas illa præ cæteris et forte plus justo istius modi disciplinam excoluerit, mirum profecto est jam prima acie præmitti Bernardum, cujus ingenium fervidum, spontaneum, regulæ non necessariæ impatiens, adeo in interpretandis scripturis veteres terminos concussit, ut a formulis quibuslibet perpetuo divortio debuerit recedere, nisi forte nomen istud idcirco in antecessum proferatur, quod a Bernardo, ex opinione omnium, totum sæculum XII proficiscitur.

non tam ut Cisterciensis,

Nempe non una hæc mihi causa est, neque tantum ideo quod ultimi veterum formularum classici interpretes ex eadem sunt familia Cisterciensi cujus Bernardus parens alter et dux maximus fuit : sed propterea quod ipse, candide dicam, Melitonianus est, inde noster.

quam ut Melitonianus,

Non enim mihi contigit bonis avibus accedere ad bibliothecam Clarevallensem, jam Tricassinam, neque ibi manu evolvere mea codices permultos quorum plerosque sanctissimus abbas digito suo libavit et consecravit, quin tacite mecum mirarer unde et cur tot libri ejusdem fere argumenti, allegorici scilicet mei, et Gregorius et Gregoriales omnis generis, Eucherius, Beda, Rabanus, tum demum duo unius Melitonis exemplaria, exque illis palmare meum et pancraticum, totius hujus editionis fundamentum. Subibat enim ultro inquirere, quum Bernardo σύγχρονον esse hoc exemplar sole sit clarius, perinde ac bibliorum codex Trecensis, in cujus marginibus vestigia sanctæ manus deprehendere solent, anne et ille sacer et hic meus Melitonianus locum non habuerint in ejusdem armario abbatiali? Anne in tugurio illo, « pisatiis torquibus circumtexto, » in quo Divus, affecta valetudine, solus meditationibus vacare gaudebat, unde postremo exierunt primæ illæ et præ cæteris mellifluæ in Cantica canticorum homiliæ? Agedum, periculum feci, et quum Melitonem recens rescriptum, quasi coram haberem redivivum et spirantem, decem priores illius paranymphi in epithalamium sermones, in hoc primo secessu sacro et cælesti commercio certe dictatos, legi iterum, qua potui religione, neque ulla opinione præconcepta, nisi forte communi qua longe alia exspectaturus eram ; hincque Bernardum, illinc e regione Melitonem, quoties non obiter et temere, sed quasi dato consilio una convenirent, stylo distinxi, prope in huncce modum :

33. **Præsertim ob sermones in C. C.**

BERNARDUS.	MELITO.
Sermo I, n. 8. Canticum, i. e. sanctæ desiderium animæ, vel æterni connubii sacramentum, exprimens castos, jucundosque complexus animorum.	Cap. x, 36. Canticum, ad contemplativam.—Canticum, scientia. In psalmo : « *Cantate Domino canticum novum.* » In Salomone : « *Cantica canticorum.* »
II, n. I. Os osculans, i. e. Verbum hominem assumens.	Cap. I, 6. Os Dei, filius ejus.
3. Osculum, persona Christi ex utroque.	Cap. x, 23. Osculum, reconciliatio hominis in Deum : « *Et osculatus est eum.* »
6. Osculetur me osculo oris, Deus fiat homo [Eadem in serm. VIII, IX, I, 2, 3].	[Ibid. cf. *Rabani* commentarium : Osculum, dona Spiritus sancti.]

Bern. — S. III, 2. Osculari pedes, i. e. coram splendoribus Majestatis cæcitatis caligine obvolvi.
3. Osculari manus, virtus ejus sine qua nihil possum facere.
IV, 1. Pedes, primordia conversionis.
2. Manus, proficientium opus.
V, 1-10. Quatuor spiritus genera sunt, pecoris, noster, angelicus, et qui condidit istos.
IV, 3. *De monte umbroso et condenso egrediens, in sole posuit tabernaculum suum*, i. e. obtulit carnem suam sapientibus carnem.
4. Os habet Deus, manum, pedes...
6. Scriptura frequenter Deum commemorat nunc quidem stare, ut: *Adorabimus*, etc.; nunc ambulare, ut: *Et habitabo inter illos*, etc.
Nunc currere, juxta illud: *Exsultavit*, etc. [Singula spiritualiter exponit.]
Ib. Si recte caput Christi refertur ad deitatem [item X, 8], puto non incongrue pedes ad hominem pertinere.
7. Sapientia Dei auro designatur.
8. Pedes, vestigia divina, signa operum.
VII, 1. Manus, latitudo una, fortitudo altera.
2. Sponsa, anima sitiens Deum; sponsus, Christus.
VIII, 6; IX, 1, 2, 3 [cf. supra, II].
5. Duo ubera sponsi, duo ingenitæ mansuetudinis argumenta...
6. Lac, pinguedo gratiæ et internæ dulcedinis.
8, 9. Duo ubera, prædicatio evangelica. Vinum, contemplatio.
10. Et pulchre vino comparant affectum carnalem.
X, 4. Unguenta sunt contritionis, devotionis et pietatis.

Melito. — Cap. I, 18. Pedes Domini, æternitatis stabilitas: *Et caligo sub pedibus ejus.*
Cap. I, 14. Manus Domini, divina operatio.
Cap. X, 52. Pedes, debilium sustentatio.
Ib. 25. Manus, operarii vel opera.
Cap. III, 1. Spiritus, Deus... angeli... spiritus, ratio... spiritus, animæ jumentorum.
De monte umbroso [Vulg. *Pharan*] Melitoni solemne[1]: cf. t. II, p. 109, l. 11; 142, 6, 31 *a*; 143, 9 *a*; 341, 8, etc. — Cap. III, 5. Sol, manifestatio Dei in carne: *In sole*, etc. — Cf. quæ supra.
Cap. I, 24. Stare Domini, patientia divinitatis. — 34. Ambulare, delectari in operibus sanctorum: Et ambulabo inter eos, et ero illis Deus.
Cap. X, 63. Currere, in operibus bonis properare.
Cap. I, 1. Caput Domini, ipsa divinitas.
Cap. II, 19. Pedes Domini, homo assumtus a Verbo.
Cap. VI, 1. Aurum, sapientia.
53. Vestigia, signa operum Dei.
25. Manus, potestas... fortitudo.
Cap. II, 13. Dextera, beatitudo.
Cap. X, 15. Sponsa, Ecclesia vel anima. — 14. Sponsus, Christus, ideo quod a Petra et ab initio sit promissus.
Cap. VI, 41. Ubera, sensus cordis... verba Scripturæ.
Cap. IX, 21. Lac, simplex doctrina Ecclesiæ.
Cap. II, 14. Ubera Domini, Evangelica doctrina.
Cap. VIII, 108. Vinum, gratia Spiritus.
Cap. VIII, 108. Vinum, libido.
Cap. VII, 31. Unguentum, gratia Spiritus sancti.

34. Unde Bernardo et ejus ætati non ultima sit sedes,

Hæc abunde erunt ut in formularum spiritualium historia, non solum præstet Bernardus nomen, verum sedem tanto nomine dignam accipiat; et quemadmodum illius sæculo duodecimo primas rerum nostrarum cedere jubemur, sic tantum magni sæculi principem in novissimum recipere se subsellium dedeceat; maxime « quum hodie, inquit æqualis ejus biographus, ubique terrarum spirituales quique, loquente eo seu tractante, stant cedendo præcedenti, et sensibus ejus vel intelligentiis submittunt sensus vel intelligentias suas[2]. »

maxime ob hujusmodi commentarios,

Viden' quomodo, surgente illo, orbis exsultet universus? Ne a meis recedam, ecce innumeros in Cantica canticorum interpretes quos post illius vestigia, in odore, ut ejus verbis utar, concurrentes, traxit amor;

lat. t. III. — (1) *Solemne.* Non desunt tam in Bernardo quam in recentioribus v. g. in Petro Cantore, in Petro Capuano non pauca veterum versionum loca, quæ nisi a Melitone deriventur, vix ulla causa erit, cur, Vulgata posthabita, tam obsoleta superaverint. — (2) *Suas.* Galfredus, *de Vit. Bern.* lib. I, n. 70.

trahi namque eos necesse erat qui cum eo in eodem campo cursu certabant. Hactenus quidem in illo clauso canticorum horto non pauci tentoria fixerant, alii aliis alacriores, ut theologiæ mysticæ aromata sibi compararent, quippe quum ante Bernardum, ut alias severiore calculo putavimus [infra, p. 168], sexaginta et qui supra sunt [1] vere fortes viros, in circuitu throni arcana regis custodientes, invenimus. A Bernardo autem si ad alterum sæculum censum extenderimus, fortes sexaginta alii [2] facillime reperientur, inter quos bis septeni Cistercienses, coronas ante sponsi et sponsæ pedes sparsuri elegantissimas. Quid plura, ut sive ætatem noveris, sive hominem suspicias?

35. et mutuam concordiam Cisterciensium, Sanvictorinorum,

Neque a Bernardo Hugonem, Victorinum amicum a Clarevallensi fratre, sejungamus. Ambo enim sunt, quales dumtaxat ingentia quondam sæcula pepererunt. At Bernardus orbi, Hugo vero urbi præerat, et, quemadmodum Clarevallensis fons omnem Ecclesiam inundavit, ita scaturiebat Sanvictorinus in omnes Parisienses scholas [3], inde in mundum universum effundendus. Illud enim firmissime tenendum, a Victorino et ab ejus schola, quam asceseos perfusam odoramentis, contemplationi assiduam, quin et arcani quadam disciplina (eam enim sæpius cum reverentia Magister allegat) et veterum traditionum religione venerandam videre mihi videor, inde profecto cuncta Parisiensium magistrorum et discipulorum universitas suam accepit mysticam et συμβολικωτάτην indolem, quæ tum illorum famæ et nomini inhæsit [4], etiam quum, oppressa novarum disciplinarum mole, illa juvenescentis academiæ mystica teneritudo induruit, in robur longe diversum immutata.

et Parisiensium:

36. quam in primis cernere est

Quamdiu vero stetit illud sæculum Bernardinum, fecit Cisterciensium, Sanvictorinorum, Parisiensiumque magistrorum amica conspiratio, ut, quum alias, tum in re symbolica nihil innovaretur. Quam amice consertis manibus singuli procederent, id in primis declarat modesta et religiosa sive ad Cistercienses sive ad Sanvictorinos secessio præcipuorum Parisinæ scholæ magistrorum. Quum enim non sine magno innumerorum audientium plausu Scripturarum corpus universum

(1) *Sunt.* Recensitis enim 55 interpretibus ante Bernardum, l. l., adde Hieronymum quemdam ex multis codd., Sejienuthum abbatem, apud Zoegam in catalogo codicum copticorum Borgianorum, Orosium partim editum ad *Acta MM. Ostiensium*, Gregorium Illiberitanum, si Heinio fides, Paterium ex *Moralibus*, Florum ex *Ambrosio*, Rabanum ob glossas forte ineditas, Matthæum Cantacuzenum, quem bis extra locum suum posui in meo indiculo, Guillelmum de Breda Casinensem, et Stephanum quemdam archiepiscopum, forte recentiorem. — (2) *Alii.* Sexaginta quidem in eodem catalogo recensentur a Bernardo ad finem sæculi XIII, quibus pigeret saltem non addere septem alios (quorum unus Cisterciensis, fere omnes e Prædicatorum ordine), beatum Joannem Dominici, Nicolaum de Gorrhan, Guerricum de S. Quintino, Guillelmum de Melitona, Tancredum Bononiensem, Joannem de Sarziano, ac denique, non ultimum e Cisterciensibus, tribusque et decem aliis annumerandum, Jarichum Frizonem, Mariani hortuli (*Mariengarden*) doctissimum abbatem. — (3) *Scholas.* Vix ullus est sæculi XII liber frequentius rescriptus quam Hugonis *Allegoriæ V. et N. Testamenti*, quas tam ipsius quam Parisiensium plurium esse, docet cod. S. Vict. 923. Cf. Alb. Lebner, in *Hugo von S. Vict. und die theologische Richtung*. Lips. 1832. — (4) *Inhæsit.* Vide testimonium auctoris *moralitatum*, sæc. XV, in *proleg.* tom. II, p. XXX.

37. in Petro Cantore, Alano Universali,

allegorice exposuissent Guillelmus e Campellis, Petrus Comestor, Petrus Cantor, Alanus Universalis, priores agmini canonicorum regularium, posteriores albis monachis nomen illustre dederunt; unde fortasse efferbuit utriusque Ordinis in investigandis Scripturis studium : quod mirum in modum vel apud remotissimos Cistercienses, Scoticos, Frisones et Lusitanos [1] exarsit, nec, præter id quod vulgo creditur, umquam in illis aut cæteris monachis Benedictinis exstinctum est. Ille vero Tricassinus presbyter, cui sua in evolvendis membranis inexhausta voluptas nomen indidit Petri Manducatoris, quum primum a delibandis Clarevallensium vicinorum codicibus, neque ariolari temere juvat, certe non abstinuisset, jam Parisinæ cancellariæ suffectus, ita ad siccum ebibit universam publicæ palæstræ doctrinam, ut novos fontes in solitudine inquisiturus, sese in Sanvictorinos recessus totum immerserit; ut in illo coaluerint omnia quæ tunc magistrum, sacerdotem, monachum commendabant.

38. Et Petro Comestore.

Quæ causa præcipua est, cur *Historiæ scholasticæ et allegoricæ* manserit diu et ubique auctoritas ingens; cur Magister *Historiarum*, ut aiunt, eadem usus fortuna ac Parisiensis alter, Magister *Sententiarum*, suos habuerit et bene multos interpretes, abbreviatores, defloratores. Insudavere in Lombardum dialectici, philosophi, theologi; Comestorem vero degustaverunt poetæ, pictores, artifices elegantissimi. Omnes fere *Summæ,* ut aiunt, quum Angelicæ tum Seraphicæ, a fundamento *Sententiarum* super astra exsurrexere : exsurrexit fortasse sublimior *Summæ historialis* [2] commentarius in fastigio tot amplissimarum basilicarum, quæ ab immensa Parisiensis cathedralis mole quasi profectæ, inde per Galliam omnem ac christianum orbem universum, in eadem hac ætate, *Historias scripturales* ubique repræsentaverunt.

39. Cujus *Historia scholastica* eamdem ac libri *Sententiarum* nacta fortunam,

Sed ne a codicibus litterisque meis abeam, huc certe pertinent illa exemplaria biblica, gallica ἐξόχως et Parisina, vulgo dicta **Bible historiaux, Histoires escolatres, Bibles histories, ou sont les histoires scolastiques**, quæ per se sola singularem quamdam et amplissimam condidere litteraturam [3]. Habet enim Comestor suos commentatores, neque ignobiles, Stephanum Tornacensem, Langtonianum et Robertum Kilwarby, ambos Cantuarienses archiepiscopos, quos non piguit *postillas in Historiam scholasticam* dictare, et Joannem Gersonium, Cancellarium illum, a quo præcipua pars evangelica novis curis resumta est [4]. Habet suos populares interpretes, Guiardum Desmoulins, David Aubertum, Joannem de Rely, Joannem Blesensem [5]. Habet ex-

40. peculiarem quamdam peperit litteraturam,

(1) *Lusitanos.* Quod hodiedum præclare testantur multi et magni pretii Alcobacenses codices Ulissipone asservati, quorum plures de re nostra toti sunt, sed plerique sæculo XII aut XIII conscripti. At vel in sola Clarevallensi abbatia non deessent, præter multorum opinionem, scriptores, theologi, concionatores, poetæ optimæ notæ et non pauci numero, qui etiam nunc in codicibus Tricassinis latent. Triginta ad minus habeo recensitos, nonnullos certe posthac editurus. — (2) *Historialis.* Ita codd. Paris. 587 et Navarr. 98. — (3) *Litteraturam.* Vix ullus est Bibliothecæ msstæ catalogus in quo multa id genus non occurrunt; sunt enim codices Anglicani, Batavici, Germanici, Florentini, Cæsenates, Casinenses, Neapolitani, quos vide apud Montefalconium et Hænel in nova utriusque editione apud Migne inscripta *Dictionnaire des mss.* quam eruditus v. Lud. Mas-Latries procuravit. — (4) *Est.* Cf. ad hæc nomina Echard, Fabricius, *Hist. litt. Galliar.* etc. — (5) *Ble-*

cerptores S. Bonaventuram in *Biblia Pauperum*, Bartholomæum de Luca in scholastica nova historia, Oynum in *lectionibus* anecdotis [1]. Habet præcones ad vulgus, qualis anonymus ille anglus, a quo exstant « explicationes sive conciones breviculæ ex allegoriis Petri Comestoris [2]. » Habet denique suos poetas de quibus mox, suosque pictores et artifices, qui ea nitent artis elegantia, copia, opulentia, ut quædam fuisse regio sumtu elaborata [3], quædam opera Joannis Brugensis confecta reputentur [4]. Quorum palmam per me detuleris incognito scriptori et pictori [5], a S. Ludovico forte in opus ascito [6], sed quem vidi misere discerptum, adeo ut ejusdem alia in codice Sangermanensi, alia super pluteis Bodleianæ et Musei britannici, alia in plagulis cujusdam aquitanici quaternionis jaceant.

41. et novam poeticam.

Huc eodem jure pertinent variæ in vernaculas linguas rhythmicæ translationes, quæ, superstite adhuc τῷ Πολυφάγῳ, usque ad ultimas Ecclesiæ fines pervenere. Hæc altera ejusdem generis est litteratura, neque arctiori finita limite, sed suavior et concinnior, ea scilicet series Bibliorum metricorum, quæ præcipue quidem a Petro de Riga, deinde ab ejus correctore Ægidio Parisiensi, sed primitus ab Estore, antiquitus vero a Melitonianis fontibus derivantur. En pene dicam nasci novam in litteris christianis poeticam. Usque ad hæc enim tempora, ex industria quadam, sed fortasse ob arcani disciplinam necessaria, id unum sibi statuerunt nostri poetæ fere omnes, nudam sacrorum librorum aut christianorum heroum historiam metrorum lepore adornare, ac, parcissime adhibitis allegoriis [7], ea tantum quæ omnium erant, in vulgus rhythmorum semper amantissimum effundere. Sed ecce a sæculo xii alia ratio est christianorum poetarum. Priores quidem, spatio angustiori inclusi, elegantiori veterum metrorum venustate florent; posteriores vero, effusis habenis, ruptis antiquæ poeticæ et grammaticæ repagulis, sed neque parallelis leonini versus lineis impediti, quanto audacius in allegoriæ campum exspatiantur; quæ illis alia typorum et figurarum spectacula; quot symbolorum lenociniis luxuriantur!

Hæc quidem ab initio sæculi XII clarius incipit,

Viam aperit noster (antiquiorem enim ἀνέκδοτον non inveni [8] *Liber*

sensem. Cf. codices Paris. gallic. 6702-6705, 6705², 6818-6829, 6829², 7268², 7268³, 7268⁴. Quorum occasione video memoratum Petrum sacerdotem Trecensem sive Trevirensem, eumdem plane ac Comestorem ipsum.—(1) *Anecdotis*. Cod. Paris. 446; Echard, a. 1464.—(2) *Comestoris*. Harleian. 1214.—(3) *Elaborata*. Cod. Ambian. 108, in quo fuere 2000 figuræ bibl. regi Sancio dicatæ.—(4) *Reputentur*. Quod de codd. Paris. 6829, 6829² disseruit Camus in *Not. et extr. mss.* t. vi, p. 106, a quo rescimus in posteriore codice inesse picturas numero 5152, earumque sumtus æstimari posse pretio circiter 60,000 franc. — (5) *Pictori*. In cod. Sangerman. 37, ubi præfixa est folio primo hæc nota : « M. Gérente a vu à Oxford, Bibl. Bodl., et au British Museum deux volumes qui semblent appartenir au même ouvrage, et exécutés par le même artiste. » — (6) *Ascito*. Ita censuit qui plagulas ejusdem paucas descripsit cl. abb. Auber (*Mém. des antiq. de l'ouest*, 1838, p. 157). — (7) *Allegoriis*. Nullus certe iis data opera utitur, nisi forte excipias Theoduli eclogam, qui in eadem poeticæ artis immutatione qua, metro neglecto, allegoria præplacuit, comprobanda totus esse mihi videtur.— (8) *Non inveni*. Sed vellem aliter quam jejuno nomine nosse tum Gundelbertum nescio quem, sæculi v, si Vossio fides, et Lambertum Atrebatensem apud Fabricium, qui omnia Biblia metrice descripserunt, tum etiam abbatem Israelem quem Galliæ litterariæ scriptores eamdem seriem vulgaribus rhythmis a sæculo xi com-

42.
conspicua in libro *præfigurationum Christi et Ecclesiæ*;

præfigurationis Christi et Ecclesiæ [1], cujus auctor Philippi regis et Bertradæ tempora hisce clare designat :

> Philippum regem nunc pellex nullificavit,
> Quæ tantum procerem Salomonem ludificavit.

Qui quum egregie et uberrime in singulis fere versiculis historias et allegorias alterna vice premat, nedum arceat a lectione arcana quemquam, ipse sua dirigit ad moniales quasdam et quasi coram stantes :

> Vos, o præsentes quæ dicimini moniales,
> Hujus reginæ [Esther] mores vitamque tenete,
> Et quam vovistis servate virginitatem.

Quin puerulos respicit, ludumque litterarium sine discrimine, ipse magister præiens, inducit in hanc veterum arcanorum initiationem :

> Est et adhuc aliud, cur hæc metra sim modulatus :
> Grata *scholasticolis* plus esse liquet metra prosis;
> Hærent et memori menti citius metra prosis.
> Testis nempe mihi Deus est, cui cor patet omne,
> Me neque rumores hinc aut captare favores,
> Sed rogo, qui legit hæc, orando Deum mihi placet.

43.
longe splendidior in *Aurora* Petri de Riga, a quo litteratura alia proficiscitur,

Porro illi symbolorum orbi illuxisse medium et sublimiorem Petrum de Riga (cujus *Aurora* ex immerita nocte in lucem velim prodeat longe copiosiorem quam horum commentariorum), testes idonei sunt et ubique superstites exemplaria sine numero, sine fine diffusa. Ipse ego supra centum in manibus habui, centumque alios et id quod amplius est [2], promto calamo recenserem. Rursus auctori Petro non defuere διορθωταί, censores, commentatores; quorum alius *Auroræ* suum *Luciferum* dedit [3], alius ex illa coegit epitomen [4], alius edidit Ecclesiæ Speculum [5]; hic canonicus Præmonstratensis encomium procemio præfixit [6], ad calcem ille Dominicanus, Alanus Linensis, copiosum retexuit indicem [7]; Cisterciensis alter et Austriacus, Altmannus, post eum Cantica canticorum eadem chorda reddidit [8]; alter denique, longe cæteris præclarior, Ægidius, primum Parisiensi laurea, deinde episcopatus infula, ut ferunt, donatus, mediocrem quidem Auroræ apparatum, sed non modicam suo calculo et censoria virgula præstitit auctoritatem [9].

misisse referunt. Vid. t. VII, p. 230, et codd. Vindobon. Lat. theol. 613. — (1) *Ecclesiæ*. Cod. Paris. 1956. Iidem conscriptores Hildeberto videntur hoc opus assignare, decepti a vetere codd. Anglic. catalogo qui nomen illud fragmento ejusdem *Libri* exiguo ideo attexuit quod proxime præcedebant Hildebertini noti versus *de Sacramento altaris*. Sed si primæ conjecturæ meæ fidem adhiberem, non deerant signa quibus totum *Librum* darem Roberto Arboricellensi, qua de re serius et tutius anquiretur. — (2) *Est*. In sola Bibliotheca Parisiensi magna sunt circiter 40 codices. Verum etiam illic rara est editio primigenia a solo Petro exacta, sed rarior instructa suis omnibus appendicibus in Cantica canticorum, in Actus apostolorum, et Recapitulatione. At rarissima in qua non desunt Jeremiæ lamentationes. — (3) *Dedit*. Trecens. cod. 1164. — (4) *Epitomen*. Cotton. Vesp. D. XX. — (5) *Speculum*. Mus. Britt. reg. P. 147. — (6) *Præfixit*. In cod. Ultraj. 77 canonicus de S. Mariano Autissiodorensi nuncupatur. — (7) *Indicem*. Cf. Leland et Tanner. — (8) *Reddidit*. Cod. Vindobon. Theol. 147. — (9) *Auctoritatem*. *Hist. litt. de la Fr.* XVII, 36. Dicitur in nonnullis codicibus (Harleian. 627), non solum episcopus, sed Bituricensi patriarchio, nescio quo jure, ascriptus.

Quo quidem pervenerit Gallorum nostrorum et Parisiensium fama, documento sunt et Hermannus [1] ille noster, Werdinensis abbatiæ custos, jam inter Westphalos Petri de Riga æmulus, supplementum Auroræ, cui Proverbia Salomonis desunt, in amplissimo suo *Deliciarum horto* daturus; et vicinus ille Jacobus a Maerland, quem multi quasi batavum Homerum salutare solent [2], certe insignis Comestoris interpres in suo rhythmico et grandi opere, **Rijmbijbel** inscripto. Quamdiu autem hoc idem nostrorum decus persstiterit, docent et ad tempora nostra referunt recentiorum sive in *Historiam scholasticam*, sive in ejus versiones curæ non semel iteratæ, quibus simillima aut edita denuo fuere, aut variis exacta epitomis, aut rhythmis Gallorum, Italorum, Tuscorumque expressa [3].

per omnem perlata Ecclesiam

nec in recentiori ætate omnino exstincta.

44.

cujus præcipuas leges.

Porro illi ævo Bernardino, cæterorum facile magistro et principi, erant in tractandis symbolis paucæ admodum leges, eo efficaciores quo pauciores : veterum videlicet normam sequuntor acerrimam; sed in iis quæ non constanti traditione, non lege lata sanciuntur, unusquisque sui juris esto; neu vero extra sacrorum librorum elementa ad mundanas vagentur varietates, tum sarta tecta littera siet, tum habeat cujusvis allegoriæ fundamentum. Minime in tropos aperiunda quæcumque ab historia stant, sed quæ usus, quæ sensus ultroneus capit; cuncta denique symbolica unum finem, principium unum respiciunto, A et Ω, Christum.

145.

exponit Petrus Cambius.

Quod vero aut metro aut vulgaribus rhythmis interdum utebantur, an ob ingenii acumen ostendendum, an propter venandos plausus? Minime rerum; sed veterum more legislatorum, vulgi ingenio consulebant, non elegantiore proinde, sed potius quam simplicissima usi dictione. Quas quidem scribendi et exponendi regulas nemo candidius dedit quam *Benoni liber* cujusdam Petri episcopi, quem, aliis non nihil dubitantibus, ego lubentius in Parisiensium agmen et inter eorum

---

(1) *Hermannus.* Me quidem puderet tam perfunctorie de Hermanno meo agere, nisi mihi spopondissem fore ut ad eumdem, uti ad cæteros metricos formularum commentatores revertar. Sed schedulam saltem historicam hic loci infigam, qua ætas Hermanni et ejus libri annus, de quibus silent omnes, clare statuitur, e lib. II v. 3571-5380, ubi meminit nonnullorum ævi sui tyrannorum

> Qui miseros lacerant, Ecclesiamque gravant.
> Sic pro justitia, gladio comitis Frederici,
> Engelberte, cadis, Coloniensis apex.
> Hanc mortem vidit idus septena novembris :
> Nam Willibrordi luce cadente ruit;
> Noxque coronatorum (*In marg.* Vig. IV) bis fuit illa [duorum.
> Huic horum meritis esto corona, Deus.
> Anno milleno bis centeno quoque deno
> Et quinto, martyr hic pretiosus obit.
> Hoc incæpit opus Custos Hermannus in anno,
> Huicque sequens operi terminus annus erat.

Tum in margine rubricatur is titulus :

> Anno Dni M. CC.
> XXV. VII id. nov.
> Occisus est Engel.
> bertus Coloni. ar.
> chiepc.

— (2) *Solent.* Nolim amico et erudito viro J. Alb. Alberdingh Thijm non plane assentiri, a quo non pauci neque ignobiles poetæ Tienses, Maerlandio vetustiores, scite connumerantur in eleganti libro gallice conscripto : *De la littérature néerlandaise*, 1854, pag. 14-25, 84-91. — (3) *Expressa.* Exstant enim : *Fioretto di tutta la biblia istoriata*, apud Guill. de Fontanetto, Venet. 1531; *Les figures du Vieil Testament et du Nouvel*, ad imitationem *Bibliæ pauperum*, 1503; *Figures de la Bible illustrée de huitains français*, Lugd. 1565, auct. Guill. Guéroult; item, sub eodem titulo, auct. Car. de Pontoux, ibid. 1570, 2 vol.; *Figures de la Bible*

κορυφαίους ascribam [1] : ut fuerit tertius a Petro Lombardo, Cambellanus de Nemours dictus, qui post egregie gesta et non pauca tam Victorinis quam Cisterciensibus collata munera, in sacro itinere cum militibus cruce signatis suscepto, apud Damietam, a. 1219, mortem haud ingloriam oppetiit [2]. Porro ex unico codice, eoque autographo, ut conjicio ex additamentis liturisque et censuris quæ hujusmodi prototypa solent insignire [3], pauca lubet, post alia in commentarios corrogata, excipere, quo nihil esse potest ingenuum magis, minusque fucatum, sed rusticum jam pene dixerim. Initium est, post aliqua [4] :

> Si meruit titulum vel libri nomen habere,
> Istud opus Benoni *liber incipit*, intituletur.

Incipit Prologus [5],

P rincipium de principio mihi Principium sit :
E t finis, sine quo nec principium neque finis
5 T ransiet ad laudem, nec opus laudabile fiet :
R es, sine Principio Christo, declinat ut umbra.
V os legitis scriptum : sunt omnia facta per ipsum,
S icut declarat Joannis lectio sancta.
E rgo principium det Principium mihi Christus :
10 P ost, Christus Finis dignum tribuat mihi finem.
I esus principium, Jesus factus mihi finis.
S uasit tantillum fieri, ne nil ageretur,
C um damnosa quies sit amanti vivere recte.
O b multas ergo causas hunc texo libellum,

déclarées par stances, auct. G. C. T. (Gabriele Chapuys), ibid. 1582; *Figure della Biblia, illustrata di stanze tosc.* auct. Gabriele Simeone, Lugd, 1566, 1570, 1577. Venet. 1574. Non defuit demum *Historiæ scholasticæ* editio recens, Veneta, 1728, neque Epitome quædam ejus ad instar expressa, sed longe languidius, quamquam notissima, ea scilicet quæ dicitur *Bible de Royaumont.* — (1) *Ascribam.* Cf. *Hist. litter.* XVII, pag. 212.— (2) *Oppetiit.* Hæc fusius in *Gall. christ.* VII, col. 86-90. — (3) *Insignire.* Cod. Paris. 8110, olim inscriptus MMXXV, 1611, 4147. Averem, ut dubiis exsolvar meis, incidere in indiculum librorum quos testamento idem dedit Sanvictorinis, juxta illud in eorum Necrologio conscriptum : « De cujus beneficio habuimus XL libras ad emendos reditus et *Bibliothecam* XVIII *librorum.* » Sed, inter multas largitiones, vide illud obiter : « Habuit præterea de ipsius beneficio eleemosyna nostra CC libras ad emendos reditus, de quibus, in die anniversarii ejus, *mille* pauperibus distribuuntur *mille panes*, qui fieri possunt de VIII sextariis bladi, et *mille attertia.* » Gall. chr. l. l.— (4) *Aliqua.* Incipit enim : « Nomina cunctorum sunt infra scripta librorum, » sacrorum scilicet, quos adducturus est in allegoricum commentarium. Hi sunt Pentateuchus, Josue, Judicum, Regum, Ruth, Esdras et Macchabæorum. — (5) *Prologus.* In margine, sunt notulæ ejusdem manu, quas nolui omnino omittere. E regione igitur ab initio :

> Grammata principii cujusque recollige versus,
> Si cupis actoris nomen habere libris [*sic*].

—V. 4. *Principium.* « Alicujus operis,» *ib.* —V. 5. « *Fiet.* Difficile est enim ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. » *Ib.* — V. 6. *Umbra.* « Vel sine fine Christo, qui ait : « Ego sum A et Ω, principium et finis. » *Ib.* — V. 7. *Ipsum.* Et : « Sine ipso factum est nihil.» — V. 11. *Finis.*

> Qui consolatur sperantes firmiter in se,
> Mater ut infantem, propria quem gessit in alvo.

—V. 12. *Ageretur.* « Unde : Semper aliquid facito operis, ut Diabolus te occu-

15 P ellat ut ipse labor, fastidia si qua molestant;
V el non neglectum consumant otia corpus,
S ed solidet mentem labor utilis et moderatus.

[*Acrostichis resumitur in fine ultimi fol.* 118 *v*ʳ.]

F actorem nunc ergo tuum mecum venerentur
E t superexaltent, quæ sunt ab origine facta.
20 C antica dent illi cœli, sol, sidera, luna,
I n quibus ante Deum gaudent justi sine fine;
T erraque laudet eum qui tot sibi munera præstat;
O c ipsum faciant illi mare, flumina, fontes.
C antemus : resonet soror Aaron Moysique.
25 O stendat Daniel, Dominus quid fecerit illi;
P sallant tres pueri : Benedictus es! Omnipotenti;
V irtutemque ejus canat Ægyptus Pharaoque :
S emper eum laudent, nec cessent præmemorata.

Sequitur prologus, fol. 3.

Erudiendorum pietas in theologia
Hæc scribi metris introductoria fecit,
Ex quibus ascensus facilis fit ad agnitionem
Omni creatoris, non ad præstigia falsa...
Possumus historiam cum certa nosse figura:
Nunc Evangelii clangat tuba, frivola pellens.

35 *Hic aperit quare metris opus induit illud.*

More patrum voluit sua metris texere verba.
Et decuit metrice de prosa scribere scriptum :
Nam si prosaice scripsisset hoc, argueretur
Sensum cum verbis de libris surripuisse,
40 Et sic probrose spolium vestisse leonis...
Ne te livor edax, qui in intimis pascitur, arctet,
A quibus hoc multum sumtum fuit, intuearis :
Quattuor Ecclesiæ doctores, laude corusci,
Isidorus, Victorinus, nec non Origenes,
45 Et plures alii, quos est labor enumerari,
De scripto vetere nisi sunt enucleare
Quas invenerunt tectas sub nube figuras.
Ex quorum pratis studui decerpere flores,
Quos in fasciculo compressi strictius isto.
50 Sed quamvis patres nostri sub nube fuerunt,
Non quidquid dixere tamen signanda figurat :
Quæ sunt in cithara, non sunt resonantia cuncta,
Sed tantum chordæ; nec sunt tamen abjicienda
Cætera, quæ nequeunt dulci fremitu resonare.
55 Nam quæ non resonant, sunt auxiliantia chordis,
Dum tendunt illas connexas firmiter in se...
Utiliter post hæc quiddam reor esse notandum,
Scilicet unam rem diversa notare frequenter :
Sic Hierusalem, quæ signat quattuor ista,
60 Ecclesiam, binas urbes, animamque fidelem.

patum inveniat. [*Hieron.*] « De stercore enim boum lapidabitur piger [Eccl. XXII, 2.]. » — V. 30. « Ut metris delectatione fortius ad studium animus incalescat. » — V. 32. *Falsa.* Inde invehitur metrice et erudite in eruditionem poeticam bonus ille, cujus en clausula :

Plaga secunda fuit ranarum immixtio fœda :
Per quas signantur figmenta poetica vana.
Vox est in ranis aliud nihil utilitatis.
Sic in figmentis clamat « resonabilis echo. »

Ultima dedit Ovidius, *Metam.* III, v. 357, aut Auson. epigr. 99. — V. 40. *Leonis.* Quibus addit exemplum Jeremiæ, Salomonis, Davidis, Job, Aratoris, Prosperi, Sedulii, Prudentii, *Theodori* [Boethii?] — V. 46. *Enucreare.* Cod.

CAPUT II.

DE PRÆCIPUIS FORMULARUM SPIRITUALIUM ORDINIBUS.

46.
Proposito præcipuarum formularum ordine,

Emenso quod a Melitone ad Bernardum proposuimus, per latam generalium formularum viam, itinere, jam declinare debemus in unam aut alteram ab eadem via semitam, amœniora forte et quæ lectorem jucundius recreent, inventuri, dum moderatiori impetu acti enitemur, ut præfati ab initio sumus, in unum aut alterum genus peculiarium formularum nos recipere, quod videlicet minori pomœrio finitum, facilius lustrabimus.

Nonne vero tot excutienda loca forent, quot in toto Melitone continentur diversa symbolorum lemmata, quæ rerum universitatem ambiunt? Otiosum certe non erit primum relegere prægrandis hujusce operis lineas præcipuas et vere antiquas, sive nostram, sive alteram quam Theodulfi diximus, respexeris recensionem.

47.
sive juxta Theodulfi recensionem,

Quod attinet posteriorem, ne hanc omisisse me conquerantur, quæ in illa primum oculis offunditur rudis quædam et caliginosa rerum confusio, haud ægre tamen in simplex illud resolvitur discrimen, quo veteres solebant mundi universitatem in cœlum, terram et aquas distinguere. Hæc est enim trina rerum machina, quam modo Petrus episcopus cecinit [v. 20-24], eadem trita in antiquissimis hymnis, qualis ille, qui eadem ac nos recenset, hisce editus diebus [1]:

> Cujus trinus apex statuit tria maxima rerum :
> [Cf. t. II, *Prol.* p. LXVI, initium dist.]
> Sol, luna, astra, polus radiarunt lumine mundum;
> [*Ib.* distinct. 67-184.]
> Fons, pecus, herba, frutex terras variavit honore;
> [*Ib.* dist. 185-875.]
> Piscis, concha, lapis, sal, murex æquora complet.
> [*Ib.* dist. 876 ad finem.]

48.
sive juxta editionem nostram,

Si quid vero cum ea quæ nobis præplacuit Clavis ordinatione, in solemnioribus veterum christianorum monumentis affine est et consentaneum, illud mihi est canticum trium puerorum, olim toties graphico, anaglyphico, musivo opere relatum, quo videlicet e fornace, hujus mundi imagine, creaturæ omnes in communionem laudis ad Deum adducuntur. Hic enimvero et illic, præmisso ad Deum præludio [*Melit.* cap. I, II], primum quæ in supernis sunt, præconium incipiunt [cap. III]; tum terra et plenitudo ejus, montes et metalla, fontes, fluminaque [c. IV, V], κόσμος enim ab homine μικροκόσμῳ vocem et jubilum accipit [cap. VI]; inde et ab illo resonant « omnia germinantia in terra [c. VII] »; ab illo « volucres cœli, omnes bestiæ et pecora [cap. VIII, IX] »; et enim « benedicunt Deo filii hominum [cap. X] : » quanto vero effusius civitas Dei, gens sancta, regale sacerdotium [cap. XI]. Sed utrinque non deerit trinum illud et unum doxologiæ, in quo cuncta nominantur et numerantur [cap. XII, XIII]. Namque aliud non est sublimis illa creaturarum sive symbolorum contemplatio, quam hymnus ex omnium ore,

(1) *Diebus.* Cur. Fr. Jos. Mone, *Missal. gall.* IX.

effigie, simulacris ad Deum effusus. Cui hominum, ne plura addam, non obvium illud quod magnus ille prædicabat Antonius, grandem librum esse mundum hunc, in quo, velut antiquarii periti manu, pulcherrimis litterarum notis, ipsius auctoris ornamenta sunt descripta [1]? Quod eleganter retulit auctor epistolæ ad Demetriadem [2] : « In pulchritudine cœli et terræ, quædam sunt paginæ ad omnium oculos semper patentes et auctorem suum numquam tacentes, quarum protestatio doctrinam imitatur magistrorum et eloquia Scripturarum. »

Cæterum si cui volupe erit immensum totius creaturæ librum evolvere, etiam alibi a nobis provisum est ne suus illi lectionis amplissimæ indiculus desit. Nam ad singula Clavis capita in appendicem accedere jussimus syllabum præcipuorum de eodem argumento scriptorum [3], qui tali ordine occurrent :

Ad capita I et II, sunt quadraginta quinque scriptores de præcipuis Dei et Christi nominibus, quibus adde quæ supra fusius, ubi de nomenclaturis sacris egimus.

Ad III, alii tres et decem qui supernarum rerum allegorias proprio stylo attigerunt, quos in promtu fuisset e commentatoribus in cœlestem Areopagitæ Hierarchiam duplo adaugere.

Ad IV et V, octoginta interpretes de hexaemero et de hominis opificio, quibus paulo supra semel et iterum [p. XVIII, XXVII] non paucos addidimus.

Ad VI, VII, VIII et IX, fere omnes physiologi sive veterum, sive orientalium et judæorum, sive christianorum, de quibus mox abunde.

Ad X, centum et quinquaginta octo commentatores in Cantica Salomonis, quorum meminimus non semel [p. XXIII, XXXI]. Sed catalogum nostrum, deficiente pagina [t. II, p. 168] abruptum, duplo majorem is efficiet, qui cæteros non omiserit, præsertim si anonymos, ætate, pondere, numero minime despiciendos, in integrum censum congesserit.

Ad liturgicam capitis XI appendicem infra redeundum.

49.
neque omissis subsidiis quæ singulas aptius et copiosius, explicant.

Ad duo ultima capita quinquagenorum nominum series appensa est, in indicis speciem potius quam in absolutum censum exacta, ex innumeris qui de nominum et numerorum allegoriis scripserunt : utrumque argumentum necesse nobis erit, in sequentibus tomis, quibus reservantur veteres grammatici et mathematici, retractare.

Vela det huic pelago emetiendo, si cui æs triplex et robur; ego vero contrahens, secundum illud : « littus ama, » duplici tantum defungar excursu, uno in liturgica, altero in physiologica symbola, sed hæc ad universam ferme mundi creaturam, illa vero pene referenda ad omnem hominum vitam, utraque ad sacram Dei contemplationem. Huc enim usque non procedere penes me non est, neque ob quorumvis lectorum fastidia, fas erit argumentum hoc a theologia sejungere.

(1) *Descripta.* Cf. Petav. *de Opificio* VI *Dier.* Prœm. n. 3. — (2) *Demetriadem.* Inter epist. Ambros. XXXIII. Hier. t. XI, p. 15. — (3) *Scriptorum.* Quæ videlicet ita breviter nudo nomine expressi, ut quæ vulgo de hisce scriptoribus traduntur, cæco calamo retulerim, quum singulas notitias discutiendi nullus om-

Art. I.

De liturgicorum symbolorum Formulis.

50.
Primum peculiariter dicendum de liturgicis symbolis.

Repetenti ab origine id formularum genus, non minus arduum erit se intra certos limites cohibere, quam ipsum Dei cultum, signa, monimenta et templa rite et strictim circumscribere.

Multiplex enim est Dei templum aspectabile, quo sese exserunt quæ in ipso cernere non vales, per ea vero quæ facta sunt, intueberis. Primum quidem et nobilissimum templum mundi est, cujus architectus « Verbum, quo cœli firmati sunt; decor, Spiritus ejus; » exemplar, imago Dei; archetypus, una sanctissima Trias; encænia vero, in paradiso facta, « quum laudarent simul astra matutina; » primus autem homo, sacerdos, « illis in diebus adolescentiæ suæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo suo; et juxta menses pristinos, quando super caput suum splendebat lucerna Dei. » Interim tu hoc mihi cum Patribus considera non exegetica modo, sed et liturgica esse quæ toties attigi, veterum in hexaemeron [1] commentaria.

Quorum fontem et finem,

Sed neque omiseris illud : Patrum esse sententiam, tria tantum templa, figurativa et umbratilia, jubente Deo, ipsi fuisse ab hominibus ædificata, Noe scilicet arcam, tabernaculum Moysis, Salomonis templum : quorum rursus Sapientia, invisibilis architectus; exemplar, Ecclesia; ἀντίτυπον præmonstratum, corpus Christi. Verbum enim caro factum eorum singulorum est archetypon : arcæ videlicet, in orbis funere innatantis, quum involutus in cunis aut stratus in sepulchro jaceret; tabernaculi vero, dum « colonus in terra et quasi viator declinaret ad manendum; » templi demum, regio apparatu compositi, quum, glorioso illo rege ex inferis redivivo, portas suas principes sustulerunt, et elevatæ sunt portæ æternales. Tu porro et mecum considera, hæc quoties adierim, non meæ provinciæ excessisse me limites, immo cedere in jus proprium rei symbolicæ quæcumque aut mysticam Noe navem, aut Moysis arcam, aut Salomonis sanctuarium illustraverunt.

Hæc de umbratili templo : quibus per te velim æstimes, quum ea sit argumenti nostri copia in cœlestium exemplari et umbra, quanta in Ecclesiæ ipsius nave, in ampliori illo et perfectiori tabernaculo, in sanctis quæ non manu facta, sed ipsius cœli templa sunt, futura sit theologiæ symbolicæ dignitas et abundantia.

Ut enim eam alia commendant, puta tum antiquitas ejus, tum argumentorum ubertas ingens, tum in ea excolenda summorum ingeniorum frequentia, monumentorum sive exstinctorum, sive superstitum præstantia, ita profecto nihil magis laudem ejus exaggerat, quam quod in instituendis, regendis, explicandis ritibus sacris, hæc certe præ cæteris omnibus disciplinis partes primas nacta ab antiquo est, semperque retinuit. Unde quæcumque in commendationem totius rei symbolicæ hactenus dixi, eadem si ad intelligentiam mysticam sacrorum

nino locus fuerit. — (1) *Hexaemeron.* Cf. Petav. *de Opif.* VI *dier.* c. 1; Phot. cod. 212; Arias Montanus in *Crit. Sac.* t. VI, p. 603, etc.

rituum retuleris, tanto veriora erunt, quanto præ cunctis ecclesiasticæ scientiæ disciplinis ea quæ maxime sancta nuncupatur ac vere theologica, liturgia præstabilior est.

51. antiquitatem,

Verum enim ibi est antiquitas : cum primis namque hymnis communium et publicarum precum incipiunt earumdem interpretationes, quarum initia non ego solus nec primus ab Epistolis S. Pauli aut ex Apocalypsi repetam. Sed ut taceam de Herma pastore [1], de Areopagiticis, de *Constitutionibus apostolicis*, nemini jam displicuerit a nobis afferri domesticum testimonium, e primo Spicilegii tomo [2], cujusdam bonæ frugis anonymi, fortasse omnium primi qui nunc supersit in vetustate christiana, rerum liturgicarum interpretis. Is enim ab initio tempora respicit aperte observationi rituum judaicorum proxima, et liquido enuntiat quid hac in re littera sit et spiritus, et quanta fuerit in utraque secernenda veterum antistitum sollicitudo : « Dicturi quid secundum litteram reprobari, vel quid spiritualiter observari debeat, prius cogimur amatoribus litteræ respondere adversariisque veritatis : quos quum ego possim jure repercutere, magis eos blande et leniter alloquens, ad agnitionem veritatis venire cupio, qui quum radicis amarum corticem ruminare cupiunt, poma spernunt, pulveremque auri mirantes, formata metalla despiciunt; quia et si secundum litteram legis observare cuncta contendunt, velamine posito super faciem Moysis, spiritus et veritatis luce illuminari nequeunt. » Et in fine : « Hæc a me dicta propter eos qui, quum facie christiani videantur, per judaici sensus impietatem corpus Christi, id est Ecclesiam, suis schismatibus scindere non metuunt. » Diceres hæc a dissensione Corinthiorum vix uno die discedere.

52. varietatem et copiam,

Sed fatendum, ut fit rebus ex frequenti usu promtius contritis, immensam fuisse per singulas ætates stragem monumentorum liturgicorum, sed cum maxime manualium id genus compendiorum quibus minister quisque in suo dirigeretur officio. Unde, sive interierunt, sive alicubi latent, quam multa quibus innotescat primæva sacrorum rituum exegesis, subsidia desiderantur! Desiderantur enim ad excutiendas quæ dicuntur apostolorum ἀναφοραί, præter ea quæ adhuc jacent in codicibus syrorum, Tryphon [3], vetustissimus auctor *de Dichotomatibus* aliisque antiquæ Synagogæ ritibus, Dionysius *de Vasibus sacris* [4], ac cætera Areopagitica quorum, opinor, ut eorum quæ exstant, pars longe splendidior et sincerior referret Ecclesiæ ritus, quos gnarus quisque homo despiciet numquam. Desiderantur, quibus accedamus ad incunabula precum Ephesinarum, quæ ab Irenæo Lugdunenses et Gallicanæ sunt, forte et Hispanæ, S. Hippolyti *Hymni et cantica* [5], ipsius Melitonis liber *de die Dominica*, ejusdem et sexcentorum ὑπομνήματα et ἀντιῤῥητικὰ sive de Pascha, sive de quartadecima luna. Desiderantur, ad detegendos peculiares Ecclesiæ africanæ ritus hactenus intactos : et Archæus *de Baptismo*, « qui post discipulos Domini episcopus fuit Leptanæ

(1) *Pastore*. Cf. p. 278 infra. — (2) *Tomo*. Pag. 9. — (3) *Tryphon*. t. II, p. 101. — (4) *Sacris*. Certe in tritissimam controversiam nova lumina injiciet, si quis ad eam iterum, prælucente rituum sacrorum face, accesserit. — (5) *Cantica*. Cf.

urbis[1], » et Tertullianus *de vestibus Aaron*, et Novatianus *de Sabbato*, *de Oratione*, *de Summo Sacerdote*, et Agrustia *de Computo paschali*, et Verecundus Juncensis[2] in *Cantica ecclesiastica*, et Licinianus Carthaginensis, novissimus Africanorum *de Baptismo* συγγραφεύς. Desiderantur, ad cognoscenda veterum Hispanorum officia, Conantius Palantinus, *de hymnis et psalmis*, Osii Cordubensis liber unus *de interpretatione Vestium sacerdotalium*[3], et alter de observatione disciplinæ Dominicæ, qui enimvero usque ad hæc tempora exstitisse visus est in codice Floriacensi, sæc. IX, sed eo loci quo κειμήλιον illud incidebat, nunc mutilo. Desiderantur, ad instituenda liturgiæ gallicanæ symbola et stemmata, Rheticii σύνταγμα *de Baptismo*, Hilarii Pictavensis *hymni et mysteria*, Licinii et Protadii Bizuntinorum *Ritualia*[4], Anthimi, « viri inlustris et legatarii, ad Theodoricum regem Francorum epistola *de Observatione ciborum*[5] », Ordo S. Mamerti Viennensis *de his quæ ad officium missæ pertinent et de expositione ejusdem*[6], Salvianus, Voconius, Museus Massilienses *de Mysteriis sacris*, quæ an perierint eo magis dubitandum est quod hic illic eorumdem supersunt fragmenta; sed hisce etiam diebus e tenebris repentino prodiere et novæ *Missæ*, ut aiunt, *gallicanæ*, et sancti Gregorii Turonensis liber *de cursibus Ecclesiasticis*[7]. Desiderantur denique ut tuto sciamus quæ fuerit supplicandi prima lex Mediolanensium et Italorum septentrionalium Mirocles et Theodorus[8], ambo Mediolanenses, Nicetas Aquileiensis *de ritibus Agni paschalis*; Victoris Capuani *Reticulus liber sive de arca Noe*; Petronius Boloniensis *de ordinatione episcoporum*[9]. Græcos vero quot tulerit ætas, et orientalium exegetarum turba quam effusa in tenebras ruerit, etiam post emortuales nostros et amplissimos catalogos [*infra* p. XLVI] dictu difficile est.

53. atque auctoritatem

Quæ tamen supersunt, his non deest, pro argumenti dignitate, auctoritas. Si enim aliquatenus conceditur tantam non esse generali symbolorum interpretationi sanctionem ab Ecclesia datam ut ab illa, tamquam a definita sententia, recedere non liceat, verumtamen, ubi de liturgia

Opp. t. I, p. 85. — (1) *Urbis.* Maii, *Spic. Rom.* III, p. 707. — (2) *Juncensis.* Sed Verecundus e schedis nostris prælo jam paratus, in lucem exire gestit. — — (3) *Sacerdotalium.* Cf. Fabricius, *Bibl. gr.* Sigebertus, n. 38, diserte asserit eum scripsisse *de Observatione Dominicæ disciplinæ*, quem etiam nunc titulum præ se fert codex Aurelianensis 62-70, sed in loco unde 4 quaterniones scelesta manus suffurata est.—(4) *Ritualia.* Cf. Bolland. x febr. 413. *Hist. litt. de la France*, t. III, pag. 532. Dom Ceillier, *Hist. des A. E.* XVIII, 498. Dunod vetera quædam hujusmodi monumenta edidit in appendic. *Hist. suæ Bizunt. ecclesiæ et comit.* — (5) *Ciborum.* Hactenus non comparuit nisi in catalogo S. Nazarii, sæc. XI, supra laud. — (6) *Ejusdem.* Supererat adhuc sanctissimi præsulis opus, initio ultimi sæculi, sed in incendio collegii Turnonii die 3 aprilis a. 1714 in cinerem evanuisse dicunt : de quo sæpe salivam movit Casin. codicis 325 [Montefalc. *Bibl. ms.*, 220] inscriptio falsa et frustranea. —(7) *Ecclesiasticis.* S. Georgii Florentii, Greg. Turon. *De cursu stellarum ratio qualiter ad officium implendum debeat observari*, sive *de cursibus ecclesiasticis* nunc primum edidit Frid. Haase e cod. Bamberg. sæc. VIII, Vratislav. Jos. Max. 1853, 4. — (8) *Theodorus.* Sed Argelati nobis auctor est in *Scriptorib. Mediolanensib.* ad a. 750, exstare Theodori *expositionem officii Ambrosiani* et ejusdam quædam *de Antiphona septies repetita* in Breviario Mediolan. ed. ann. 1490. — (9) *Episcoporum.* Cf. Bruno Bruni præf. ad Opp. S. Nicetæ Aquileiensis et Argilati, *Hist. scriptor. Mediolanensium.*

agitur, vix locum esse accommadatitio privatorum hominum sensui, statuendum est. Aut enim illic, si dubia de significatu occurrant, tacendum; aut fas minime est a constanti majorum opinione declinare. Certe publica lege bene et sancte ab Ecclesia provisum est, ne, quum precandi formula legem credendi statuat, quisquam suopte marte temere novas orandi ac sacrificandi consuetudines invehat; imo non tantum ut firma et integra littera permaneat sedulo Ecclesia invigilavit, sed ne secus verba acciperentur aut liberius, illis adjecit signa, motus, actiones, quæ ita religiose circumscripsit, ut ex iis quasi ultro procederet rituum spiritualis intellectus. Insuper, ibique præsertim asseverandum, quod supra diximus, non esse symbolum nisi quum ex signo rerum sensibilium mens ad sublimiorem gratiæ ordinem transfertur, illud hic certe suam vim assequitur absolutissimam. Quidquid intelligeretur aliter aut prædicaretur, certe monstro simile evaderet.

54. vere theologicam

Fuere, vel in Protestantium academiis, viri docti et graves, qui in illo mythorum pruritu hodierno, indignati sunt ritus Mosaicæ legis ad vilem causarum naturalium finem, aut turpem originem ethnicarum consuetudinum referri; inquiri vero quidquam aliud in minima re a Deo instituta præter salutem hominum, qua nihil Deo dignius [1]. Quis igitur spiritu non incitaretur, quum præteriens et videns ubique decantari allegorias et simulacra, ac christiana cum philosophorum et magorum somniis permisceri, eos audiat de Theologia symbolica ex tripode oracula fundere, qui ne Deum quidem ignotum colunt? « Age, inquiunt, nonne sole clarius est ad te usque, aut temere aut consulto, devenisse lustralia, thurificationes, neomenias, alia id genus? » Et sole clarius hoc esto, sed et illud primum : libros Ecclesiæ rituales, a Levitico et Genesi repetundos, longe esse antiquiores quam quælibet rituum ethnicorum κανονίσματα, si quæ supersint ὄντως, quum in confesso sit omnino periisse et Romanorum et Græcorum libros pontificios, neque arcanam orientalium rituum historiam esse hactenus definitam. Deinde, si quid in illis aut cæteris vere antiquum noverint, a communi patriarchalium rituum origine manasse, nec nisi suum Ecclesiam recuperasse, quum eadem acceperit, aut similia egerit, a spurio symbolismo repurgata. Denique quid vetat cum gravi Tertulliano de diaboli κακοζηλίᾳ confidenter quærere : « A quo intellectus intervertatur? A Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res sacramentorum divinorum, idolorum mysteriis æmulatur. Et, si adhuc memini, Mithra signat illic frontibus milites suos, celebrat et panis oblationem et imaginem resurrectionis inducit, et sub gladio redimit coronam [2]. Quid, quod et summum pontificium unius nuptiis statuit?

(1) *Dignius*. Laudavi jam antea egregium opus C. C. Bähr, *de Cultus mosaici symbolismo*. In quo non pauci adducuntur cum eo consentientes. Ipsiusmet liber totus in eo vertitur, cultus scilicet Mosaici finem omnem huc pertinere ut per externas ipsius formas, id est sive symbola, sive typos, unitas et spiritualis Dei simplicitas repræsentetur. Quod ut in aperto sit, e regione constanter ponitur ethnicitas sive orientalium, sive occidentalium, quæ hinc et inde in pura naturæ religione sensibiliumque crassitudine consistere perpetuo declaratur, eamque jam nunc esse sententiam Germanorum, eo obstinatiorem quo quisque penitius gentilia sacra perspexerit.—(2) *Coronam*. Nonne singula ista verba com-

habet et virgines, habet et continentes. Cæterum, si Numæ Pompilii superstitiones revolvamus, si sacerdotalia officia insignia et privilegia, si sacrificalia ministeria et instrumenta et vasa ipsorum sacrificiorum ac piaculorum et votorum curiositates consideremus, nonne manifeste morositatem illam judaicæ legis imitatus est? » Hactenus Tertullianus [1].

55. ac demum amplitudinem nemo non videt,

Sed, vindicata obiter in iis quæ ad ritus pertinent formularum nostrarum auctoritate, quid de illarum in hoc eodem genere dicemus abundantia? Quidve fuit olim in omni hominum vita, quod non fuerit ritu sacro et symbolico consecratum? Ita censuit cana antiquitas, quæ ab homericis moribus non ita recedit, quum quidquid fieret, sive domi, sive in via, sive in bello, sive in conviviis et nuptiis, sive in funeribus et suppliciis, Deo dicaretur, nec sine multiplici ad Numen respectu absolveretur. Hæc mirum in modum, post intermissa sæculorum spatia, Ecclesia hominibus restituerat, quum immensas ad cœlum basilicas erigeret, quæ christianæ plebi erant forum, theatrum, compita, armamentarium, domicilium quasi perpetuum. Quæ obiter tetigi, ne quis miretur unde in prægrandi capite nostro XI, quod est de civitate, quasi promiscue congerantur ea quæ tum ad civilem et domesticam, tum ad liturgicam vitam spectant.

56. dum saltem scriptorum liturgicorum evolvat bibliothecas,

Hæc demum paulo uberiore stylo retractare juvit, ne, dum vetera excutimus, hospites videamur in iis quæ hac nostra tempestate omnium animos detinent. Vide enimvero rerum liturgicarum ubertatem quæ, quum de iis interituris jam conclamatum esset, ut non ita pridem apud nostrates augurabatur, virtute nova reviviscant splendidiores. Inde est quod quum instructæ fuerint ante et post cl. F. A. Zaccariam copiosissimæ auctorum liturgicorum bibliothecæ, singulæ tamen tot omiserint scripta scriptoresque quot fere continent. At mihimet, absit enim cæteros immerentes virgula censoria mulctem, a paucis mensibus libuit, spicas post terga metentium neglectas colligenti, undecimo Clavis capitulo selectum attexere indiculum, in quo erui centum et quinquaginta circiter rituum sacrorum interpretes. Sed ecce, præter non paucos a me supra laudatos ex omissis primum et consulto [p. XLI, XLII], præter octoginta anonymos a sæculo VII et forsan antiquiores, data opera, silentio pressos, piget nos tacuisse ob loci angustiam omnes Innocentio III recentiores quorum hic tantum præcipuos, nec nisi manu scriptos aut inter rarissima palæotypica editos recenseam:

semel et iterum adauctas.

SÆC. XIII.

Petrus Carnotensis. — *Speculum Ecclesiæ* sive *Manuale* [2].
Alexander de Villa Dei. — *Ecclesiale*.
Giraldus Cambrensis. — *Gemma animæ*.
Hugo de S. Caro. — *Expositio Missæ*.
Joannes de Garlandia. — *De myst. Eccl.*
Guillelmus de Monte Lauduno. — *Sacramentale*.
Everardus Vallis caularum. — *Summa de festis*.
Jacobus de Vitriaco. — *De Sacramento altaris*.
Albertus Magnus. — *Expositio Missæ*.
Herbertus de Altissiodoro. — *De Sacramentis*.
Joannes de Rupella. — *De Sacramento altaris*.

mentariis inservient picturarum e Cœmeterio Prætextati, de quibus infra, p. 510. — (1) *Tertulliano. De Præscription.* c. 40, pag. 57, ed. Migne. — (2) *Manuale.* Edendum jam propediem in integerrima *Carnotensis basilicæ B. M. V. Historia*, quam illustriss. Pictavensis episcopus feliciter suscepit adornandam.

SÆC. XIV.

Petrus de Alliaco. — *De coloribus quibus utitur Ecclesia.*
Joannes Marchesinus. — *Glossæ super responsoria et antiphonas, hymnos et legendas anni.*
Bernardus de Parentinis. — *Super Sacrificium Missæ.*
Albertus de Brixia. — *Item.*
Hermannus Mozliensis. — *Rationale divinorum officiorum* ex Durando abbreviatum.
Henr. von Langenstein. — *De Vestib. sac.*
Benedictus XII. — *De Horis canonicis.*

SÆC. XV.

Demetrius Gemistus. — *Dispositio liturgiæ patriarchalis.*
Joannes de Bechstoffen. — *Quadruplex Missæ expositio.*
Marcus Ephesinus. — *De sacra Liturgia.*
Henricus de Hassia. — *De officio Missæ.* — *De sacramentis.*
Joannes Sibenbender. — *Directorium recte peragendi officium.*
Carolus de Seligenstadt. — *Expositio Missæ.*
Joannes de Heerenberg. — *Memoriale divinorum officiorum.*
Engelhardus. — *De Celebratione divinorum officiorum.*
Georgius Guisfell. — *Directorium officii.*
Thomas de Fort. — *Lectura super nocturnis.*
Henricus Kalteysen. — *Moralisatio de templo Salomonis.*
Jacobus de Salato. — *Super Missam.*

SÆC. XVI.

Joannes Lullier. — *Expositio seu postilla super horas ad usum romanum.*

Sed iterum ad finem properandum est, quem dabunt tres codices olim Senonensis abbatiæ, quorum primus est Sigeberti Hames, canonici regularis, *expositio orationum et cæremoniarum Missæ*, cum imaginibus elegantissime pictis; secundus celeberrimi D. Calmet *tractatus de Sacramentis;* tertius, ab ejusdem nepote et Senonensis abbate D. Fangé scriptus, in quo *Institutiones de sacramentis* cum disertissima appendice de libris liturgicis, opus vere insigne, sed malis avibus natum et perpetuo oblivio consecratum.

57. Iterum expenditur Græcorum in re symbolica indoles,

Jam inde satis liquet hanc partem disciplinæ symbolicæ et nomina et monumenta sibi vindicare haud ignobilia. Hic vero, serius forte, sed tamen recurrit problema quod sicut me suspensum hactenus tenuit, ita aliis ultro mittam solvendum : cur usque adeo languerit apud Græcos et Orientales theologia symbolica, maxime a secessu ab Ecclesia matre, ut pene interemta fuerit in multis eorum ecclesiis, nec nisi paucissima hic illic catalogis nostris inspergere licuerit [1]. Sed adde quod minime infitiar, remansisse tum precum et rituum formulas sacras vetustissimis symbolis ad cumulum refertas; tum earumdem expositiones optimæ notæ, et illa a præstantissimis viris, plerumque patriarchis, archimandritis, antesignanis. Accedit demum aliud quod, quoties vel græculi sequioris ævi liturgica attigerunt, quasi sobrii subito facti, insanire desinunt, ut cum nostrorum optimis recentiores, v. g. Nicolaus Andidensis nuper editus, Simon Thessalonicensis (utinam gallice detur!), Gregorius Cabasilas, æquo et firmo pede procedant. Ad hæc demum, dum apud eosdem, ut dixi, disciplinæ symbolicæ, si liturgiam exceperis fortasse et physiologi nænías, squalore et veterno sordescunt, mirum quantum in veterum poetarum et mythologorum arcana fin-

(1) *Licuerit.* Excussis iterum schedis nostris, nihil fere est quod addamus catalogo infra posito, pag. 278, nisi Syris annumeremus Babay magnum, et memoremus pauca Joannis Euchaitensis, Joannis Mauropi, Dionysii Melitenensis, Marci monachi, Michaelis C. P. patr. Sed et moneamus unum esse et recte sub unico lemmate positum Nicolaum et Theodorum Andidensem, sic duplici co-

genda effusi, ne sacerdotibus aut diaconis, immo ne metropolitanis quidem exceptis, certatim in hujusmodi quisquilias mystice exponendas æstuent et scaturiant : cui non nota μυθολογούμενα Eustathii, Olympiodori, utriusque Tzetzæ, Maximique Planudis? Sed hæc obiter.

Ne vero bellum intentare dicar ex vanis rumoribus, non satis diligenter examinatis orientalium ecclesiarum monumentis, harum in gratiam hic subjiciam quod hactenus vel pro nostris omnino negligi oportuit; quum enim non de precum formulis, sed symbolorum quæstio esset, necesse erat ut abstinerem a congerendis officiorum collectaneis, nec nisi eorum interpretes allegarem. Sed quum me non piguerit expiscari liturgica græca et asiatica usque in syriacis musei Britannici codicibus, haud ingratum lectori erit, eorum quæ hic invenerim, subdi catalogum, e schedis doctissimi æque et humanissimi viri W. Curetonii exceptum, ætate codicum ab ipso designata.

58. Et orientalium monumenta e Syrorum codicibus citantur

Liturgia Apostolorum, codd. 14493, 14496, 14644, 14693.
— S. Jacobi, recensita a Jacobo Edesseno, 14493, 14690, 14691, 14693, 14694.
— S. Joannis apostoli, 14690, 14691, 14693, 14694.
— S. Marci, 14692.
— S. Clementis Romani, 14493, 14498, 14690.
S. Ignatii, 14690, 14693.
— S. Dionysii Areopagitæ, 14690, 14691, 14693.
— S. Xisti papæ, 14691, 14693.
— S. Cœlestini papæ I, 14493, 14690.
— S. Julii papæ, 14493, 14495, 14690, 14692, 14694.
— S. Basilii, 14497.
— S. Cyrilli Hierosolymitani, 14493.
— S. Gregorii Theologi, 14493, 14494, 14690, 14691, 14693.
— S. Eustathii, 14498, 14693.
— S. Maruthæ, 14694.
— S. Chrysostomi, 14690, 14693, 14694.
— Dioscori Alexandrini archiepiscopi, 14690, 14693.
— S. Cyrilli Alexandrini, 14690, 14692, 17200.
— Severi, 14495, 14498, 14520.
Ordo Baptismi Severo ascriptus, 14493, 14495, 14499, 14500.
Anaphora Timothei Alexandrini, 14520.
Liturgia Mar. Jacobi, 14498, 14499.
— Curiaci, Antiocheni patriarchæ, 14562, ann. 815, 14690, 14727, 14745, ann. 788.
— Jacobi Sarugeni, 14690, 14692.
— Jacobi Edesseni, 14691.
— Lazari Bar Salti, episcopi Bagdadensis, 14690, 14692.
— Thomæ Heracleensis, 14492.
— Joannis Bar Salibi, 14691.
— Mosis Bar Cephæ, 14692.
— Joannis Bar Susan, 14693.
— Philoxenis, 14690, 14693, 14699. Formular. 14601.
Benedictio aquæ Philoxeno ascripta, 14499.
Ordo Baptismi Bar Joanni ascriptus, 14499.
Lectionarium dominicale totius anni, a. 824 scriptum, pro ecclesia Achudemæ (lectiones V. T. concordant cum LXX), 14485.
Lectionarium simile ejusdem anni, quod item cum LXX concordat, 14484. Item, 14407.
Pars I Lectionarii V. et N. T. ab Athanasio Antiochensi, a. 1000 dati, Ecclesiæ Bosnensi, 12139.
Jacobi Sarugensis martyrologium, 17158.
Euchologia Jacobitarum, a. 1034, 12145; X sæc. 12146, 12147, 12148; sæc. XII, 12149.
Psalterium cum canticis, symbolo Nicæno, et oratione ad Christum, scriptore Marutha Xenaia, sæc. VI, VII, 14433.
Evangeliarium S. Sergii ad montem Sayo, a. 1189, 12177.
Epistolarium cum Actibus Apostolorum acquisitum a Joanne, Sergii filio, a. 622, scriptum sæc. VI, 14478.
Epistolarium [1] aliud, scriptum a. 534.
Append. Hieronymi Winghii miscellanea liturgiæ orientalis [2].

cognomine in codicibus inscriptum. — (1) *Epistolarium.* His locupletatur catalogus liturgiarum orientalium, quem ad cumulum exegisse videbantur Abraham Echellensis ad *Ebed Jesum*, Eusebius Renaudot, in *Liturg. oriental.*, Jos. et Al. Assemani in *Bibl. orient.* et *Cod. liturg.*, Schulting in *Catalogo* XL *liturg. oriental.*, ac passim Maius in suis codicum arabicor. syriac. coptic. catalogis. — (2) *Orientalis.* Codex Tornacensis, cum paucissimis ex immensa strage ereptus, quem illic exstare et hic describi vel ipsi Belgæ eruditi forte mirabuntur : continentur igitur in eo 1° Recensio missarum XL, quarum ultima est Nicolai Zacchi filii Vehib, chaldaice composita in monasterio Deptarensi, a. 1035; 2° De nomine Missæ epistola ad lectorem; 3° Cæremoniæ communes; 4° In Missam S. Jacobi animadversiones; 5° Coptorum Missæ, orationes et benedictiones, quæ in eorum missali continentur ex arabico in latinum conversæ, a Leonardo Abele episco-

ART. II.

De Physiologo.

59. Physiologum rei symbolicæ pene exitiosum,

Quantum a præcedente recedat ultimum hoc disceptationis meæ argumentum, uno verbo satis eloquar : e liturgia videlicet rem symbolicam accepisse perpetuum decus et incrementum; Physiologum vero eidem mansisse in præcipuam exitii et infamiæ causam, quæ certe nisi sua demum Ecclesia servavisset, sustulisset omnem allegoriarum disciplinam. En qua ego statui procedere et usquequo, ne quidquam ab initio celem. Quæ igitur sit mali labes et unde, dicendum; deinde, qua via primum serpserit, et quid adversum fuerit, quid commodum; interim quibus se ἀδέσποτος Physiologus fictitiis sive auctorum, sive interpretum commendaverit nominibus. Porro de singulis dicere aggrediar, si prius quæ causa me in hanc disputationem inducat, dixero.

I.

60. quum a meis excludere vellem,

Paucissima in Melitonis formulis sunt quæ Physiologi indolem vel aliquatenus referant : quod certe ab illarum antiquitate, sinceritate et auctoritate est. Unde omnino Physiologum excludere statueram tum ab longioribus Prolegomenis, tum a mole duorum horum voluminum, quibus non pauca alia suppetebant; præsertim quum viderem optimos viros eodem munere tam præclare functos, ut et mihi et cæteris eos otium fecisse jure existimarem.

Sed, ut fit sæpe in hoc curriculo, aliud ex alio occursat. Fecit enim trium amicorum incredibilis benivolentia, quæ me in hanc viam invitavit, ut pedem referre pene piaculo duxerim.

trium amicorum conspiratio

Primus est, habita, ut soleo, ratione temporis, merentissimus ex Ordine nostro et Mechitaristarum familia, Rever. P. Gabriel Aïzavouski, quo procurante accepi e tribus Armeniorum codicibus vernaculam Physiologi interpretationem, quam primæ et florentissimæ gentis ætati ipse assignare non dubitavit : qua proinde exemplaria græca IV aut V sæculi jam rediviva sub peregrino habitu coram stetere : facta quippe cum codicibus græcis Parisiensibus diligenti collatione, jam quod hactenus deerat, paratum visum est criterium, quo ex immanium varietatum farragine textus sincerior emergeret.

Comitatis vero et amicitiæ omnes numeros dissipassem, nisi prius Rev. P. Carolus Cahier, a quo enim vero Physiologum græcum litteratus orbis exspectabat, me certiorem fecisset, qua est animi granditate, se illum mihi non modo permittere totum, sed et gratum sibi fore si cum consimili armenio meo et suus æquo pede in medium iret.

po Sidoniensi interprete; 5° Relazione di D. Leonardo presentata alla SS. di papa Sisto V, a die 19 apr. a. 1587; 6° Modus baptizandi juxta ritum Chr. Ecclesiæ; 7° Epistola Leonardi Abelis ad card. Ant. Santorium, kal. oct. a. 1580; 8° Informazione del Patriarca de' Giacobiti e della sua nazione; 9° Informazione della nazione assiria detta Nestoriana; 10° Ragguaglio et informazione di tutti i cristiani dell' Oriente, dal Rev. Mgr Leonardo Abele; 11° Liturgiæ Græcorum Paschali tempori propriæ, græce; 12° Eadem, omisso communi.

et variorum codicum versionumque copia

Ab hoc igitur incitatus, mox descriptis quinque codicibus, quorum alii metrice, alii soluto sermone, cuncti fere sine ulla lege susque deque sua vertebant, ecce incidi, imprudens et confidentior, ut ego dicam, in tales et scriptorum barbaro-græcorum et stolidorum amanuensium insidias, ut multis in locis non esse suspicarer nisi ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα [1]. Sed tertius non defuit amicus, quem nominasse satis erit, ut nemo jam sit miraturus, Dübnero mecum hæc lustrante, ad metam esse me tuto et alacriter perventurum. Quod si quid inest laudis meritique in hoc trumvirali dono et opere, totum hoc quodcumque est, iisdem acceptum ferri jubeo.

Tum non minus jucunde accidit mihi ut præsto essent E. Renan promtissima subsidia, quibus sive arabicus, sive æthiopicus Physiologus, uterque latens in thesauris Parisiensibus nostris, ex toto orbe ad cumulum congestis, pro re nata, meos in usus cederet [2].

II.

61. impulerunt me ut aliquatenus dicerem :

Jam quis demum ille sit sine nomine scriptor, nulli tamen locorum ignotus aut hospes, quo vix alius est frequentius per omnium gentium ora et eloquia tralatus? Quod ut e nominis ἐτύμῳ ordiar, φύσιν, de qua tot theologorum lites, primus Aristoteles definivit [3], idem esse plane ac οὐσίαν sive *substantiam*. Hinc affinia : φυσιολογεῖν, φυσιολογία, φυσιολόγος, quæ primum ad quamlibet de rerum substantia inquisitionem aptabantur [4].

unde *Physiologi* nomen apud græcos,

Quum, autem post ætatis aureæ litteras et Alexandri per Orientem itinera, crevisset in immensum tam rerum gestarum notitia, quam indagatio naturalium, indidem non minus cœperunt veterum fabulæ obsordescere, inque diem moveri non paucæ quæstiones ambiguæ tum de causis quæ ferebantur rerum exordialium, tum unde tam mirandæ deorum origines. Quæ quidem utcumque explicandi duplex methodus subiit, una historica aut pragmatica, qua μύθους ad humana facinora referrent; altera, qua ex ipsa naturæ et elementorum vi cuncta ducerent; eam utique exegesin in promtu erat physicam dicere, sive *Physiologiam* [5].

(1) Βάραθρα. Qua tamen censura nolim carpere eximium nostrum codicem A : is enim semel descriptus adeo mihi planus visus est, ut libenter abstinuerim ab interpretatione latina : ut quid porro *physiologum latinum* ederem, post editionem quam nuper cumulatissime procuravit R. P. Cahier (*Mélanges d'archéologie*, t. II, III et IV)? — (2) *Cederet.* Unum aliquamdiu enixis meis votis defuit, Physiologi videlicet Syriaci libellus sub fine sæculi ultimi primum et semel in lucem datus. Quem frustra et anxie in omnibus fere Parisiensibus Bibliothecis inquisitum, in ditissima RR. PP. societatis Jesu Bibliotheca Parisiensi, tandem inveni, serius quidem, textu græco jam edito. Inscribitur : *Physiologus Syrus* seu *Historia animalium* XXXII, in S. S. memoratorum, syriace e cod. Bibl. Vaticanæ nunc primum edid. vert. et illustr. Olaus Gerhard. Tychsen. Rostochii, 1795, in-12, f. XI-194. — (3) *Definivit.* Phys. lib. II, c. 1. — (4) *Aptabantur.* Quo sensu non semel occurunt in aureæ ætatis scriptoribus, quorum vid. Aristotel. libr. I, c. 8. *Metaphysicor.* [edit. Did. p. 479, 34], Tullio confirmante, *Divin.* I, 41 : « Naturæ rationem quam physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebantur. » — (5) *Physiologiam.* Brucker, *Hist. phil.* I, 920, 924. Lobeck, *Aglaoph.* 753. Chr. G. Heynii, *de Superstit. origin. ex Symbol. usu*, Opusc. acad. t. I, p. 226. J. H. Pareau, *Disput. de mythol. sacri cod. interpret.* Traj. ad Rh. 1824. H. Nic.

Eo factum est enim ut paulo aliter usurparentur, maxime inter Alexandrinos, quæ attigimus vocabula : φύσις erat, non nuda substantia, sed abditæ in singulis rebus aut in nobilissimis virtutes et efficaciæ, quibus et gignuntur moventurque, et alia movent et educunt. Φυσικοὶ vero ac φυσιολόγοι qui occultas causarum naturalium rationes et sympathias scrutantur. Et φυσικὰ porro, arcana quædam remedia, amuleta, dynamera physicorum [1].

62. qualeve apud latinos ;

A Græcis vero ad Latinos eamdem ductam fuisse telam, ut plura exempla ostendunt, ne memorem Jubæ Mauritani regis, ingenio et loco ab Alexandrinis quam proximi, librum *de Physiologia*, sed forsan græce scriptum, Servium æque africanum juverit adducere testem. In eo quippe legitur ad Æneid. VI, 295 : « Acherunta vult quasi de imo nasci Tartaro, hujus æstuaria Stygem creare, de Styge autem nasci Cocytum. Et hæc est *mythologia*. Nam *physiologia* hoc habet, quia qui caret gaudio (ἀχαίρων), sine dubio tristis (στυγνός) est, tristitia autem vicina luctui est (κωκύω, *fleo* [2]). »

Servio africanum comitem dare placet Fabium Fulgentium, auctorem libelli de explicandis fabulis quæ continentur in Virgilio, aliquando inscripti : *Physiologia, sive continentia Virgilii* [3], in quo etiam laudatur Melissus Euboicus, qui « *omnium physiologorum* sententias disputavit [4]. »

Quibus non ægre concesseris consimilia esse ὀρνιθογνώμων [5], λιθογνώμων, φυσιογνώμων, πυλόλογος, quæ sensim in eum etiam deflexere sensum ut in illis intelligeretur non tam qui naturam, quam qui auguria, amuleta, arcana physicorum sectatur.

van Teuten. *de Orig. et progr. apud Antiq. allegoricæ fabular.* interpret. Ibid. 1823. — (1) *Physicorum.* Non ita pridem hæc suo tempore increbuisse Philo Byblius luculenter testatur, quum, Eusebio referente, invehitur in *recentissimos illos* qui post μυθογράφους emerserant, quod quæ de diis prædicabantur, ad allegorias et physicas explicationes, vi facta veritati, per inauditam antiquitati tropologiam, traducebant. Οἱ νεώτατοι τῶν ἱερολόγων ἀλληγορίας καὶ μύθους ἐπινοήσαντες καὶ τοῖς κοσμικοῖς παθήμασι συγγένειαν πλασάμενοι, μυστήρια κατέστησαν (Euseb. *de Præpar. Evang.* I, t. I, p. 31, edit. Heinich.). Et iterum : Τοὺς παλαιοὺς καὶ πρώτους τὰ περὶ θεῶν συστησαμένους μηδὲν εἰς φυσικὰς ἀναφέρειν τροπολογίας, μηδ' ἀλληγορεῖν τοὺς περὶ θεῶν μύθους. Ibid. p. 44. Hæc stoicis placuisse notum, immo nonnulla hujusmodi dictitari jam Plato ipse significat, nec sine Socratico sale. Cf. Lobeck, *Aglaoph.* Eleusin. § 19, 20, qui ibidem seriem *physiologorum* exegit. — (2) *Fleo.* Data occasione, alius excitetur locus Tzetzæ, *Exeget.* p. 4. Κεφαλίων καὶ Παλαίφατος καὶ Δομνῖνος περὶ τῶν ἡρώων καὶ τῶν τεραστίων [θεῶν scilicet, cf. Hesych. Τεράστιοι θεοὶ] ἱστορικῶς [emendavit aptissime Seguier, pro absono editorum : ῥητορικῶς. *Ann. de philos.* IIIe sér. t. I, p. 195] ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον καὶ οὐ φυσικῶς ἢ μαθηματικῶς [forte poeticus scholiastes scripserat ἢ μὲν ἠθικῶς] ἠλληγόρησαν. Tres quidem sensus citra litteram adhibuisse illos ἐξηγητὰς arbitror, historicum, physicum, moralem, in quibus tamen instituendis, ut dicetur infra, nihil omnino commune habent cum nostris interpretibus. — (3) *Virgilii.* Quo titulo lubrico innitebar ut eumdem inter eos quibus Physiologus ascribitur, recenserem, quod excidit infra p. 101. — (4) *Disputavit.* Unde miror cur Vossio et Lobeckio placuerit Melissum historicis fabularum interpretibus accensere. *Aglaoph.* p. 989. — (5) Ὀρνιθογνώμων aut aliquid hujusmodi suspicari lubet esse legendum in Plinii locis ubi excitantur libri περὶ ὀρνιθογονίας. Ita etiam *lithognomon* legendum esse in Ambrosii ad Psalm. CXVIII, n. 41, ubi editi male *litonomon*, aptissime monuit Miller (*Journ. des savants*, juin 1854, p. 376). Πυλόλογος sive de Avibus fabella a Cangio memoratur. De physiognomonia tacere noluimus ob nostrum

Ad christianos igitur nil mirum eadem verba transiisse, alio tamen consilio, et sensu quam primum immutato. Tatianus primus est, neque id notare otiosum, qui quum esset e nostris, diserte physiologos Ethnicos in causam adduxit [1].

63. quo sensu usurpatum a Christianis;

Primus etiam Clemens Alexandrinus novam quamdam et christianam invexit physiologiæ significationem [2] : cujus quidem initium deprehendisse mihi videor, in hoc loco integerrime rescribendo [3] : « Perfecto nobis, ait, universo proposito, quum jam commentarios, quales voluerit spiritus, ad usum instantem ministraverimus (quædam enim ante veritatem omnino præfari necesse est), tunc vere gnosticam aggrediemur physiologiam [τὴν τῷ ὄντι γνωστικὴν φυσιολογίαν], parvis ante magna initiati mysteriis, ut vere divinæ sacrorum interpretationi [τῇ θείᾳ ὄντως ἱεροφαντίᾳ] nihil sit impedimento, prius expurgatis atque typice explicatis iis quæ oportet ante historice sciri et tradi; ea vero quæ secundum veritatis formulam instituitur physiologia, sive melius initiatio, ex rerum exordialium enarratione incipiat, et inde ad divinam ascendat contemplationem. »

64. Et a Clemente Alexandrino invectum,

Quæ si probe assequor, id meditabatur summus ille vir, rerum naturalium scientiam, prius aliena fæce expurgatam et prævia illustratam symbolorum et doctrinarum christianarum traditione, ad sublimiorem evehere physiologiam, quæ, instituta juxta veritatis regulam, et a mundi opificio seu commentario in Hexaemeron deducta, ad Deum invisibilem per ea quæ facta et conspecta sunt, pertineret. Hæc est ἡ ἄνω θεωρία, quæ tantopere Alexandrinis placuit, et eamdem non semel se esse expositurum Clemens pollicetur [4]. Nobile profecto opus, sed arduum; namque quot in hac Græcorum antiquitate invaluerant falsæ

Loxi medici insigne fragmentum. — (1) *Adduxit.* P. 278, ed. BB. — (2) *Significationem.* Non desunt in eo loca, ubi consueto tunc temporis usu loquitur : « Hæc sunt, inquit, quæ de rerum principiis scrutantur [τὰ περὶ ἀρχῶν φυσιολογηθέντα] sive Græci, sive cæteri barbari. » *Strom.* IV, 475. Et iterum : « Medici cerebrum frigidum esse ex diligenti naturæ contemplatione [φυσιολογοῦντες] cognoscunt. » Cui certe præiverat Philo, in quo tam veterem quam recentem philosophiam physicam facile est invenire. Quum enim ait eam esse *physiologiam* quæ de cœlo disserit rebusque cœlestibus [*de Ebrietate*, p. 370, 35 Pott.], veterem dicit sophistarum disciplinam, quam Socrates insectatus est. Sed in altero loco novissimam memorat, tum ad pragmatica referens quæ mathematicorum more de cœlo enuntiantur, tum « subtiliorem esse aiens naturæ cognitionem, quæ in virtutem comparandam, cedere debet, » aliter, ad sensum moralem accommodari. « Is enim est, inquit, *Physiologiæ* fructus. » *De Nominum mut.* p. 589, 25. Cf. t. II, p. 632, t. I, p. 55; ubi diserte δόξαν ἰατρικὴν a physica distinguit, quod deinceps discrimen, a sæculo circiter VIII, plane evanuit. Apud medicos, φυσιολογικὴ (ἐπιστήμη) pars est medicinæ quæ naturam hominis universam a conceptu ad extremum usque senium disquirit. — (3) *Rescribendo.* Τελειωθείσης τοίνυν τῆς προθέσεως ἡμῖν ἁπάσης, ἐν οἷς ἂν θελήσῃ τὸ Πνεῦμα ὑπομνήμασι, πρὸς τὴν κατεπείγουσαν ἐξυπηρετούμενος χρείαν· πολλὴ γὰρ ἡ τῶν προλεγομένων ὀφείλεσθαι τῆς ἀληθείας ἀνάγκη· τότε δὴ τὴν τῷ ὄντι γνωστικὴν Φυσιολογίαν μέτειμεν, τὰ μικρὰ πρὸ τῶν μεγάλων μνηθέντες μυστηρίων· ὡς μηδὲν ἐμποδὼν τῇ θείᾳ ὄντως ἱεροφαντίᾳ γίνεσθαι, προκεκαθαρμένων καὶ προδιατετυπωμένων τῶν προϊστορηθῆναι καὶ προπαραδοθῆναι δεόντων· ἡ γοῦν κατὰ τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα γνωστικῆς παραδόσεως Φυσιολογία, μᾶλλον δὲ ἐποπτεία, ἐκ τοῦ περὶ κοσμογονίας ἤρτηται λόγου· ἐνθένδε ἀναβαίνουσα ἐπὶ τὸ θεολογικὸν εἶδος. Ib. IV, p, 564, l. 27. Interpretis vero loca nonnulla, non parum, et quidem necessario, temperavimus. — (4) *Pollicetur.* Vide æque notabi-

de Deo et homine sententiæ, tot erant ab iisdem de natura ipsamet mendacia; sed ut illas radicitus exstirpare nostrum erat, sic ne tangere quidem hæc, donec fidei non obessent, Ecclesiæ minime displicuit. Quibus tamen inniti non poterat Clementina ἡ ἄνω θεωρία, quin periculum fieret cum lubrico simul corruendi fundamento.

Arrisisse tamen Clementinam γνῶσιν ex cosmopœia institutam tum e multis hujus ætatis in Hexaemeron commentariis [1] evincitur, tum ex hac ipsa voce φυσιολογία, quæ hujusmodi libris non semel præfixa usque adhuc remansit, ut etiam nunc ferunt Nysseni, pseudo-Eustathii, Simeonis junioris et aliorum manuscripta exemplaria περὶ φυσιολογίας [2], id est de prima sive mundi sive hominis conditione.

65. inde latum ad Africanos;

Quam quidem dicendi consuetudinem ab græcis alexandrinis [3] ad latinos, et quam breviore africano itinere perlatam fuisse, sponte fluit ex hoc Apologetici : « Sed eleganter quidem sibi videntur *physiologice* per allegoriam argumentationem de Saturno interpretari, tempus esse, etc. » Et iterum Septimius ille haud illepide : « Sed quid ego cum argumentationibus *physiologicis* [4] ? » At plura ille tibi ibidem.

Hæc igitur de re minus nota, nisi fallor, nec satis a celebratissimis lexicis [5] declarata, opportune præmissum iri autumavi, quibus illustretur id in quo omnis disputatio vertitur, ὁ Φυσιολόγος, sive ἡ Φυσιολογία [6]. Sed inde jam efficitur, Physiologum versari in lubrico, ancipitemque et invidiosam tractandam esse causam, quæ non unum prolapsionis et ruinæ periculum symbolicæ disciplinæ creatura sit.

II.

66. quæ animantium distinctio pro variis interpretibus;

Hactenus declarata vocabuli significatione jam minus ægre unde veniat ipsa res, quæve sit, aut quo se ferat, intelligetur, si prius Physiologi, qualis nunc exstat, lineas depinxerim. At ne morosa detinear descriptione, ecce tibi sub oculis præcipuus codex noster græcus, quem æthiopicus κατὰ πόδα sequitur, positis e regione latino, arabico, syro et armenio Physiologo. Postremum vero in editione nostra ordinanda potissimum sequuti sumus; sequebantur enim armenii interpretes codices græcos v sæculi, si de ipsorum ætate constiterit, quorum proinde cæteris recentioribus præeundi munus erat.

lem locum quem in t. II, p. 23, protulimus. —(1) *Commentariis*. (Vid. sup., p. XVIII.) — (2) *Aliorum*. Nysseni, *de Hom. opific.* cod. Scorialens. x, 11. Simeonis junior. cod. Coisl. 291 : Μερικὴ τῆς φυσιολογίας περὶ τῆς τοῦ κόσμου κτίσεως καὶ τῆς κολάσεως τοῦ Ἀδάμ. Pseudo-Eustathii, cod. Leydens. Voss. gr. Q. 30, ἀνεπίγραφος, sed omnino incipiens, ut editus ab Allatio textus. Joannem Scotum, satis græcissare prurientem, id forte non fugit, si ab ipso est titulus codici anglico impositus : *Joannis Scotti physiologia* (mss. add. Mus. Brit. 11036), a quibus nec re nec nomine abludit Thomæ Campanellæ *Physiologia* epilogistica. Cf. Montfauc. Bibl. mss. ad cod. Patav. 451. —(3) *Alexandrinis*. Vid. Athan. *Synops.*, ed. Patav. t. II, p. 118 B. *de Semente*, p. 47. Origenes ex vers. Ruf. Hom. XVIII, et alia infra. — (4) *Physiologicis*. Tertull. Opp. *de Præscript.* t. II, p. 4, 12. —(5) *Lexicis*. Nolim tamen aspernari quæ ad φυσιολογεῖν disseruit Stephanus, quem in nova editione hucusque nondum pervenisse piget. Sed Cangium pene omnino siluisse miror. — (6) Φυσιολογία. Ita codex Physiologi Mediomontanus.

Græcus[1] *et Æthiopicus*[2].

1. Λέων.
*2. Σαύρα ἡλιακή.
3. Χαραδριός.
4. Πελέκανος.
5. Νυκτικόραξ.
6. Ἀετός.
7. Φοῖνιξ.
*8. Ἔποψ.
9. Ὄναγρος.
*10. Ἔχιδνα.
11. Ὄφις.
12. Μύρμηξ.
13. Σειρῆνες καὶ Ὀνοκένταυροι.
14. Ἐχῖνος.
15. Ἀλώπηξ.
16. Πάνθηρ.
17. Ἀσπιδοχελώνη.
18. Πέρδιξ.
*19. Γύψ.
20. Μυρμηκολέων.
21. Γαλῆ.
22. Μονόκερως.
23. Κάστωρ.
24. Ὕαινα.
25. Ἐνύδριος.
26. Ἰχνεύμων.
27. Κορώνη.
28. Τρυγών.
29. Βάτραχος.
30. Ἔνυδρος βάτραχος.
31. Ἔλαφος.
32. Σαλαμάνδρα.
33. Ἀδάμας.
*34. Χελιδών.
35. Δένδρον περιδέξιον.
*36. Περιστεραί.
37. Ὕδρωψ.
38. Πυρόβολοι λίθοι.
39. Μαγνής.
40. Πρίων.
41. [Περὶ τῶν ἁγίων παίδων [3].]
42. Ἶβις.
43. Δόρκος.
44. Ἀδαμάντινος λίθος.
45. Ἐλέφας.
46. Ἀχάτης καὶ Μαργαρίτης.
47. Ὄναγρος καὶ πίθηκος.
48. Ἰνδικὸς λίθος.
*49. Ἐρωδιός.
50. Συκαμῖνος.

Add. in codd. B, Γ.

51. Δενδροκόλαφος.
52. Στρουθοκάμηλος.

In cod. Δ.

*53. Πελίαργος.
54. Πάων.
*55. Γρύψ.
*56. Γοργονή.

In codd. E, Ϛ.

57. Κύων.
58. Ἄρκος.
59. Ἔχιδνα τοῦ Πελάγου.
60. Σάτυρος.
61. Ἱπποκένταυρος.
62. Πετεινός [*gallina*].
63. Βασιλίσκος.
64. Λαγωός.

Armenius[4].

Leo.
Hydrops.
Lapides igniferi.
Serra.
Charadrius.
Pelicanus.
Nycticorax.
Aquila.
Phœnix.
Upupa.
Onager.
Vipera.
Serpens.
Formica.
Sirenes et Onocentauri.
Herinacius.
Vulpes.
Panthera.
Cetus.
Vultur.
Perdix.
Myrmicoleon.
Mustela.
Enydrus.
Unicornis.
Castor.
Ichneumon.
Arbor indica.
Cornix.
Turtur.

(1) *Græcus.* Præivere nobis 1° Pontius de Leone, qui, raro quidem ausu, e codicis sui 36 capitibus « *undecim*, ait ille, *omisi*, » e cæteris vero « *plurima etiam resecavi, nonnulla adjunxi.* » 2° Andreas Mustodoxides, in συλλογῇ ἑλληνίκων ἀνεκδότων, græce tantum et ad 150 exemplaria edito, Venet. 1826, ubi exstant, præter nonnullorum fragmenta, capita *undecim* integra, titulo quidem, sed non tenore nostris similia, hic ubi asteriscum notamus. Neutra igitur editio impedit quin et hæc nova sit. Nos vero fugit anonymus græcus *de Animalibus* quem Matthæius edidit Mosquæ, a. 1812, nisi in urbis incendio conflagrarit. — (2) *Æthiopicus.* E splendido codice sæc. circit. XII, nuper in Bibl. Par. a. D. Rochet d'Hericourt, allato; incipit in hunc modum : « Liber qui dicitur *Fisalgos*, qui tractat de bestiis et avibus, de quibus multa proverbia et signa circumferuntur atque legenti utilis futurus est. Sermo I de leone. » Post ultimum : « XLVII sermones de bestiis et avibus et arboribus de quibus parabolæ fiunt. Laus Deo semper. Amen et Amen. Fiat, fiat. » Ordo capitum, ut dixi, idem omnino est qui in codice græco A, paucis exceptis de quibus mox et in addendis ad calcem. Sed in utroque eadem similiter redundant ac bis repetuntur. In æthiopico præmittitur S. *Epiphanii* homilia. — (3) Παίδων. In uno e Parisiensibus æthiopico legitur; sed græca suppeditavit codex Oxoniensis; hæc et illa latine facta damus p. 416. Neque jam pejor fit tribus sanctissimis pueris conditio quam Amos prophetæ, cui gallicus quidam Physiologus locum inter sua *moralia* animalia sine piaculo dedit. — (4) *Armenius.* Vid. infra, p. 374.

Hirundo.
Cervus.
Avis Zerahav [1].
Apis.
Tigris.

Syriacus.

1. Hyæna [2].
2. Castor.
3. Cervus dama.
4. Vulpes.
5. Viverra ichneumon.
6. Vipera.
7. Serpentes.
8. Salamandra solaris.
19. — vulgaris.
10. Ericius.
11. Mustela.
12. Myrmileo.
13. Formica.
14. Aquila.
15. Charadrius.
16. Phœnix.
17. Falco milvus.
18. Ardea ibis.
19. Vultur barbatus.
20. Pelecanus graculus.
21. Strix oto [3].
22. Upupa.
23. Merops apiaster [4].
24. Corvus.
25. Columba turtur.
26. — vulgaris.
27. Hirundo.
28. Sirenes.
29. Struthiocamelus.
30. Cetus.
31. Hydrus.
32. Delphinus.

Arabicus [5].

Leo.
Serpens.
Formica.
Hupupa.
Struthiocamelus.
Elephas.
Arbor indica.
Vulpes.
Urinatores.
Delphinus.
Capra [6].
. . . .

Latinus [7].

A.

1. De natura leonis.
2. De autalops.
3. De cerobolim lapides igniferi.
4. De serra in mare.
5. De caladrius.
6. De pellicano.
7. De nesticorace.
8. De aquila.
9. De fenex.
10. De uppupa.
11. De formice.
12. De serenis et unocentauris.
13. De herenacis.
14. De hibes.
15. De vulpe.
16. De monocerus.
17. De castur.
18. De hiennaque.
19. De hildris.
20. De corcon (*al.* dorcas, capra).
21. De onagro.
22. De folica.
23. De pantera.
24. De aspido calone.
25. De perdice.
26. De mustella.
27. De asida structio.
28. De turture.
29. De cervo.
30. De salamandra.
31. De simia.
32. De carnium esu vel piscium.

Add. in B.

33. Columbæ.
34. Vipera.
35. Serpens.
36. Arbor perindex.
37. Elephas.
38. Agathes.
39. Adamas.

In C.

40. Rinoceron.
41. Crocodrillus.
42. Draco.
43. Locusta.
44. Scorpion.
45. Culex.
46. Camelus.
47. Lacerta.
48. Pulli hirundinis.
49. Milvus.
50. Pulli corvorum.
51. Aranea.

sive Syrorum et Arabum;

sive latinorum;

Hactenus Physiologus proprie dictus : sed longe plura complectetur, si singulas ejus partes, quousque se extendant, conspexeris. Sunt enim uberiores animantium volatilium piscium, germinantium, lapidum συναγωγαί, quas, pro re nata, satis erit obiter recensere, quum eo paucioribus ornantur allegoriis, quo prolixius physica disputant. Quem vero descripsimus, ideo ad nostra pertinet quod constanter in eo leguntur rerum naturalium enarrationes, quibus consequenter annectitur interpretatio allegorica, plerumque e sacris deducta paginis;

(1) *Zerahav*, latinis nostris non ignotus omnino. Cf. *Addenda*.—(2) *Hyæna*. Initium codici Vatic. deest; cf. quæ supra.—(3) *Oto*. Al. Nycticorax.—(4) *Apiaster*. Idem ac perdix. — (5) *Arabicus*. cod. Paris. 50. — (6) *Capra*. Cætera in codice desiderantur.—(7) *Latinus*. Sequimur scripturam codicis antiquioris, juxta novissimam editionem (*Mel. arch*. t. II, p. 94) ex 4 codd. exactam, quorum antiquior sæc. VIII, Bernensis 233, nobis erit A; deinde Bruxell. 10074, B; Bern. 318, C; Paris. 2780, D. Viginti circiter alios codices, data occasione, in-

at eam disserendi methodum formulis nostris proximam esse et agnatam, nemo non viderit.

67.

an idem physiologus, idem et interpres; an uterque in plures iturus;

Propositæ vero de Physiologo inquisitioni illud præluceat necesse reor, alium esse Physiologum, alios ejusdem ἑρμηνευτάς, haud secus ac a genuino Æsopicarum fabularum auctore nemo ullus dubitat quin ablegari debeant ἐπιμύθια sive ἑρμηνεῖαι, quæ postmodum explicandis apologis accesserunt. Tanta namque in rerum ordine et copia inest nostris codicibus et versionibus discordia, quanta omnium est, absque ulla exceptione, in eo constantia, ut ab interpretatione allegorica egregie secernant physiologicam ἔκφρασιν. Neque desunt codices græci, qui, quum conjunctim hujusmodi physica procemia repræsentant, ideo allegorias aut ad calcem rejiciunt [B], aut minus integras retinent [Γ, Δ], aut metrice ligant, dum cætera soluto sermone fluunt [E, Ϛ], aut denique, quod videre est in interprete syro, ἐπιμύθια allegorica pene omnia prætermittunt. Immo Ansileubus noster [p. 418] Physiologum latinum allegoriis destitutum legisse existimandus est.

Quæ quum ita se habere viderem, esse meum duxi et hæc et illa insigniori σημείῳ, sive menisco, cunctis physiologi locis præfixo, in editione nostra commode distinguere.

Rursus, per me non stabit quin plures fuerint prioris partis auctores, tum quia tam sæpe plurali quam singulari numero excitantur, tum quod ex uno fonte difficile est tantam effluxisse codicum, recensionum et versionum varietatem. Quorum tamen unus præ cæteris fuerit insignior et κατ' ἐξοχὴν dictus, sic dicendus pariter nobis deinceps, ne confuso nominum agmine oratio perturbetur.

III.

68.

qui fontes et quæ origines,

Physiologum igitur si quis nudum et integrum relegerit, ita eum comparatum esse videbit, ut nihil in eo sit vere sincerum, quod non ethnici cujusvis philosophi indolem deceat, quin immo non pauca, sed maxime de lapidibus, dubiam illam abditarum rerum indagationem sapiant quæ sub initium ævi christiani omnium animos incenderat.

nisi apud classicos invenienda,

Ut satis ipsa dictio recens per se fert, ita si quis loca physiologi certa et conceptis verbis expressa altius repetere voluerit, tempus et oleum perdet. Non omnino quidem aliena ab iis quæ is decantat, hic illic reperire est; qualia de lepore apud Herodotum et Democritum; de cervo et serpente apud Xenophontem, Sophoclem, Virgilium; de Ciconia apud Aristophanem, Artemidorum, Platonem; de ichneumone et ibide apud ægyptium Manethonem; de phœnicis et serpentis ἀγηρασίᾳ, apud innumeros, ut leonem taceam quos fere omnes salutaverunt [1]: quæ

fra attingimus, quorum quatuor Parisienses. — (1) *Salutaverunt.* Innumera testimonia varii editores Physiologi congessere. Non pauca quidem primus Pontius de Leone, quæ recudere satis habuit nuperrimus Physiologi a Guillelmo Clerico gallice conscripti commentator (*le Bestiaire divin,* par C. Hippeau, Caen, 1852, in-8°); multo plura addidit Allatius ad pseudo-Eustathium, p. 62 sqq.; paulo diversa Vindobonenses academici ad *Chrysostomi* Physiologum (cf. infra p. LXXIV); quæ variis in locis ad cumulum extulit R. P. Cahier (*Vitraux de Bourges*, maxime ubi de leone, de pelicano; *Mélanges archéolog.*, t. II, III, IV ad *Physiologum*),

quidem et his similia si intuearis, per me adeo tibi sint jejuna, perfunctoria, metaphorica, dummodo fuerint sincera plane, ut desumta merito dixeris e vaga plebis opinione, quæ ubivis terrarum et temporum mirabilium id genus fabellarum semper refricuit.

Aliquis facile dicet, affinius nihil esse cum Æsopico argumento. Agedum, ita confidebam, donec non leviter excusserim quotquot, opinor, feruntur, non solum Æsopi, Babriæ, Phædri, Avieni fabulæ, sed et Pilpai et Lochman, ex quibus tres quatuorve apologos vidi cum nostris consentire. Paucissima igitur quæ inde et aliunde apud veteres Græcos nobiscum faciunt [1], aut sequioris ævi esse liquet, aut levioris analogiæ quam ut quidquam ex illis tuto extundatur.

Paulo quidem disertius quæ Tullius *pro Scauro*, apud Isidorum et Rabanum, de castorum proprietate plane physiologica ait : « Redimunt se ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur [2]. » Quæ Satyricus etiam non obscure respiciebat.

69. saltem apud Alexandrinos, circa ultima Ptolemæorum tempora,

Sed jam his in temporibus versamur quæ profecto fuere hujusmodi libellorum feracissima. Quum enim, duce Macedone, Græcia illa a crepundiis in novarum rerum et incredibilium deliciis innutrita, totum Orientem pervagaretur, jam temperare sibi quî potuisset, quin omnem moveret lapidem tantilli prodigii testem, omnem de rebus arcanis librum aut tabellam excuteret? quæ quidem ἱερὰ, μαγικὰ, τεράστια, ἄπιστα, θαυμάσια ἀκούσματα, prono flumine quasi in paratum sibi alveum ad Bibliothecam Alexandrinam convenerunt; cuncta vero plenis amplexibus exceperunt tum Ptolemæus II, qui, teste Diodoro, « bestiarum incompertas et prodigiosas naturas [3] » undique scrutatus est; tum VII, Physcon nempe ille seu Evergetes II, rerum mirabilium æque curiosissimus investigator [4], cui dedita dicataque videntur Astrampsychi, sacerdotis et libellorum sigillatoris, τὸ λαξευτήριον [5], Archelai τὰ παράδοξα, forte et ejusdem ἰδιοφυῆ, quo libro res singulari natura præditas, qualia sub Democriti, Anatolii et aliorum nominibus περὶ συμπαθειῶν καὶ ἀντιπαθειῶν venditantur, complexus est [6].

Exinde jam Physiologi nostri indolem, ac pene ipsamet verba satis aperte reddunt Democritus in φυσιολογουμένοις, Antigonus Carystius in ἱστοριῶν παραδόξων συναγωγῇ, Ælianus, Diodorus, Achilles Tatius, Horapollo, Oppianus, Plutarchus, Aristeas, Didymus, Philostratus, Apuleius, Galenus, quorum testimonia post novissimos Physiologi editores recensere longum erat. Ex quibus si quid non temere allatum e Nostro videtur, id esse putem potissimum quod de nonnullis animalibus

ut taceam quæcumque elegantem Horapollinis editionem cura cl. v. Leemans adornant. Unde ab hujusmodi locis quæ sub oculis habere non neglexi, hic longo ordine recensendis, meo jure supersedeo. — (1) *Faciunt.* Sed neque omisimus quas nuper E. Miller eruebat e codd. Paris. (*Notice et extr.*, t. XIV). Vix alios consulas, præter apologos *de Castore, de Charadrio, de Simia* (Æsopi et Babriæ fab. 182, 229, 379 ed. Furia; 117 Æs. 12 Babr. ed. Schneid). — (2) *Expetuntur.* Isid., *Etymol.* XII, c. 2, n. 21. Juven., *Satyr.* XII, 33-36. — (3) *Naturas.* Diodor. III, 36, p. 150, 33 Did. — (4) *Investigator.* Matter, *Essai sur l'Éc. d'Alex.*, t. I, p. 32. Quæ enim ille de Philadelpho ex Athenæo dicit, certe ad Physconem pertinent. — (5) Λαξευτήριον, sive *cælum Pythagoreum, de sortibus;* vid. paulo infra p. LX. — (6) *Est.* Lobeck., *Aglaoph.*, p. 749. Nondum est quod sciam plenis exacta numeris Alexandrinorum veterum historia, maxime in iis quæ cum

mere fictitiis tam portentose exprimitur, ut eadem a multis excogitari nequeant : qualia sunt quæ Noster de Charadrio refert, hanc nempe aviculam, si ab ægro caput averterit, illico ei mortem renuntiare, salutem vero proximam, si moriturum intueatur, cujus quippe quum ægritudines hauserit ebiberitque, eas ad superna secum effert et dissipat. Hæc porro Suidas inter Didymi philosophi *adagia* [1] retulit, et Plutarchus suis immiscuit *Symposiacis* [2], Heliodorus vero in sacris Ægyptiorum libris *de Animalibus* conscribi asseverat [3].

70.
maxime in sacerdotum libris ;

Lectos enimvero fuisse hujusmodi sacerdotum veterum libros non unum est testimonium ; quum etiam nunc sacerdotis Horapollinis Ἱερογλυφικὰ exstent ; quum Chæremonis Ægyptii, sacrarum litterarum scribæ, fragmenta de avibus a Johanne Tzetze asserventur [4]; quum similia Philo Byblius in Thaautanis tabellis ἐν ταῖς ἱεραῖς exarata moneat [5]; quum eodem Philone Byblio iterum apud Eusebium teste, scripserit *de Reptilibus* Epeis, sacrarum litterarum scriba, summus deorum interpres, idemque translatorem græcum nactus Arium Heracleopolitanum ; quum denique Hyginus retulerit quædam de ariete ascripta Leoni Ægyptio, quem et Tertullianus memorat, et Augustinus sacrorum ægyptiorum antistitem vocat [6]; postremo quum ipsimet Judæi Alexandrini nobis introducant Eleazarum quemdam Pontificem coram Ptolemæo de animalibus immundis disserentem [7].

IV.

71.
Item quam varia indoles, quum sacra animalia respexeris,

Eo minus in hisce nimium esse me existimem, quod vel intercisa illa Physiologi nostri tela, quasi quædam stromata sacerdotalis zoologiæ retinuisse videtur. Vix enim habet ullum sive animalium, sive volucrum, sive piscium caput quod non fuerit, inter cæsa et porrecta, alicui deo consecratum. Namque hic non desunt Cybelæ leones, Jovis aquila, Junonis pavo, Veneris columba, Minervæ noctua, Dianæ cervus, corvus Apollinis, Æsculapii serpens, Cereris draco, Neptuni delphinus, Herculis hydra, Bacchi tigris et panthera.

et quam dubia patria, si locum bestiarum quæsieris ;

Et si iterum quo eundum sit percuncteris, ut aliqua Physiologi patria tibi notetur, noli singulorum animalium vestigia obstinatius odorari et persequi : aliud enim alio te ducet, quum promiscuo agmine convenerint onager Arabum et Æthiopum struthio, avis armenia Zerahav, ponticus fiber, indica formica, ichneumon ægyptius, niliacus ibis; nec desit, si Pontio de Leone fides, celticus urus, aut si nostros libros malueris, hydropus aut elephas, uterque ad nescio quod Oceani littus deambulaturus. Quidni mecum te recipias in omnium gentium et viatorum emporium illud Alexandrinum, nostra inventurus omnia inter ἱερογλυφικὰ Horapollinis, maxime si cum eo viginti præcipua Physiologi

Orientalium commercio versantur. De quibus mox pauca, ubi de Judæis Alexandrinis. — (1) *Adagia.* Ad vocem ἴκτερος. — (2) *Symposiacis. Opp.*, t. II, p. 828 Did. — (3) *Asseverat.* Heliodor. *Æthiop.*, lib. III, c. 7, 8; juxta Plutarchum, p. 828, 829 Did. — (4) *Asserventur.* Allatius ad Eustath. p. 118. — (5) *Moneat.* Euseb., *Præp. evang.* lib. I, p. 41 c. — (6) *Vocat.* Tertull., *de Corona*, 7, p. 86. Aug. *de Civit. Dei*, l. VIII, 5, 27. — (7) *Disserentem.* Euseb. *Præp. Ev.* l. I, 8, 9. Fictitia quidem, non nego; sed ævo christiano antiquiora esse concedes.

capita contuleris [1]? Diceres excitam ab inferis et redivivam veterem sophistarum disciplinam, quam sannis quondam explosam e cœlo Socrates dejecerat. Diceres, quum jam in hac tempestate non deessent Titanica brachia quæ Olympum omnem a fundamento concuterent, iterum confugisse deos in Memphiticum exsilium, subque omnium animalium figuris periclitantem abscondisse divinitatem.

quæ tamen via satis recta ducunt ad Alexandrinam curiositatem;

Τιτάνων enim instar θεομάχων mihi sunt quicumque, Euhemero duce, theogoniam omnem ad historiam humanam detrudebant [2], quorum placita, non sine affectato consensu a primis apologistis excepta et exaggerata (vide et relege eloquentissimum Melitonem nostrum), in subversionem idololatriæ facile convertebantur. Inde Euhemeri ac cæterorum historicorum apud novissimos ethnicos infamia, qui tamen pedibus in physiologiam ibant, utpote crassiori ipsorum ingenio et impuris istiusmodi brutorum animalium potius quam hominum moribus accommodatiorem.

73.

ad ultimorum gentilium naturalem philosophiam;

Non mirum igitur floruisse etiam tunc, et maxime inter Alexandrinos, tot physiologos quorum post Plinium tres catalogos amplissimos alias recensui [t. II, p. 467, 519, et infra p. 98], quibus addesis et peculiares περὶ θαυμασίων scriptores, quorum præcipuos Aulus Gellius et Joannes Tzetzes describunt [3], et alios sive fictitios, sive non, Idpartum regem Ægypti, Apuleium *de Piscibus* et *de Animalibus*, Philonem περὶ ζώων [4], Dionysium *de Avibus*, Phemonoe *de Re accipitraria*, Zoroastrum περὶ φύσεως, Berosum *de Belluis*, Moschum Phœnicem, physiologum; sed et *de herbarum*, *radicum*, *arborum*, *viribus* Aristandrum, Menandrum, Pythagoram, Oribasium [5], Myrepsum, Platonem Apuleium, Pseudo-Alexandrum, Diagoran, Pamphilum, Antonium Musam, Agathinum; ac demum quos data opera Epiphanius laudavit [6], Neophytum, Mithridatem, Callisthenem, Philonem, Iolaum Bithynium, Cratevan, Andream, Bassum, Niceratum ac Petronium.

74.

ad vesanam physicæ magiæ libidinem;

Nec physiologos vel stupida deterruit et bruta lapidum natura; eorumdem enim in censum venire oportet Hermeticos libros περὶ λίθων, Onomacritum περὶ λίθων γλυφῆς [7], Cæranidis librum [8] *de physicis virtutibus, sympathiis et antipathiis lapidum, avium, piscium, herbarumque*, Africanum, seu pseudonymum τῶν κεστῶν auctorem [9], et

(1) *Contuleris.* De leone, p. 220, ed. Leemans; de pelicano, p. 278, 171, 179, 404; de aquila, p. 64, 342, 348, 380, 170, 178, 302, 304, 403; de upupa, de onagro, p. 32, 231, 209; de vipera, p. 351; de perdice, p. 380; de mustela, p. 333, 395; de castore, lib. II, c. 65, omnino ut Physiol.; de turture, p. 73, 329, 55, 285; de hyæna, p. 69, 72, 360, 362, etc. — (2) *Detrudebant.* Quorum in serie ex antiquis XV ab Hecatæo, e recentioribus ab Euhemero XV enumeravit Lobeck in *Aglaoph.*, p. 987 sqq. Idem physicos vix X, quod miror, recensuit, p. 153. — (3) *Describunt.* Octo sunt apud A. Gellium, *Noct. attic.* IX, 4; decem apud Tzetzem, *Chil.* VII, *Hist.* 144; utrumque locum diserte adornavit J. Berger de Xivrey (*Traditions tératolog.*, Paris, 1836, *Préf.*, p. XXXII). — (4) Ζώων. A quo scriptus, Eusebio teste, H. E. II, 18: (ὁ Ἀλέξανδρος ἢ περὶ τοῦ λόγον ἔχειν τὰ ἄλογα ζῶα, liber plane physiologicus. — (5) *Oribasius.* In vetere catalogo Murbacensi, sæc. IX, legitur: *Liber herbarius Ureasii.* In Montispess. 161, sæc. XIII, Myrepsus Alexandrinus, *de Arborum virtutib.* — (6) *Laudavit.* *Opp.*, t. I, p. 3. — (7) Γλυφῆς. Suidas ad h. v. — (8) *Librum.* Exstat græce in codd. Paris. 2419, 2537. — (9) *Auctorem.* Quidni Julius noster, dum ante conversionem? Quam-

quos brevius recensebo, Draconem, Agatharchidem, Aristobulum, Deuglum, Heraclitem Sicyonium, Theophilum, Dorotheum, Zenothemin, Macrobium [1], Ptolemæum, Armanusium Antiochenum [2], Dercyllum Samium, Pseudo-Aristotelem, etc.

In quibus latuisse obstinatissimæ magiæ et idololatriæ deliramenta inde infertur, quod hisce libellis consecratum erat inhærere quibusdam lapidibus ἐμψύχοις, peculiari ritu alligatis aut exsculptis, penitiorem ἐνέργειαν sive ad morbos sive ad tempestates aliave infortunia averruncanda; immo, idque firmissime retinuerunt novissimi alchemistarum [3], præter hanc e natura vim ingenitam, iisdem, prout hac vel illa figura insculpantur, infundi virtutem, quæ ex situ cæli, planetarumque aspectu, eo temporis articulo in quo cælantur, ab illis quasi ebibitur ac perpetuo retinetur.

Sed neque ipsi hominum naturæ pepercisse arcanorum introspiciendorum tetram libidinem, nimis notum, quum, præter cæsa et porrecta in aris, nullum esset corporeum membrum cui cum amuletis aut sideribus, cum inferis supernisque diis, sympathiam non indiderint.

75. quorum exempla sunt quæ e Loxo medico edimus,

Cujus fortasse dementiæ exemplum protulissem egregium, si integrum de physiognomonia libellum, ex Aristotele, Polemone et Loxo consarcinatum ab ethnico collectore, edidissem : sed monitus eram id sibi suscepisse J. H. Bormannum, Leodiensem, a quo nihil nisi scite et argute elaboratum exspectandum est [4]; veniam ab illo, spero, adepturus, dum saltem unum Loxi medici, cujus illi libenter committo historiam illustrandam, fragmentum ex aliena penu detraxerim [p. 321], breve quidem, insigne tamen, quo is vere physicus quasi ludendo non celat quam levi discrimine a bestiis hominem separari existimet.

76. et Damigeronis liber de lapidibus.

Quid, quod hominem lapidi pene mancipari vult alius quem nunc primum diam in lucem paulo audacius profero [p. 324] Damigeronem. Statim ut incideram in hanc opellam, acriter sensi e singulis spirantem membranis ethnicæ vetustatis odorem. Mox enim restitui nomen in codice quasi capite truncatum [*liber Amigeronis*]; tum accessi

quam non pauca ejusdem in Geoponicis redolent nescio quid christiani ethnica depravatione infercitum. Lege lib. VII, c. 14, 9, 29, 30, 31, etc., et jam vide ex his quale venenum inesset vel rei rusticæ veterum, et quantum periculi. — (1) *Macrobium.* Divinet aliquis quid sibi velit illud : *Macrobius, de Palliis, quæ sunt lapidum nomina*, in cod. Voss. lat. 91, juxta catalog. bibl. Lugd. Bat. Colomes. Adisis Fabric., *Bibl. lat.*, t. III, p. 186. Exstitisse namque Macrobii qualecumque lapidarium usque ad sæc. XIV, constat ex fragmentis quæ apud Berchorium, auctoremque *Moralitatum* et alios circumferuntur. — (2) *Antiochenum.* Excitat cum aliis Ahmed Teifaschy (Fior di pensieri sulle Pietre prez. Firenz. 1818, p. 47). Fecit quod hodiedum exarsit repente bellum, ad me non pervenisse recens syntagma L. Stephani, inscriptum : *De quelques prétendus lapidaires de l'antiquité* (Mém. de l'Ac. des scienc. de S. Petersb., VIe série, scienc. polit., t. VIII). Cf. *Script. histor. fragm.*, cur. C. Müller. ed., t. IV, in ind. ad v. Λίθοι.—(3) *Alchemistarum.* E sexcentis editionem unius recentioris novissimam adisis, Camilli Leonardi *Speculum lapidum*, Hamburg., 1717, in-12, p. 128.—(4) *Est.* Spem confirmavit nuper alter Leodiensis ἐλλογιμώτατος, cl. v. M. L. Polain, neque idem ipse Bormannus conscribi neglexit in t. IV *Breviorum commentationum* Academ. Bruxell., ser. 2, n. 1. *De duob. codd. mss.*, sæc. XI-XIII s. Cæterum in cod. Leodiensi sunt tantum excerpta trium auctorum, quorum duo Aristoteles et Polemon *de Physiognomonia*, alibi exstant

ad Tertulliani, Arnobii, Apuleii, Parrhasii[1] de eodem testimonia; relegi quæcumque ejusdem in Geoponicis jacent[2]; præsertim me vigilantiorem retinuere varia Plinii loca in quibus Magorum infamiam de lapidum virtutibus irridet salse aut detestatur[3]. Quæ omnia cum nostris satis apte consentiunt, ut jam auctorem prodant græcum primitus, interque alexandrina versatissimum. Si hæc mecum justa lance libraveris, nullus dubito quin in meam inclineris sententiam, tandem post duo fere annorum millia, ex orci nocte, in qua non immerito diras luerit, exciri feralem libellum vel ethnicorum anathemate confixum[4]. A quo saltem id erit emolumenti, nempe videant delicatuli nostri qui christiana irrident, quibusnam errorum funiculis, vel ex gemmulis quibuscum digito ludunt, irretirentur, nisi tam animarum, quam omnis insuper ingemiscentis creaturæ libertatem Ecclesia vindicasset.

V.

77.
Sed a physiologia Judæos caute non abstinuisse immo ivisse in illam promtissime,

Nec jam lætior erit rerum facies, si quis ad gentem israeliticam se converterit. Sed aliud hæc meditanti tædium, quum et Judæum in eamdem flagitiorum partem ultro cucurrisse noverit[5]. Quid plura? Namque Alexandrini Judæi in Græcorum assentationem, ne extra chorum gentium tunc temporis in orbe dominantium crevisse viderentur, eo venerunt ut tum placita sophistica, tum historica mendacia plenis manibus in suos libros ingererent: quid mirum eosdem noluisse, ne in hac quidem physiologiæ pravæ infamia, esse Græcis inferiores? Excogitaverunt enim quæ et confidenter Flavius Josephus rata habuit, et cum læta rescripsit arrogantia, scilicet esse nescio quam φυσιολογίας ἔκδοσιν, quam non ad Salomonem modo deferrent, sed ad Moysen, ad patriarchas, ad ipsummet Adamum, et usquequo non? Ex eo enim quod protoplastus cunctis animantibus dedit nomen proprium, colligunt Adamum insignem philosophum fuisse, qui naturas omnium animalium tenuerit probe, ut inde juxta cujusque proprietatem nomen indiderit. Sed et Flavio præsto fuere illæ Sethianæ columnæ quæ secretam et sideralem disciplinam, quasi in arca saxea reconditam, e diluvio eriperent; et aliis, pseudepigrapha Philonis chronica, quæ Augustinus novisse

ut multa testimonia,

integrius in coll. Sylburgiana, *Script. physiognom. veter.*, Altenburg., 1780. De Loxo autem perpauca novi, quæ obiter legi in levidiusculo ejusdem argumenti libello, gallice edito, sed qui videtur translatus e Petro de Abano sive Padubanensi (*de Phisonomia* [sic], Paduæ, 1474, ed. Panzero et Hainio ignota. Uterque liber rescripsit unum Albert. Magn. quem cf. *de Animalib.*, t. vi, p. 22, col. 2 *b*; 26 *d*; 34, 2 *d*; 35, 2 *c*; 36, *a*; 67, 2 *d*; 71, 2 *c*; 76, 2 *c*; 77, 2 *c*. — (1) *Parrhasii.* Priora, p. 324 dedi. In Apuleii *Apolog. mag.*, c. 90, p. 54, ed. Elmenh. lego, nemine contradicturo, *Damigeron magus*, ubi *Damigeton*. Cf. Parrhasii epist. xi in *Thes. crit.*, t. 1, p. 740. — (2) *Jacent.* Lib. ii, 30, 31; v, 21, 22, 37; vii, 13, 24; ix, 18, 26; x, 12, 30, 63, 64, 65; xii, 12, 35. — (3) *Detestatur.* Vide, si lubet, in primis lib. xxxvi, 29, 1; xxxvii, 3, 14, 37, 51, 59, 60, 73, etc. — (4) *Confixum.* Quocum non mediocriter consentiunt quæ amandavi in posteriores notas, sed pleraque a Pseudo. Hildegardis physicis libellis descripta. — (5) *Noverit.* Videndi omnino qui plenius hac de re egerunt A. Ferd. Dähne, *Geschichte und Darstellung der jüdisch-alexandrinischen Relig.-Philosophie*, Halle, 1834, in-8°. A. F. Gfrörer, *Kritische Geschichte des Urchristenthums e. th. Philo*, t. 2, Stuttgart, 1835, in-8°. Neque omittenda dissertatio gallica recens, inscripta: *Essai hist. et crit. sur l'École juive d'Alex.*, par l'abbé J. Biet, Paris, 1854.

videtur, quum alludit ad hanc Judæorum sententiam, in deserto scilicet, ipso jubente Moyse, sculptas fuisse gemmas secundum motus et cursum siderum [1]. Una est enimvero et illa sane Judæorum laus abundantior, qua jam personuit Oriens universus, stupenda Salomonis scientia, cui cœlitus datam fuisse tum divinarum, tum etiam naturalium rerum peritiam, et Regum [III, IV, 33] et Ecclesiastici [XLVII, 16, 18] et Sapientiæ [VII, 20] locupletia absolutaque sunt testimonia; quam quidem peritiam, quamdiu sapuit, mire cum symbolicis coaluisse, declarant Proverbia, Parabolæ, Cantica, quibus allegoriarum silva divinitus consecratur, ne parabolarum tria millia, ne carmina quingenta supra mille memorem, quæ quum Ezechias paulo ante captivitatem partim collegerit, e manibus exsulantium per omnem orbem disseminata fuisse, absonum minime est. Sed his non contenta Judæorum jactantia mentita est ejusdem sapientissimi regis esse spuria sine numero, sine nomine, quorum unum gloriabundus ostentat Josephus, *Incantationum* quidem, ex herbarum virtutibus, quas oculis suis se vidisse tibi jurat judæus ille Apelles [2]. Quocum dextras junxere contribules, de quibus Joannes Lydus : « Hebræorum docti, inquit, præsagii rationem bifariam distribuunt, in σημεῖα et τέρατα, et σημεῖα esse volunt ea quæ in aere exsistunt, τέρατα vero ea quæ in terra tamquam contra natura apparent [3]. » Etenim, ne veteres Gnosticos judaizantes referam [4], annon putide fuerunt ista infecta lue immensa Mischnæ et Thalmudi volumina [5]?

78.
ita Astrampsychi nostri ἀποσπασμάτια satis evincunt.

De ista Judæorum perversione et cum Alexandrinis in profligatas artes conspiratione nostrum erat, quandoquidem huc veniendum esset, novum afferre testimonium, quod habes infra [p. 394] ubi σημεῖα καὶ χρησμοί Astrampsychi, ἱερέως καὶ βιβλίων Ptolemæi regis ἐπισφραγιστοῦ, in eo tantum clara quod ex sacris Bibliorum nominibus, illic ad sortes magicas alligatis, coram manifestatur, vel ante Christi tempora, aut saltem antiquitus, spurios Abrahæ filios ex arbore pessimæ scientiæ plenis buccis comedisse. Ex quo etiam loco, totoque libro ἀνεκδότῳ quem sedulo et caute evolvimus, aliisque abunde notum est, jam tunc jacta fuisse semina theurgiæ judaicæ et artis cabbalisticæ, quam pene totam e rei symbolicæ depravatione, sed maxime e vesanis physiologiæ arcanæ mendaciis erupisse, sole clarius est. Quot inde mala manaverint, quot Ecclesiæ nascenti et adolescenti pericula et damna intulerit sceleratissima ista ultimorum e gentilitate philosophorum et antiquissimorum e Judæis magistrorum conjuratio, dictu difficile est.

Hæc quum ita fuerint, jam quo nostra tota oratio pertinuit, eo ventum est, ut quæcumque tam ad gentes quam etiam ad Judæos e veteri natura-

(1) *Siderum. De Civit. Dei*, XXI, 6. Cf. Chr. G. Heyn., *de Gemmis astrologicis et magicis inter amulela habitis*, *opusc. acad.*, t. 1, epim. 5. Tiedeman, *de Magia*, p. 102. Minus ad rem est J. G. Eichhorn, *de Gemmis sculptis Hebræorum*, in-4°, 1813. — (2) *Apelles*. Vid. *Ant. Jud.* VIII, 2, p. 207 Did. Quibus Judæorum fabulis patulas aures et promtiorem calamum præstitit bonus P. Pineda, *de Rebus Salomon.* lib. III, c. 23. Spuria Salomoniaca post multos abunde recensuit D. Ceillier, t. 1, p. 258. Quibus adde Physiologum cod. Ambros. C. 2, de quo p. LXIV. — (3) *Apparent*. De mensib. IV, 97, p. 111. — (4) *Referam*. Cf. Ὠριγεν. φιλοσοφούμ. V, 7, p. 98 sqq., 102, 31; 140, 95. — (5) *Volumina*. In primis respicio satis multa hic illic sparsa de rebus rusticis et medicis, qualia fere sunt Byzantinorum *Geoponica*, quæ, dum ethnica regerunt, vix ab ironia temperant.

lium symbolorum disciplina pervenerint, ea vel ante Ecclesiæ tempora dissipata fuisse ac misere in hac colluvie physiologorum suffocata, recte concludatur.

Quid vero acciderit christianis, simili quadam physiologia utentibus, hoc enim nolumus negare neque possumus, jam necesse est paulo fusius inquiramus.

VI.

79. Neque majorem fuisse græculorum prudentiam quam Judæorum,

Sane lubrico Physiologi loco aut abstinendum prorsus erat, aut tantum, ubi minus venenosæ salebræ, pede suspenso, hac illac eundum.

Abstinuit quidem Ecclesia romana, quamdiu novit anguem sub herba latere, cujus prudentiam mox locus erit diligentius considerandi.

Græci vero Orientalesque aliter, vel ab ipso initio, ideo fortasse quod non æque illis res erat omnino integra. Græcus enim physiologus Græcorum in manibus terebatur, inde per totum Orientem diffamatus; quidni eum non solum in scholis alexandrinis, sed et ultro citroque in ludi magisteriis concrepaverit, ut fabularum Æsopicarum ritu, meditaretur eum alumnus quivis in ultimis subselliis sedens, aut quisque puer inter crepundia versaret?

erunt qui dent veniam, ob locorum et disciplinarum necessitatem,

Talem enim fuisse primævam Physiologi conditionem suadent non tam puerilis ejus et quasi infantis sermonis indoles, aut similitudo cum fabellis scholasticis, quam ipsorum Latinorum consuetudo, eo tamen libello parcius quam Græci et tardius utentium. Philippus de Thaun [1], primus quem novimus in vernaculas linguas Physiologum transtulisse, diserte de eo pronuntiat :

> Iceo dit bestiaire, un livre de gramaire...
> En un livere dit de grammaire
> Que nus apelum bestiaire...
> Ki plus volt saver de ces peres
> Lur vertus et lur manaires
> Si alt lire de lapidaire
> Qui est extrait de grammaire.

Ut candida est et obvia libelli indoles, sic tamen arte non caret, nec quadam argutandi ratione callide dissimulata, quin ex controversia ortus videatur, aliis ejusdem auctoritatem tuentibus, aliis nec libello suam fidem obligantibus, neque ab illo, qualiscumque demum erat, omnino recedentibus; unde et illud ab initio constanter præmissum : ὁ Φυσιολόγος ἔλεξε, quasi : penes quem fidem esto; et, quodcumque tandem dixerit, esto bene, καλῶς οὖν ὁ Φυσιολόγος ἔλεξεν. Hæc utcumque notanda erant, quum vix alio in libro eadem reperies.

At Græcos sive litigandi necessitas huc impulerit, sive curiositas,

(9) *Thaun.* Thom. Wright edidit in *Popular Treatises*, etc., p. 20, ubi inscribitur : *Le livre des créatures.* Sed suo nomine obiter apud eumdem *Physiologus* excitatur. Philippus describit animalia 24, aves 13, et lapides 15. Quæ supra, exstant p. 108, 127, 128. Similia refert in *Græcismo* Eberhardus Bethun.

80. sed et propter vigilantiam veterum tentanda in hac via.

dum ad Physiologum dilabuntur, id primo sibi cavent ne ab illo quidquam accipiant quod non sit aliqua in Scripturis sacris consecratione prælibatum. Deinde, nihil brevissimis Physiologi lemmatibus additum est nisi illud ipsum biblicum elogium, quod unum interpretationis loco Syrus retinuit. Postremo, accedente allegoria fusiore, iis tamen eam cohibuere terminis ut præcipua dumtaxat, non omnia in mysticam interpretationem cederent : « Exempla enim, ait recte Isidorus Pelusiota, et post eum Gregorius Magnus, non universe explenda, alioquin non essent exempla, sed res eadem [1]. »

His vallis munita physiologia, nedum omnibus displicuerit, satis honorifice cum illa actum est, dum alii ad eam libenter provocarent, alii data opera eam perpetuo commentario adornarent.

Immorari pigeret in scriptoribus recensendis, qui obiter hoc vel illud caput obvium habuere, adiereque; sed præstat ætate aut nomine majores notare paucis.

81. Quorum antesignani ferme sunt LXX interpretes,

Parum abest quin nostrorum agmen duci velim a LXX interpretibus, ob nonnulla de leone, de phœnice, de charadrio, de myrmicoleone [2], ex hebræo audacius reficta. Nostra certe de mustela pene αὐτολεξεὶ refert Eleazarus apud Aristean [3], quem aut unum τῶν Ω′ faciunt, aut illis æqualem, certe alexandrinum.

certe Alexandrini Patres;

Jam a Philone ad nostros, præeunte Clemente, et inde usque ad ultimos alexandrinæ Ecclesiæ, Athanasio tantum excepto, series decurrit prope continua. Clemens enim, ne multa excutiam, de hyæna et de turture plane Physiologo quadrat [4]. Item primus omnium quem noverim, Origenes Physiologum suo nomine diserte appellavit [5], eumque tam frequenter de charadrio, de leone, de cervo, de ciconia, de vulture, de perdice expilavit [6], sed tacita satis constanter singulorum locorum allegoria, ut ex his duo per me recte intuleris, eum quidem Physiologi ἐκφράσεις naturales præ oculis habuisse, ignorasse vero recentiorum allegorias. In hanc ergo viam, ab Adamantino glarea et silice constratam, confidenter eunt [7] Eusebius Cæsariensis, Clementinarum auctor, Isidorus Pelusiota, Nonnus Panopolitanus, Cyrillus et Eulogius, ambo Alexandrini; sed alius Alexandrinus evadit illinc, Pseudo-Eustathius in Hexaemeron, cui certe nihil cum Antiochenis commune.

82. deinde Syri et cæteri orientales.

Proximi Syri sequuntur, quibus dux non deest, S. Ephræmus, et post eum Jacobus Edessenus [8]; tum Armenii, deinde Arabes, postremo Æthiopes, qui non alii ab aliis, sed e græcis fontibus sua quique hauserunt, idque tam alacriter, ut a primo litterarum suarum ortu eos

(1) *Eadem.* Isid. IV, *Epist.* 237. — (2) *Myrmicoleone.* Job IV, 11; XXIX, 18, Levit. XI, 14. — (3) *Aristean.* Eus. *Pr. Ev.* VIII, 9. — (4) *Quadrat.* Pædag. II, 18; Stromat. II. — (5) *Appellavit.* In Genes. hom. XVIII : « Convenientius aptabitur huic loco [Genes. XLIX, 9] mystica expositio, in qua Catulus Leonis Christus non solum tropice, verum etiam physice [quod omnino retinendum, alii : *tropicus, physicus*]. Nam *Physiologus*, de Catulo, etc. [cf. infra p. 339]. Φυσικὴν ἔκφρασιν refert, allegoria intacta, quam præ cæteris excitare debuisset. Hæc vero e Rufini versione : græca dudum exciderunt. — (6) *Expilavit.* In Cels. lib. I, IV; in Cant. homil. III; in Jerem. homil. IV et V; in Levitic. homil. VII, etc. — (7) *Eunt.* Eus., *Vit. Const.* IV; Clemens, apud Isidor. *Etym.* XI; Isid. Pelus. lib. I, ep. 416; Cyrill. de Ador. III; in Zachar. V; Eulog. contra Novat., lib. IV; Eustath. *passim.* Nonnus in *Dionys.* lib. XXVI, XLI. — (8) *Edessenus.* S. Ephrem *in Job.* XXXIX,

hujusmodi nænias in deliciis habuisse significent quæ supersunt apud omnes Orientales Physiologi interpretationes.

Cæteri enim græci longe parcius hac merce utuntur.

Cæteri vero græci, sive ob Antiochenorum in Origenistas studium, sive quia extra Alexandriam locus non erat tam frequenter ad hanc provinciam adeundi, primum abstinere se a Physiologo videntur. Quæ enim adducuntur e Basilio, Chrysostomo, Nazianzeno, Nysseno, Theodoreto, pertinent fere omnia ad phœnicem, ad turturem, ad delphinos, ad serpentem, quæ ubivis terrarum publici juris erant. Sed vergente aurea ætate ad Byzantinam, quum jam Græculi subliniori contemplationi impares, in tricas sensus litteralis toti incumberent, appositum est illis arrisisse novissimam hanc theologiæ symbolicæ appendiculam de qua nobis sermo est. Jam illam per catenas dispertiri; jam illam non solum in ethnicis Nonni *Dionysiacis*, in Heliodori fictitiis poematiis, in classicorum auctorum scholiis, opportuno satis loco, sed et in ipsis rerum ecclesiasticarum chronicis, congerere totam : quæ fuit Michaelis Glycæ deridenda insania; jam denique multis et diversis recensionibus Physiologum excutere, quas necesse est una cum Orientalium versionibus, sigillatim expendamus.

83.

Quæ, jure ne annon adjudicetur 1° *Tatiano;*

Tatianum esse interpretum ducem et Physiologi qualis exstat integri auctorem sententia est R. P. Cahier, a quo nihil perfunctorium, non semel, neque obscure asserta [1]. Favet enimvero, quod libellus ab hæreticis conscriptus esse in Gelasiano decreto dicitur; quod Tatianus primus est e christianis qui veteres φυσιολόγους diserte appellet [2], puta Jubam regem, Orpheum, Philochorum aruspicem, Metrodorum, Aristodemum « qui nihil in Homero non refert ad *physiologiam*; » quod idem de rebus physicis et medicis libenter multus est [3]; quod gente assyrius, litteris alexandrinus, suopte ingenio audax, novarum doctrinarum plus justo fautor, Encratitarum sectæ parens exstitit, quos in allegoriis lasciviisse constat et quorum placita a nonnullis Physiologi capitibus (de elephante, de turture, de castore), non penitus abludunt; denique quod ipsomet teste locupletiore, primus nostrorum unum περὶ ζώων tractatum edidit [4]. Sed, de auctorum et codicum silentio ne loquar, nec urgeam illud, et Physiologum esse antiquiorem, et ἑρμηνείας recentiores, obstat idipsum testimonium allatum, in quo se de anima in eodem libro disseruisse asserit, quod ab Physiologo nostro alienum omnino videtur.

84.

2° *Epiphanio*

Alia sunt quæ pro Epiphanii jure militant : in primis magnus codicum consensus, quorum decem nomen ejus præfixum habent [5]. Eidem non denegatur libellus περὶ λίθων, qui et ipse nostrum in censum venit. Sed et in authenticis ejus scriptis non pauca nostris simillima reperiuntur; solemne enim est illi singulas hæreses cum pessimis bestiis ac reptilibus irridendo conferre [6].

85.

3° *Basilio*

Quod huc Basilium quoque adducat, unum est : e titulo fortasse

de Margarita ; Jac. Edess. in Gen. XLIX, *de Ceraste.* — (1) *Asserta.* Cf. *Vitraux de Bourges* p. 77-82, *Mélanges archéolog.*, t. II, p. 87. — (2) *Appellet.* P. 278, ed. BB ; cf. p. 290, 292, 278 *c*, 285, 289. — (3) *Est.* Ib. p. 274, 275, 293, n. 42. — (4) *Edidit.* P. 271 *c* ; cf. p. 266, 267. — (5) *Habent.* Ottobon. 299, 300 ; Paris, 2426, 1140, 2027, 834 ; Vindobon. 26, 55, 321 Lamb. (lib. V, VI, VII) et omnium princeps Ambros. E, 16, part. super., sæc. X. — (6) *Conferre.* Cf. *Anchor.* XXII.

commentariis ejusdem in Hexaemeron imposito περὶ φυσιολογίας, ansam arripuere Græculi et ipsi dare Physiologi interpretationem, ut diserte exprimitur in codice Ambrosiano C. 2 : Ἑρμηνεία τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Ὁ δὲ μέγας Βασίλειος ἀλληγορικῶς ἡρμήνευσε, πνευματικῶς ὑπαλλάξας τοῦ σοφωτάτου Σολομῶντος τὰς τῶν ἀλόγων ζώων φύσεις [1].

86. 4° *Philoni Carpathio;*

Sed Armeniorum traditio est Philoni Carpathio Physiologum esse ascribendum, cujus quidem rei non nisi levia vestigia in ejusdem commentario in Cantica canticorum deprehenduntur [2].

87. 5° *Chrysostomo;*

Etsi ab hujusmodi commentatiuncula toto ingenio et ore abhorreat Chrysostomus, nomen tamen ejus interpretes Latini codicibus suis non paucis [3] audacter apposuerunt, quod quidem nuperrime typis consecrarunt academici Vindobonenses [4]. Neque hesternum est facinus : quod enim pene ad stuporem nonnullorum afferam, exstat testis fere æqualis, et nomine et dignitate et doctrina venerandus, Verecundus ille est, episcopus Iuncensis in Africa, qui non exiguam sæculo quinto personam egit et Constantinopoli exsulavit : idem enimvero in grandi opere quod quarto Spicilegii tomo jam curo inserendum, non obiter, sed disertissime declarat, locum e Physiologo verbatim expressum, esse Chrysostomi : « Lege, inquit, Physicorum historias peritorum, Plinii Secundi, Solini, aliorumque multorum, in nostris autem Joannem Constantinopolitanum, in libro quem *de Natura bestiarum* scripsit : et invenies balænam [cf. nostra p. 352, περὶ ἀσπιδοχελώνης, n. 2] tantæ latitudinis longitudinisque corpus habere ut mensuram trium habeat et amplius jugerum; ita ut, quum fallendis nautis enatant super aquas, insulæ ab ignorantibus existimentur [5]. » Vix alia nostris arctius necti invenies.

6° *Eulogio Alexandrino;*

Eulogium vero Alexandrinum tetigisse idem illud argumentum et loca Physiologi exornasse nonnulla, fidem faciunt quæ modo subjicienda sunt ejusdem ἀνέκδοτα.

89. 7° *Damasceno Studitæ,*

Sed nos ad alia dubia referunt quæ codici Taurinensi 248 præfixa græce leguntur in huncce modum : « Damasceni episcopi Studitæ libellus, in quo collecta sunt ex veterum philosophorum libris quæcumque de avibus et terrestribus atque marinis animantibus ab his dicta fuerunt, et communior interpretatio subditur. »

an fortasse et aliis, exquiritur,

Neque inutile foret liquidius noscere quosnam sibi auctores Philippus de Thaun arrogaverit, quos vocat **Nebroz li vaillanz, li philosophe Cingius, Turkil le Vaillant, en son escrit, Cleopatras, etc.** Aut etiam quis Philatus quem *physiologum omnium animalium* vocat doctus Ar-

(1) Φύσεις. Cod. sæc. XV, cartac. Dignus est codex qui diligenter excutiatur, quamquam recentior. Interpretatio enim a cæteris recedit, nec satis assequor utrum in eo ex Basilio detur commentarius perpetuus, an obiter adducatur in cap. 1, ut inde continuetur variorum Catena. Ab initio legitur : Ἀρχὴ σὺν Θεῷ τοῦ Φυσιολόγου τοῦ σοφωτάτου περὶ τῶν φύσεων τῶν ἀλόγων. Cod. alius Ambr. B. 146, l. XVII, continet XXI capita sive fragmenta Hexaemeri ejusdem, potius quam physiologi. Hæc et quæ supra leguntur, præstitit doctus et benevolentissimus vir Car. Daremberg. — (2) *Deprehenduntur.* Cf. Bibl. PP. t. V, p. 666 *d*, 668 *g*, 678 *a*, 685, 683. Armeniorum traditionem retulit J. B. Aucher, in magno arm. lex.—(3) *Non paucis.* Fuit Murbac., sæc. VIII; exstant etiam nunc Remens. E, 336; Paris. 2780; Gotwic. 101, XI sæc. — (4) *Vindobonenses.* Vid. supra t. II, p. 480, n. 15. — (5) *Existimentur.* In Cant. Jonæ, p. 198 apographi nostri.

meniæ historicus, Vartanus, sæculi XIII; aut denique quemnam Armanusium Antiochenum *de lapidum virtutibus* non semel in arabico ejusdem argumenti libro Teifaschyus excitaverit. Psellum quidem eadem exornasse, et Manuelem Phile in insigniores Physiologi partes, omissis pene allegoriis, non inconcinnos inspersisse iambicos, notius est quam ut in illis hic detineamur.

90. Neque tacetur de x anonymis.

Neque plura nobis nomina clare asserta suppetunt; sed quid de anonymis sentiendum sit, facile prolixior esset disputatio. Locus enim dandus esset

1° Interpreti Armenio, quem ob eximiam dictionis suæ elegantiam doctissimi Mechitaristæ non dubitant aureæ ætati Haicanæ reservare [1]: eum utique novit Vartanus, et Mechitar Kosschius, Armeniorum Æsopus [2];

2° Interpreti Syro, quem vetustissimum esse eo maxime nomine opinor, quod et physicæ ejus enarrationes cum puriore textu græco apprime concordant, nec ulla illis, præter loca Scripturæ, alligavit assumenta [3].

3° et 4° De interprete Arabico, donec integrior codex inveniatur, vix erit disputandi locus; quem forte una cum integerrimo translatore nostro Æthiopico operæ pretium erit non omnino omittere.

5° et 6° E Græcis duæ saltem adhuc exstant recensiones, rerum ordine, copia et delectu satis diversæ, quarum primam tibi exhibet codex noster A, cui B suffragatur et aliquando Δ, secunda vero in notas nostras rejicitur, excepta e codicibus Γ et Δ.

7° E et Ϛ adeo diversam abeunt in viam ut non metricum modo, sed novum opus in illis sit potius, quam Physiologi commentarius, id quod ex ultimis editionis nostræ capitibus quisque facile videat: nec omittat æquus bonusque rerum æstimator, meditari quam arduum fuerit e rustica ista politicorum στίχων stribligine pauca quæ nunc primum edimus, exsculpere. Consarcinatorem vero fuisse male feriatum quemdam monachum multa produnt; sed et ægyptium tam ob Antonii veterumque eremitarum laudes, quam ex aliqua scripturæ coptica barbarie haud inepte colligitur.

8° Ἀνεπιγράφων nostrorum vix seriem absolvet scholiastes codicis nostri Γ, quem forte alii invenient in integriori codice uberiorem.

9° et 10° Etenim nostris quoque accensere par erit Mosquensis anonymi brevem historiam animalium, quem notavi supra, et alium de varia et infinita rerum naturalium copia quem hisce diebus E. Miller cum multa, ut solet, et eleganti eruditione in lucem educit.

(1) *Reservare*. V. infr. p. 376, notam præviam de codicibus. Versio longe auctior cod. Γ' ea ratione in A', B' decurtata videtur ut quædam minus sana aut honesta resecarentur. Sed nolim hic dimittere lectorem quin mecum semel atque iterum grato et læto oculo intueatur qua elegantia niteant, qua unciali dignitate superbiant Armeniorum typi qui, recenti plumbo a Parisiensibus Mechitaristis fusi, una cum novo textu nostro nunc primum propemodum prodeunt — (2) *Æsopus*. A quo, ut in græcis fabulis, respicitur caput *de Charadrio*.— (3) *Assumenta*. Codici nostro gr. A satis constanter consentit; sed non desunt varia quibus ad B deflectit. Aliæ varietates occurrunt sive ob syri amanuensis, sive ob interpretis græca præ oculis habentis negligentiam, cui ob antiquitatem

91.
Unde pauca de incerto auctore concluduntur.

Sed utcumque elapsus e bestiarii græci, syri, arabici, æthiopici salebris, quas pro virili parte rimari et indagare sategi, ecce quæstionem de Physiologi auctore, qualem fere invenimus, relinquimus in dubio. Ut enim externa testimonia hinc et inde pari marte contendunt, ita, si interiora textus σημεῖα respexeris, aqua tibi hærebit nihilominus. Una res ex tot præstantissimis nominibus temere, ut videtur, adhibitis, satis manifesta est, nihil sequioris ævi græculos omisisse ut leviusculæ opellæ fictitiam compararent auctoritatem; mirum enim, dum negligerent doctrinæ christianæ summa capita, dum theologiam symbolicam flocci facerent pene omnem, quantum ineptiolis dederint et utinam non perversis! Ex insulsa namque mox in pessimam iere physiologiam, ut non solum cum Judæorum deliriis, sed et cum somniis Arabum, amentes ipsi et socordes, concertarent. Quis enim ignorat Syriam et Ægyptum, quum semper, tum maxime VI et VII sæculo receptacula fuisse magicæ, fatidicæque disciplinæ, philosophisque et astrologis abundavisse, certatim conquirentibus telesmaticos et chemicos libros [1]? Quibus nec in ipsa novæ Romæ aula cæsareoque palatio defuit hospitium, quum Leo sapiens, ut aiunt, ac plerique Byzantini imperatores, Ptolemæorum æmuli, repudiatas jam et obsoletas Ægypti et Orientis artes exemplo suo et muneribus refoverunt.

Sed ultimam meam de physiologo græco sententiam ut absolvam, si quid ex antea dictis optaverim, statutum illud saltem erit, fuisse veterem quemdam physiologum ad prima ævi christiani tempora aut Græcorum veterum ultima referendum, quem placet inter Alexandrinos vixisse.

92.
Quorum in coronide sunt Eulogii ἀνέκδοτα.

Cui enimvero sententiæ ultimum accedet adminiculum ex illis ἀνεκδότοις ἀποσπασματίοις, fortasse non modicum raris, illustri certe insignitis nomine, S. videlicet Eulogii, primi a Cyrillo Alexandrinorum patriarchæ, non dictatis ignobiliter nec tanto nomine indignis [2]:

I. Τίνος ἕνεκεν ὁ ὄφις ἀνεῳγμένους ἔχει τοὺς ὀφθαλμοὺς κοιμώμενος;

Ἵνα τὸν ἀναίσθητον τοῦτον βλέποντες ὄφιν οὑτωσὶ διακείμενον, τὸ τοῦ νοητοῦ κατανοῶμεν [3] ὄφεως ἄϋπνον, κἀντεῦθεν προσέχωμεν [4], μήποτε τὴν πέτραν ἀφέμενοι λεληθότως, κἂν δοκῇ [5] ἠρεμεῖν, παρ' αὐτοῦ δηχθῶμεν εἰς θάνατον.

II. Ὁ δὲ λέων τίνος ἕνεκεν ἀνεῳγμένους ἔχει τοὺς ὀφθαλμοὺς κοιμώμενος;

Ἵνα τὸ κατὰ Χριστὸν ἐντεῦθεν προτυπωθείη μυστήριον, ἀναπεσὼν καθά φησιν, ἐκοιμήθη ὡς λέων. Ὥσπερ γὰρ ὁ λέων καὶ κοιμώμενος ἐκφοβεῖ τοὺς περιϊόντας καὶ φεύγειν ποιεῖ διὰ τὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῳγμένους ἔχειν καὶ δοκεῖν ἐν ἀληθείᾳ ὁρᾶν· οὕτω καὶ ὁ δεσπότης ἡμῶν Χριστὸς, μικρὸν ὑπνώσας ἐν τῷ σταυρῷ ὡς ἄνθρωπος, ἔχων δὲ, ὡς Θεὸς, ἀνεῳγμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς θεότητος, κἀντεῦθεν τὰς τῶν δαιμόνων φάλαγγας ἐκφοβῆσε [6], ἔχει τοὺς ὀφθαλμοὺς [ἀνεῳγμένους [7]] κοιμώμενος.

III. Ὁ δὲ λαγὼς τίνος ἕνεκεν ἀνεῳγμένους ἔχει τοὺς ὀφθαλμοὺς κοιμώμενος;

nemo veniam non dabit. — (1) *Libros.* Joann. Lyd. Præf. p. XV. — (2) *Indignis.* E cod. Paris. 5264, fol. 29. — (3) Κατανοούμενον cod. — (4) Προσέχομεν ib. — (5) Δοκεῖ ib. — (6) Ἐκφοβῆσε ἔχει τοὺς ὀφθαλμοὺς κοιμώμενος cod. Legendum videtur ἐκφοβεῖ καὶ ὅτι ἔχει. — (7) Ἀνεῳγμένους. Cf. infra, p. 339.

Ἵνα μάθωμεν ἐντεῦθεν ὅτι καὶ ὁ δίκαιος οὗ καταφυγὴ ὁ Χριστὸς πέτρα, καθά φησι, καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς, γρήγορον ἀεὶ τὸν τῆς διανοίας ὀφθαλμὸν, κατὰ τὸν εἰπόντα· « Ἐγὼ καθεύδω, καὶ ἡ καρδία μοῦ ἀγρυπνεῖ, » κέκτηται, μήποτε ταῖς πέδαις ἐγκύρσῃ τοῦ ταῖς ψύχαῖς ἡμῶν ἀεὶ ἐνεδρεύοντος.

VII.

93. Latinis Physiologus innotescit ex censura Gelasiana,

Cernitur prudentia Ecclesiæ Romanæ a prima quæ apud Latinos conceptis verbis expressa habetur Physiologi memoria; quæ quippe est solemnis illa Gelasiani decreti censura, eadem forte a Damasi temporibus repetunda, cujus præstat hic proferre tenorem :

« Liber *Physiologus*, ab hæreticis conscriptus, et beati Ambrosii nomine præsignatus, apocryphus [1]. »

Sunt qui multas hujus decreti sententias vel ideo emolliendas esse putant quia in eo libri dicuntur apocryphi qui auctore certo destituti fuerint ; vel quia non iidem illic damnantur, quam qui nunc supersunt similiter inscripti : ego vero, quod ad Physiologum attinet, in neutrum volo me recipere effugium. Teneo sub hac furca pendere et nostrum et non immeritum, illicque hunc eumdem remansisse, a Damaso ad Gelasii et Hormisdæ tempora, publica sententia suspensum.

quæ obiter vindicatur,

Quo enim tempore a septem summis Pontificibus eadem censura aut acrius data fuit aut renovata, etiam tunc pestilens aura quædam Manichæismi totum, ut dixi, perflavit Occidentem, nec a Roma quidem abstinuit. Eadem porro et Priscillianistarum lues, quæ maxime serpsit obtecta libellis id genus apocryphis; quorum alii evangelicas et apostolicas origines ementiti, alii occultas rerum causas et proprietates scrutati ferebantur. Sed omnes, quavis data occasione, illud perversum insinuabant, esse in omni re aut eventu ineluctabilem naturam aut conditionem sive bonam sive malam; unde introducerent omnia esse animata, ipsosque lapides ἐμπεψυχῶσθαι, ac si vel in saxis virtus boni principii alligata contineretur, usque adeo ut fere omnia superstitiose honorarent [2]; quæ profecto aperta via erat aut Magorum flagitiis aut ineptiis gentilium in orbem reducendis.

tam ex ipso Physiologo,

Alterutrum enimvero detegere facile est in antiquiore Physiologi parte, quam per me licet totam gentilitati restituas. Quis enim in pura luce evangelii locus iis quæ illic effutiuntur de leonis anhelitu vivifico, de oculo charadrii nunc bono, nunc malo, de phœnicis palingenesi, de pelecani, onagri, castoris et viperæ turpi edacitate, de lapidum sympathiis et virtutibus, de aetite εὐτοκίῳ, de indico hydropicorum amuleto, de herba ophthalmica, de adamante dæmonum averrunco, etc., ne hic satis similia vellicanda curem quæ in appendicem de ἰχθύος symbolo relegavi. Hæc et alia mihi videntur fecisse, maxime inter Orientales et ab islamica tempestate, fortunam Physiologi et famam ; unde cætera non pauca, quæ apud Syros aut Armenios desunt, libenter resecuerunt, nisi ad eosdem Physiologus minus integer pervenerit.

(1) *Apocryphus.* Mansi *Concil.* VIII, 151. Quæ Damasi esse, non leviter asseritur.—(2) *Honorarent.* Titus Bostrens, lib. II, c. 35, Galland. t. V, p. 322.

quam ex ejus interpretationibus.

Sed nec in latine asservatis et in hac posteriore ἑρμηνειῶν parte, christiana certe et repurgata, desunt putida satis : qualia si ea cum nostris conferas, quæ pene dixerim respicere gnosticas Æonum genealogias sive καταβάσεις, ubi περὶ Σωτῆρος ait : μετὰ ἀγγέλων ἄγγελος, μετὰ ἀνθρώπων ἄνθρωπος, μετὰ ἐξουσιῶν ἐξουσία [μετὰ θρόνων θρόνος], ἕως αὐτοῦ καταβάσεως [*vid.* p. 339]; neque saniora quæ paulo post, ubi de leone catellis insufflante : οὕτως καὶ ὁ παντοκράτωρ Θεὸς, ὁ πατὴρ τῶν ὅλων ἐξήγειρε τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως, ac si ille creationis primogenitus, aliena potius, quam sua virtute, surrexerit. Quod alii aliter refingere tentaverunt, sed prudentius quam felicius, dum hi leænam insufflantem et in ea Spiritum sanctum, illi vero, dissipata allegoria, totum de uno Christo intelligunt. Sed et aliud in eodem et rarum in orthodoxis vocabulum, cap. VI : ὁ δημιουργὸς ἡμᾶς ἐγέννησε [p. 348, et iterum p. 362]. Neque certe omnibus placuerit aut Christus ille, modo alatus et phœnici similis [p. 345], modo παμποίκιλος etiamque in spirituali natura variegatus [p. 352]; neque incantatio πνευματικὴ διὰ πολιτειῶν ἀγαθῶν [p. 346]. Jam quid illud, angelicas potestates in Christum nasciturum non invaluisse [p. 355]? Quid, duos vultures esse Mariam et Gabrielem [p. 369]? Quid, universa creata concatenari cum Demiurgo, a quo omnia pendent [p. 362]? Alexandrinorum fœtus profecto est allegoria de margarita, quam Origenes primus et post eum Cyrillus multis exornarunt [p. 366]. Deinde pejus mihi et gravius olent non pauca quæ Ophiticam sapiunt sectam, gnosticorum ut fœdissimam, ita diutissime repullulantem : lege potius et cautissime quæcumque enarrantur candide de serpente, de pelicano, de pico, de monocerote, de arbore περιδεξίῳ et illius umbra; nec omitte notarum varietates, sed neque tum ancipitum interpretum dissimiles allegorias, quum alia prudenter ab illis, maxime ab armeniis auctoribus, omissa. Tum demum, ne taceamus nomen sæpe in hac causa pronuntiatum, alia certe a Tatiani et Encratitarum fanatico rigore non abludunt [1] quæ non tantum apostolos introducunt Encratitas [p. 346, c. XI], sed et Christum [p. 345-52]; et notam quæ inurunt non secundis modo nuptiis [p. 358], sed et monogamiæ [p. 365], et alia plura id genus nec obiter, nec inconsulto asserta [cf. p. 361, 343, 341, 354, 361].

Nonne hæc satis, unde causa cadat is potius, absolvatur vero Pontificii decreti censura et totius Ecclesiæ latinæ cauta οἰκονομία? Quamquam non diffitear ante Gelasium aut Damasum hic illic esse Physiologi [2] vestigia, sed ea pene tantum apud Afros, Alexandrinorum vicinos, et præeunte, ut reor, Tertulliano, qui quum in multis Tatiano suffragaretur, eumdem et hucusque æmulatus, pleraque venditare potuit quæ a Cypriano, Arnobio, Novatiano, Lactantio, Augustino, temperata licet, non absunt. Vix alibi similia erunt, nisi apud eos qui in Græcorum consuetudine versati sunt, quales fuere Ambrosius, Rufinus, Hieronymus, Græcorum interpretes.

94. In quo nihil tribuendum esse Ambrosio,

Sed cur Ambrosii nomen Physiologo inscriptum fuerit, nonnulla profecto Hexaemeri loca a Basilio accepta causam dedere; cæterum nullus

(1) *Abludunt.* Vid. in *addendis* ad calcem, nonnulla ex Hildegardianis libris medicis non modicum diversa a cæteris physiologis, fortasse longe antiquiora. — (2) *Physiologi.* Rufinus nomen habet, *de Bened. Patr.* l. 1, n. 2.

omnino codex ullibi quod noverim exstat tanto nomine insignitus, nisi quod unus e libraria S. Mariæ Magd. Oxoniensis præferat illud : *Excerpta ex Ambrosii Hexaemeron de naturis bestiarum* [1]. Libri denique latini incomta barbaries a Mediolanensis notissima phrasi abhorret.

95. **Neque Hieronymo statuitur.**

Quantominus is Hieronymo tribuendus erit, etsi in veteres ejusdem editiones quædam fragmenta, male cum spuriis cohærentia, temere ingesta sint. Unus enim est, valde quidem antiquus, sed adeo mutilus ut vix uno capite constet, Carnotensis [2], sæculi VIII, qui aperto nomine Hieronymum auctorem Physiologo vindicat.

96. **Sed a Gregorio M. commendatur, an immerito?**

Sed a Gregorio feliciora Physiologi latini fata incipiunt. Alia erat rerum facies, quum, renovato orbe et sublata imperii romani majestate, vetus superstitio non nisi deridenda jaceret: inde faciliores lusus Sidonii et Fortunati, omnem pene mythologiam vapulare potius quam laudari carminibus suis permittentium. Non mirum igitur tunc Physiologo Ecclesiam pepercisse, quæ, ut gentilium fana et delubra non evertit funditus, ita penitus eorum libros numquam abolevit. Cæterum non pauca illic erant quæ saniora facillime evaderent : namque vide vel in græcis nostris, minus caute defæcatis, quid præclare dicatur de Christo Deo [p. 274], Deo et homine [p. 368], incarnato ex Maria Virgine θεοτόκῳ [p. 353, 355], a mortuis redivivo [p. 340, 367]; quid de Ecclesiæ unitate [p. 347, 350, 351, 363, 366]; de hæresis detestatione [p. 349]; quam mystice sacramenta Ecclesiæ describantur verbis ex arcani disciplina ad severiorem trutinam pensitatis. Baptismus enim dicitur πηγὴ ἀένναος, ὕδωρ ἀένναον [p. 344, 348]; pœnitentia autem, πηγὴ ὑδάτων, ὕδωρ ζῶν, τὸ ἅγιον δῶρον, κοινωνὸν ἐν μετανοίᾳ [p. 359, 369]; Eucharistia vero, sanguis e latere Christi in calicem instillatus [p. 343], ἄρτος ἐπουράνιος καὶ πνευματικὸς [p. 354], ἡ μία τροφὴ, ὁ ἄρτος ἀπὸ οὐρανοῦ καταβὰς et εὔοπτος (p. 366), ζωὴ καὶ τροφὴ πάντων (p. 367) ; non negliguntur obiter piæ et vetustæ consuetudines Ecclesiæ de jejunio quadragesimali (p. 353), de signo Crucis (p. 364), de ascetica disciplina sive πολιτεία (p. 350), quorum certe Physiologus testis est ætate venerandus.

Bene igitur erat, mutato tempore amotoque periculo, decreti gelasiani anathema a Gregorio Magno adeo benigne mitigari, ut Physiologo, inter *Morales* et *Homilias* non semel accepto [3], quasi jus latinæ et christianæ civitatis restitueretur.

97. **subinde Isidor nomine circumlatus**

Inde igitur videre est non paucos codices Isidori nomen ostentare [4], Toletanum, Parisiensem, Florentinum, neque dubia ejusdem Physiologi loca ab ipso Hispalensi in Etymologias ascita; inde etymologici hujusce magni vestigiis insistere cæteros lexicographos recentiores, et abundanter ex eodem fonte haurire, Eucheriumque et Melitonem miscere cum Physiologo; inde rursus Hispanos in liberiorem Gregorii et Isidori viam convenire, Julianum et Eugenium Toletanos, maxime Hildephonsum, qui pene totum Physiologi agmen in suo neophytorum post baptismum *itinere* circumducit [5].

(1) *Bestiarum.* N. 32. — (2) *Carnotensis.* N. 3.—(3) *Accepto.* Cf. Moral. v, 2, col. 157, 158; IX, 48, 309 *c*; XXXI, 94, 1039 *d*, etc.—(4) *Ostentare.* Paris. 2825. Florent. S. Cruc. pl. XXVII, n. 9. Cf. Arevali *Isidoriana*, c. LXXXVI, 9, *Opp.* t. IV, p. 521. Item *Spicil.*, t. II, p. 480. —(5) *Circumducit.* Vid. supra p. XV; Jul. Pomer. *Adv. Jud.* lib. I; S. Eugenii *Carm.* p. 1, 12, 13, 11, 27 31.

97. Scoto-germanicis maximo placuit.

Sed quasi ruptis repagulis se effusius in hunc campum emisit Hibernica illa schola cujus opiniosam indolem ingeniumque curiosum antea proferebam. Ex hac enim palæstra Aldhelmus Malmesburiensis qui non obscure nostra in suis ænigmatibus respexit; Adhelmus alter, Ansileubus ille et Ebarcius, quos introduxi non paucis Physiologi spoliis onustos; Rabanus demum ac cæteri germani, Scotorum disciputi : quorum quidem in usus Fuldensis abbas cyclicam de rerum natura scientiam delineavit; Walafridus vero, dum inde exempla ab eleganti suo *hortulo* aut ab inedito *Herbario* non abigeret, neque illis ampliorem et multo magis venerandam sedem in perpetua Scripturarum Glossa invidit. His proximi sunt Robertus Canutus, Græcoladensis, Plinii deflorator; et Theodericus Metensis, a quo habemus metricam Solini metaphrasin et varios *de monstricosis* rhythmos in nostris schedis asservatos.

A Rheno trans Alpes, proclivi itinere, physiologia permeavit, paratumque invenit hospitium tam inter Bobbienses hibernicos ac Beneventanos cæterosque e Longobardis magistros, quam apud Casinenses ultimosque italos, græci Physiologi ferme contribules. Vix enim credam Bassatium abbatem Casinensem, in suo *de Exemplis naturalibus* libro, aut Petrum pariter Casinensem in quadam Solini *abbreviatione* [1], parcius eo argumento usos fuisse quam bonus hic noster Petrus Damianus, qui bestiarium fere totum, monasticæ vitæ muneribus haud illepide adaptatum, eidem illustri conventui ejusque abbati merentissimo Desiderio, jam pene in pontificatum evecto, mittere non dubitavit [2].

Libenter enim dicam Ecclesiæ numquam displicuisse candidam rerum naturalium considerationem. Quin vide semper quoddam intercessisse commercium sanctissimorum virorum cum variis mundi spectaculis, immo eo lubentius cum animalibus, avibus, floribusque eos lusisse, quo sublimiori contemplationi vacabant : ut in illis aliquando pristinus ordo redintegraretur, quo, « quasi quoddam amicitiæ pignus totius creaturæ factus est homo, utpote omnibus in eo coadunatis. » Etenim Deus qui instauravit omnia in Christo, in eo « universæ creaturæ vinculum amicitiæ visus est condonasse [3]. » Hæc Hilarius præclarissime in *Spicilegio*.

98. Inde multa Physiologi exemplaria, versiones,

Quæ quidem ab Irenæo forsan ad Hilarium relata, mansere et Latinis communia et Gallis nostris frequentia, nulli vero solemniora quam Gregorio Magno, neque umquam penitius intellecta quam in ea sanctorum ætate quæ ab illo usque ad sæculum XII, continua quasi ubertate, effloruit. Unde non miror cur etiam tunc temporis condiderint præcipua Physiologi exemplaria [4], una et gallicas, germanicas, saxonicas interpretationes, et undenam universa naturæ meditatio tot libros de re medica, de arte computatoria, de matheseos θεολογουμένοις excitaverit.

99. compendiaria vel auctaria :

Sed adeundi in primis sunt libelli tres metrici, omnino nostri, utpote de bestiis, de lapidibus et de floribus scripti et vulgatissimi.

(1) *Abbreviatione*. Cf. Montfauc. *Bibl. mss.* codd. Casin. 373. — (2) *Dubitavit*. V. t. II, p. 480. — (3) *Condonasse*. Spicil. t. I, p. 103. — (4) *Exemplaria*. Cf. p. LIII, n. 7 et adde cod. Metens. D, 63; Argentor. 196, 414; Murbac. in catal. l. Colmar.; S. Urbani, in catal. sæc. XII; Harl. 3244, 4751; Duac. 673; S. Theod. Rem.; Rothom. 135-320; Oxon. add. 58, etc.—(5) *Interpretationes*. Edidd. Wright, Hoffmann, Karajan; cf. Archiv für Kunde Österr. Gesch. t. II, p. 552.

qualia sunt Theobaldi

Primus est Theobaldi Physiologus[1], quo duodecim selecta e prisca sylloge capitula metrice exponuntur, demtis quæ insulsiora visa sunt, et addito brevi commentario, sed qui metris recentior videtur. Theobaldus vero [al. *Theoladus, Cibadus, Thetbaldus*], modo Senensis dictus, modo Placentinus episcopus, oriundus videtur e Longobardia, in eoque vixisse tempore quum, Constantini Africani fama florente, in indagationem rerum naturalium Itali non pauci incumberent.

100. Marbodi,

Alius est libellus pariter metricus, *de Lapidum virtutibus*, sæpe sine auctoris titulo, quandoque sub Evacis, plerumque sub Marbodi (aut *Mathodi*, aut *Merbodi*) nomine editus. Auctori vero quem certius designare non ausim, prælucebat Evacis quoddam σύνταγμα a libello Damigeronis nostri diversum. Quos generatim sibi auctores fuisse indicat, singulis tamen nomina vix umquam apponens, notavi Plinium, Solinum, Priscianum, Theophrastum et Aristotelem, cujus Lapidarium, numquam impressum, J. Beckmann, diligentissimus libelli Marbodiani editor, magnopere desiderabat[2]. Marbodo solent accenseri alii de XII lapidibus sacris rhythmi aut versiculi, quos referunt codices longe ipso vetustiores, sed a simili Epiphanii libro certe deducendos. Tum ab eodem recto tramite venit vetustissima versio quadruplex in præcipuis altæ antiquitatis idiomatibus vernaculis, gallice scilicet, saxonice, danice et italice scripta, neque id modicam dignitatem Marbodiano libello confert[3].

101. Pseudo-Macri sive Odonis,

Tertius denique ejusdem quasi familiæ est. Sed ille æque ac præcedens, fere totus in physica rerum enarratione, ut vix a summis labris symbolica prælibet. Satis splendido nomine inscribitur, Macri videlicet Æmilii, Maronis amici, cujus opera dolendum est ætatem non tulisse, quum illis uberrimæ animalium, avium, plantarumque proprietates continerentur. Dudum vero annotarunt, alia prorsus vena fluere Pseudo-Macri librum *de Herbis*, quem juxta fidem duorum bonæ notæ codicum, Parisiensis unius in quo Odoni cuidam ascribitur, et alterius Dresdensis qui disertius nomen Odonis Magdunensis enuntiat[4], certo putem esse auctori restituendum, certeque Gallico, ut ex herbarum nominibus constat, seu ille sit, ut cuidam placuit, Otto Morimundi, sive, ut

(1) *Theobaldus*. Ita in plerisque codd. *Thetbaldus italicus* in Harleian. 3093, sæc. XI. Theobald. *Physiol.* in Arundel. 243 et 506. *Theoladus* in Leydens., sæc. XIII. *Cibaldus* in Basileensi, *Hildebertus* in Andegav., 707, et alias *Filibertus*, ex amanuensium incuria aut catalogorum sphalmate, eo videlicet quod proxime Hildeberti carminibus accedere solet. — (2) *Desiderabat*. Propediem, nisi fallor, edendus a Cl. v. Bormans, ex codice Leodiensi 77, variis hujusmodi libellis referto : quorum ut gustum habeas, en paucula : « Incipiamus, in nomine Domini qui est sine principio et sine fine, pulchritudinem libri magni Aristotelis et doctrinam quæ superat doctrinas omnium aliorum philosophorum ... nam in eo est complementum philosophorum qui tractaverunt de lapidibus pretiosis et aliis non pretiosis, et de lapidibus claris, et aliis non claris. Hunc librum fecit magnus Aristoteles, filius Nicomachi, magister Alexandri Magni regis, Philippi Macedonum filii. Et ego transfero ipsum ex græco sermone in idioma suorum vel Syrorum, etc. » Marbodi *Librum de gemmis*, ed. aux. et illustrav. J. Beckmann, Gott., 1799. — (3) *Confert*. Versionem Gallicam dedit Beaugendre in suo Hildeberto, p. 1677. Saxonica exstant in Cott. Tib. A, 3. Henricus Harpenstreng, circa a. 1244, danice transtulit, italice vero Eucherius Bencivennius; cf. Choulant, *Handb. der Bücherkunde*, Leipz., 1841, p. 244. — (4) *Enuntiat*.

et Hugonis Lugdunensis libri.

ferunt codices, Otto Magdunensis (*de Meudon*). Æquo pede alter ejusdem ætatis viam trivit, quem unus codex Turonensis, sæc. XII, mihi legendum obtulit. Is est magister Hugo Lugdunensis, hactenus ignotus ἁπλῶς, qui fusiore argumento disserit *De virtutibus herbarum*. Diligenter veterum fontes adiit, nec eum piguit nomina proferre, pleraque tamen ex Plinio, inter quæ raptim excipiebam Dioclem *de Alliis*, Plansagoran (sic), Themeson *de Plantaginis viribus*, Hippocran, Asclepium, Palladium, Walafridum Strabum[1], Galenum, Xenocratem, Dioscoridem, Pythagoram, Catonis et Chrysippi *de Caule* libellos, Philonem *de Helleboro*, Olympiam Thebanam, Apollodorum, etc.

102. Nonobstantibus Bernardi querelis,

Sed hisce libris de lapidum et herbarum virtutibus defuit prudentis censoris manus quæ in Theobaldi Physiologum XII tantum animalia, eaque prorsus innoxia induxit. Verum eo jam perventum erat, ut irrumperet physiologorum turma in omnem Ecclesiæ campum, eorumque ἰκονισμοί, qua picturis, qua vitreis fenestris, qua belluatis et conchyliatis tapetibus, qua columnarum capitellis ædiumque sacrarum sculpturis, passim offenderent. Frustra omnino fuit vel animosior eloquentissimi Bernardi zelus, quum ea in bonis Cluniacensibus, quæ per Ecclesiam liberrimo jure fiebant, adeo acriter reprehenderet, totumque Physiologi gregem, incaute et candide in claustri Cluniacensis, ut videtur, parietibus depictum, censoria virga exagitaret[2] : « Cæterum, ait, in claustris, coram legentibus fratribus, quid facit illa ridicula monstruositas, mira quædam deformis formositas ac formosa deformitas? Quid, ibi immundæ simiæ [cf. *Physiol.* cap. LIV, p. 370]? Quid feri leones [ib., cap. I]? Quid monstruosi centauri [cap. XV, *de Sirenis et Onocentauris*]? Quid semihomines [cf. *de Satyris*, c. LVIII]? Quid maculosæ tigrides [*Phys. arm.* cap. XXXV, p. 396]? Quid milites pugnantes? Quid venatores tibicinantes [cf. cap. XXV, n. 2 *de Unicorni*]? Cernitur hinc in quadrupede cauda serpentis [forte *gryphonis*]; illinc in pisce caput quadrupedis [an *hydrippus?*] Ibi bestia præfert equum, capram trahens retro dimidiam. Hic cornutum animal equum gestat posterius [*rhinoceros?*] Tam multa denique, tamque mira diversarum formarum ubique varietas, ut magis *legere* libeat in marmoribus quam in codicibus. »

In eo quod ultimo ait sanctus ille vir, sui ipsius emendator erit aptissimus, si emendatione indigeat; immemor forte novissimam hanc suam et Gregorii Magni esse sententiam, « hoc scilicet idiotis præstare picturam cernentibus, quod legentibus scriptura; » immemor a crepundiis Ecclesiæ inter areopagitica dictitari aptiores esse, ad sublimia Dei referenda, vilium quam nobilium rerum formas, ut minus sit archetypon cum typo confundendi periculum; immemor denique eorum quæ modo ab ipso dictante accepimus, de miranda et misera hominum conditione, imaginibus indigentium.

103. certatim omnes in physiologum incumbere.

Ut ut fuerit, ante et post Bernardum, numquam defuerunt exempla, neque insignia nomina, vel Cisterciensium, quibus magis ac magis Physiologus commendaretur. Vix enim unum est ex illius capitulis quod non fuit ab Honorio Augustodunensi in *Speculum Ecclesiæ*[3] invectum;

Paris. 8454. — (1) *Strabus.* In Herbario, de quo paulo supra. — (2) *Exagitaret.* Epist. ad Guillelm., *Opp.*, t. II, 539 sqq. — (3) *Ecclesiæ.* Nuper recusum post unam

cuncta ex illo inde et uberius repetenda sive in sexcentorum homiliis, sive in Herradis abbatissæ *Horto deliciarum*, sive in Hugonis S. Victoris quæ ferebantur *Monasticis institutionibus*. Non abstinuere gravissimi viri, quum exstet : « Urbanissimi Domni anglici, Domni Roberti Lincolniensis liber *de* VII *vitiis capitalibus*, cum venenosis animalibus comparatis [1]; » neque piissimi, quum in libello eximiæ asceseos referto Joannes Institor XX avium pennas et colores intexuerit [2]. Certamen denique est quis et quali nomine jureve ediderit Bestiarium, Volucrarium, Lapidarium, ut Galli sibi vindicent [3] Hugonem de Folieto, Alanum Insulensem, Joannem S. Ebrulfi, Guillelmum Peraltum, Guillelmum Clericum, Richardum a Furnivalle; Angli vero Ph. de Thaun [4], Alfredum, Odonem Shirtonianum, Richardum Roso, Jo. Cornubiensem, Gualterum Cambricum, Th. Walleys, Jo. Ludgate; Germani autem et Batavi, Cuonradum a Mure, Henricum a Cruce, Guillelmum Utenhovium, Florinum [5] nescio quem, Albertum Magnum, Arnoldum, Hugonem Præmonstratensem; Moravi, Janum Dubravium; Hispani denique, Bartholomæum a Bragantiis [6]. Quæ igitur ætas umquam illuxit Physiologo splendidior? Sed ex illo ipso splendore quantæ in rem symbolicam offusæ tenebræ!

104. Quid res symbolica inde detrimenti ceperit,

Ut enim ad Bernardum revertar, exemplum habes ne immoderatam quidem sanctæ animæ querelam temnendam esse. Vaticinium enim illud erat multorum damnorum quæ mox in Ecclesiam ex prava rerum naturalium curiositate et perversa pictorum licentia a Bestiario derivarunt. Id enim argumentum, posthabita veterum monachorum prudentia, neoterici artifices, plerumque laici et sæculi libidinibus immixti, nonnumquam occultis et perversis asciti sodalitiis, tam promiscue usurpa-

editionem ex codice sæc. XII, Ottenburano, cur. Mign.—(1) *Comparatis.* Cod. Brugens. 119.—(2) *Intexuerit.* Sæpe ad eum provocatur in capite nostro VIII *de Avibus.* — (3) *Vindicent.* Cf. infra p. 101, et ad singulos fere Fabricium aut Oudinum aut Caveum. Perpauca addiderim : Alani bestiarium contineri in quæstionibus quibusdam naturalibus quas obiter excerpsimus infra p. 55, cl. v. Hauréau nuperrime visum est (*Athenæum*, 1853, p. 683), quæ quum a similibus libellis toto cœlo distent, potius eas accenseam cæteris libris *de Rerum natura*. De Richardo a Furnivalle disseruit P. Paris. in *Bibl. de l'École des chart.*, t. II, p. 32. Cf. *Notic. et extr. des mss.*, t. V, p. 277. — (4) Philippum de Thaun, edid. Th. Wright in *Popular Treatises on sciences*, etc., Lond., 1841. Gualterum Cambricum, abbatem Morganensem, scripsisse *de animalibus et avibus*, refert Pol. Leyser, p. 988. Ipse Thomas Walleys [1340] librum suum *de Natura bestiarum cum moralizatione*, Echardo videtur memorasse in prooemio allegorici commentarii in Ovidium, t. I, p. II, n. 663. Vixit J. Ludgate, a. 1440, sed et recentius J. Dubravius, quibus ludentibus, opinor, excidere, illi quidem *Parliamentum volucrum*, huic vero *Concilium animalium*.—(5) Florinum quem ex unico Lipsiensi codice Leyser excitavit, valde suspicor esse, uti Hildeberti Physiologum, relegandum in librariorum menda, quum non pauci libelli inscribantur *Floretus* et *Florinus* [codd. Paris. 8429, 8434, 8435, S. Vict. 464, etc.], quibus cum miscellaneis et Theobaldi versus ἀνεπιγράφους, perinde ac cum Hildeberti poematiis, temere immiscuerint. Henrici Cisterciensis est codex Vindob. Dogm. 568. De Alberico, de Arnoldo vide quæ mox notantur. Conradum a Mure Arundelianus 376 asservavit. An ejusdem tractatus alphabeticus fratris Conradi, *de Gemmis et Lapidibus*, apud Montfauc. inter Vindobon. n. 30? — (6) *Bragantiis.* Auctor nobis est Echardus ad a. 1270, Bartholomæum de Bragantiis librum *de Animalibus* ex multis collegisse et composuisse.

vere, cuncta susque deque ita subverterunt, ut vel a sæculo XIII, jam fugerit pene theologia symbolica a levioribus basilicarum, altarium, librorumque choralium ornamentis. Viret enimvero ubique luxuriantium arbusculorum, fruticum, vineolarum et florum ubertas; discurrunt hac illac omnis generis animalia, aviculæ volitant, exagitantur venatores piscatoresque : sed ludicra plerumque sunt, et oculis data spectacula. Quæ utinam fuerint eadem castis oculis innocua, digna Christianis! Sed uno exemplo nimium confirmetur et Bernardina querela, et quod superius a nobis de funesto Physiologi exitu propositum fuit. Quid enim non dicturus Bernardus erat de hoc unius lineæ nostræ in immensum incremento ad describendas vulpeculæ fraudes? quod profecto neque in meliorum morum, nec in humaniorum litterarum bonum processit [1].

105. sed et præsertim ob spuriorum molem temere invectam,

Nolim a me non observatum, eadem, in hac veteris physiologiæ depravatione, inter christianos accidisse, quæ de ejusdem ortu apud Alexandrinos antea retuli. Qualis enim olim, post Alexandri Magni per orientem bella et itinera, talis animos incessit, peractis præcipuis bellorum sacrorum expeditionibus, rerum novarum et incredibilium vesania, ne magia quidem excepta, neque alchymia, sed nec astrologia stolidissima. Ecce tibi sunt Ptolemæorum instar Germani illi Cæsares [2], certe in librorum græcorum et arabicorum, maxime hujusce argumenti, versiones promovendas promtissimi. Quibus vero Mæcenatibus, eorumque æmulis Anglorum, Arragonum, Gallorum regibus non satis erant genuina Aristotelis, Hippocratis, Dioscoridis opera, quin spuria iisdem, sed et Pythagoræ, Platoni, Hermeti, Æsculapio, Ptolemæo, Cleopatræ, et Christianis sacrisve auctoribus, Salomoni [3], Abrahæ, Cypriano, Augustino, Hieronymo, et ipsismet recentioribus ac pene superstitibus Hildegardi, Alberto Magno, Thomæ Aquinati audacter ascripta, plenis amplexibus acceptarent. In illa igitur ætate Cæsarea Germanorum, quum maxime in eorum regione, tum in cæteris ad septentrionem vergentibus, diu ante Byzantinorum in Italiam adventum, physiologiam una cum omni re symbolica misere fuisse depravatam, existimandum est.

106. quæ anonymus anglus deplorat.

Sed audi post Bernardum anonymum quemdam, Anglum forte et Cisterciensem, ingemiscentem diserte et luculenter asserentem quæcumque statuenda mihi erant, in prooemio eximii opusculi de imaginibus in Ecclesia pingendis, quod e codicibus anglicanis spero fore ut eruatur et publici juris fiat [4] :

(1) *Processit.* Vix satis consuluere tum fabellarum levitati, tum operis sui ponderi conscriptores Historiæ litterariæ nostræ, quum amplissimam sedem quam vix summis theologis aut philosophis concesserunt, iis et id genus næniis in suo tomo XXII nuper fecerunt. A quibus tamen vellem non esse omissam, quæ certe non foret otiosa, *Baldoini cæci apologiam de actibus Hysengrini :* ita fert in codice Sorbonensis bibliothecæ, sub n. L, fol. II, Richardi de Furnivalle *Biblionomia*, quem quidem catalogum a cl. Præside Ph. Lebas diam in lucem produci, neque vana spes est, nemini jucundum erit. Certe non pauca excitaturus est suspiria inscriptus in eo *Tullii Hortensius* aut *Lucullus!* Nec minora Hermannus *in Euclidem*, Moderatus *de agri Mensura*, etc.—(2) *Cæsares.* Friderici II noti sunt libri *de re accipitraria* et ejusdem jussu edita translatio librorum Aristotelis *de Animalibus.* — (3) *Salomoni.* Cantipratanus studiose edidit epist. Aquilæ, Symmachi et Theodotionis *ad Ptolemæum* regem *de Avibus nobilissimis.* —(4) *Fiat.* Primos evulgavit cl. v. Thom. Phillips e codice suo, sæc. XIII, in catalogo Mediomontano, ad n. 11059. Sed suspicor non deesse alios codd. anglicos.

Dolens in sanctuario Dei fieri picturarum ineptias, et deformia quædam, portenta magis quam ornamenta, optabam, si fieri posset, mentes oculosque fidelium honestius et utilius occupari. Quum enim nostri temporis oculi non solum vana, sed etiam profana sæpius voluptate capiantur, nec facile putaverim inanes ecclesiæ picturas hoc tempore posse penitus abrogari, præsertim in cathedralibus et baptismalibus ecclesiis, ubi publicæ fiunt stationes, excusabilem arbitror indulgentiam, si vel ejusmodi picturis delectentur, quæ, tamquam libri laicorum, simplicibus divina suggerant, et litteratos ad amorem excitent Scripturarum. Siquidem, ut pauca tangamus de pluribus, quidnam decentius est, quid fructuosius speculari, circa Dei altarium, aquilas bicipites, unius ejusdem capitis leones quatuor, centauros pharetratos, frementes acephalos, Chimæram, ut fingunt logici [physiologi?], fabulosa vulpis et galli diludia, simias tibicines, et onos liras [ὄνου λύρα?]. Vel certe contemplari gesta patriarcharum, legis cæremonias, præsidia judicum, typicos regum actus, certamina prophetarum, Macchabæorum triumphos, opera Domini Salvatoris, et jam coruscantis evangelii revelata mysteria? Nam adeo augusta est veteris ac novi testamenti series, quatinus honestum et utile postponentes, in adinventionum turpitudine, numeros, ut aiunt, jocosos effundamus. Sed hæc fantasmatum ludibria paulatim introduxit pictorum nefanda præsumtio, quam utique tanto tempore non debuit ecclesiastica gravitas acceptasse. Nam acceptare visa est, quod reprehensibili non desinit sustinentia tolerare. Ad moderandam itaque pictorum licentiam, immo ad informandam eorum operam in ecclesiis ubi pingi permittitur, digerit præsens calamus adaptationes quasdam rerum gestarum ex Vetere et Novo testamento cum superscriptione binorum versuum qui rem gestam Veteris testamenti breviter elucidant et rem Novi convenienter adaptant, etc.

107.
Sunt aliæ causæ tres cur symbolica disciplina abierit :

1° Nova argutandi methodus;

Finem dicendi imprudenter fecero, nisi prius tres alias causas, præter immoderatum Physiologi usum, easque generaliores ac præcipuas, quibus breviter a Bernardo ad ætatem fere nostram ultima declinantium symbolorum historia absolvetur.

Primam eam esse dixerim quæ, desertis veterum monachorum gymnasiis, spretisque classicorum auctorum et Patrum de verborum penitiori indagatione ac religiosa traditione disciplinis, irrupit in publicas et novas academias vesana distinguendi et argutandi libido, quæ primo Cornificiorum dicta est, tum Scholasticorum [1]. Exinde enim moveri plerique symbolorum termini : quæ non nisi e sacris Scripturis accipiebantur, tantum ex illa non sumi; quæ exempla parce erant, ex omni parte ad fastidium usque, ut verbo eorum utar, « mysticari; » neque solum sacra et biblica rerum naturalium elogia ex universis partibus torqueri in allegoriam, sed quidquid oculos, manus, immo cœlum subiit, in *moralisationes*, ita rursus aiebant, evadere. Adde quæ in his temporum intervallis, sive e græcis fontibus hausta, sive e turbatis Arabum rivulis, neque semel a male olentibus Judæorum puteis, orbem inundarunt veteris physiologiæ volumina. Paucis a sæculo XIII incepto annis, ea ingruebat copia Speculorum, Distinctionum, Summarum de rerum naturis, ut Thomas Cantipratanus, post quindecim improbi laboris annos, ægre absolveret XIX suos ejusdem argumenti libros [2], ex Galliæ, Germaniæ et Angliæ codicibus compilatos;

(1) *Scholasticorum.* Vide Stephani Tornacensis et Humberti de Romanis quærimonias de grammaticarum disciplinarum ruina, et Godofredi S. Victoris versus minime illepidos de novis et tumultuosis Porretanorum, Albricanorum, Parvipontanorum et Robertinorum scholis Parisiensibus, in Dissert. cl. v. Lebœuf (*Hist. ecclésiastique et civile de Paris*, 1739, p. 253 sqq.) — (2) *Li-*

ut Vincentius Bellovacensis et Bartholomæus de Glanvilla vix potuerint, ille suum *Speculum naturale*, hic vero *Proprietates rerum* immensis tomis circumscribere.

Hæccine moles in symbolicam disciplinam tota recidet? An erit uniuscujusque ad plebem concionantis hoc volvere saxum, immensis insuper oneratum allegoriis? Ita voluere [1]. Sed quis animum induxerit v. g. triplicem illam Vincentii Bellovacensis fabricam ita posse in tropos converti ut e singulis commatibus *Speculorum naturalis, moralis, historialis* exsculpantur concionatoriæ allegoriæ? Fuit enimvero artifex ille; fuit novi orbis lator et Atlas alter, Petrus Berchorius Pictavensis, e nostris quidem unus, jam pene e monasticarum scholarum magistris ultimus. Quid, quod intra Vincentianum opus pressus et exæstuans, longe amplius sibi præstitit pomœrium? Habuit quoque triplex : primum, brevius circumductum, dici jussit *Reductorium morale :* redegit enim illuc in quatuor et decem libros universas quas Vincentius novit rerum proprietates; sed in quinto et decimo de suo addidit quæ omisit Bellovacensis, innumera poetarum figmenta, totum orbem fabularum. In sexto demum et decimo edidit, quas a Rabano et Comestore historicas Scripturarum figuras mutuatus est. Hisce igitur omnibus et singulis sua attexitur allegoria : et hoc quidem primum illi erat *Reductorium* seu Breviarium. Tum fusiora repetiit eadem, novoque juxta litteras ordine singula digessit, idque appellari voluit *Repertorium morale.* Et hæc ad quinque spissa volumina solent assurgere. Ecce tertium opus meditabatur, *Inductorium morale*, in quo, non jam aridis dialecticæ aut litterarum elementis, sed sua usus potius, ut ætas tulit, facundia et grandiloquentia, cuncta ad concionatorum commoditatem exornaret; at consilium est morte interceptum [2].

bros. Fore ut eos in lucem det, spem fecit idem Bormannus, hoc opus rarum esse ratus et quantivis pretii. Septem enim tantum codices cognitos esse declarat in laud. dissert. quibus tamen lubet addere duodecim alios quos aut manibus terere obiter aut nosse certo contigit, Paris. 6286, 6590, 6838 A; Sorb. 633; S. Vict. 871, 907; Mazarin. L. 1270, Carolopolitan. unum, unum Argentoratensem, Merton. 68, Taurin. 460, 470, Arundel. 198. Verum illis aliquando initium, plerumque nomen auctoris deest : quem et Cantimpratensem et Cantipratanum quum viderim appellatum, suaviorem elegi lectionem. — (1) *Voluere.* Non displiceat eumdem audire Cantipratanum : « His ergo scriptis si quis studium habuerit, argumenta fidei et correctionis morum, integumentis mediis sufficientia reperiet, ut interdum, prædicatore quasi e vestigio Scripturarum apte digresso, cessantibus eloquiis prophetarum, ad evigilationem brutarum mentium, occulta fide creaturarum, testes adducat, ut, si quæ sæpius audita de Scripturis et inculcata non movent, saltem nova more suo pigritantium aures demulceant. » Vide aperte deseri Scripturæ et traditionum viam, ut profanæ philosophiæ lenociniis tepidi et fastidiosi auditores captentur. — (2) *Interceptum.* Neque illa spissa librorum moles deterruit sive amanuenses, sive typographos, sive translatores : numerantur editiones duodecim ab anno 1474 ad 1692, quarum nulla est omnibus perfecta numeris; integriorem vero e Reductorio et Repertorio in duobus tomis constantem eruditi Sanvedastini monachi in suo Duacensi collegio procuraverunt. In schedis habeo recensitos codices XVI, qui prægrandia volumina 28 efficiunt; quidam aut auctori sunt æquales, aut archetypi characterismos exprimunt. Ad calcem Parisiensis exemplaris, inscripti *Supplem. lat.* 10, tabula *Repertorii* dicitur ab auctore in curia Romana Avenionensi exacta a. 1340. In alio codice [*Gr. August.*

Quo vero facilius digito tangatur scopulus in quem allisa omnis fere Theologia symbolica corruit ac dissipata est, mox elenchum retexam variarum hujusmodi Bibliothecarum symbolicarum, ab Encyclopædiis sæculi XIII ad novissimam Cervarii Laureti, æque Ordinis nostri, *Silvam allegoriarum*, qua nondum immensa illa tantæ molis opera clauduntur. Ea forte fuit optimi Dei providentia, ut, quum fieret in istis turribus ædificandis altera linguarum confusio, eodem tempore scholasticorum sermo novus nasceretur, asperior sono, sensu rigidior, ferreus quidem et quasi æneus, sed quo fieret armatura fortium, antequam conderentur novorum hostium imbellia tela, ut inconcussa maneret, quæ sive veterum symbolis, sive recentiorum syllogismis, semper vicit Veritas.

108.
2° nova in sacris perturbatio Lutherana;

Venere igitur antiquarum traditionum contemtores acerrimi, quorum impetu et ictibus iterum a fundamento concussa est vetus symbolorum disciplina, quæ, quum jam mole sua fatisceret, vergit eo promtius in interitum. Sed notanda quædam lex et conditio quasi necessaria in hujuscemodi ruina : visum enim est symbola in schismate superfuisse aliquando, in hæresi nusquam : quanto minus in illa omnium hæreseōn colluvie quæ per antiphrasim Reformatio dicta est. Huc enim venit quod antea, angustiis coarctati, silentio premimus, ut, quum fere nihil de hæreticorum pseudosymbolis diximus, illud nunc paucissimis absolvamus : videlicet cum supremo cujusque privati ingenii criterio nullam stare posse theologiam symbolicam; quippe quum, posito tali fundamento, neque theologiæ, nec adeo quidquam symboli concipi potest inde substructum. Theologiæ enim desint duo necesse est, sine quibus nulla umquam erit, et antiquæ de Deo sententiæ et communes. Verum nihil

41-45], legitur in fine tomi III : « Explicit labor *Reductorii moralis* quod in Avenione fuit factum, Parisiis vero correctum et tabulatum a. Domini 1342. » Ad calcem vero tomi IV : « Explicit 3ª pars et ultima *Repertorii moralis* et per consequens totum Repertorium morale cum suis additionibus et supplementis, locis suis, ut decet, ordinatis, factum a fratre Petro Berchorio, priore Sancti Mauri Fossatensis, monacho O. S. B. de Pictaviæ partibus oriundo. Quem quidem librum complevit supradictus frater Berchorius a. D. 1359. » Sed Berchorio non deest versio gallica, quam adornavit Richard. Leblanc, ediditque Parisiis, 1584, 8°. Auctor aliquando ascitus fuit vice cancellarii in familiam Petri de Pratis, episcopi Prænestini et cardin. E. R., cui dicavit opus, et cujus stemma gentilitium videre mihi videor in cod. *Suppl. lat.* 9, quem archetypon inde fecerim. Sed Berchorii personam amplificat alia viri famosissimi consuetudo, Francisci de Petrarcha, ad quem in prologo libri XV nondum editi, de poetarum fabulis, magnis cum laudibus ipse provocat. Ejusdem plura laudantur opera quæ expendendi alia erit occasio. Ab illo incipimus recensere et cogere in continuum numerorum ordinem ad finem harumce notarum, auctores varios quos in hujusmodi libris offendebam, raros non semel aut plane incognitos. Collectanea vero in primis eligemus quæ peculiarem sibi fecerunt viam et exquisitiores libros exciverunt, nec nos nisi partes quasdam evolvere, quis enim omnia? angustiæ loci permittent. In prologo igitur præfati libri XV *Reductorii*, Berchorius sibi præluxisse monet : 1. Fulgentium [Planciadem], 2. Alexandrum [Pseudo-Callisthenem], 3. Rabanum [ex libro incognito], 4. recentem Anonymum [an Albericum?], et 5. gallicum quemdam auctorem [certe Philippum de Vitriaco, ms. 6986, in-fol. Bibl. Par. Rev. d'arch. sept. 1874] : « Qui ad instantiam Joannæ quondam reginæ Franciæ, » idem argumentum rhythmice tractavit. In libris VII, IX et X, *de avibus, piscibus et animalibus*, auctores illi præcipui sunt, præter eos quos

commune, ubi quisque sui juris est; nihil antiquum, ubi majorum nulla lex, immo ubi ne ab hesterna quidem tua opinione hodiernam regas. Tunc necesse est symbolis deesse pariter suam substantiam, sive externam, τὸ ῥητὸν, id est vocabulum communi et inveterata significatione declaratum, sive internam, hoc est τὸ μυστήριον, quum serius ociusve extra veritatis lumen in fumum et noctem evanescat sincera mundi mystici seu supra hominem positi fides et notitia. Dato igitur consilio, non temere aut casu, mihi contigit tum a veterum tum a recentiorum hæreticorum symbolis, in hac longa satis historia, abstinere prorsus. Mox enim ab illis uno aut altero saltu meta attingitur: primo, a communi et antiqua traditione symbolica, transeunt ad singulares opiniones; deinde, misere abrepti fatali quodam in circulo, pedibus eunt ad naturalia, ad ultimas gentilium mystagogias, aliquando et fœdissimas. Exemplum habes in novissima, ut aiebant, Reformatione. Prima quidem fuit illi epocha symbolorum singularium, quæ Cocceiana fatuitate repræsentatur, quum id sibi nonnulli Protestantium theologi, quibus non erat nisi symbolorum ἀντίκλεις, finxerunt, nihil omnino poni in toto veteris legis corpore quod non debeat in novi fœderis allegoriam, et juxta singularem cujusque viri divinationem, refundi. Ætas altera nostra est, quæ protulit recentes mythologastros, quibus sive gentilium aut christianorum, sive sacrorum aut profanorum symbolorum una jam clavis est, pura putaque natura, quæ est enimvero absolutissima totius symbolismi profligatio.

Non neminem audio aientem : me longe opinione falli, postquam rei symbolicæ criterium tutissimum et antiquissimum, in solo Dei verbo, ea quæ dicta est Reformatio invexit, restituit, vindicavit. Belle quidem! Sed, ohe! tu mecum considera, teste jam orbe universo, non dogmaticum modo et ethicum sensum Scripturæ, vel in rebus saluti maxime necessariis, sed tibi ipsummet historicum pessumdari. Quæ ergo jam erit in rerum gestarum allegoriis incolumitas! Næ, tibi sit primum fidei symbolum, et erunt typorum arcana symbolica. Sint mysteria cœlitus data, et de mystica theologia meditaberis. Sit Deus, sit Christus, et tunc de symbolo hiscere verbum permitteris. Sed agedum, data sine traditione Scriptura, aut omnia erunt allegorice capienda, et Cocceium nobis restitues; aut illa tantum, quæ ex arbitrio elegeris, et cur illa? Verbo, aut insulsa erunt symbola, aut nulla.

109. 3° novissima Jansenistica hæresis.

Tertius deinde vel intra orthodoxorum terminos et ab Ecclesiæ cancellis irrupit hostis, longe cæteris astutior, infestiorque rei symbo-

in similibus Vincentii Bellovacensis tractatibus nos alias [p. 100], longo ordine invenimus, quorum plerosque is ab illo accepit: 6. Albericus, 7. Andelinus [Aldhelmus], 8. Aristoteles [*de charadrio*], 9. Magister *Auroræ*, 10. Cicero, 11. Chrysostomus, 12. Galenus, 13. Hilarius, 14. Hugo [*de Folieto*], 15. Lucanus, 16. Macrobius [*de Lapidibus*], 17. Martianus [ex Thoma Cantipratano], 18. Ovidius, 19. Petrus Alphonsus, 20. Philologus [constanter pro *Physiologus*], 21. Sigibertus, 22. Theophrastus, 23. Vincentius Bellov., 24, 25. Jacobus, Joannes et Philippus de Vitriaco. In libro XI *de Lapidibus :* 26. Albertus, *de Mineralibus*, 27. Augustinus, 28. Basilius, 29. Bernardus, 30. Constantinus, 31. Dioscorides, 32. Gregorius M., 33. Hermolaus in *Corollariis* ad Vincentium, 34. Hieronymus, 35. Hortus Sanitatis, 36. Isidorus, 37. Josephus, 38. Lapidarius, 39. Magi, 40. Marbodus, 41. Platearius, 42. Plinius, 43. Solinus, 44. Seneca, 45. Thomæ enarrationes in Pauli epistolas.

licæ. Ut enim sine lacte moriatur necesse est infans recens natus, marcescat sine rore flos, sine medulla contabescant ossa, ita symbolorum succus est sacra liturgia; medulla, religionis integritas; lac et cibus, pia et firma rituum consuetudo. At, velis, nolis, fuit inter nos hæresis quæ inter plura illo egregie mactata est elogio, eam esse *antiliturgicam;* eam et ego dixerim, verbis sit venia, *antisymbolicam.* Etenim et hic dies et volumen hoc mihi deficient, si totam tragœdiam, quatenus mea est, enarraverim. Hoc unum velim tibi strictius observatum : si libros evolveris qui a duobus sæculis agunt de historia Ecclesiæ litteraria, ne unum quidem, et expertus dico, inveneris scriptorem, qui, quotiescumque occurrerit perpetua illa Patrum methodus allegorica, et centies occurrit tum in Scripturis exponendis, tum in tuendis dogmatibus, tum in rudibus instruendis, nullus est, aio, qui non statim erumpat in cachinnos, qui non sannis et scommatibus nænias illas veterum explodat: criticos illos videres, longo agmine, alios aliis morem gerentes, sed heterodoxis catholicos, quasi impositam redhibentes personam, allegorica certatim irridere. Hoc ludibriorum vulnere longe exitiosius quam ullo alio telo confossa est veneranda illa arcanorum Theologia. Sed vide rursus quomodo suo validiori telo semet error confodiat. Illis, inquam, delicatulis et κριτικωτάτοις, quibus grave erat aniles Patrum moralitates vel olfacere, fuere, ut eorum verbis utar, *Figuristæ,* minime a sacris oraculis, sed a mulierculis fœde tripudiantibus extundentes vaticinia. Hac enim insania totum sæculum proxime elapsum personuit.

110.
Quibus ex causis sublatam symbolicam theologiam,

Ex hoc demum discessurus argumento, vereor ne videar theologiæ symbolicæ aut acerbius deploravisse fata, aut citius et minus caute funera pene instruxisse. Absit enimvero desperantis cujuscumque sententia, existimantisque actum omnino esse de præclara illa disciplina quæ per duodecim ævi christiani sæcula præ omnibus floruit, quæ quum vel in aliam iret minusque secundam sequentis ævi tempestatem, per tria certe sæcula innumeros exque optimis et e præstantissimis sibi comparavit patronos; quæ, etiam quum indicto in veterum arcana et mysteria bello totus orbis conflagraret, quasi concilii Tridentini commendata est encomio, quum illa sit in catechismum Romanum inserta sententia [1], « magnam vim habere hujusmodi figuras ad excitandos fidelium animos revocandamque rerum pulcherrimarum memoriam.» Unde tanti pretii fuit exquisitissimis sacræ synodi interpretibus et vindicibus, sanctis videlicet Carolo Borromæo [2], Francisco Salesio [3], ut eam ille monitis et peculiari tractatu censeret inculcandam, hic vero eamdem suo perpetuo usu et exemplo consecraret. Jam vide an citra impietatem dicere cuiquam liceat eam periisse Scripturæ sacræ expositionem quæ non vivit modo æternumque vivet in omnium Patrum libris, sed quam in perenne fidei robur et errorum novissimorum perpetuam confutationem manere mansuramque omnino credendum est. Etenim, ut cum

quam commendant summi et sancti doctores,

(1) *Sententia.* Cf. *Catechism. rom.*, c. x, n. 8. — (2) *Borromæo.* Vide quæ infra notantur ad Hieronymi Laureti Silvam allegoricam. — (3) *Salesio.* Penes me sunt candidæ illius et altissimæ animæ verba non pauca, ex illius ore excepta diligenter, necdum in vulgus emissa; quæ simillima sunt cum ejusdem aliis jam bene multis, e physiologo ad sublimiora theologiæ mysticæ arcana accommodatis.

hodierno theologo non ultimi certe subsellii loquar [1], falsum est quod facilius et communius dictitatur, non nisi e litterali Scripturæ sensu efficax duci argumentum. Nec id, ut plures volunt, docuere sive Augustinus ad Vincentium Rogatistam [2] sive Thomas in Quodlibeticis [3], quum neuter in allegatis locis, liquido agat de sensu mystico, quum, etsi detur agi, neuter universe neget valere in controversia finienda statuendove dogmate sensum mysticum, sed tantum quando « non habentur manifeste testimonia quorum lumine illustrentur obscura, » scilicet quando sensus ille mysticus ex probatis auctoribus et idoneis non deducitur. Haberi vero testimonia eaque ex probatissimis auctoribus, saltem per duodecim priora, quæ sunt proprie sæcula patrum, evicimus, eademque in sequentibus nedum dixerimus deficere, immo ad cumulum et abundantius suppetere conquesti sumus.

quam sacra tuetur liturgia,

Denique illud est invictum spei argumentum, etiamsi nimirum symbolicæ theologiæ mundus deesset, jam illi templa christianorum superfutura ; illic eam, vel ab orbe universo exsulem, confugium habituram et certum domicilium. Erit enim hæc illi arx tuta, hic portus tranquillus, hæc propria civitas, cujus præter eam nulla umquam regina futura est. Hoc demum inviolabile sanctuarium quo incolumis tegenda est et a cæteris discernenda, quum etiam nunc, ut Eucherii sint novissima verba [4], « ne illa cælestium arcanorum dignitas, passim atque indiscrete cunctis pateret, recte procuratum est ut illa eloquiorum Dei castitas a promiscuis cunctorum oculis, abdito suo, quasi quodam velamine pudicitiæ, contegeretur [5]. »

perperam concluderetur.

(1) *Loquar.* Beelen., *Dissert. theol. de multiplici sensu S. S.*, Lovan., 1845. — (2) *Rogatistam.* Epist. 93, t. VIII, ed. BB. — (3) *Quodlibeticis.* Quæst. 7, art. 14. — (4) *Verba.* In procem. Formul. spir. intellig. epist. ad Veranum. — (5) *Contegeretur.* Ex amplissimo proœmio non ego recedam quin, facta demum occasione utcumque opportuna, litteris conscribam quæ certe perenniore velim monumento consecrari. Quantam debuerim impendere operam in excutiendis Parisiensium bibliothecarum codicibus, nemo ullus non clare perspiciet, quando ex indice ad calcem posito noverit in duos modo Spicilegii tomos circiter ducenta latinorum, græcorum, orientalium codicum exemplaria corrogata passim a me fuisse. Id quod nullatenus exsequi potuissem, nisi duo summi pretii munera, ita sane optimo Deo providente, collata mihi essent simul. Unum est quod, ex largissima munificentia cll. Virorum qui præsunt novæ viæ a Parisiis ad Cenomannos usque aut Pictavos ferro stratæ, facultas mihi concessa fuerit omnia alterutrius itineris millia gratis et sine stipe emetiendi; quo fit ut tam cito possim ad typos meos aut meos codices reverti, quam statim, re confecta, ad meos Solesmenses aut in monasteriolum nostrum Locogiacense ad Pictavos confugere. Huic dono cujus mihi profecto dulcis erit et perpetua, uti par est, memoria, accedit aliud quod non minori me persæpe voluptate perfudit, quo videlicet amœnum invenio promteque paratum hospitium, facta insuper ornatissimæ bibliothecæ copia, in Parisiensi seminario S. Spiritus, ut vere a monasterio non umquam recedere mihi videar, quum vel in Urbe, inter eximios piissimi illius sacerdotis ac venerandæ memoriæ Patris Francisci Libermann alumnos ac filios, quasi sub almi Spiritus alis et in Immaculatæ Virginis Mariæ corde et peculiari tutela degam susceptus. Utrumque proin, ut edendo huic Spicilegio æque fuit necessarium, ita nolui penitus meis lectoribus ignorari.

SYLLABUS AUCTORUM

QUI FORMULAS SYMBOLICAS GENERATIM EXEGERUNT.

Auctor	Opus
150-170. S. MELITO....	Clavis.
450. S. EUCHERIUS [*supra p.* XVII, *infra p.* 400].	Formulæ Spiritualis intelligentiæ minores.— Majores — Vulgatæ.
Sæc. v° *Adrianus* [*supra p.* XIX, *t.* II, *Prol. p.* XXII].	Εἰσαγωγὴ τῆς γραφῆς.
593-604. S. GREGORIUS M. [t. III, *p.* XXI, 409].	Formulæ gregorianæ, cujus initium *Aer*, etc.
670. *S. Hildephonsus* [*supra p.* XXV].	Annotationes sive iter post Baptismum.
856. B. RABANUS MAURUS [*supra p.* XXIV, *infra p.* 428].	De Universo. — Allegoriarum biblicar. editio triplex.
1170. Garnerius S. V. [*Hist. litt.*, XIII, 409].	Gregorianum ed. Jo. Picard, Paris., 1608, in-8°.
1180. Adamus Præmonstratensis [*cod. Pict.* 70, t. II, p. LXXXII, *infra p.* 428].	Recensio Melitonis, Rabani *de Allegoriis*, et Hieronymi *de Nominibus hebraic.*
1187. Ferrandus Petri de Fimes [*cod. Ambian.* 108].	Figuræ Bibliorum 2000 pro Saucio rege Arragon.
1197. PETRUS CANTOR [*t.* II, *Prol., p.* XXVIII, *supra p.* XXXII].	Distinctiones *Abel*, Bibliis præfixæ, cod. Harl. 2816; excerptæ, Arundel. 245. —De tropis S. Script.
1200. Absalon, abbas Sprenckeirbacensis.	Garnerii S. V. abbreviatio *Gregorialis*.
1200. ALANUS AB INSULIS. [t. II, *Prol., p.* XXVII, *supra p.* XXXII, *infra p.* 55].	Oculus, sive Summa *Quot modis*, vel *Anima*, ed. s. a. Argentor. Daventr. R. Paffraed.
1215. Alexander Neckam [cod. Merton. 254.	Elucidarium bibl. Corrogatio. Promethei de locis SS.
1216. Stephanus Langton. [Cod. Armam. Paris. 121 A.].	Summa Bibliorum, *Adam, ubi es.* De Similitudinibus : *Nec miles in bello.*
1216. PETRUS DE MORA [*t.* II, *Prol., p.* XXVIII, *infra p.* 489].	Rosa alphabetica, sive Summa de arte prædicandi.
1217. Guillelmus Leicestriensis [*Fabric.*].	Similitudinarium. — De tropis Script. S.
1220. ANONYMUS ANGLUS [*t.* II, *Prol., p.* XXVII, *infra p.* 452].	Distinctiones monasticæ et morales *Altare* [*cod. Mazarin.* P. 1252].
Sæc. XIII. ANONYMI CLAREVALLENSES [*infra p.* 487].	Distinctiones *Angelus.* — Promtuar. ex PP. *Ager.*
1220. Hugo de Miromari [*cod. Paris.* 4148].	Speculum spirituale et canonicum.
1230. S. Antonius de Padua.	Concordantiæ morales S. S.
.. .? Benedictus de Remo [*cod. Avenion.*].	Distinctiones exemplorum moral.
1248. Raynerus de Isorella [*Fabric.*].	Dictionarium var. erud. refertum.
1250. Bartholomæus de Glanvilla [1] [transl. gallice, italice, germanice, sæpe edit.].	De proprietatibus rerum, *alias* allegoriarum sive Tropologiarum in utrumque textum.
1250. Nicolaus Biardus [*Echard; Panzer*].	Distinctiones Theol. et moral. *Absconditur malum.* — Summa de *Abstinentia* : « Duplex est abst. »
— Petrus Canònicus.	Pantheologium [*Fabric.*]
1250. THOMAS CANTIPRATANUS [*supra p.* LXXV].	Liber de naturis rerum, ed. dupl. in codd.
1260. Jacob van Maerland.	*Rijmbibel* [p. XXXV].
1260. Adamus de Marisco [*Lelong, p.* 596].	Elucidatorium S. Scripturæ.
1269. Robertus Keldelith Melrosens. abb.	Florilegium spirituale [*Fabric.*]
1272-73. Petrus de Lemovicis [*cod. Sorb.* 782] [2].	Distinct. a. 1361, *Abraham.* —a. 1363, *Anima, aquila.*
1274. S. Bonaventura.	Biblia pauperum [opp. t. v].
1290. Guido Ebroicensis [*Th.*].	De Clavibus Script. S. in VII Ticonii regul.
1290. MAURICIUS HIBERNIC. [*t.* II, *p.* XXX].	Distinctiones. *Circa abjectionem.*
1295. Nicol. de Gorrhan [Hist. litt. de la Fr., t. XXI.	Distinctiones majores *Abeuntium.*—Minores *Ambulatio.*
1298. Jacobus de Voragine [*Echard*, cod. Merton. 236].	Compendium morale. *Abstinentia multiplex.* — Tabulæ super historias.

(1) *Glanvilla.* Quod ad Vincentium et Berchorium egimus, idem et illic agi consentaneum est, ut e XIX libris Bartholomæi saltem quatuor evolvamus, nimirum XII *de Avibus*, XVI *de Metallis*, XVII *de Herbis et arboribus*, et XVIII *de Animalibus* ; quorum auctoritates, omissis quæ jam recensentur sub numeris 1, 8, 9, 12, 16, 17, 18, 20, 26, 28, 32, 34, 38, 39, 41, 42, 43, sunt insuper : 46. Albumazar, 47. Alfredus [Malmesburiensis?], in v libris *plantarum*, 48. Ambrosius, Aristoteles, *de Plantis*, secundum novam translationem, 49. Avicenna, 50. Eunuchus [?], 51. Glossa, 52. Helias, 53. Hippocras, 54. Magister in *Historiis* [Comestor], 55. Martius [Varro?], 56. Papias, 57. Rabanus, 58. Remigius, 59. Salernitani. — (2) *Lemovicis.* Vix alius codex erit vel inter collectanea ista notitiis litterariis refertissima, quem magis volupe mihi fuerit evolvere : siquidem cum eo quasi interessem in urbis regiæ ecclesiis, illis diebus S. Ludovici, et quis e pulpito singularum, et quid aut quali hora dixisset, quasi digito contrectans. Inde illum indiculum pro sua diligentia excutere non omisit Echardius, *Bibl. ord. PP.*, t. I, p. 268. Ut inde erueret nomina 30 e suis quorum sermones breviter perstringuntur ; sed et circiter 15 minoritæ pariter ibidem excitantur cum totidem aliis sive regularibus, sive sæcularibus, sive anonymis et incognitis. Neque inde tantum nomina, loca, horas et auditores noveris præcipuorum concionatorum qui in urbe Parisiensi sermonem habuere annis 1272 et 1273 ; sed etiam concionandi methodum et argumenta, plerumque ex allegoriis, qualis inter plura sermo ille fr. Simonis Trecensis, ad Luperam, coram filiis regis, de cedro et Maria, συμβολικῶς collatis. Inter illos concionatores semel atque iterum occurrit magistra Beghina, fol. 250, 264.

1300. N. [*Cf. supra t.* II, *p.* XXX].	Compendium morale per brocardos [1].
— Osmont, Gauthier de Metz, Gaussein, Raoul Crisnon, etc.	L'image du monde [2], ou le Livre de Genèse, 1517.
— Antonius Anglade [*cod. Avenion.*].	Expositio vocabulorum Bibliæ.
— Albertus O. FF. M. [*Echard*].	Alphabetum originalium.
— N. [*cod. Bruxell.* 2492]	Alfaganum, *Aaron.*
— Ægidius de Sabina.	Directorium originalium.
— Joannes de Allemannia [*Echard*].	Tabula originalium, sive auctoritatum PP.
— Jacobus Cisterciensis [*cod. Trec.* 278].	Item [*Vid. not. in marg.*].
1306. Gualterus de Brugis [*cod. Taurin.* 459].	Item. Incipit : *Abel* [*cod. Taur.* 459].
1314. Joannes Gorus de S. Geminiano sive Helwicus [*Panzer*].	Summa de exemplis et similitudinibus.
1316. Ægidius de Roma [*cod. Paris.* 6483].	Expositio vocabulor. Bibliæ.
— Jacobus Vitalis a Furno [*Panzer*].	Speculum morale. Lugd. 1513. Venet. 1594, 1603.
— Henricus de Malines [*Codd. Bruxell.* 271, 7500].	Speculum divinarum et naturalium rerum.
1322. Jacobus de Lausanna [*Brux.* 5119].	Moralitates. Incip. *Adurit.* excerpta edit. Paris. 1528.
1326. Petrus Falaca [*Ech.*].	Compendium donorum S. S.
1328. Petrus de Bruniquello [3] [*Panz., cod. Paris.* 3273].	Hist. V. et N. T. juxta ordinem alph.
1330. Matthias Farinator.	Lumen animæ [4], sæpius ed.
1336. Janus a Zwolla [*Fabric.*].	Alphabetum theologicum, sive tropi utriusque Test.
1338. Simon de Boreston. [*Echard.* cod. et Merton. Oxon. CI].	Alphabetum de prædicabilibus. *Abstinentia.*—Distinct. *Abjicere, secundum auctorem.*
— Joan de Balba [Coll. N. 119].	Tabula. *Abstinentia* c. d.
1340. Guillelmus de Southampton [*Fabric.*].	Summa ex Moralib. Gregorii. Incip. *Abstinentia.*
1341. Conradus de Halberstad. [*cod. Vindob. th.* 756].	Tripartitum morale : 1 *Abjicere temporalia,* — 2 *Artium inventores,* — 3 *Abstinentia, Acedia.*
1342. Guillelm. de Montibus [*cod. Univ. Ox.* CCC. 43, etc.].	Definitio verborum. *Abitudo* — Similitudines. — Distinct. theolog. *Arcus.*
1343. Buon-Joannes Messanens. [*Echard*].	Volumen quatripartitum per fabulas figurarum moralium.
1344. Hugo Virlay [B. *Carm.*].	De figuris historiarum.
1346. Anonym. Cisterciens. [*cod. Sangerm.* 1353].	Sertum florum moralium [5].
1348. Joan. Folsham [*Fabric.*].	Moralitates rerum.
1349. Robert. Holkot.	Distinctiones *Adulatio.* — Item. *Abominabitur.*
1350. Joan. Felton. [*cod. Merton.* 70 *Laud.* 1367].	Pera peregrini, sive loci communes ex SS. PP. *Abbas.*—Summa moral. extracta e Pera peregrini.
1351. Raynerus a Rivalto.	Pantheologia [*Fabric.*].
1357. Franciscus de Bacone [*Fabric.*].	Repertorium prædicatorum.
1359. Anonymus Miræ-Vallis [*cod.* Voss. 81].	Campeflore [6], sive collectan. e Rabano, Bartholom. de Gl. et 60 aliis.
1359. Petrus Berchorius. [*Vid. supra p.* LXXV, LXXVI; cf. *Biogr. univ.*, t. IV].	Exstant Alani Linensis, Joannis Columbæ, Joannis Grundmanni tabulæ et indices in repertor., et reductor. Berchorii.
1360. Manfredus Terdonensis [*Wadding*].	Polylogium.
— Joannes Herefordiens. [*cod. Mazarin.* 120, etc.].	Tabula originalium [7], *Aaron.*
1370. Nicol. Dunelmensis.	Originalia doctorum.

(1) *Brocardos.* Hic eo magis immorari jubemur, quod vel apud suos, ne diligentissimo quidem Echardo excepto, de auctore illo omnium altum est silentium. Tum vero e pictura operi præfixa, quæ auctorem sedentem inter aviculas et scribentem sub habitu Prædicatorum exprimit, tum ex elogio Jordani « magistri ordinis, piæ memoriæ, » inferre pronum est et ejusdem ordinis ipsum esse, nec a secundi magistri ætate multum recedere. Sed gallicum eumdem esse significant concordantiæ gallicæ hic illic latinis annexæ : v. g. Accipiter, *gallice* Ostours; Ochus, *gall.* Huans; Psittacus, *gall.* Papegaut; Ulula, *gall.* Buhors. Scripsisse autem eum putem post Vincentium ob similia auctorum testimonia quæ ab illo is videtur accepisse, quæ vide infra p. 100. Illi tamen præterea sunt auctores qui supra n. 7, 8, 18, 24, 27, 31, et insuper : 60. Alexander [Trallensis?], 61. Beda, 62. Clemens PP., 63. Experimentator, 64. Jordanus magister, 65. Jacobus [de Vitriaco?], 66. Joannes Philosophus [Erigena aut Damascenus]. — (2) *Monde.* Præter hunc, cæteros omnes vernaculi sermonis libros omittimus. De quo cf. Lacroix du Maine, t. III, p. 88; Edelest. du Meril, *Comment. sur Virgile enchanteur; Mélanges archéol. et littér.*, Paris, Franck, 1850, p. 427; Leroux de Lincy, *Bulletin du Bibliophile;* et præ cæteris, cl. v. Ferdinandi Denis elegantem libellum, quem inscripsit : *Le Monde enchanté.* Paris, 1843, p. 317, 321. — (3) *Bruniquello.* « Opus aureum fecit in quo omnes N. ac V. T. libros ad singulas appropiavit materias, » Fabric. ex chron. Osnabrugensi. — (4) *Animæ.* Jussu Joannis XXII compositum, de quo vide Panzer. — (5) *Moralium.* Ad calcem codicis : « Explicit s. f. m. distractorum, per ordinem alphabeti collectorum per quemdam monachum Cisterciensem, studentem Parisiis in domo S. Bernardi, a. 1346. » Ejusdem videtur qui mox sequitur tractatus quidam moralis de naturis quarumdam gemmarum. Prima capitula sunt : de sculptura arietis, leonis et sagittarii, de gemma sculpta cum tauro, virga et scorpione, de adamante et obstinato, de cheledonio et pace, de asbesto et charitate, de geratico et Christo, de selenite et amore, de sapphiro et paupertate, etc. — (6) *Campeflore.* Cod. ad calc. index alphab. 62 auctorum. — (7) *Originalium.* Præcipua est variarum συναγωγῶν quæ inscribuntur *tabula, compendium, al-*

1370. Rogerus Herefordiensis [*Fabric.*].	Expositiones vocabulorum totius Bibliæ.
1381. Richardus a Lavingham [*Bibl. carmelit.*].	Dictionarium S. Scripturæ. Incipit : *Cassiodorus super Ps.*
N. [*Panzer*].	Ars memorandi per figuras evangelist.
1390. Joan. Bromyard. [*Panzer. Hein. cod. Oxon. Coll. novi* 228, etc.].	1. Opus Trivium ex tribus legib. divin. canon. et civilib. *Abbas non potest.* 2.Summa prædicantium : *Abstinentia suum inimicum.* 3. Distinctiones *Abjectio. Abjecti et depressi.*
1390. Joannes de Schonovia [*Bibl. carmelit.*].	Distinct. de vitiis et virtutibus. *Abscondunt se multi.*
1397. Henricus de Hassia [*Panzer. Fabric.*].	De VII Clavibus S. Scriptur. Vocabularium biblicum.
...? N. [*cod. Taur.* 139].	Polyanthea mystica.
...? N. [*cod. Harl.*].	Rosarium theologic.
...? N. [*cod. Paris.* 3832].	Moralitatum [1] libri v.
...? N. [*cod. Flor. S. Cr. pl.* 36, cod. 8].	LiberSolitarii, distinctiones *Abstinentia. Abstinere.*
1400. Walterus de Virduno [*Echard*].	Summa ad omne propositum ad reperiendum auctoritates sanctorum et Script. S.
— Marcus Ulmensis [*Fabric.*].	Distinctiones *Abstinentia multiplicatur.*
— Michael Aiguanus [*Bibl. carmelit.*].	Alphabetum theologicum *Abyssus.* Nota quod duo testam.—Litt. A, B, C.
— Guido de Mesnilio [*cod. Sorbon.* 1647].	Distinctiones *Abjicere : Jacobus.*
1407. Joan. Marey [*Biblioth. aug.*].	Compendium originalium.
1410. Alanus et Nicolaus de Linna [*Fabric. Echard*].	Moralia Biblior.--Elucidarium SS. — Index in Reductor.
1420. Alanus de Rupe.	Rosarium. *Adversitas.*
— ANTONIUS DE RAMPIGOLLIS [*Panzer. codd. Bruxell.* 2487. *Vindobon. Th.* 805. *Cf. t.* II, *p.* XXX].	1. Biblia aurea. *Abstinentia, acedia.* — 2. Distinctiones minor et sub eodem initio.
1423. Jacobus de Susato [*Echard*].	Distinctiones pro arte colligendi.
1425. Arnoldus Roteroda-	Vaticanus [2], cum Curru

phabetum, directorium originalium, doctorum originalia [sive loca authentica auctorum] , leviter quidem is noster est, sed copiosissima rerum varietate plerumque insignis. Enotabam raptim ex una et prima Herefordiensis tabulæ littera, sequentes auctores : 67. Damascenum, 68. Haymonem, 69. Josephum, 70. Origenem, 71. Cassianum , 72. Innocentium PP., 73. Cæsarium, 74. Antonium abbatem, 75. Cyprianum [Arnoldum de Bonavalle], 76. Anselmum, 77. Hugonem S. V., 78. Richardum S. V., 79. Theophilum *super Marcum*, 80. Orosium *super Cantica*, 81. Alexandrum Neckam, *de naturis rerum*, 82. Palladium , 83. Boethium, 84. Valerium Maximum, 85. Trogum Pompeium, in libro XI, 86. Benedictum abbatem , 87. Dionysium Areopagitam, et qui supra nominantur num. 11, 14, 27, 29, 31, 32, 34, 38, 44, 48, 49, 57, 61, 62. — (1) *Moralitatum.* Erit qui alius auctoris non esse putet codicem Oxoniensem Collegii novi 157, in quo inest « liber de moralitatibus corporum cœlestium et elementorum , etc., sub directione et informatione Benedicti C. S. Nicolai in carcere Tulliano.» Cæterum crescit in eo, ut in cæteris, nimia jam moles librorum, quæ quo ulterius procedit, eo gravius premit theologiam symbolicam. Huc igitur conveniunt, præter jam adductos num. 1, 8, 11, 12, 16, 17, 18, 20, 24, 29, 30-34, 38, 42, 44, 46, 47, 48, 49, 53, 54, 60, 69, 71, 76, 77, 84 : 88. Prudentius, 89. Areopagita *ad architectam*, 90. Alphaganus, 91. Petri *Itinerarium*, 92. Cassiodorus , 93. Ptolomæus, 94. Historia Tiberii Cæsaris, 95. Algazeles , 96. Boethius *de Accipitribus*, 97. Auctor Proprietatum [Bartholomæus], 98. Leo PP., 99. Regula S. Francisci , 100. Evangelium infantiæ D. N., 101. Olmarhar, 102. Alanus ab Insulis, 103. Liber *Jorath*, 104. Sententiæ Prosperi, 105. Maximus, 106. Vitæ PP., 107. Physiologus metricus, 108. Isaac, 109. Homerus [in libro *de pugnis et astutiis Bestiarum :* « Lupus est valde vigil et timet ignem, etc. »], 110. Juvenalis, 111. Britto ex auctoribus, 112. Passionale, 113. Plato, 114. Historia græca de Alexandro, 115. Egnatius, 116. Magistri Parisienses, 117. Virgilius, 118. Hugutio, Aristoteles in *Physiognomia*, in lib. XV *de Pomo discordiæ*, Macrobii *herbarium metricum*, versus Chrysostomi, 119. Rotulus legis mosaicæ a Judæis papæ oblatus, 120. Sulpitius Severus, 121. Martinus secundum augures [*alias* Martianus, Martius. An Varro? certe non Capella], 122. Almachar (?), 123. Summa de vitiis, 124. Canones decreti, 125. Damasius in libello suo, etc. — (2) *Vaticanus.* Auctorem esse Thomam de Cuderto videtur significare præfixa nota parti 3æ : « Hunc tractatum de arte sermocinandi composuit frater Thomas de Cuderto, ordinis fratrum heremitarum S. Augustini, a. 1423, sed hic omissus est prologus ejusdem Thomæ. » Et tamen ad calcem ejusdem partis legitur : « Explicit tertia pars istius seu *Vaticani*, a. D. 1425, in mense novembri et in monasterio Viridis-vallis in Zonia canonicorum regularium prope Bruxellam , diœcesis Cameracensis , per me fratrem Arnoldum de Hollandia , de Roterdam, ejusdem monasterii professum , per me *scriptum et compilatum et congregatum,* ad honorem et laudem Dei et Matris ejus, et sanctorum confessorum Augustini et Yvonis, pauperum advocati. » Vaticano subjicitur aliud ejusdem opusculum *de Curru triumphali,* plane allegoricum. Unde is idem est Arnoldus Roterodamensis, cui Fabricius uno lemmate dedit : *Moralisationum currum triumphalem.* Vaticanus vero in

mensis [*cod. Bruxell.* 1169, 1170].	triumphali, uterque de re allegorica.
1430. Thomas Gascoigne [*cod. Lincoln.* 117, 118].	Dictionar. theologicum [1]. S. Veritates collectæ ex S. S. et PP.
1450. Ægidius de Sabina. [Paquot, *Bibl. Belg.*].	Originalium directorium.
1450. Guillelmus Fonteines [*ibid. cod. Mediomont.* 1729?].	Distinctiones alphabeticæ in psalterium : *Per abyssum Scripturæ.*
— Simo magister.	Campanus [2].
— N. [*cod. Sang.* 1853].	Flores morales [3].
— N. [cod. Ball. 88].	Dist. Monast. *Abstinentia.*

tres dividitur partes ; 1ª et 2ª sunt rerum omnium sylloge alphabetica, primum a litt. A ad J, deinde ad ultimam ; tertia est « de arte faciendi collationem, » quæ finitur regulis « circa rhythmorum formationem, » ubi de XII præcipuis rhythmorum generibus. Prima in cod. Bruxell. excidit; in secunda citato stylo tabellis excepi auctores supra non memoratos, qui sequuntur : 126. Sedulius, 127. Floretus, 128. Ricardus judex Venusinus, 129. Heraclites, 130. Leges, 131. Lactantius, 132. Sallustius, 133, Terentius, 134. Boccacius, 135. Quintilianus. 136. Petrarcha, 137. Martinus Polonus, 138. Isocrates in exhortationibus, 139. Medicinal, 140. Pamphilus, 141. Matthæus Vindocinensis in *Æquivocis*, et Tobias Metrificatus, 142. Gaufredus in *Poetica*, 143. Jacobus Beneventanus, 144. Montenarius in *Lima Cleri*, 145. Baldo in *Fabulis*, 146. Socrates, 147. Chronica *de Nugis* [an Joannes Sarisber.?], 148. Varro in *Moralibus*, 149. Henricus de Samaria, 150. Querulus [Vitalis Bles.], 151. Dares, 152. Otto, 153. Stapulensis, 154. Susanna [Petri de Riga], 155. Arator, 156. Sextus, 157. Apollonius, 158. Petronius, 159. Euclides, 160. Priscianus, 161. Proculus, 162. Liber Rudium doctrinæ, 163. Fulgentius historicus, 164. *Historia tripartita*, 165. Andreas *ad Valterium*, 166. Apuleius, Tullius *de Republica* [ex Lactantio], alias in *Hortensio* [forte ex Augustino], 167. Papinianus, 168. Auctor invectionis lamentativæ contra vitia, 169. Julius Celsus, 170. Ennius, 171. Albertanus *de Doctrina discendi et tacendi*, 172. Morales [sive philosophi circiter XXV, inter quos Domitianus, Phrasistratus medicus, Epimenides poeta, etc.], 173. A. Gellius, 174. Similitudines, 175. Hugo Floriacensis, 176. Gilbertinus, 177. Catullus, 178. Facetus, 179, Frontinus, 180. Sidonius, 181. Flos medicinæ. 182. Solinus *de laude memoriæ*, 183. Chronica Hollandiæ, 184. Geta, 185. Claudianus in *Minori*, 186. Speculum mundi, 187. Tertullianus, 188. Alda *in mulieres*, 189. Zozymas [carmen Hildeberti], 190. Ovidius Sulmonensis, in libro *de invocatione vitæ*, 191. Ennodius, 192. Architrenus [Jo. Hanvillens.], 193. Alpharabius, 194. Ex *Labyrintho* Everardi ; ejusdem *doctrinale*, 195. Solimarius, 196. Bernardus Silvester, 197. Evax, 198. Sigebertus, 199. Auctor *de moribus medicorum*. — (1) *Theologicum*. Non omisit diligentissimus H. Coxe in recenti catalogo codd. collegiorum Oxon. hunc codicem debito insignire elogio; immo addere egregie paratam esse editionem ab erudito viro M. Pattison, qui, quum ad legitima castra transierit, jam alii debuit facem hanc tradere, quæ utinam non exstinguatur! Opus insigne incipit : *Absolutio.*— (2) *Campanus.* Sic inscribitur codex Turonicus; Campani tamen ibi est tantum epistola ad Simonem magistrum de operis præstantia ; tum sequitur prologus in quo Simon ipse suos detegit fontes, designatis locis ubi inventi sunt, et singulis libris ad quasdam classes reductis. E græcis : 200. Dionysius Alexandrinus, 201. Oribasii libri sex, 202. Genesis Musionis libri III, 203. Paulus, 204. Galenus ad Glauconem; tum ex Latinis : 205. Cassius Felix, 206. Simplicius, 207. Zeno, 208, 209. Epichimiorus (?) et Joannicius medici, 210. Chalcidius, *de naturæ essentia*, 211. Guido in *quodlibeto* suo, 212. Ægidius [Corboliensis], 213. Felicianus, 214. Bartholomæus ; deinde, nondum translati e græco : 215. Hermes, *de Corporibus transmutandis*, 216. Algazel, *de Quatuor transcendentibus*, 217. Palemon, *de Signis naturarum*, 218. Morienes, *de Zonis et climatibus*, 219. Belinus, *de Inventione artium ;* hi porro Toleto inventi : Julius Celsus, *de Mirabilibus naturæ*, 220. Centobius, *de Giro orbis*, Evax, *de Sigillis lapidum*, Aristoteles, *de Dimensione terræ*, 221. Nestorius, *de Oceani circulo;* illi vero in monasterio allemannico : 222. Archytas Tarentinus, *de Eventibus in natura*, 223. Alkabicius in *Perspectivis*, 224. Theophilus, *Breviarium diversarum artium* [nuper a cl. v. de l'Escalopier publici juris factus]. Frontinus in *Descriptione universi;* item Cadurci : Constantinus, *de Naturis*, 225. Evenus, *de Contentis in urbe Roma*, 226; Palenciæ demum : 227. *Summa* Themistii ; denique in Anglia : 228. Amphites in *edictis Philosophorum*, 229. Pandulfus, *de Meatibus terræ*, 230. Joannes Mesue, 231. Philaretus. Postremo ait, « Parisiis florere » Theophrastum, *de Parte sensitiva*, 232. Alphorabium, *de Differentia regionum*, 233. Albertum commentatorem *de Aere*. — (3) *Flores morales*. Incipit : « Narrat philosoph. » adducuntur : Historia transmarina [Jacobi de Vitriaco], 234. Magister Gervasius in libro suo *de Mirabilibus terrarum*, 235. Gregorius Turonensis, 236. Vegetius, 237. Seneca, poeta tragicus, Philo in libro *de Naturis rerum* [sed videtur legendus Plinius e locis allatis; idem alias dicitur ex arabum depravatione Bellinus et Bellius.], 238. Vitruvius, 239. Orosius in *Ormesta mundi* [Histor.], Historia Brachmannorum, liber *de Naturis rerum* [Thomæ

— N. [*cod. Bruxell.* 20,030].	Flores paradisi [1].
1452. Petrus Hispanus [*Echard*].	Repertorium morale.
1460. Hieronymus de Marangione.	Morales Nobiles [*cod. Brug.* 24].
1466. Joann. Marchesinus [*Panzer*].	Mammotrectus.
1470. Ulricus de Leudelin de Rotenburg [*cod. Argentor.*].	Liber theologiæ, dictus Similitudinarius.
— Melber de Gerolzhofen [*Heine*, 11,022].	Vocabularius prædicantium seu Variloquus.
— Simon Petri...	Capitula *Abstinentiæ*.
— N. [*cod. Bruxell.* 2278].	Tabula Parisiensis. *Abstinentia.*
1473. Nicolaus Radulfus [*Biblioth. Belnens.*].	De exemplis et similitudinibus rerum. Romæ, 1473.
1480. Bernardus Savonensis [*Panzer*].	Vocabularium Ecclesiastic. Mediol. 1503.
— Joan. Destigius [*Pitzeus*].	Vocabular. biblicum ed. Lond.
1485. Henricus Jerung [*Panzer*].	Elucidarium Scripturar.
1485. N. [*Panzer*].	Distinctiones exemplorum V. et N. T.
— N. [*codex Argentor.*].	Triplex tabula auctoritatum, materiar. et figurar. Script. Sacr.
— N. [*Panzer*].	Alphabetum sacerdotum.
— N. [*Ibid.*].	Dictionarium pauperum ad usum prædicantium.
1495. Joannes Latbury [*Fabric.*]	Alphabetum morale. *Abstinendum est a deliciis.*
1500-1530. Placus Andreas.	Lexicon biblicum [*Panzer*].
— Henricus Regius.	Biblia alphabetica [*ib.*].
— Joan. Toltz.	Tropi biblici [*ib.*].
— Andr. Althamer.	Silva biblicorum nominum [*ib.*].
— Joan. Bern. Fortius.	Vocabular. ecclesiast. [*ib.*].
— Joan. de Altenstaig.	Vocabular. theologic. [*ib.*].
— Andreas de Autores.	Theologia symbolica S. S.
1594. Joan. Ferdinandus.	Divinar. Scripturar. juxta SS. PP. sententias thesaur. alphabetic. Metymnæ in-fol.
1597. Antonius de Azilore.	Theologia symbolica sive hieroglyphica pro totius sacr. Script. prim. et genuino sensu. Salmanticæ, in-4°.
1595-1701. Hieronymus Cervarius Lauretus O. S. B. abbas Montis S. Felicis Guixolensis [3].	Silva seu Hortus floridus allegoriarum totius sacræ Script. complectens ejus sens. mysticos et litter. ord. alph. Sunt editiones IX ab a. 1575 ad 1701.
— Georgius Venetus.	De harmonia mundi numerica.
1600. Franciscus de Maceda [*Lelong*].	Clavis Scriptur. sacræ.
— Joan. Melchior [*ibid.*].	Clavis prophetica.
— Franciscus de Avila [*Anton. Bibl. hisp.*].	Figuræ Bibliorum.
1627. Oonsellius [*Belg. Dominicanum, p.* 85].	Hieroglyphica sacra. Antverp.

de Cantiprato], 240. Hiegippus [Hegesippus, *de Excidio Judæor.*], 241. Cato, 242. Petrus Damianus, 243. Theopompus, 244. Fabianus et Solinus, 245. Eusebius, 246. *de Initiis Cisterciensium*, 247. Versus *de inferno*, 248. Gesta Barlaam, 249. Commentator *super librum de Animalibus*, 250. Chronica Godofredi, 251. *Kalendarium* Bedæ, 252. Commentator *super Fulgentium*, 253. Flavianus in gestis Græcorum, 254. Naturales [Physiologus], 255. Joannes de Abbatisvilla, 256. Alexander narrator, 257. Helinandus, 258. Symmachus, *de Sodomia*, 259. Medici, 260. Petrus Cluniacensis, 261. Plutarchus, 262. Rufinus. — (1) *Paradisi.* Incipit : « Pro titulo nomen non immerito sortitus est. » Præmittuntur indices IV, in quorum ultimo legebam, præter plures jam appellatos; 263. Petrum Ravennatem, 264. Valerianum, 265. Gregorium Nazianzenum, 266. Gillebertum in Cantica, 267. Hilarium, 268. Secundum ph., 269. Horatium, 270. Statium, 271. Lucretium, 272. Maximianum, 273. Æsopum, 274. *de Ysengrino*, 275. Martialem, 276. Hildegardem, 277. Eusebium Emesenum, 278. Papilianum philosophum, 279. Athanasium, 280. Ephrem, 281. Berengarium, Tullium Cicer. in libro *Causarum*, 282. Philonem *de Elementis*, 283. Arnulfum Lixoviensem, 284. Petrum Blesensem, 285. Anianum, 286. Calpurnium.—(2) *Tabula Parisiensis.* Sunt distinctiones 105, plerumque morales, quæ incipiunt ab *abstinentia :* Præcepit Deus Adæ. » Scriptus est codex a. 1470. — (3) *Guixolensis.* De quo præclarum exstat judicium S. Caroli Borromæi, apud Possevinum, *Biblioth. select.* cap. 46 : « Carolus autem Borromæus, vir sanctus, quum hujus Silvæ usum cuperet faciliorem ac fructuosiorem, statuerat rerum quæ vocibus allegoricis designabantur ac primo ponuntur, vocabula præponere, quem laborem fortasse pius aliquis et doctus suscipiet. » Immo suscepit ipse, quum exstet Mediolani sacra ejusdem manu scripta, *Silva pastoralis.* V. Argelat. t. III, p. 194. Lauretanam vero novies typis mandarunt, 1° Barcin. 1570, 4°; 2° Venet. 1575; 3° Paris. 1583; 4° Venet. 1587; 5° Colon. apud Jo. Gymnicum, 1612; 6° Lugdun. 1622; 7° Colon. apud eumdem, 1630, fol.; 8° ibid. 1681 ; 9° ibid. 1701. Accessere ad calcem tract. peculiaris de mysteriis numerorum, et index genealogicus SS. Satis frequenter etiam nunc occurrit Silva illa, multo sane cum labore exacta, plerumque tamen frustraneo, quum auctor ad singularia SS. Patrum loca potius quam ad communes formulas provocet, nec nisi mendosis usus fuerit editionibus quæ spuria cum genuinis promiscue illi præstiterunt. Cujus in vestigiis alios institisse Hispanos facile crediderim, quos tamen vix novisse me piget.

1629. Maximilianus Sandæus S. J.	Theologia symbolica, etc. Mogunt. 4°.	1680. Cœlestinus de Monte-Marsano.	Clavis Davidica, sive arcana Script. sacr. in-fol.
1650. Lucas de Montoya.	Sentidos metaphoric. de la S. S.	1687. Elyseus Pesentius [*Bibl. Capucinor.*].	Claves sacrorum arcanor. atque mysterior.
—Benedictus, Doctor Paris. [*Præf. Garn. S. V.*].	Silva allegoriarum in totam Bibl.	1718. Petrus de Bretaigne [*Bibl. Augustin.*].	Clavis Davidica sive apparat. ad S. Scr. Monachii.
1682. Keach, ed. Lond.	Clavis metaphorarum S. S.		

1660-1715. Philippus Picinellus et Aug. Erath. — Mundus symbolicus [1], fol. Col. 1715.

1139-1855.	Maiemonides. Ben Juda aben Tibou. Jo. Buxtorf. J. Mohl.	*More Nebochim*, sive *Doctor perplexorum* [2], ad obscuriora scripturæ loca velut clavem conferens, arabice nunc primum hisce diebus edendum cur. Mohl. — Hebraice transtulit sæc. XII. Ben Juda aben Tibou.— Latine, vetus interpres, et recentius J. Buxtorf. Basil. 1629 4°.

(1) *Symbolicus.* Librum hunc et sequentem quasi extra censum ponimus nostrum; a nostris enim longius aberrant. Quorum tibi prior sistit symbolistarum gentem pene innumeram, olim, quum maxime sæculo XVII, tum Italicos inter et Hispanos florentissimam; eorum nimirum qui *heroicum emblema* excoluerunt. In quo allegoriarum genere, præ cæteris sacra lex erat duplex : primo, symbolum non ita tritum, sed nec inauditum proponere, deinde illi appendere lemma sive sententiam brevem, argutam, classicam, qua viri aut facti cujusdam insignis species et imago ad vivum exprimerentur. Tanta erat hujusce artis celebritas, ut nullæ tunc publicæ festivitates, nuptiæ, exsequiæ, regum coronationes aut triumphi imperatorii sine *emblemate heroico* concipi possent. Quod quidem argumentum, e re natum, ex ingenio cusum, totumque in naturali, civili, humano ordine contentum, fere nihil habet commune cum formulis nostris, certa traditione usuque perpetuo et per veram theologiam consecratis. Ecce scriptorum nomina quæ Picinellus, ipse eorum facile princeps, inter præcipua commendat, quibus ego addidi pauca : Andreas Alciatus, Paul. Aresius, J. J. Boissard, C. Bovius, Octav. Boldomis, Lucretius Borzah, Henricus Engelgrave, J. Ferrus, Andr. Fredericus (*Nova emblemata*, latine, germanice et gallice, 1617; aliter *Viridarium hieroglyphico-morale*, vel *Philosophia practica*, etc. cum iisdem 88 imaginibus), Hieronymus Gambertus, Vincentius Gilibertus (*Sacræ coronæ, Civitas Dei, Torcular*), Aloysius Juglaris, Sigismundus Laurentius, Alcibiades Lucarinus, P. Maccius (*Emblemata moralia,* Bonon. 1628), Jacobus Masenus, Sebastianus a Matre Dei (*Symbola Deiparæ*), Cl. Fr. Menestrier (*La philosophie des images*, ou Recueil de quantité de devises avec le jugement de deux cents ouvrages qui ont été faits sur cette matière. Paris, 1682; *L'art des emblèmes*, où s'enseigne la morale par les figures de la fable, de l'histoire et de la nature. Paris, 1684; *La philosophie des images énigmatiques*, où il est traité des énigmes hiéroglyphiques, oracles, prophéties, talismans, etc. Paris, 1694). J. Orazeus Hortens. Palavicinus, Blasius Palma, Silvest. Petra sancta (*De Symbolis heroicis*), Barthol. Rossi (*Hieroglyphica symbola*), Nicol. Reusner (*Emblemata* partim ethica, partim physica, partim vero historica, cum symbolis et inscriptionibus cl. viror. quibus emblematum sacror. lib. unus additur, Francfort., 1581, 4°), Gabr. Rollenhagen (*Nucleus emblemat. selectissimor.* Colon. 1611, Ultraj. 1613, etc.), Didacus Saavedra (*Princeps politicus*), Flor. Schoonovius (*Emblemat.* partim mor. partim etiam civil. cum latiore interpretatione, etc.).—(2) *Perplexorum.* Enixe optandum est ut viro et libro tamdiu famosissimis suam restituat celebritatem nova textus arabici primigenii editio quæ nunc sub prælo sudat egregiis J. Mohl curis et studiis. Quod vero monui supra, multam intercedere concordiam *Perplexorum doctorem* inter et nostros symbolicos Theologos, ea mihi videtur maxima causa cur in *More Nebochim* et auctorem celeberrimum tot fulmina principes synagogarum olim intentaverint. Eam vero concordiam nuda capitulorum primæ partis recensio et collatio cum Alani Summa *Quot modis* aut Petri Cantoris aut Capuani distinctionibus, perspicue declarabit. Hinc enim et hinc, iisdem sæpe verbis exponitur quid sit in divina scriptura : videre [*More Neb.* c. 4] femina, frater, soror [c. 6], nasci, parere [c. 7], solium, sedere, stare, surgere [c. 9-15], Adam, homo [c. 14], petra, rupes [c. 16], appropinquare [c. 18], transire, venire, reverti, ire [c. 21-24], habitare [c. 25], pes [c. 21], dolere [c. 29], concedere [c. 30], ira et zelotypia Dei [c. 36], facies, post, posterius [c. 37, 38], cor, animus, anima [c. 39-41], vivere, mori [c. 48], ala [c. 43], Dei oculus, visus, auditus, odoratus [c. 44-47], viæ Dei [c. 54], requiescere [c. 67]. Quæ vero omnia dum christiano more plerumque exponit, nec provocat ad Philonem, quem nomine non videtur novisse, neque ad Platonem aut philosophos quos potius ut adversarios quam ut auctores excitat, sed ad suos antiquissimos et doctissimos et eosdem Synagogæ magistros, ad libros Talmudicos, Medrasch, Targum, Mischna, Bareithoth, Jad, Siphre, Hacharuthim, ad Onkelum, cæterosque Rabbinos, Jonathan Ozielis filium, Eliezer, Akibha, Jochanan, Chaninah, Tarphon, Aben-Adi, Aben-Bachar, Aben-Zaïg, Aben-Aflach, Abubachar, filium Alzaïg, etc. Sed tandem manum de tabella.

SPICILEGIUM
SOLESMENSE.

TOM. III

PARS PRIMA,

QUA CONTINENTUR

S. MELITONIS CLAVIS CAPP. IX-XIII

CUM VARIORUM COMMENTARIIS.

SPICILEGIUM

SOLESMENSE.

SANCTI MELITONIS,

SARDENSIS EPISCOPI,

LIBER QUI DICITUR *CLAVIS*.

CAPUT IX.

DE BESTIIS ET CÆTERIS ANIMANTIBUS [1].

I.

÷ 1. Animalia, evangelistæ : « Et in medio ejus, similitudo quatuor animalium [2]. »

÷ 2. Justi : « Et audivi vocem alarum animalium, percutientium alteram ad alteram [3]. »

5 ÷ 3. Simplices : « Animalia tua habitabunt in ea [4]. »

÷ 4. Cogitationes : « Et ingressus vidi, et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio [5]. »

÷ 5. Animalia quæ ruminant, quæ in lege munda describuntur, homines sunt sancti, divina præcepta ore et corde, sive opere, semper meditantes, ut est illud

10 in psalmo : « Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper [6]. »

(1) *Animantibus*. Duas esse in hoc capite partes nemini non obvium erit : quarum prior, in codicibus nostris, a jumentis et mitioribus bestiis incipit; posterior, uti plerumque variæ Physiologi editiones, orditur a leone, et tota est in ferarum moribus ad allegoriam accommodandis. Disquisitum est alibi utrum hæc illi posterior etiam tempore sit, utrum hæc necdum, nisi jam reconciliato cum orthodoxa fide veteri *Physiologo*, tandem publici et christiani juris facta fuerit. Commodum erat singulis præmitti articulos duos, in medio capite interjectos satis importune, unum ad animalia, alterum ad bestias καθ' ὅλον pertinentem; affigi insuper priori parti titulum, quo ultima in B et C distinguitur. In cæteris vero codicibus, aut prima insigniori littera pars utraque ornatur, aut remansit locus, rubricando quidem titulo satis aperte paratus, membrana tamen alba vacuus. Quibusnam porro hisce codicibus conveniant varia litterarum aut notarum sigla, quæ continuo usurpaturi sumus, vel nemine monente, lector, in proœmiis nostris invenies. Unum te monitum velimus in frequenti recensione codicum per has litteras B-G, nullam haberi rationem sive litteræ F, sive codicis sexti, qui a capite IV jam omnino deficiebat. — (2) *Animalium*. Ezech. I, 5. — (3) *Alteram*. Ib. V, 13. — (4) *Ea*. Ps. LXVII, 11. — (5) *Abominatio*. Ezech. VIII, 10. — (6) *Semper*. Ps. XVIII, 15.

÷ 6. Animalia quæ non ruminant, peccatores immundi, legi operam minime dantes, nec in ejus meditatione servientes.

÷ 7. Animalia, quæ ungulam findunt, et ruminant, quæ in lege munda describuntur, homines sunt fideles in utroque testamento credentes, et, velut in duabus ungulis, pedem operis firmo gressu figentes.

÷ 8. Animalia quæ ruminant, et ungulam findunt, quæ immunda narrantur, populi sunt Judæorum, qui testamentum vetus ore meditantur, sed novum minime recipiunt.

÷ 9. Animalia cornuta, quæ in sacrificio Dei offerri præcipiuntur, quorum in esu fidelium carnes comeduntur, sicut vituli, arietes, hirci, cervi, damulæ et capreoli, virtutes significant sanctorum, cornua virtutum adversus diabolum et vitia peccatorum gestantes.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 15; ed. ii, col. 752 B *se refert ad distinct.* 4.

Gregorius M. Animalia, simplices qui sunt in Ecclesia, ut ibi « Animalia tua, etc. » — Irrationabiles motus animæ ; unde : Filii Ruben et Gad, qui hæc animalia extra terram promissionis nutriunt, ad montem Judææ cum fratribus non ascendunt. — Animalium nomine sancti evangelistæ signantur, ut in Ezechiele : « In medio e. s. q. a. » — Viri sancti, ut ibi : « Et audivi, etc. » Sancta enim animalia suis vicissim se alis feriunt, quum in supernæ beatitudinis appetitum, consideratis invicem alterius virtutibus, excitantur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iii, c. 6, p. 105.

Rabanus. Animalia, quatuor evangelistæ, ut : « Similitudo, etc. ». — Sancti in Ecclesia, ut : « Animalia tua habitabunt in ea. » —Cupidi, ut : « Animalium abominatio depicta in pariete [2]. — Duo latrones, ut : « In medio duorum animalium [3]. »

Rabanus[4], *de Universo*, lib. vii, c. 8, col. 199 sqq.

Petrus Cantor. Animales sunt quidam scientia, et non vita, qui bene vivunt, et parum sciunt, sicut prius apostoli. Alii, vita et non scientia, videlicet mali bene litterati, qui bene sciunt, et bene docent, et male vivunt. Hi linguam dant Deo, animam autem diabolo. Alii vero utroque, qui parum sciunt, et male vivunt.

Petrus Capuanus ad litt. xvi, ex art. 3. Significat animal quatuor evangelia, et quatuor evangelistas. Ezechiel : « Et ex medio eorum quasi similitudo quatuor animalium, » quæ etiam, secundum Apocalypsim, « erant plena oculis ante et retro [5]. » Ezechiel : « Quatuor facies uni, et quatuor pennæ uni, » quia unusquisque eorum ad Christum quadruplicem aspectum dirigit, dum de eo agit, qui fuit homo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ascendendo. Et hæc quatuor in ipso Christo unusquisque eorum exscribit, et a flucti-

(1) *Gregorius*. Referat se lector, si lubet, ad ea quæ in *prolegomenis* de singulis interpretibus fuse diximus : videlicet inter multa, quænam sit utraque Eucherii editio perpetuo a nobis collata cum Melitonianis ; quid sibi velit Gregorii Magni summula ex ipsiusmet conceptis verbis concinne expressa, eadem omnino cum Gregoriano Bibliorum Bellevallensium glossario, nec multum aliena a Gregoriano Garnerii Sanvictorini (cs. t. ii, p. 2, n. 10; p. 3, n. 17); quid, allegoriæ, Rabani breves ab editis prorsus diversæ, tum iisdem tamen, tum libris *de Universo* satis affines (cf. ib. p. 2, n. 11); quid commune sit inter Rabanum, Petrum Cantorem, Garnerium Lingonensem et Anonymum Clarevallensem (cs. ib. p. 2, n. 18 ; p. 3, n. 19; p. 10, n. 11) ; quid sentiendum de Petro de Mora, Card. S. E. R. et episcopo Capuano (cs. p. 22) ; quid etiam de auctore nec illepido, nec ineleganti *Distinctionum monasticarum* (cs. p. 92, n. 1) ; quid demum de variis poetarum adnexis ad calcem singulorum articulorum ornamentis (cs. ib. p. 5, n. 6 ; p. 9, n. 10 ; p. 92, n. 3; p. 113, n. 12 ; p. 123, n. 8; p. 200, n. 2). — (2) *Pariete*. Ezech. viii, 10. — (3) *Animalium*. Habac. iii, 2. — (4) *Rabanus*. Quum omnia quæ in lib. xxii, *de Universo*, ad nostra se referunt, in hoc unico laudato cap. 8 congesta sunt, satis est ea semel hoc in loco conferenda adduxisse. — (5) *Retro*. Apoc. iv, 6.

bus mundi in altum sustollitur pennis contemplationis.

ANONYMUS DOMINICANUS [1]. Incipit *Compendium morale de quadrupedibus, per brocardos distinctum*, art. I, n. 1. Omne animal habens caudam pilosam, habet parvum caput et mandibulas magnas : sic qui principantur inter homines, et habent familias, hoc est caudas pilosas et superfluas, parvi capitis sunt, et sensibus minorati, et habent mandibulas magnas, quia multos tenent, qui superflue consumunt ea de quibus debent pauperes sustentari...

8. Omne animal carens pulmone, caret voce, sed non convertitur : qui enim spe non elevantur ad cœlum, os in oratione aperire non possunt. Quid enim peterent, qui non sperant?

9. Crementum omnium animalium est in eo in quo delectantur naturaliter. Quis delectabit nos, nisi optimus Christus? et ipse deliciæ rectorum corde : omnia autem quærunt delectationem naturaliter...

11. Omne animal carens felle diu vivit, ut elephas, cervus, delphini : sic mansueti hæreditabunt terram, viventium scilicet.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Animal commune nomen est omnium animam habentium. Multas habet species; nam sunt angeli, homines, volucres, vermes, pisces [2].

Jumenta nomina inde traxerunt, quod nostrum laborem vel onus, suo adjutorio, subvehendo vel arando, portant [3]. Jumentum feno suo vescitur, et quiescit, vilibus pascitur, sessorem suum non discernit, oneriferum est [4].

Bestiæ a vastando dictæ, quia morsibus et ungulis sæviunt. Hoc nomen proprie convenit leonibus et tigribus, pardis, lupis, vulpibus, canibus, ac cæteris quæ vel ore vel unguibus sæviunt [5].

Animalia.

Quatuor Evangelistæ.	Cupidi.
Sancti.	Duo latrones.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levitic., v. 609-628.

Omnia animalia quæ non ruminant et ungulas dividunt, munda sunt.

In primis istud debes cognoscere, lector,
  Omnia quæ fecit, munda creasse Deum;
Sed mores hominum verbis pinguntur in istis,
  Quæ sordes animæ munditiamve notant.
Omne pecus cujus os ruminat, ungula cujus
  Dividitur, cibus est mundus, Hebræe, tibi.
Cui non ruminat os, nec finditur ungula, mundus
  Non valet esse cibus, immo cavendus erit.
Accipe quid notet hoc. Homo justus ruminat escam,
  Dum præcepta Dei semper in ore gerit.
Ungula finditur huic, quia legis scripta vetustæ,
  Et sacra verba novæ, dividit iste fide.
Ruminat Hebræus legis præcepta, sed illi
  Nutanti non est ungula fixa pedis.
Nam sibi non recipit duo testamenta, Patremque
  Et Natum non vult ipse tenere fide.
Schismatico fixa manet ungula : cum Patre Natum
  Suscipit, et legem credit utramque datam :
Sed quia doctrinam non suscipit ore fidelem,
  Dicitur immundus, et removendus erit.

II.

1. JUMENTUM, corpus Salvatoris [6] : « Et imposuit illud in jumentum suum [7]. »

(1) *Dominicanus*. Ecce tibi novum, post tot cæteros rerum Melitonianarum interpretes, nunc profero commentatorem, e familia Dominicana, ut omnes omnium religionum ordines, cum veteribus recentiores, suo quique ordine, sancto Melitoni famulentur. Is autem mihi est sæc. XIII desinentis, degeneremque sapit ætatem, nimis a symbolicis fontibus remotam, quam ut lectori fastidium non moveant quæcumque ex eo simus allaturi, ex multis licet perpauca, eaque non oscitanter e tritis selecta. Cæterum eumdem non omnino fuisse olim ignotum suadent codices plures, quales in publicis Trecensi et Carnotensi bibliothecis (cf. t. II, p. 517.) — (2) *Pisces*. Fere similia apud Hug. *S. V.* t. II, p. 418. —(3) *Portant*. Hæc apud Isidorum, *Etymol.* XII, c. 1, 7, ubi melius legitur : *Arando juvent*. — (4) *Est*. Cf. Hug. *S. V.* ib. p. 469. — (5) *Sæviunt*. Iterum Isid. ib. c. 2, 1. Ita solet Anonymus Clarevallensis contexere prævias hujuscemodi notitias, quas plerumque omittimus. — (6) *Salvatoris*, *ut quidam volunt* B D, G. *In Evangelio* B-G. — (7) *Suum*. Luc. X, 34.

2. Simpliciores [1] : « Homines et jumenta salvos facies, Domine [2]. » ÷ « Qui dat jumentis escam ipsorum [3]. »

3. Gulosi et luxuriosi [4] : « Computruerunt jumenta in stercore suo [5]. »

÷ 4. Positus sub disciplina : « Ut jumentum factus sum [6]. »

5 ÷ 5. Sensu tardiores : « Interroga jumenta, et docebunt te [7]. »

÷ 6. Intellectu et eloquio carentes. In psalmo : « Ut jumentum f. s. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 15 ad 6; ed. ii, col. 751 b ad 3, 6.

Gregorius M. Jumentum, quilibet sub 10 disciplina positus, ut ibi : « Ut jumentum factus s. a. t. »—Carnales homines, ut ibi : « Computruerunt j. i. s. s. » Jumentum quippe in stercore suo computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam 15 finire. — Mentes dudum brutæ, ut ibi : « Qui dat j. e. i. » Jumenta quippe escam accipiunt, quum mentes dudum brutæ sacræ Scripturæ pabulo satiantur. — Hujus sæculi implicamenta, ut in libro Moysis : 20 « Nos servi tui habemus jumenta plurima, ne facias nos transire Jordanem [8]. » Qui jumenta plurima possident, Jordanem transire refugiunt; quia qui multis hujus sæculi implicationibus occupantur, habitationem 25 cœlestis patriæ non requirunt.— Tardiores sensu, ut in Job : « Interroga, etc.; » quasi diceret : ipsi quoque qui sensu tardiores sunt, creatorem omnium Deum fatentur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. 30 iii, c. 1, p. 92.

Rabanus. Jumenta, pudicitia, quia semel in anno conveniunt ad procreationem sobolis, ut : « Tradidit jumenta eorum grandini [9]. » — Sensus pigri, ut : « Interroga 35 j. e. d. t. » — Virtutes, ut : « Jumenta eorum in morte conclusit [10]. » — Prædicatores, ut : « Producens fenum jumentis [11]. » — Simplices, ut : « Jumenta eorum non minoravit [12]. » — Luxuriosi, ut : « Computruerunt j. i. s. s. » — Caro Christi, ut : « Posuit vulneratum in jumentum suum [13]. » — Humilis, ut : « Factus s. u. j. ante te. » — Brutæ dudum mentes, ut : « Qui dat j. e. » — Impedimenta sæculi, ut : « Habemus jumenta plurima. »

Petrus Cantor. Jumenta dicuntur quandoque peccatores; unde in Joele : « Computruerunt, etc. » — Quandoque simplices, ut : « Jumenta e. n. m. », id est simplices, sed utiles, qui non sunt adeo docti, sed fide pleni. — Quandoque prædicatores; unde : « Non alligabis os bovi trituranti [14]. » Item : « Qui dat j. e. i. » — Quandoque prædestinati; unde : « Novit Dominus, pater familias, numerum jumentorum [15]. »

Petrus Capuanus ad litt. ix, art. 39. Jumenta dicuntur prædicatores, propter laborem quem exercent in agro Dominico; et patientes, propter mansuetudinem; et minores, propter simplicitatem. Mali autem dicuntur jumenta, propter stoliditatem et insipientiam, vel propter inhonestatem et luxuriam.

Prima jumenta arant in agro Dominico. Secunda, ad aliorum refectionem, id est exemplum, occiduntur. Tertia reficiuntur feno doctrinæ, quod nascitur in montibus, scilicet prædicatoribus. Quarta, tamquam irrationabilia, non discernunt. Quinta bestiali motu luxuriæ laxantur.

(1) *Fideles in Ecclesia, sed spirituali intellectu carentes. In psalmo* B-G. — (2) *Domine*. Ps. xxxv, 7. — (3) *Ipsorum*. Ps. cxlvi, 9.—(4) *Homines luxuriosi. In Joel* B-G. — (5) *Suo*. Joel i, 17. — (6) *Sum*. Ps. lxxii, 13. — (7) *Te*. Job xii, 7. — (8) *Jordanem*. Num. xxxii, 4.— (9) *Grandini*. Ps. lxxiv, 48. Interpretationi paulo insolentiori facem admovebit auctor *Distinctionum monastic.* infra excitandus. — (10) *Conclusit*. Ib. 50.—(11) *Jumentis*. Ps. ciii, 14.—(12) *Minoravit*. Ps. cvi, 38. — (13) *Suum*. Luc. x, 34. — (14) *Trituranti*. I Cor. ix, 9; I Tim. v, 18.—(15) *Jumentorum*. Forte respectu ad Prov. xii, 10.

In prima acceptione jumenta fuerunt prædicatores, quando vomere prædicationis Ecclesiæ vel mundi aream prosciderunt. In secunda, jumenta fuerunt martyres, qui Ecclesiam suo sanguine fundaverunt, quando « sanguinem sanctorum impii fuderunt in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret [1]. » In tertia, fuerunt Innocentes, qui in sua simplicitate Christum testati sunt, quando mittens Herodes occidit omnes pueros qui erant in Bethleem. In quinta, jumenta fuerunt minores Judæi, qui arbitrabantur obsequium se præstare Deo, quoniam « si cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent [2]. » In quinta, jumenta fuerunt Sodomitæ, quando usque ad innominabilem libidinem proruperunt.

Dicuntur autem jumenta, quasi juvamenta : prima ergo nos juvant ad conversionem; secunda, ad patientiam; tertia, ad temporalem sustentationem ; quarta nos lædunt persequendo; quinta, perniciosum exemplum dando.

Distinctionum monasticar. lib. iii, *de Jumentis*. Jumenta a juvando dicta sunt, quia hæc animalia usibus hominum sunt plurimum necessaria. Unde corpus nostri Redemtoris significatum est per jumentum, ut in illa parabola evangelica, ubi vulneratus a latronibus jumento Samaritani narratur fuisse impositus, et ductus in stabulum. Unde Petrus Riga : Ut caro, etc. [*vide infra*].—Jumenta significant simplices, ut ibi : « Qui dat j. e. i.; » id est simplicibus escam sibi competentem, id est simplicem. Unde Apostolus : « Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam [3] » Parvum parva decent : tunicam parvam fecit Anna Samueli. — Jumenta significant fatuos et hebetes; unde : « Homo quum in honore esset, non intellexit, » id est, non intelligenter egit; « comparatus est jumentis insipientibus, etc. » — Jumenta significant voluptuosos ; unde : « Computruerunt, etc. ; » id est, carnales homines corrupti sunt et abominabiles facti, in operibus carnis fœdis et fœtidis.

Par est jumentis, cui desunt lumina mentis :
His etiam similis est ventre, vel inguine vilis.

— Jumentum significat obedientem et plene subditum; ut ibi : « Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. » — Quidam dicunt per jumenta, quia semel in anno coeunt, castos vel castitatem designari, ut ibi : « Tradidit grandini jumenta eorum; » quod ita exponunt : permisit pudicitiam uxorum quorumdam violenta hostium libidine pollui. Sed præfatum versum puto congruentius esse expositum in distinctione *de Grandine* [4]. « Tradidit g. j. e. et possessionem eorum igni, » id est, duræ afflictioni tradidit corpora, et impatientiæ corda. »

Est igitur jumentum

Subventionis.	Voluptatis.
Simplicitatis.	Subjectionis.
Fatuitatis.	Castitatis.

— Jumenta significant honesta corporalia exercitia, quæ sunt spiritus adjumenta, ut sunt jejunia, vigiliæ, flexiones genuum, et vocales orationes, quibus spiritus hominis juvatur ad promerendum regnum cœlorum. Hæc jumenta, id est adjumenta, per mortale peccatum concluduntur, id est, ligantur, irritantur, et fiunt inutilia ad promerendum vitam æternam; unde de quibusdam terribiliter dicitur in psalmo : « Non pepercit a morte animas eorum, et jumenta eorum in morte conclusit. »

Anonymus Trecensis. *De Pœnitentia*. Nota quod corpus est sicut jumentum vel asinus, quod portat animam per mundum istum; et quia pigrum est, debet pungi calcaribus pœnitentiæ et timoris. Sed sunt quædam calcaria ferrea rusticorum; talia sunt pœnitentia facta propter timorem pœnæ gehennalis : hic est timor servorum. Sunt et calcaria deaurata militum : talia sunt pœnitentia facta timore amissionis gloriæ, et talia sunt facta timore amicali. Sunt et calcaria, de auro facta, qualia sunt regum et imperatorum : talia sunt pœnitentia facta solum amore Dei; hic est timor filialis, « qui permanet in sæculum sæculi [5].

(1) *Sepeliret*. Ps. lxxviii, 3. — (2) *Crucifixissent*. I Cor. ii, 8. — (3) *Escam*. I Cor. iii, 3. — (4) *Grandine*. Locum allegatum continuo damus.—(5) *Sæculi*. Ps. xviii, 10

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Jumentum.

Caro Christi.	Simplices.
Humilis.	Luxuriosi.
5 Sensus pigri.	Mentes dudum brutæ.
Virtutes.	
Prædicatores.	Impedimenta sæculi.

BIBLIA COD. BELLEVACENSIS.

Jumenta.

10 Carnales homines.	Hujus sæculi implicamenta.
Mentes dudum brutæ.	Tardiores sensu.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangelio, v. 2739-2758.

In Jericho de Jerusalem faciens homo lapsum,
 Incidit in gladios; saucius ense, jacet.
Hunc in transcursu videre levita, sacerdos;
 Sed nullum confert ille vel ille bonum.
Aspicit advena vir, qui Custos dicitur [1], illum ;
 Qui pietate fuit motus, opemque tulit.
Imponit miserum jumento, vulnera tractat,
 Infundens oleum proficuumque merum.
Curandum domino stabuli commisit, ut ejus
 Curam devotus et studiosus agat.
Ille miser designat Adam, qui de paradiso
 Corruit in mundum, saucius ense Satan.
Non istum sanat Moysis lex, sive prophetæ,
 Donec Christus adest, qui medicina fuit.
Est caro jumentum, pro nostra sumta salute,
 Qua moriens hominem sponte redemit homo.
Est oleum pietas; vinum, compunctio culpæ :
 Cuilibet ista duo sunt medicina reo.
Qui stabulum servat, ægrum curando, magistros
 Qui curant animas per sua verba, notat.

III.

1. EQUUS, corpus Christi [2] : « Ecce vir in equo albo. » Et propter passionem [3] : « Et ecce vir in equo rufo stabat inter myrteta, quæ erant in profundo [4]. »

15 2. *Equus albus*, sermo evangelicus [5], vel baptismi figura : « Et ecce equus albus; et qui sedebat super eum, datus est ei arcus [6]. »

3. *Equus niger*, pœnitentiæ figura, vel famis, ubi et supra.

4. *Equus rufus*, effusio sanguinis, et bella, vel martyrum cruor : « Et ecce equus rufus; et qui sedebat super eum, datum est ei sumere pacem de terra. »

20 5. *Equus pallidus*, pestilentia, vel Antichristi adventus : « Et ecce equus pallidus; et qui sedebat super eum, nomen illi Mors. »

6. *Albi equi*, corpora sanctorum : « Et exercitus qui est in cœlo, sequebatur eum in equis albis [7]. »

7. Prædicatores [8] : « Misisti equos tuos in mare, turbantes aquas multas [9]. »

25 8. Apostoli, sive martyres : « Numquid præbebis equo fortitudinem ? »

9. Carnalis potentia : « Væ qui ascenditis super equos, ut descendatis in Ægyptum [10]. » ÷ « Fallax equus ad salutem [11]. Hi in curribus, et hi in equis [12]. » ÷ Et in psalmo : « Ab increpatione tua dormitaverunt qui ascenderunt equos [13]. »

10. Lubrica vita [14] : ÷ « Nolite fieri sicut equus et mulus [15]. » ÷ In Jeremia :
30 « Equi amatores et emissarii, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebant [16]. »

(1) *Dicitur.* In interpretatione vulgari nominum hebraicorum *Samaria* dicitur *Custodia.*—(2) *Domini. In Apocalypsi* B-D. *Albo.* Apoc. VI, 2, al. Vulg. — (3) *Et in Zacharia, ob sanguinis ruborem.*— (4) *Profundo.* Zachar. II, 8. — (5) *Sermo prædicatoris* B-D. — (6) *Arcus, id est sermo prædicationis* B-D. Apoc. ib. — (7) *Albis.* Apoc. XIX, 14.—(8) *Apostoli. In Habacuc* B-G.—(9) *Multas.* Habac. III, 15.—(10) *Ægyptum.* Is. XXXI, 1, vet. interpret. — (11) *Salutem.* Ps. XXXII, 17. — (12) *Equis.* Ps. XIX, 8. — (13) *Equos.* Ps. LXXV, 7. — (14) *Peccatores luxuriosi* B-G. — (15) *Mulus.* Ps. XXXI, 9.—(16) *Hinnicbant.* Jerem. V, 8.

11. Præsens mundus [1] : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in itineribus, ut mordeat calcaneum equi, et cadat ascensor ejus retro [2]. »

÷ 12. Superbia : « Et subnervabis equos eorum [3]. »

÷ 13. Dignitas sæculi : « Vidi servos in equis, et principes ambulantes quasi 5 servos [4]. »

÷ 14. Præparatio rectæ intentionis : « Equus paratus in die belli, sed Dominus salutem tribuit [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus [6] apud *Hildefonsum*, c. 72.

10 Eucherius, ed. i, p. 15; ed. ii, col. 752 b ad 7 et 8.

Gregorius M. Equus, lubrica vita pravorum, ut ubi : « Nolite fieri, etc. » — Dignitas temporalis; unde Salomon : « Vidi, inquit, 15 servos in equis, etc. » Servi in equis sunt, dum peccatores præsentis vitæ dignitatibus efferuntur. — Præsens sæculum, ut ibi : « Fiat Dan coluber, etc. » Ungulas quippe equi mordere, est extrema sæculi feriendo contin- 20 gere. Cujus ascensor retro cadit, quia amator sæculi, ex hac vita repente decidens, ad quæ supplicia ducatur, nescit. Bene autem equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursu labentium tem- 25 porum spumat. — Præparatio rectæ intentionis, ut ibi : « Equus paratus i. d. b., etc. » Scilicet Dominus salutem tribuit, quia contra tentationes se quidem animus præparat, sed nisi adjuvetur desuper, salubriter 30 non decertat. — Quilibet sanctus prædicator, ut in Job : « Numquid præbebis, etc. » Fortitudo in equo, virtus sanctitatis in prælato; hinnitus in collo, sonus prædicationis in verbo [7]. — Sancti prædicatores, ut 35 ibi : « Misisti in mari, etc. » Venientibus enim sanctis prædicatoribus, omne cor quod in pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit. — Electorum corpora; unde Joannes : « Exercitus qui sunt in cœlo, sequebantur eum in equis albis. » Bene autem sanctorum corpora equis albis assimilantur, quia et vigore justitiæ et castimoniæ candore claruerunt.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iii, c. 2, p. 95.

Rabanus et Anonymus Claraevallensis. Equus, humanitas Christi, ut : « Ecce equus albus. » — Prædicator, ut : « Numquid p. e. f. » — Impius, ut : « Equum et ascensorem dejicit in mare [8]. » — Præsens sæculum, ut : « Mordens ungulas equi, etc. » — Corpus hominis, ut : « Equus paratus ad diem belli. » — Honor sæcularis, ut : « Fallax e. a. s. » — Cœtus persequutorum, ut : « Equus rufus. » — Forma hæreticorum, ut : « Ecce equus niger. » — Antichristus, ut : « Ecce equus pallidus. » — Libidinosus, ut : « Nolite fieri s. e. e. m. » — Apostoli, ut : « Misisti in m. e. t. » — Superbi et divites, ut : « Væ qui descendunt, etc. » — Corpora electorum, ut : « Sequebantur eum, etc. » — Superbæ cogitationes, ut : « Rex non multiplicabit sibi equos [9]. »

Petrus Cantor. Equus intelligitur quandoque superbia, ut ibi : « Ab increpatione tua, etc. » Item : « Fallax e. a. s. » — Prædicatio; unde : « Equitatui meo, in curribus Pharaonis, assimilavi te, amica mea [10]. » — Ipse Christus, ut ibi : « Fiat Dan coluber, etc. »

(1) *Sæculum. In Genesi : Fiat ... ejus retro, quod de Antichristo a quibusdam intelligitur* B-G. — (2) *Retro.* Genes. xlix, 17. — (3) *Eorum.* Josue xi, 6. — (4) *Servos.* Eccl. x, 7. — (5) *Tribuit.* Prov. xxi, 31. — (6) *Physiologus.* Necesse est meminerit hic lector quæ annotavimus in t. ii, p. 180. — (7) *Verbo. Mundo.* Alias. — (8) *Mare.* Exod. xv, 1. — (9) *Equos.* Deuter. xvii, 16. — (10) *Mea.* Cant. i, 8.

Equi albi significant statum innocentium et virginum : pallidi, statum confessorum, propter afflictionem carnis ; rubei et rufi, statum martyrum, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni.

PETRUS CAPUANUS ad litt. V, art. 40.

Equus

Æthereus.	*Mundanus.*
Caro Christi.	Luxuriosus, irrationabilis et stolidus.
Angeli, animæ sanctæ et corpora glorificata.	Superbia et vana gloria.
Prædicator et quilibet sanctus.	Agilitas pravæ mentis et fragilitas carnis.

Tartareus.

Equus rufus, vir sanguinum, cœtus persequutorum.
Equus niger, hæreticus, dux infidelitatis.
Equus pallidus, hypocrita, jejuniis pallens.

Equum æthereum insidet Deus, scilicet carnem Christi per unionem ; angelos, per contemplationem ; justum, vel prædicatorem, per gratiæ visitationem, vel conferendo fortitudinem. Equum mundanum insidet impietas, scilicet luxuriosum, per voluptatem ; superbum, per gloriæ elationem ; agilitatem pravæ mentis, per vanitatis levitatem. Equum tartareum insidet diabolus, scilicet equum rufum, per crudelitatem ; equum nigrum, per doctrinæ falsitatem ; equum pallidum, per simulationem.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. II, *de Equo*. Equum legimus Dei, equum animæ rationalis, equum diaboli, equum hominis superbi.

Equus Dei præcipue fidelis prædicator est, quando eum portat per mundum, de quo ipse ait ad beatum Job : « Numquid præbebis equo fortitudinem [1] ? » Prius dat Deus fortitudinem equo, et postea hinnitum, quia rectus ordo est, ut prius in se, qui docturus est cæteros, vitia restringat, et sic docendi auctoritatem acquirat.

Equus animæ rationalis est corpus suum ; unde beatus Gregorius quodam loco super Job [2] sic loquitur : Equus unicuique sanctæ animæ est corpus suum, quod et ab illicitis novit continentiæ fræno restringere, et impulsu charitatis in exercitationem boni operis laxare.

Invenimus in Apocalypsi per equum humanitatem Christi designari, ubi scriptum est ita : « Vidi cœlum apertum ; et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis et Verax ; et in justitia judicat. » « Vidi cœlum apertum, » id est, intellexi cœleste mysterium. « Et ecce equus albus, » id est homo ab omni peccato omnino immunis ; « et qui sedebat super eum, » id est Deus, qui erat in homine, « vocabatur Fidelis, » id est in proposito, « Verax, » in verbo et in facto ; « et in justitia judicat, » unicuique pro meritis retribuendo. In eodem libro legimus alio loco, quatuor equos cum suis sessoribus apparuisse ; primus fuit albus, et significabat chorum apostolorum, Spiritu sancto a peccatis purgatum. Secundus rufus, persequutores, prædicatorum sanguinem sitientes, figurans. Tertius niger, manifestos hæreticos designans. Quartus pallidus, hypocritas et simulatores significans. In Zacharia propheta legimus ascensorem equi rufi stetisse inter myrteta ; sed ibi per equum rufum designatur corpus Christi, proprio sanguine rubricatum ; cujus ascensor inter myrteta stetisse dicitur, quia Dei Filius cum temperatis et mitibus commoratur.

Equus diaboli est omnis qui per mortale peccatum subditus est illi, sive sit rufus crudelitate, sive sit niger infidelitate, sive sit pallidus simulatione, sive sit erectus elatione, sive sit fervidus libidine, vel alio quolibet irretitus crimine.

Equus dignitates et sublimitates hujus sæculi significat ; unde Salomon : « Vidi servos in equis, » id est, peccatores in dignitatibus et honoribus constitutos.

Equus significat superbos, quia cervicosus est ; libidinosos, quia lubricus est ;

(1) *Fortitudinem.* Job XXXIX, 19. — (2) *Job.* In *Moral.* lib. XXXI, c. 15, n. 27, col. 1009 A.

unde : « Nolite fieri, etc. » Et in Isaia : « Equi amatores et emissarii facti sunt, etc. »

Equus est mundus ; unde in illa prophetia sancti Jacob de Antichristo, qui de stirpe Dan nascitur, dicitur : « Fiat Dan, etc. » Quam sententiam Petrus de Riga sic exponit : Est equus, etc. [*vid. tom.* II, p. 268]. Et ibi : « Equus paratus in die belli : sed Dominus salutem tribuit, » quia « non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. » Versus magistri Hildeberti [1].

Ex ope cœlesti fit, si quid habetur honeste,
Et venit a superis, vel agas bene, vel mediteris.

BIBLIA CODIC. BELLEVALL.

Equus.

Lubrica vita pravorum.	Præparatio rectæ intentionis.
Dignitas temporalis.	Sancti prædicatores.
Præsens sæculum.	

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 6959-6972.

Nutrit equum fortem sollertia militis, audax
Ut belli victor tempore prævaleat.
Hujus mysterii si quæris scire figuram,
Quilibet esse potest hic equus homo.
Hic equus æquus homo sit, semper mente paratus
Omnia pro Domino justitiaque pati.
Iste dies belli præsens est mundus ; in isto
Pugnabit contra crimina justus homo.
Vel dic, illa dies quod sit sævissima belli,
Qua cœlum, terram et cuncta creata movet.
Ut contra vitium, mundum, Satanam quoque pugnet,
Promta sit hoc bello nostra pudica caro.
Si bene pugnasti, tales hostes superando,
Christus pro meritis præmia digna dabit.

IV.

÷ MULUS, irrationabilis quisque. In psalmo : « Nolite fieri sicut equus et mulus [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Vincent. Bellovac.*, l. XIX, c. 65.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15 ; ed. II, col. 752 B.

RABANUS. Mulus, piger [*ubi supra*].

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Mulus, tardi et stolidi et steriles a bonis operibus, ut : « Imponetis Salomonem filium super mulum [3]. » — Sensus carnalis, ut : « Absalon, sedens mulo, ingressus est subter quercum [4]. » — Steriles a fetu nocendi, vel virgines mente, ut : « Adducent fratres vestros in equis, quadrigis et mulis [5]. — Contemplatio, ut supra : « Imponetis, etc. » — Luxuriosus, ut : « Nolite fieri, etc. »

ANONYMUS DOMINICANUS, in *Compendio morali Quadruped. per brocardos*, art. XX.

2. Mulus, ut dicit Alexander [6], quum villam cernit in qua se pernoctaturum putat, repente claudicans, impotentem se ulterius progredi mentitur ; sed ascensor, cui notæ sunt fraudes ipsius, crebra iteratione calcarium, potentiam pristinam ei restituit : sic fictitii, considerantes opus difficile, carnis quietem appetentes, se impotentes ad opera virtuosa mentiuntur ; quare debent calcaribus pœnitentiæ pungi, et crebra exercitatione cogi.

3. Mulus, ut dicit Physiologus [7], est quasi medium inter equum et asinam ; quem qui ascendit, quasi temperantia vehitur ; quia qui portatur equo, superbia vehitur ; qui asino, pigritia ; qui mulo, temperantia.

4. Mula parva, ut dicit Palladius [8], a matre depellitur, et ad montes asperos pascere mittitur, ut laborem, assuefaciens se in ætate tenera, solidata contemnat. Sic in ju-

(1) *Hildeberti.* Inter editos, versiculos sequentes frustra inquisivi. — (2) *Mulus.* Ps. XXXI, 9. — (3) *Mulum.* III Reg. I, 33. — (4) II Reg. XVIII, 9. — (5) *Mulis.* Is. LXVI, 10. — (6) *Alexander.* Vide ad calcem capitis recensionem veterum physiologorum. — (7) *Physiologus.* Isidor. Cs. *Etymol.* l. XII, c. 1, n. 37, aut Vincentium Bellovacens. *Specul. nat.* l. l. — (8) *Palladius.* Constanter in cod.

ventute, in asperitate correctionis debes nutriri, ut solidatus in bono, mala contemnas.

PETRUS et ÆGIDIUS PARISIENSIS [1].

5 *Aurora*, in II Reg., v. 261-270.

* In mulo residens, fugiensque, sub arbore transit
* Absalon : est ex se noxius ipse sibi,
* Dum transire parat, ramis condensa reflexis
* Obvia per crines arbor inescat eum.
* Pendentem dimittit equus ; pendendo repertum
* Perforat hunc triplici cuspide dextra Joab.
* Judam suspensum notat Absalon arbore pendens,
Qui Christo pacis oscula falsa dedit.
Vel potius populus signatur hebræus in illo,
Qui semper Christo fraude molestus erat.

V.

1. CAMELUS, Christus [2] : « Liquantes culicem, et camelum glutientes. »

2. Gentilitas [3] : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum [4]. »

10 3. Amor mundi [5] : « Quo viso, Rebecca descendit [6] de camelo. »

÷ 4. Peccator, moribus distortus : « Cameli eorum ut locustæ [7]. »

÷ 5. Distortæ et tumidæ cogitationes : « Job camelos possedit [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, cod. 15 B, c. 23. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. III, c. 20, t. II, p. 438.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16 ad 3 ; ed. II, col. 752 C, D ad 1, 3.

GREGORIUS M. Camelus, Dominus Jesus 20 Christus, ut ibi : « Liquantes, etc.; » id est dimittentes latronem, et Salvatorem occidentes. Ille culex, qui furando vulnerat [9]; iste camelus, quia se ad omnia nostra humiliter portaturus inclinat.—Vitia gen-25 tilitatis, ut ubi Rebeccam ad Isaac venientem dorso cameli deduxerunt, quia Ecclesia, ad Christum ex gentilitate properans, in tortis vitiosisque conversationibus vitæ veteris invenitur.—Samaritani, qui quasi ruminant, 30 dum ex parte verba legis accipiunt, et quasi ungulam non findunt, dum eadem ex parte contemnunt. — Terrenarum rerum dispensationes, quas, quia aliquid habent sæculi, aliquid Dei, per commune illud necesse est animal designari. — Distortæ cogitationes et tumidæ; hos autem camelos cum beato Job possidemus, ut si quid altum sapimus, humiliter deponamus, et tumidos cogitatus nostros ad fraternæ necessitatis tolerantiam inflectamus.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 5, p. 103.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Camelus, Christus, ut : « Colantes culicem, c. g. » — Tortitudo vitiorum, ut : « Rebecca descendit de camelo. » — Potestas sæculi, ut : « Inundatio camelorum operiet te [10]. » — Dispensatio terrenorum, ut : « Possessio ejus, tria millia camelorum. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 67. Camelus malus, bonus, optimus. Malus sunt peccatorum gibbo deformes. Genesis : « Rebecca [Ecclesia [11]], conspecto Isaac [Christo], descendit de camelo [deformitatem deposuit]. Et illa, tollens pallium [virtutes], cito

(1) *Parisiensis.* Posterioris versus asterisco distingui notatum est. — (2) *Alii camelum Dominum Christum intellexerunt, pro eo quod humiliando semet ipsum peccatorum nostrorum onera portavit* B-G. *Glutientes.* Matt. XXIII, 24. — (3) *Populus gentilium, peccatorum oneribus onustus, vel moribus distortus. In Evangelio* B-G. — (4) *Cœlorum* Matt. XIX, 24 — (5) *Amor mundi, cujus figuram camelus ille gerebat, quum Rebecca nuptura sponso suo Isaac descendit. In Genesi* B-G. — (6) *Descendit.* Genes. XXIV, 64. — (7) *Locustæ.* Jud. VI, 5.—(8) *Possedit.* Job I, 3.—(9) *Vulnerat.* In ea quam diximus secundam Eucherii editionem, multa inde expilata videntur, et rectius forte legitur : *Culex, susurrando vulnerat.* Cum nostro textu concordant Biblia Bellevall. et Garnerius S. V.—(10) *Te.* Is. LX, 6. — (11) *Ecclesia.* Uncis inclusa e marg. cod.

operuit se. » — Camelus bonus dicuntur sancti fideles, ad portanda onera obedientiæ fortes. Isaias : « Inundatio camelorum operiet te. » Job : « Fuit possessio e. t. m. c. » — Camelus optimus, Christus. Evangelium : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, colantes, etc. »

Primus incurvatur ad portandas sordes et immunditias peccatorum. Isaias : « Incurvare, ut transeamus [1]. » Nonne ad has sordes portandas inclinata fuit mulier illa quam Dominus erexit, et Satan incurvaverat decem et octo annis? Secundus inclinavit se ad portanda onera fratrum. Nonne ad fratrum onera portanda se incurvabat Paulus, quum dicebat : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror [2]? » Et : « Quotidie morior propter gloriam vestram, fratres [3]. » Tertius inclinavit se ad portandam pœnam peccatorum. Paulus : « Exinanivit semet ipsum, formam servi accipiens [4]. » An non ad nostram sarcinam portandam se incurvavit, quando Samaritanus appropians sauciato, incurvavit se, imposuit eum super jumentum suum, et induxit in stabulum?

Prius ruminat corticem litteræ, sed non findit ungulam spiritualis intelligentiæ. Secundus ruminat mandata Dei, sed non findit ungulas unitatis Ecclesiæ. Tertius ruminat salutem hominum, sed non findit ungulam populorum, immo duos parietes in se conjunxit. Primus [peccator] a Jerusalem [statu gratiæ] in Jericho [defectum mundi] descendens, a latronibus [dæmonibus] vulneratur. Secundus hydria Rebeccæ [gratia] potatur. Tertius [Christus], ad suscitandum [genus humanum] filium Sunamitis [Ecclesiæ], inclinatur [per incarnationem]. Hic tertius camelus est ab initio præfiguratus [5], etc.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genesi, v. 1218-1221.

[*Vid. tom.* II, *p.* 165.]

In Evangel., v. 2441-2448.

Dives quem Dominus similem facit esse camelum,
Est aliquis turgens rebus, amator opum.
Qui retinet quod habet, et non extendit egenis
Palmas, efficitur iste camelus homo.
Non hunc porta virum recipit minus arcta; sed obstant
Ostia clausa, velut janua, limen, hamus.
Sed vitii pondus deponens, et sua spargens,
Per modicum transit ille foramen acus.

VI.

1. ASINUS, corpus humanum [6] : « Et imposuerunt vestimenta sua super eum, et eum desuper sedere fecerunt [7]. » ÷ In libro Judicum : « Qui ascenditis super nitentes asinos [8]. Item ibi de Axa [9], filia Caleb, quæ animæ gerit imaginem, dicitur : « Quumque suspirasset, sedens in asino [10]. »

2. Gentilis [11] : « Cognovit bos possessorem suum, et asinus præsepe domini sui [12]. » ÷ « Beati qui seminatis super omnes aquas immittentes pedem bovis et asinæ [13]. »

3. Stultus : « Non arabis in bove et asino [14]. »

÷ 4. Ecclesia, vel anima fidelis : « Ite in castellum quod contra vos est, et adducite mihi asinum [15]. »

(1) *Transeamus*. Is. LI, 23. — (2) *Uror*. II Cor. XI, 29. — (3) *Fratres*. I Cor. XV, 31. — (4) *Accipiens*. Phil. II, 7. — (5) *Præfiguratus*. Sequuntur non minus quam sex et sexaginta figuræ Christi in veteri Testamento, breviter adumbratæ, et notis in margine aut supra lineam disjectis luculenter illustratæ. Quis ad hæc usque parerga extendi nostrum commentarium pateretur? — (6) *Humanum*, *et populus gentium*. — (7) *Fecerunt*. Matt. XXI, 7. — (8) *Asinos* Jud. V, 10. — (9) *Asca* B, C — (10) *Asino*. Jos. XV, 18. — (11) *Idem populus gentium*. *In Isaia* B G. — (12) *Sui*. Is. I, 3 — (13) *Asinæ*. Is. XXXII, 20. — (14) *Asino*, *id est*, *stultum in prædicatione ne socies* B-G. Deuter. XXII, 10 — (15) *Asinam* Matt. XXI, 2.

÷ 5. Pauperum sustentator : « Asinum pupillorum abegerunt [1], » in Job de hæreticis.

6. *Primogenita asini*, mala vita [2] : « Primogenita asini redimes. » ÷ « Primogenitum asini mutabis ove [3], » hoc est primordia luxuriosæ vitæ.

VII.

5 1. Asina, Synagoga [4] : « Ligans in vineam pullum suum, et ad vitem, fili mi, asinam suam [5], » ÷ « lavabit in vino stolam suam. »

÷ 2. Asinæ, simplices : « Boves arabant, et asinæ pascebantur juxta eos [6]. »

÷ 3. Simplices cogitationes [*ubi supra*].

÷ 4. Caro afflicta. De asina Balaam correctionem habuit suæ vesaniæ.

10 ## VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugon. S. V.*, lib. I, c. 22, p. 438. — Apud *Vincent. Bellov.*, XIX, 11.

Eucherius, ed. I, p. 15; ed. II, col. 752 C, 15 D ad VI, 1, 2, 3, 6; ad VII, 1.

Gregorius M. Asinus, pigritia viri stulti, ut ibi : « Non arabis, etc., » id est, fatuum in prædicatione sapienti non associes. — Gentilis turbæ stoliditas, ut ibi : « Cognovit bos, etc.; » quia videlicet Judaicus populus Deum quem colebat, respuit [7], et gentilitas legis pabulum quod non habebat, accepit. — Gentilis [8] populus, et quælibet fidelis anima, seu etiam ecclesiastica intelligentia, ubi Dominus, super asellam sedens, Jerosoloymam venisse perhibetur. — Alienæ necessitatis sustentator, ut in Job : « Asinum pupillorum abegerunt; » id est, fidelem indigentium adjutorem ad suam perfidiam hæretici pertrahentes, eum a bonorum juvamine removerunt. — Vita immunda, ut ibi : « Primogenitum a. m. o.; » id est, immundæ vitæ primordia innocentiæ simplicitate convertes. — Caro humana, ut ibi : « Sedens Axa super asinum, suspiravit; » quod est, anima, carnalibus motibus præsidens, cœlestia concupivit.

Asinæ, quilibet laboriose simpliciterque viventes, ut : « Boves arabant, etc. » Juxta boves enim asinæ reficiuntur, quum simpliciores animæ, prudentioribus junctæ, eorum intelligentia sustentantur. — Lascivæ commotiones humani cordis, quas bene Job in possessionem habuit, quia vir justus, eos sub speciali dominio cohibens, reprimit. — Simplices cogitationes, quas dum a duplicitatis errore compescimus, quasi in campo liberæ puritatis emittimus.—Caro humana, a qua sessor ejus Balaam corripitur quando elatus spiritu humilitatis, bonum quod tenere debuit, ab afflicta carne memoratur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 3, 4, p. 96.

Rabanus. Asinus, vel asina, populus gentilis, ut : « Cognovit a. p. d. s. » — Judæorum stultitia, ut : « Exspectate hic cum asino [9]. » — Infirmus, ut : « Asinum p. a. » — Pigritia stultorum, ut : « Non arabis i. b. e. a. » — Vita immunda, ut : « Primogenitum a. m. o. » — Caro nostra, ut : « Axa sedens s. a. s. » — Synagoga, ut : « Invenietis asinam e. p. c. e. » — Luxuriosi, ut : « Quorum carnes ut carnes asinorum [10]. » — Sensus petulantes, ut : « Qui ascenditis s. n. a. » — Electæ animæ, ut : « Perierant asinæ Cis, patris Saul [11]. » — Simplices, ut : « Erant Job quingentæ asinæ [12]. » — Laboriosi, ut : « Boves arabant, etc. »

(1) *Abegerunt.* Job XXIV, 111. — (2) *Exordia vitæ luxuriosæ. In Exodo* B-G. — (3) *Ove.* Exod. XIII, 13. — (4) *Synagoga Judæorum. In Genesi* B-G. — (5) *Suam.* Genes. XLIX, 11. — (6) *Eos.* Job I, 14.— (7) *Reperit* cod.—(8) *Generalis populus* ib.—(9) *Asino.* Genes. XXII, 5. — (10) *Asinorum.* Ezech. XXIII, 20.— (11) *Saul.* I Reg. IX, 3. — (12) *Quingentæ asinæ.* Job I, 3.

PETRUS CAPUANUS ad litt. I, art. 60.

Asinus.

Brutum animal.	Caro.
Synagoga.	Initium pravæ con-
5 Gentilis populus.	versationis.
Simplices animæ.	Stoliditas Judæorum.

Asinus etiam, Christus. Asinus enim ad litteram humile animal est et abjectum : et de Christo ait Isaias : « Nos reputavimus 10 eum quasi abjectum et novissimum virorum [1]. » Asinus aptum animal est ad onera portanda : et ipse Christus onera peccatorum nostrorum in cruce portavit. Asinus pabulo quod ipse fert, reficitur postmo- 15 dum : et Christus in onere peccatorum nostrorum, quæ ipse tulit, refectus fuit admodum et delectatus. Nonne reficiebatur et delectabatur ex ipso onere suo, quando oblatus est, quia ipse voluit? Asinus etiam 20 stolidum et imprudens animal reputatur : de Christo Paulus : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus [2]. » Immo et quodam modo imprudens erat, quia, juxta quod ait Paulus, « quæ stulta sunt mundi 25 elegit Deus, ut confunderet fortia. »

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. I, *de Asino* [3]. Asinus in sacra Scriptura et tetris litteris et aureis inscribitur, id est, in mala significatione et in bona accipitur. Asinus, 30 quia animal stolidum est, significat stultitiam vel ipsos stultos. Unde Petrus Riga [4] :

Stultus stultitiam Synagogæ signat asellus.

Asinus, quia animal tardum est, significat pigritiam vel pigros ; unde Boethius : 35 Segnis ac stupidus torpet? Asinum vivit [5].

Asinus, quia animal libidinosum est, significat luxuriam vel luxuriosos ; unde propheta : « Quorum carnes, etc. »

Asinus, quia horribilem emittit vocem, significat carnem humanam, quæ quanto irrationabilior, tanto horribilius contra spiritum clamat. Quod asinus vel asina carnem significat, habes in libro Judicum, ubi inter cætera ita scriptum est : « Axa sedit super asinam, et suspiravit. Cui Pater : Quid habes? Et illa : Terram australem dedisti mihi ; junge irriguam. Et dedit ei pater irriguum superius et irriguum inferius. » Axa, super asinam sedens et suspirans, est fidelis anima, carni imperans et Deum suspirans. Tali animæ quandoque dantur sine lacrymis quædam australia, spiritualia Dei beneficia, qualia sunt abstinentia, continentia, vigiliæ, eleemosynæ, psalmodiæ et orationes privatæ. Quæ quandoquidem sunt sine lacrymis, licet sint terra australis, id est possessio spiritualis ; tamen quia minus habent devotionis, possessio sunt terræ arentis ; unde quidam ait [6] :

Quum caro jejunat, datur arida terra petenti ;
Quum gena rore madet, humida terra datur.

Irriguum vero superius est flere ex dilectione regni ; irriguum inferius est flere præ timore supplicii.

Asinus, quia fortis est in posterioribus, et in anterioribus debilis, significat eos qui fortes sunt in exsequendis negotiis temporalibus, et infirmi [in spiritualibus] ; quales reprehendit beatus Hieronymus, se cum illis reprehendens, ut eos liberius reprehendat, sic loquens : Ferventissimi in terrenis, in cœlestibus vero frigidissimi sumus ; et in minimis maximam exhibentes alacritatem, ad majora torpescimus.

(1) *Virorum.* Is. LIII, 4. — (2) *Hominibus.* I Cor. I, 25 — (3) *De asino.* Ab initio auctor iste suo non pepercit ingenio, videlicet grammatica usque ad vesaniam venandi et congerendi studio : audi enim ipsummet : « *Asinus* dicitur quasi *sine sensu*, ab *a* quod est *sine*, et *senos* [sic] quod est *sensus* [an forte νοῦς pessime retortus?]. Nam *senos* per *s* significat sensum. *Cenos* per *c* [κοινός], *commune*. *Scenos* per *sc* [σκηνή], *umbram*. Ξένος per ξε, *peregrinum*. Quæ omnia breviter his versibus :

C commune sequens, *S* umbrans, *X* peregrinum
S per *sc* sensum significare solet.

Hæc ille. Saniora dein sequuntur, quæ idcirco integra textui superiori inseruimus. — (4) *Riga.* In *Aurora*, Genes. v. 1194, frequenter alludunt veteres ad hunc locum :

Exspectant Abraham pueri, quos ille reliquit
Servantes asinum qui comes unus erat :
Stultus, etc.
Qui nunc exspectans nescit adesse Deum.

— (5) *Vivit. De. Cons. Ph.* p. 275, 7. — (6) *Ait.* Petrus de Riga, in *Aurora*, Judic. v. 265, 266.

Per asinum simplices designantur, ut ibi : « Boves arabant, etc.; » quia doctores verbum Dei prædicant, et simpliciores auscultant.

5 Asinus, quia immundum est animal, vitam immundam significat, vel ipsos immundos; unde : « Primogenita asini redimes ove, » id est, prioris vitæ immunditiam per sequentem redimes innocentiam.

10 Asinus, quia animal mite est et mansuetum, significat mites et mansuetos, qui Christum habent sessorem.

Asinus, quia est animal oneriferum, vili pabulo contentum, et crucis formam gestat 15 in humeris, significat veros pastores animarum, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; qui per compassionem proximi crucem portant in mente, et per macerationem carnis propriæ crucem ge-20 stant in corpore. Hi signati sunt per Issachar, dicente de eo Jacob : « Issachar, asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem, quod esset bona, et terram, quod optima; et supposuit humeros ad portan-25 dum [1]. » Issachar interpretatur Merces, et significat bonos prælatos qui sunt merces bonorum subditorum. Nam subditi boni bonos merentur habere pastores. Bonus pastor asinus fortis est : sed asinus, quia 30 mitis, quia mansuetus, quia multum oneratus; fortis, quia invictus, quia contra superbos rigidus, paratus

Parcere subjectis et debellare superbos [2].

Talis pastor accumbit inter terminos, id 35 est activam vitam et contemplativam, attingens a fine ad finem fortiter, similis Aoth, qui utraque manu utebatur pro dextera. Talis, quia videt mentis oculo requiem quod sit bona, id est pacem pectoris, et 40 terram quod optima, id est immobilem mansionem patriæ cœlestis, supponit humeros ad portandum, quia spes præmii solatium est laboris. Cato :

Spem retine ; spes una hominem in morte relinquit.

Proverbium *Vetulæ :*

Si spes non esset, cor tristitia crepuisset.

Anonymus Clarevallensis. Asinus stolidus, hebes, obliviosus ; retro fortis, ubi immundior; ante debilis, ubi crucem portat. Horribiliter clamat; luxuriosus, tardus, segnis; oneriferum animal. Cythara delectatur eum, calcat, si invenerit. Dum pullus, pulcher est; turpis, quando senescit; super sterquilinium paleas comedit, durum animal in laboribus est.

Asinus.

Populus gentilis.	Synagoga.
Judæus.	Luxuriosi.
Infirmus.	Sensus petulantes.
Pigritia stultorum.	Electæ animæ.
Vita immunda.	Simplices.
Caro nostra.	Laboriosi.

Petrus de Riga.

Aurora, in Numer., v. 558-583.

Conductus Balaam fuit ut maledicat Hebræis :
 Sed maledicta magi sunt bene dicta magis.
Insidet hic asinæ; mutum loquitur pecus ; ensem
 Non videt angelicum sessor; asella videt.
Muta prius plebs gentilis loquitur modo laudes,
 Christe, tuas : istud signat asella loquens.
Cujus erat sessor aliquis qui falsa docebat
 Sacra coli, donec respuit illa deos;
Donec Christus adest, qui consilii fuit alti
 Angelus, et gentes subjugat ille sibi.
Vel carnem nostram signare videtur asella,
 Est animus sessor quo solet illa regi.
Sed fit sæpe vagans [3] animus, dum pessima quædam
 Cogitat, obstat ei verbere trita caro.
Vult implere viam Balaam, sed trita flagellis ,
 Et divina videns, tardat asella viam.
Amplecti mundum quorumdam vota laborant,
 Sed votis obstat verbere trita caro.
Nam nos a vitiis mundanis sæpe retardant
 Corporis anxietas, damna, flagella, fames.
Quidam sæpe viri prece pulsant astra frequenti,
 Sed steriles reddit vita maligna preces.
Hinc loquitur Balaam : « Mors justorum mea fiat ! »
 Sed necat hoc votum mente cupido vigens.
Consilium dedit ille Balach, qua turbet Hebræos
 Arte, quibus frangat hostica castra dolis, etc.

(1) *Portandum.* Genes. xlix, 14. — (2) *Superbos.* Æneid. vi, 853. — (3) *Vagus* al.

VIII.

1. Boves, apostoli, vel cæteri prædicatores : « Non alligabis os bovi trituranti [1]. »
2. Judaicus populus [2] : « Cognovit bos possessorem suum [3]. Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asinæ [4]. »
3. Luxuriosi [5] : « Statim sequuntur eam, quasi bos ductus ad victimam [6]. »

÷ 4. Sapiens : « Non arabis in bove et asino [7]. Oves et boves universas [8]. »

÷ 5. Mansuetudo doctorum : « Boves cum leonibus in templo sculpti sunt [9]. »

÷ 6. Bonum opus : « Non arabis in primogenito bovis [10]. »

÷ 7. Zabulus, in membris suis, hoc est hæreticis. In Job : « Fenum ut bos comedet [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugon. S. V.*, lib. III, c. 19, p. 437.

Eucherius, ed. I, p. 15; ed. II, col. 753 A ad 1.

Gregorius M. Bos, judaicus populus, jugo legis attritus, ut ibi : « Cognovit bos, etc. » — Homo lascivus, ut ibi : « Statimque sequitur eam, etc. » — Diabolus, ut ibi : « Fenum q. b. c. »; id est carnalium vitam pravæ suggestionis dente corrodet. — Homo sapiens, ut ibi : « Non arabit i. b. e. a.; » id est, non junges sapientem in prædicatione cum stulto. — Laboriosus prædicator, ut ibi : « Non obturabis o. b. t.; » id est, non negabis stipendia prædicanti. — Operatio bona, ut ibi : « Non arabis i. p. b.; » id est, non pertrahes in exemplum tenera principia bonæ operationis, ne mens adhuc parum firma, aut per laudem elata corruat, aut per vituperationem percussa contabescat. — Boves, mansueti doctores, ut ibi : In vasis templi inter coronas et plectas, boves et leones et Cherubim exsculpta sunt. Coronæ sunt victoria; plectæ, concordia; Cherubim, scientia; boves, mansuetudo doctrinæ; leones, severitas disciplinæ.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 7, p. 107.

Rabanus. Bos, prædicator, ut : « Non arabis, etc. » — Operarius, ut : « Non obturabis o. b. t. » — Opus bonum, ut : « Non arabis cum p. b. » — Judaicus populus, ut : « An mugiet bos, quum ante præsepe plenum steterit [12] ? » — Gentilis populus, ut : « Cognovit bos p. s. » — Lucas evangelista, ut : « Facies bovis a sinistris [13]. » — Fatuus, ut : « Sequitur eam, etc. » — Patriarchæ, ut : « Vitulum de bobus sine macula [14]. » — Perfecti, ut : « Boves arabant, et asinæ juxta eos [15]. » — Prælati, ut : « Jumenta in montibus et boves [16]. » — Doctores mansueti, ut : « Inter coronas et plectas, leones et boves et Cherubim [17]. » — Diabolus, ut : « Fenum q. b. c. » — Hæretici, ut : « Boves eorum crassæ [18]. » — Cupiditates, ut : « Juga boum emi quinque [19]. » — Oblationes cordis, ut : « Offeram tibi boves cum hircis [20]. »

Petrus Cantor. Prælatus dicitur bos,

(1) *Trituranti*. Deuter. xxv, 4. — (2) *Populus, in Christo credens. In Isaia* B-G. — (3) *Suum*. Is. II, 3. — (4) *Asinæ*. Is. xxxII, 20. — (5) *Homo deceptus. In Salomone : Statim eam sequitur* B-G. — (6) *Victimam*. Prov. VII, 22. — (7) *Asino*. Deuter. xxII, 10. — (8) *Universas*. Ps. VIII, 8. — (9) *Sunt*. III Reg. VII, 29. — (10) *Bovis*. Deuter. xv, 19. — (11) *Comedet*. Job XL, 10. — (12) *Steterit*. Job VI, 5. — (13) *Sinistris*. Ezech. I, 10. — (14) *Macula*. Levit. IV, 3. — (15) *Eos*. Job I, 14. — (16) *Boves*. Ps. XLIX, 10. — (17) *Cherubim*. Eadem laudantur in editis Rabani, ut fertur, *Allegoriis*, et sic exponuntur : « Per *boves*, cogitationes mansuetæ, ut in III libro Regum : *Boves in basibus et boves et cherubim* : quod in prælatis cum rigore et scientia esse debent cogitationes mansuetæ. » Gregoriana nemo non agnoverit. — (18) *Crassæ*. Ps. cxLIII, 14. — (19) *Quinque*. Luc. xIV, 19. — (20) *Hircis*. Ps. LXV, 15.

propter multa quæ in bove attenduntur: quia bos habet cornua, sicut et prælatus pro cornibus habet scientiam utriusque testamenti, qua possit hæreticos ventilare; 5 unde in mitra pontificali duo sunt cornua. — Quia bos ruminat : ita prælatus, per jugem legis Dei meditationem. — Quia bos scindit ungulam : ita prælatus per utriusque testamenti scientiam, per Dei et proximi 10 dilectionem, per fidem utriusque naturæ in Christo. — Quia bos exarat terram : ita et prælatus corda subditorum, vomere prædicationis. Talis bos cognovit possessorem suum, et non alius; sed cognitio alia est in 15 præsenti, alia in futuro : cognitio quæ habetur in præsenti, ænigmatica est; quæ erit in futuro, comprehensiva.

PETRUS CAPUANUS ad litt. II, art. 13.

Bos.

20 Prædicator.	Magistri et principes hæreticorum.
Judaicus populus.	
Christus.	

Bos autem animal est mansuetum; mundum, eo quod ruminat et ungulam findit; 25 animal etiam aptum jugo; et per labores ejus fruges illæ deveniunt, quæ ad vitam humanam sunt necessaria : hæc autem bene competunt prædicatori. Bos namque animal est mansuetum : et prædicator per patien-30 tiam mansuetudinem servat. Nonne hanc servavit beatus Andreas, quando cum populi in sua passione vellent eum eripere vi, dixit : Nolite, fratres, in seditionem convertere quietem Domini nostri Jesu Chri-35 sti [1]? Bos animal mundum est, eo quod ruminat et ungulam findit : et prædicator ruminat per meditationem, et ungulam findit per discretionem. Bos est animal aptum jugo : et prædicator aptus est jugo Christi. 40 De prædicatore namque præcipue dicitur in Genesi : «Deposuit humerum suum ad deportandum [2].» Labore etiam boum fruges proveniunt : et labore prædicatorum illæ fruges bonorum operum et virtutum proveniunt quæ ad vitam animæ exiguntur. Nonne ad has fruges producendas tam Paulus quam Apollo laborabat, quando Paulus plantavit, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit?

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Bove*. Bos significat Lucam evangelistam, ut ibi : «Facies autem bovis a sinistris ipsorum quatuor.» Et in his versibus [3] :

Virgo Joannes, avis; vitulus, Lucas; leo, Marcus;
Est homo Matthæus : quattuor ista, Deus.
Est homo, nascendo; vitulus, mortem patiendo;
Est leo, surgendo; Jovis ales, alta petendo.

Bos prædicatorem significat, ut ibi : «Non alligabis, etc.;» id est, non denegabis victum doctori exponenti Scripturas in Ecclesia, vel elicienti spirituales sensus de historia.

Bos significat bonum operarium [4], ut ibi : «De stercoribus boum lapidatus est piger [5].» Stercora boum increpatoria verba sunt prædicatorum, quibus reprehendunt vitia peccantium; quæ vitia, quia habent impuritatem, sine verbis turpibus exponi non possunt; et ideo talia verba boum stercoribus comparantur. Ex his lapidatur piger, id est condemnatur, vel dure increpatur, quia ad explenda Dei præcepta negligens invenitur et segnis.

Bos significat bonam operationem, ut ibi : «Non arabis in primogenito bovis;» id est, non exercebis in publico primordia boni operis.

Nam quia laudis amor vix ad plenum superatur,
Jus est ut virtus, donec sit firma, tegatur.

Bos significat morum gravitatem, ut ibi : «Planta pedis eorum, ut planta vituli [6].» Nam gravitas incessus, morum indicat maturitatem.

Bos significat mansuetudinem; unde in basibus templi leones et boves et Cherubim sunt expressa. Bases in templo sunt sacer-

(1) *Christi*. Acta S. Andreæ, apud Galland. *Bibl. Vet. PP.* t. I, p. 158 A. — (2) *Deportandum*. Genes. LXIX, 36. — (3) *Versibus*. Eadem elegantius in *Aurora*, v. 33-36 Evangeliorum :

Christus homo, Christus vitulus, Christus leo, Christus
Est avis; in Christo cuncta notare potes.
Est homo, dum vivit; bos, dum moritur; leo, quando
Carne resurgit; avis, quando superna petit.

—(4) *Bonum operantium operarium*. Cod. Nonnulla desunt. — (5) *Piger*. Eccli. XXII, 2. — (6) *Vituli*. Ezech. I, 7.

dotes in Ecclesia; per leones, terror severitatis; per boves patientia mansuetudinis figuratur. Cato :

Constans et levis, ut res expostulat, esto.

5 Bos significat electum populum ex Judæis, ut ibi : « Cognovit bos possessorem suum, » quia quidam Judæi ad fidem conversi possessorem omnium Christum agnoverunt.

Bos significat cervicositatem, ut ibi : 10 « Offeram tibi boves cum hircis [1]; » id est, ad honorem tuum destruam in me cervicositatem cordis, cum pestilentia carnis.

Bos significat fatuitatem ; unde scriptum est in Parabolis de adolescente stulto : « Se- 15 quitur meretricem, quasi bos d. a. v.; » id est, quasi fatuus nesciens, ductus ad mortem suam.

Bos significat curiositatem, ut ibi : « Juga boum emi quinque [2]. » Unde :

Villa, boves, uxor cœnam clausere vocatis :
20 Mundus, cura, caro cœlum clausere renatis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Bos.

Prædicator.	Diabolus.
Operarius.	Hæretici.
Opus bonum.	Cupiditates.
Lucas evangelista.	Oblationes cordis.
Patriarchæ.	

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 722-732.

Ille (*Job*) boves, asinos et oves, simul atque camelos,
Servos, ancillas, satis ut prædives, habebat.
Spiritualiter hæc Christus tenet, Ecclesiæ rex :
Pontifices, reges, sexus utriusque fideles,
Doctores, dociles, pastores, agricolantes,
Prudentes, humiles, idiotas et meriones [3]
Advocat Ecclesiæ Christus, qui regnat ubique.
Job primum pecudes narrantur, ac inde clientes :
Nam piscatores facti sunt primo fideles.
Hinc per piscentes [4] Christus docuit sapientes,
Debilibus mundi subdens sibi fortia mundi.

IX.

1. TAURUS, antiqui patres [5] : « Tauri mei et altilia mea occisa sunt [6]. »

2. Pharisæi superbi [7] : « Circumdederunt me concilia taurorum, in vaccis populorum [8]. »

÷ 3. Superbiæ cervix : « Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite 25 ad servum meum Job [9]. »

÷ 4. Potestates sæculi hujus, cornu superbiæ humiles plebes ventilantes. In Jeremia : « Mugistis ut tauri [10]. » Et alibi : « Et tauri cum potentibus [11]. »

÷ 5. Christus. In Genesi : « Et in furore suo subnervaverunt taurum [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

30 PHYSIOLOGUS apud *Hugonem S. V.*, lib. III, c. 18, p. 437. — Apud *Vincent. Bellovac.*, XVIII, 88.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 751 D ad 3.

35 GREGORIUS M. Taurorum nomine cervix superbiæ designatur, sicut amicis beati Job a Domino dicitur : « Sumite vobis septem tauros et septem arietes, et ite ad servum meum Job, et offeret holocaustum pro vobis. » Tauros et arietes in sacrificio offerre, est superbum ducatum conversionis humilitate mactare, ut, edomita cervice superbiæ, discant, obediendo gratiæ septiformi,

(1) *Hircis.* Ps. LXV, 15. — (2) *Quinque.* Luc. XIV, 19. Sunt v. Hildeb. col. 1226. — (3) *Meriones.* Glossa supra lineam, eadem manu : *Quasi asinos sensu.* — (4) *Piscentes.* Sic codex, idque suadet clausula rhythmica. — (5) *Patres, sive prophetæ. In Evangelio* B-G. — (6) *Sunt.* Matt. XXII, 4. — (7) *Hæretici* B-G. — (8) *Populorum.* Ps. LXVII, 31. B-G addunt : *id est, plebe lascivientes.* — (9) *Job*, XLII, 8. — (10) *Tauri.* Jerem. L, 11. — (11) *Potentibus.* Is. XXXIV, 7. — (12) *Subnervavit taurum* G. *Suffoderunt murum* Vulg. Ib. 49, 6; cum nostra versione concordant Tertullian., Hieron., Rufin., Ambros. apud Sabaterium.

sequi, qui dudum perire conabantur. — Taurorum nomine patres veteris testamenti designantur, ut in Evangelio : « Ecce prandium meum paravi. Tauri, etc., et omnia parata, venite ad nuptias. » Ac si apertius dicatur : patrum præcedentium aspicite mortem, et remedia vitæ vestræ cognoscite.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. II, c. 10, p. 115.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Tauri, Judæi, ut : « Tauri pingues obsederunt me [1].» — Patres veteris testamenti, ut : « Tauri mei et a. o. s. » — Cervix superbiæ, ut : « Sumite, etc.» — Hæretici, ut : « Congregatio t. i. v. p.»

PETRUS CAPUANUS ad lit. XIX, art. 80.

Taurus

	In malam partem.
Æternus, Christus.	
Antiquus, patres veteris testamenti.	Potentes hujus sæculi.
Modernus, quicumque sanctus.	Hæretici.
	Superbi.

Taurus autem ad litteram fortis est; cornua producit, et ungulam findit; immolabatur etiam Domino : sed et Christus fortis fuit robore. Psalmus : « Dominus fortis et potens.» Nonne fuit robore fortis, quando David noster, vere manu fortis, manu inermi et etiam cruci affixa, debellavit aerias potestates? Ipse produxit cornua, scilicet crucis. Sed taurus producit cornua in capite; Christus produxit in manibus. Habacuc : « Cornua in manibus ejus [2]. » His cornibus ipse ventilavit hostes nostros, quando Dominus regnavit a ligno, et David noster antiquum illum Goliam gladio ipsius, ligno scilicet quo occiderat hominem, potenter dejecit. Findebat etiam ipse Christus ungulam, tamquam taurus, in duo testamenta, quum dicebat : « Non veni legem solvere, sed adimplere [3].» Taurus etiam Domino immolabatur : et Christus immolatus est pro nobis omnibus. Paulus : « Et ipse assistens pontifex futurorum bonorum, non per sanguinem hircorum et taurorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemtione inventa [4]. »

ANONYMUS DOMINICANUS, *de Quadrupedib. per brocard.* art. XXXIII.

1. Tauri sunt animal luxuriosum, ut dicit Aristoteles; unde fertur quod corvi pugnant cum eis, punguntque oculos eorum rostro : sic diabolus peccatores impugnat, eruendo oculos rationis.

7. Taurus tonitrua non timens, in principio coruscationis, remanet in prato pascens : sic multi non curantes de verbis terribilibus, vel peccatores, de minis prædicatorum vehementibus contra vitia, faciunt semper quæ eis placent. Sed vaccæ, id est simplices animæ, timent, et malum fugiunt.

8. Taurus silvestris, ligatus ad arborem fici, mansuescit : sic cor, quantumque elatum, dulci admonitione, vel correctione, vel si amore ligetur arbori dulcedinis, crucis videlicet.

9. Tauri, ut dicit Solinus [5], tantæ ferocitatis sunt, ut capti animas feritate projiciant : sic superbi vel liberi, in servitutem redacti.

10. Sanguis tauri interficit serpentes, maculas faciei tollit, fel vero ejus cum melle et balsamo oculorum vitia curat : sic Christi passio diabolum occidit, maculas peccati delet; fel vero, id est amaritudo passionis ejus memorata, sed cum melle devotionis et balsamo devotæ orationis, oculum animæ sanat, ut videantur propius defectus et peccatum.

ANONYMUS TRECENSIS. Impius vix retrahitur a peccato. Notandum : Isidorus dicit [6] quod bubalus odit et persequitur omne rubeum. Ideo venator, volens capere bubalum, videns eum cum impetu venientem, ponit se retro arborem magnam. Tunc bubalus credit se cornibus percutere; ita infigit in ar-

(1) *Me.* Ps. XXI, 13. — (2) *Ejus.* Hab. III, 4. — (3) *Adimplere.* Matt. v, 17. — (4) *Inventa.* Hebr. x, 4. — (5) *Solinus.* C. 25, cf. Plin. *Hist. nat.* VIII, 21. —

(6) *Dicit.* In *Etymol.* XII, c. 1, n. 33, ubi de Bubalo quidem agit, minime vero verbis iisdem ac Noster utitur.

bore cornu, quod arbore detinetur, et tunc a jaculis venatoris prosternitur, et occiditur. Sic spiritualiter, quum verbum vel factum displicet homini impatienti, ille volens vindicare, cum tanto impetu movetur impatientia, quod propriis cornibus et motibus sic detinetur in impatientia, ut a jaculis venatoris inferni transfigatur, et sic per peccatum impatientiæ moritur.

11. Detractor moritur spiritualiter quando detrahit. Notandum : Philosophus, lib. II, *de Animalibus,* dicit quod sanguis tauri crudus comestus hominem perimit, sicut venenum : sic detractor, quando loquitur de facto alterius, non ex charitate, sed ad infamiam. Ideo prohibetur concessio sanguinis : « Carnem [1] et sanguinem non comedetis. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levit., v. 41-80.

His breviter tactis, accingor ad hoc holocaustum
 Quod fieri jussit de bove sermo Dei ...
Offerat iste marem sine labe : sit ergo virilis,
 Nil muliebre gerens, crimina quæque cavens;
Efficiat que bonum, non laudis amore, sed ædis
 Angelicæ, Moysis quam notat illa domus.
Sic Dominum placas, si te fugiente favores,
 Hæreat in cœlis anchora fixa spei.
Iste manum ponit supra vituli caput : istud
 Expiat, est gratum, proficiensque reo.
Imponendo manus se devotum notat esse,
 Ceu dicat : Munus offero sponte meum.
Expiat hoc hominem, si munus fronte serena
 Offerat; est hilaris dignus amore Dei.
Et coram Domino vitulum mactabit, ut istud
 Non homo, sed Dominus approbet, optet, amet.
A pueris Aaron offerri deinde jubetur
 Purpureus vituli, lege jubente, cruor.
Altaris per circuitum fundendus ab illis
 Est roseus sanguis, deforis, ante domum.
Signantur pueris Aaron vigiles animarum;
 Altari, Christus, Ecclesiæve domus.
Sanguine signatur hominis perversa voluntas,
 Quæ sub corde latet, sive cupido mali...
Fundatur sanguis, moritur caro : prava voluntas
 Tollatur, cernes carnea vota mori...
Altari Christo sic hostia nostra jubetur
 Imponi, per eum quum placet illa Patri;
Sive per Ecclesiam, quam diximus esse notatam
 Altari, sine quo victima nulla placet.

X.

1. VITULUS, Christus : « Et adducite vitulum saginatum [2]. » ÷ « Cucurrit Abraham ad armentum, et tulit inde vitulum tenerrimum et optimum [3]. Placebit Deo super vitulum novellum [4]. »

÷ 2. Et in aliam partem : « Confregit Dominus cedros Libani. » ÷ « Et comminuet eos tamquam vitulum Libani [5]. »

3. Sancti fide crescentes : « Tunc imponent super altare tuum vitulos [6]. » ÷ « Reddemus vitulos [7]. »

4. Judæi lascivientes : « Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me [8]. »

5. Prædicator : « Planta pedis ejus ut planta vituli [9]. »

XI.

VITULA, mens carnalis : « Ephraim vitula docta diligere trituram. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

DAMASUS, *Carm.* VI, v. 6.
SYLVIUS, *de Nominibus Christi*, v. 10.
PHOEBADIUS, *Adv. Arian.*, p. 262 A.
ORIENTIUS, *de Nativ. Dom.*, v. 4, 138.

(1) *Carnem.* Gen. IX, 4. — (2) *Saginatum.* Luc. XV, 23. — (3) *Optimum.* Genes. XVIII, 7. — (4) *Novellum.* Ps. LXVIII, 32. — (5) *Libani.* Ps. XXVIII, 6. — (6) *Crescentes et a jugo legis libera colla habentes. In psalmo* B-G. *Vitulos.* Ps. L, 21. — (7) *Vitulos.* Osee XIV, 3. — (8) *Me.* Ps. XXI, 13. — (9) *Vituli.* Ezech. I, 7.

Eucherius, ed. i, p. 15; ed. ii, col. 753 b ad x, 1, 2.

Physiologus apud *Hugonem S. V.*, lib. iii, c. 18.

5 Gregorius M. Vituli nomine sanctus prædicator designatur, sicut in Ezechiele dicitur : « Planta pedis, etc. » In sanctis quippe prædicatoribus planta pedis est ut planta vituli, scilicet mature incedens, et 10 fortis et divisa. — Vitulæ nomine mens carnalis designatur, sicut per Oseam prophetam dicitur : « Ephraim vitula docta diligere trituram [1]. » Vitula enim laboribus assueta, trituræ relaxata, plerumque ad eumdem la- 15 boris usum, et non compulsa, revertitur : ita pravorum mens, hujus mundi servitiis dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, etsi sibi libere vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat.

20 Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iii, cap. 11, art. 5. p. 117.

Isidorus, *Etymol.* lib. vii, c. 2, n. 43.

Rabanus. Vitulus, Christus, ut : « Tulit vitulum de armento. » — Superbia cordis, 25 ut : « Offerat pro peccato suo vitulum [2]. » — Christus passus, ut : « Occidit vitulum saginatum. » — Diabolus, ut : « Fecerunt vitulum conflatilem [3]. » — Caro nostra, ut : « Immolaverunt vitulum, et obtulerunt 30 puerum [4]. » — Judæi, ut : « Circumdederunt me v. m. » — Motus carnis lascivientes, ut : « Tunc imponent super altare tuum vitulos. »

Vitula, caro Christi, ut : « Adducant ad 35 te vitulam rufam. » — Uxor hominis, ut : « Nisi arassetis in vitula mea [5]. » — Mens prava, ut : « Ephraim, etc. »

Notkerus, *Sequent.* xxxvi, v. 7.

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 138.

40 *Vitulus*

Supremus.	*Medius.*
Christus.	Sancti Spiritu sancto innovati.
Sancti in judicio innovati et liberati ab omni jugo.	Fidelis, vel ad religionem conversus de novo.
Sacrificia laudis sive orationum.	Vita sanctorum, gravis et matura.
Lucas evangelista.	De superbia humiliati.

Infimus.

Lascivi homines.	Mens terrenalis.
Judæi indomiti.	Idololatria.

Anonymus Clarevallensis. Vitulus et vitula a viriditate vocati sunt. Vitula immolabatur rufa, trima, immaculata.

Est vitulus mundus, mitis, lactans, novus, insons,
Sacrificativus, producit cornua, mugit,
Absque jugo liber, saliens, alacris, pede firmus.

[*Sequuntur eædem distinctiones ac supra in Rabano.*]

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1639-1658.

Oblatus vitulus ex armento datur aræ,
Christum designans, quem tulit ara crucis.
Est vitulus Christus ; armentum sunt patriarchæ ;
Prodiit inde caro, sed caro labe carens.
Hic tener est vitulus, producens cornua, cujus
Hæserunt manibus brachia sacra crucis [6].
Pro nati reditu fuit hic a patre necatus,
Dum Christus patitur, Patre jubente, crucem.
Impositis manibus supra vituli caput, Aaron
Cum pueris vitulum mactat, eumque sacrat.
Hoc expressa loco manus est pharisæa per illos,
Quæ Christi capiti spinea serta dedit.
Vel Christi caput est Deus; ergo manus super illud
Imponit, Christum qui negat esse Deum.
Sanguine tinguntur altaris cornua : signat
Ara crucem; signant cornua ligna crucis.
Nam Christi sanguis imbalsamat inclyta ligni
Brachia, dum clavis petra forata fuit.
Altarisque bases sanguis distillat ad imas,
Quum forat hasta latus, et cruor ima petit.

(1) *Trituram.* Osee xi, 11. — (2) *Vitulum.* Lev. iv, 3. — (3) *Conflatilem.* Exod. xxxii, 8. — (4) *Puerum.* I Reg. i, 5. — (5) *Mea.* Jud. xiv, 18. — (6) *Cornua fixa crucis* al.

XII.

1. Vacca, caro Christi [1], rufa propter passionem : ÷ « Præcipe filiis Israel, ut adducant ad te vaccam rufam [2]. »

2. Ecclesia, vel Judæa : « Nutriet homo [3] vaccam boum et duas oves, et præ ubertate lactis comedet butyrum [4]. »

3. Judæa : « Quoniam sicut vacca [5] lasciviens declinavit Israel [6]. »

4. Mentes fideles [7] : ÷ « Ibant in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsamis [8]. »

5. Divites sæculi [9] : « Audite verbum Domini, vaccæ pingues [10]. » ÷ Carnalibus vitiis pleni [11]. In psalmo : « Concilia taurorum, inter vaccas populorum [12]. »

÷ 6. Caro nostra : « Præcipe filiis Israel, etc. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 15 ad 5 ; ed. ii, col. 753 a ad 4, 5.

Physiologus apud *Hugon. S. V.*, lib. iii, c. 19.

Gregorius. Vaccæ nomine infirmitas Dominicæ incarnationis designatur, sicut Moysi a Domino dicitur : « Præcipe filiis Israel, etc. » Vacca hæc bene rufa dicitur, quia videlicet ejus humanitas rubra per cruorem passionis [13] fuit. « Integræ ætatis, » quia omnis operatio Domini perfecta est.—Vaccarum nomine mentes fidelium designantur, ut in libro Regum : « Vaccæ ibant, etc. » Tunc vere tendimus in Bethsamis, quum via rectitudinis gradientes, ad vicina erroris latera, nec per affectum pignorum, declinamus.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iii, c. 8, p. 110.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Vacca, Christus, ut : « Sumetis vaccam rufam ætatis integræ. » — Plebs Israel, ut : « Sicut vacca l. d. i. » — Sensualitas, ut : « Sume tibi vaccam triennem [14]. » — Viri sancti, ut : « Gradiebantur vaccæ, etc. » — Principes Israel, ut : « Audite v. d. v. p. » — Animæ insipientes, ut : « Congregatio, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 132.

Vacca

Spiritualis.	*Infernalis.*
Simplices.	Sensualitas.
Prædicatores.	Superbi sæculi.

Petrus de Riga.

Aurora, in Numer., v. 275-286.

Pro nobis oblata Patri, caro candida Christi
  Bos est rufa, crucem passa, cruore rubens.
Christi perfectos actus vaccæ notat ætas
  Integra ; nam Christus perficit omne bonum.
Vacca jugo maculaque caret ; quia Christus ab omni
  Peccato liber vixit et absque nota.
Extra castra foras Eleazarus immolat illam :
  Immolat auctorem sic Synagoga suum.
Illa necat Christum, peccans ex parte malorum,
  Ex electorum parte benigna manens.
Hic extra portam patitur, sed porta salutis
  Nobilis illius passio facta fuit.

(1) *Christi, cujus figuram vacca illa rufa gerebat, quæ per legem in sacrificio offerri præcipiebatur, cujus cinis* [*finis* B, C] *expiabat populi delicta* B-G. — (2) *Rufam.* Num. xix, 2. — (3) *Plebs judaica credens in Christo. In Isaia* B-G. *Homo, id est Christus*, ib. — (4) *Butyrum.* Is. vii, 21, 22. — (5) *Vacca, id est plebs judaica lasciviens. In Amos* B-G. — (6) *Israel*, Osee iv, 21, corrige B-G. — (7) *Fideles in Ecclesia, quorum figuram vaccæ illæ gerebant, quæ arcam Domini de terra Philistinorum reportaverunt.* Grabius ad hæc, in apographi sui margine : « Hieronymus *Philistiim* posuit ; septuaginta : ἀλλοφύλους ; subindeque veteres alii translatores latini : *allophylos.* » — (8) *Bethsamis.* I Reg. vi, 12. — (9) *Sæculi hujus. In Amos* B-G. — (10) *Pingues.* Am. iv, 1. — (11) *Plenæ* B-G. — (12) *Populorum.* Ps. lxvii, 31. — (13) *Præ fervore passionis.* Bibl. Bell. — (14) *Triennem.* Genes xv, 9.

XIII.

1. Cornu, regnum Christi : « Et erexit cornu salutis nobis in domo David [1]. »
2. *Cornua septem*, potestas Christi per omne tempus : ÷ « Vidi agnum quasi stantem. » ÷ « Occisum, habentem cornua septem et oculos septem [2]. »
3. *Cornua*, trophæum crucis, ÷ vel duo testamenta : « Cornua in manibus ejus; ibi abscondita est fortitudo ejus [3]. »
4. Regna mundi [4], in Daniele.

÷ 5. Fortitudo justorum, et super injustos : « Peccatorum confringam cornua [5]. »

÷ 6. Superbia. In psalmo : « Et a cornibus unicornuorum [6] humilitatem meam [7]. » Et alibi : « Omnia cornua peccatorum confringam. »

÷ 7. Superbia diaboli, vel potestas ejus, præsenti in tempore, sive regnum Antichristi. In Apocalypsi.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 29; ed. ii, col. 766 d ad 1, 2.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Cornu, regia potestas, ut : « Sublimabit cornu Christi sui [8]. » — Fortitudo, ut : « In te ventilabimus inimicos nostros cornu [9]. » — Eminentia Deitatis, ut : « Usque ad cornu altaris nostri [10]. » — Superbia, ut : « Nolite extollere in altum cornu [11] vestrum. » — Brachia crucis, ut : « Cornua in manibus ejus. » — Sancti carnem excedentes, ut : « Vidi agnum habentem, etc. » — Legis impugnatores, ut : « Vidi bestiam ascendentem de mari, habentem cornua decem [12]. » — Duo testamenta, ut : « Bestia habebat duo cornua sicut agnus [13]. » — Virtutum munimina, ut : « Cornua producentem et ungulas [14]. » — Potestas impiorum, ut : « Cornua peccatorum confringet. » — Potestas justorum, ut : « Exaltabuntur cornua justi [15]. »

Petrus Cantor. Cornu est salutaris, sive protectionis; unde : « Et erexit, etc. » — Regiæ potestatis, unde : « Illuc producam cornu David [16]. » — Potentiæ; unde : « In te inimicos nostros ventilabimus cornu [17]. » — Superbiæ; unde : « Nolite extollere in altum cornu vestrum. »

Petrus Capuanus ad litt. iii, art. 69.

Cornu	
Salutis vel protectionis, potentia Christi.	Potentiæ.
	Gratiæ.
	Redemtionis nostræ.
Regiæ dignitatis.	Superbiæ.

In primo cornu continetur cornu unctionis. Evangelium : « De plenitudine ejus accepimus omnes [18]. » Hoc est cornu quod continet unguentum quo sacerdotes et reges ungebantur in lege. Ex hoc cornu manavit unguentum illud quod descendit in barbam, barbam Aaron; a barba quoque stillavit usque in oram vestimenti, quando Moyses de mandato Domini unxit eum in sacerdotem. Hoc est cornu olei quo unctus

(1) *David.* Luc. i, 69. — (2) *Septem.* Apoc. v, 5. — (3) *Ejus,* Habac. iii, 4. — (4) *Regnum sæculi hujus* B, C. *Regna* D-G. — (5) *Cornua.* Ps. lxxiv, 11. — (6) *Unicornium* F, G. — (7) *Meam.* Ps. xxi, 22. — (8) *Sui.* I Reg. ii, 10. — (9) *Cornu.* Ps. xliii, 6. — (10) *Nostri.* Ps. cxvi, 27. — (11) *Cornu.* Ps. lxxiv, 6. — (12) *Decem.* Apoc. xiii, 1. — (13) *Agnus.* Ib. 11. — (14) *Ungulas.* Ps. lxviii, 32. — (15) *Justi.* Ps. lxxiv, 11. — (16) *David.* Ps. cxxxii, 17. — (17) *Cornu.* Ps. xliii, 6. — (18) *Omnes.* Joan. i, 16.

est David filius Isai. Hoc est cornu quo incitamur ad bella. Hoc est cornu quo convocamur ad convivium. Hoc est cornu quo invitamur ad festum. Hoc cornu jubilatur Deo. Psalmus : « In tubis ductilibus, in voce tubæ corneæ [1]. » Hoc est cornu quo custoditur civitas de nocte. Hoc est cornu quod continet oleum quo ungitur caput jejunantis, oleum de quo præcipitur : « Oleum de capite tuo non deficiat [2]. » Ex hoc cornu profusum est oleum in lecytho viduæ Sareptanæ, quod juxta verbum Eliæ non est imminutum, sicut nec hydria farinæ defecit, donec stillavit Dominus pluviam super terram. Ex hoc cornu effunditur oleum illud de quo sponsa ait sponso : « Oleum effusum nomen tuum [3]. » Ex hoc cornu manavit unguentum illud ex cujus odore, fracto alabastro corporis Christi, repleta est domus mundi. Ex hoc cornu Samaritanus vinum et oleum infudit vulneribus sauciati, quando appropians alligavit vulnera ejus, infundens vinum et oleum. Ex hoc cornu acceperunt oleum prudentes virgines in vasis suis. Et ex hoc cornu profluxit sanguis redemtionis et aqua baptismatis. Evangelium : « Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua [4]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Cornu*. Cornuum nomine designata sunt brachia crucis, ut in illa prophetia Habacuc, de passione Christi : « Cornua in manibus ejus : ibi abscondita est fortitudo, » quia in crucifixione Christi patuit humana infirmitas, et latuit divina potestas.

Beata cujus brachiis
Sæcli pependit pretium [5].

Cornu significat fidem carnem excedentem, secundum unam expositionem : « In nomine tuo exaltabitur cornu nostrum. »

Cornu significat regiam potestatem, ut ibi : « Dominus sublimabit cornu Christi sui. » Id est, Deus Pater sublimem esse ostendet regiam potestatem Christi.

Cornu significat cujusquam prælationis eminentiam, qua boni bene utuntur, mali vero male, quia mali prælati tuentur malos et impugnant bonos, juxta illud poeticum [6]:

Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.

Sunt cornua peccatorum, sunt et cornua justorum, de quibus Deus dicit in psalmo : « Omnia cornua peccatorum confringam, et exaltabuntur cornua justi ; » hoc est, ut breviter dicam, quod omnes finaliter mali in futuro sæculo erunt impotentes, et omnes finaliter justi erunt potentes.

Per cornua significantur hi qui præsunt populis; quia, sicut cornu in ignem missum, fœtorem molestissimum de se emittit : ita rector populi, igne vitiorum adustus, malæ opinionis putorem longe lateque diffundit.

Cornu significat fortitudinem, ut ibi : « In te inimicos nostros ventilabimus cornu, » id est, per te inimicos nostros, dæmones scilicet et infideles homines, fortiter et virtuose fugamus.

Item per cornua mitræ pontificalis signantur duo testamenta; unde legimus de Moyse, qui in quibusdam locis formam gessit pontificum, quod facies ejus cornuta apparuit ex consortio sermonis Domini [7]; quia qui sacræ Scripturæ, quæ ex duobus testamentis constat, uberiorem habet notitiam, contra inimicos Christi fidei frontem habet armatam. Et quidem recte Moyses caput habuit cornutum, quia cor habuit mansuetum : alioquin, si sævitiæ cordis apposita fuerit eminentia potestatis, elonga te ab illo, qui vis elongari a malo, memorans illud proverbium : Fenum habet in cornu [8] : longe fuge. Felix improbitas bonorum est calamitas.

Cornu significat elationem, sive elatam defensionem, ut ibi : « Dixi iniquis : Nolite inique agere. Et delinquentibus : Nolite exaltare cornu vestrum. » Quia, ut dicit beatus Hieronymus : Nihil sic displicet Deo, velut cervix erecta, post peccatum.

(1) *Corneæ*. Ps. XCVII, 5. — (2) *Deficiat*. Eccle. IX, 8. — (3) *Tuum*. Cant. I, 1. — (4) *Aqua*. Joan. XIX, 34. — (5) *Pretium*. Fortunat. hymn. *de Cruce*, cf. t. II, p. 554. — (6) *Poeticum*. Virg. *Ecl.* IX, 24. — (7) *Domini*. Exod. XXXIV, 29. — (8) *Cornu*. Horat. I *Sat.* IV, 34.

Per cornu scimus significari Christum, ut ibi : « Erexit nobis cornu salutis. » Et per cornu novimus significari Antichristum, ut in Daniele, ubi legitur, quod in medio decem cornuum quartæ bestiæ ortum est aliud cornu parvulum [1]; nam secundum Marginalem [2], quarta bestia quartum est regnum, id est romanum, cujus bestiæ decem sunt cornua romani imperii reges vel regna, in quæ romanum imperium in tempore Antichristi dividendum est. In medio eorum, id est in principatu omnium, orietur cornu parvulum, id est Antichristus, qui futurus superbissimus omnium, se simulabit humillimum, tamquam qui habitatoris sui, id est diaboli, expressum erit simulacrum; qui quum sit amator obscuritatis, transfigurat se in angelum lucis.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. I, v. 468-477.

Tunc quoque ridebo subsannans, dum timor ille
 Affuerit, Caiphas unde propheta fuit :
« Est, inquit, melius, ut solus homo moriatur,
 « Quam pereat tota gens patriæque decus. »
Subsannat nasus, deridet bucca, figuram
 Cum deridente despicientis habens.
Hanc vim verborum sic accipe : cornua Christus
 Alta superborum despiciendo premit.
Tunc exaltantur humiles, tibi, Christe, placentes,
 O Judæa tumens, quando superba ruis.

XIV.

1. ARIES, Christus [3] : « Ecce aries tenebatur planta, in virgulto Sabec [4]. »

2. *Arietes,* apostoli [5] : « Afferte Domino filios arietum [6]. »

3. Mali prælati [7] : ÷ « Facti sunt principes tui velut arietes non invenientes pascua. » ÷ In Ezechiele : « Cum hædis et agnis et arietibus [8]. »

÷ 4. Sacerdotes : « Tria sunt quæ bene gradiuntur, leo, fortissimus bestiarum, gallus succinctus lumbos, et aries [9]. »

÷ 5. Rationabiles spiritus : « Tollens Jacob virgas, ponebat eas in canalibus aquarum, ante oculos arietum [10]. »

÷ 6. Ducatus populorum : « Sumite vobis septem tauros et septem arietes [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 753 B ad 2.

GREGORIUS M. Arietis nomine primus intra Ecclesiam sacerdotalis ordo exprimitur, ut ibi : « Tria sunt quæ incedunt feliciter, leo, gallus et aries. » Apte quidem aries sacerdotalem ordinem exprimit, quia sequentem post se populum, quasi ovium gregem, trahit. — Arietes, rationabiles spiritus, ut ibi : « Ponebat Jacob virgas decorticatas ante oculos arietum. » Quod in nobis tunc spiritualiter fit, quum ante oculos mentis nostræ sententiæ constituuntur, in canalibus divinorum voluminum, ut tales fetus operum generemus, qualia, in vocibus præceptorum, sanctæ actionis instituta conspicimus. — Aries, ducatus sequentium populorum, ut ibi : « Sumite vobis septem, etc. » Tauros enim vel arietes offerre, est superbum ducatum conversationis humili-

(1) *Parvulum.* Dan. VII, 8. — (2) *Marginalem.* Ea est glossa ab altera Walafridi, quæ dicitur *ordinaria,* et altera Anselmi Laudunensis, quæ *interlinearis,* distincta. (3) *Christus, propter principatum* B-G. — (4) *Sabec.* Genes. XXII, 13. Cf. Melitonis commentariolum super eumdem hunc locum, quem infra e catenis post alios editores excepimus. — (5) *Apostoli. Vel prædicatores* A. *Vel ecclesiarum principes* B-G. — (6) *Arietum.* Ps. LXXXVIII, 1. — (7) *Mali et principes pravi* B-G. — (8) *Arietibus.* Ezech. XXVII, 21. — (9) *Aries.* Prov. XXX, 31. — (10) *Arietum.* Genes. XXX, 41. — (11) *Arietes.* Job XLII, 8.

tate mactare; hoc autem sub septenario consumatur, quia necesse est eis qui hujusmodi sunt, ut novitate septiformis gratiæ reformentur.

5 GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 13, p. 120.

ISIDORUS, *Etymol.*, lib. VII, c. 2, n. 43.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Aries, caro Christi, ut : « Vidit arietem 10 hærentem cornibus. » — Motus iracundiæ, ut : « Obtulit arietem in holocaustum [1]. » —Apostoli, ut : « Induti arietes ovium [2]. » — Ordo sacerdotalis, ut : « Tria sunt, etc. » — Prælati, ut : « Afferte d. f. a. » 15 — Rationales quique, ut : « Posuit virgas a. o. a. » — Hæretici, ut : « Principes t. v. a. »

PETRUS CAPUANUS ad litter. I, art. 59. Aries campi, mundi, cœli et tartari. Pri-20 mus, materialis. Arietes mundi, apostoli, qui totum mundum prædicatione sua post se traxerunt, quia « in omnem terram exivit sonus eorum [3]. » Aries cœli, Christus. Genesis : « Vidit Abraham, etc. » Arietes 25 tartari, hæretici qui alios post se seducunt.

Primus pascit herbas camporum. Secundus, gramina Scripturarum. Tertius, pascua virtutum et bonorum operum, verbi gratia : florem lilii, per castitatem; florem 30 violæ, per humilitatem; florem rosæ, per martyrii patientiam; florem olivæ, per misericordiam; florem uvæ, per prædicationem; florem spicæ, per bonorum operum maturitatem. Quartus pascit fenum tem-35 poralium.

Primus est dux pecorum; secundus, dux simplicium; tertius, dux omnium fidelium; quartus, dux hæreticorum.

Item aries, prælati qui debent immolari 40 pro subditis. Sapientia : « Tria sunt, etc. » — Item, rationales. Genesis : « Jacob virgas, etc. » — Item, superbia. Psalmus : « Cum incenso arietum [4]. » — Item, motus iracundiæ. Leviticus : « Hæc obtulit a. i. h. »

45 DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Ariete*. Aries significat Christum propter principatum; unde :

Agnus, ovis, vitulus, serpens, aries, leo, vermis [5].

Agnus, propter innocentiam; ovis, propter patientiam; vitulus, propter obedientiam; serpens, propter sapientiam; aries, propter principatum; leo, propter resurrectionem, fortitudinem et confidentiam; vermis, propter humilitatem.

Aries significat carnem Christi; unde aries immolatus est pro Isaac vivente, quia caro Christi mortem passa est, deitate impassibili permanente.

Aries, quia dux est gregis, significat tam principes laicos quam prælatos ecclesiasticos; unde in Daniele legimus per arietem fuisse figuratum Darium, regem Persarum. Et de hujusmodi arietibus dixit Deus per Isaiam, in consolationem primitivæ Ecclesiæ : « Omne pecus Cedar congregabitur tibi; arietes Nabaioth ministrabunt tibi [6]. »

Arietes dicti sunt apostoli, qui cornibus utriusque testamenti hæreticos ventilabant; unde est illud : « Afferte Domino filios arietum, » id est vosmet ipsos, quos per Evangelium apostoli Christo genuerunt. Est autem Domino filios arietum afferre, conversos ad fidem Christi, a vita, id est conversatione veteri, ad novam transferre.

Arietes dicuntur quilibet boni prælati; de quolibet est illud Psalmistæ : « Montes exsultaverunt ut arietes [7]. » Arietes etiam dicuntur mali prælati. Unde Jeremias in Threnis : « Facti sunt principes ejus, » id est Synagogæ, « sicut a. n. i. p. » Tales sunt plerique moderni prælati, non invenientes, quia non quærentes, pascua Scripturarum, sed ardenter insistentes pascuis epularum. De his potest dici quod plus in salmone, quam in Salomone legunt [8], etc.

Aries bestialitatem dicitur significare, ut ibi : « Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum. » Sed quia aliter con-

(1) *Holocaustum*. Levit. VIII, 28. — (2) *Ovium*. Ps. LXIV, 17. — (3) *Eorum*. Ps. XVIII, 6. — (4) *Arietum*. Ps. LXV, 15. — (5) *Vermis*. Hæc et sequentia veteres *de Nominibus divinis* formulas exhibent, et pleraque exstant apud Damasum in *Decreto* toties cit., et Isid. *Etym*. l. VII, c. 2, n. 42. — (6) *Tibi*. Is. LX, 7. — (7) *Arietes*. Ps. CXIII, 4. — (8) *Legunt*. Congesta illuc insulsa plura istiusmodi, et tritissima, resecamus.

grue exponi potest, illud lectoris arbitrio relinquo.

Aries, propter virtutem feriendi, dicitur machina quædam ad muros dissolvendos 5 valida. Unde quidam adulator dixisse fertur Julio Cæsari, invadenti Italiam [1] :

His aries actus disperget saxa lacertis.

Hujus instrumenti vim beatus Augustinus transtulit ad designandum assultus diaboli, 10 ita scribens ad Bonifacium comitem [2] : Miror quomodo tam subito murum fidei aries rupit inimici.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1673-1692.

15 Unus post vitulum vervex occiditur, Aaron
Imponente manus progenieque sua.
Quum Christi mortem vervex vitulusque figurent,
Rem variando tamen, distat uterque sibi.
Signatur vitulo mors quæ fuit in cruce Christi,
Quam surgens ultra noluit ille pati.
Victima vervece signatur, quæ datur aræ,
Quam modo presbyteri voce manuque sacrant.
Offertur totus aries, quum Christus in ara
Creditur oblatus, qui Deus est et homo.
Totum non offert in Christo, quisquis adorat
Absque Deo carnem, vel sine carne Deum.
Christi signantur testes vervece secundo,
Quorum grata Deo mors pretiosa fuit.
Discipuli bis sex aries fuit iste secundus,
Post Christum quorum purpura pinxit humum.
Inde canit cytharista puer : « Domino dominorum
« Hos afferte, gregis quos genuere duces. »
Bisseni patres sunt ergo duces gregis : horum
Proles, pro Christo qui meruere mori.

HERMANNUS WERDINENSIS.

[Vide infra art. XXXVI.]

XV.

1. Ovis, Christus, propter patientiam : « Sicut ovis ad occisionem ductus est [3]. »

2. Simplices, vel martyres [4] : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves et boves [5]. » ÷ « Propter te mortificamur tota die, sicut oves [6]. » ÷ In Evangelio : 20 « Oves meæ vocem meam audient [7]. »

3. Reprobi : « Sicut oves in inferno positi sunt; mors depascet eos [8]. »

÷ 4. Vita activa et contemplativa : « In die illa nutriet homo vaccam boum et oves duas [9]. »

÷ 5. Fidelis ex Judæis : « Et fuit possessio ejus septem millia ovium et tria 25 millia camelorum [10]. »

÷ 6. Innocentia cogitationum per oves, sicut per camelos distortæ cogitationes, ubi supra.

÷ 7. Oves duæ, populus gentium. In Isaia : « Nutriet homo, » id est Christus, « vaccam boum et oves duas, et præ ubertate lactis comedet butyrum. »

30 ### VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Petrum Damiani*, opusc. LIII, c. 25.—Apud *Hugonem S. V.*, lib. III, c. 13, p. 436. — Apud *Vincent. Bellovac.*, XVIII, 70.

35 DAMASUS, *Carm.* VI, v. 5.

SYLVIUS, *de Nominibus Christi*, v. 9.

NICETAS, *Serm.* III, p. 330.

ORIENTIUS, *de Nativ. Dom.*, v. 4 et 138.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 753 B ad 5.

GREGORIUS M. Oves, fideles ex Judæis, sicut de Christo, sub nomine beati Job, dicitur : « Et fuit, etc. » —Vel oves, innocentia cogitationum. Oves enim septem millia pos-

(1) *Italiam.* Lucan. in *Pharsal.* 1, 460. — (2) *Comitem.* Inter Aug. *Epist. spur.* 6, t. II, col. 1575. — (3) *Est.* Is. LIII, 7. — (4) *Populi fideles* B G. — (5) *Boves.* Ps. VIII, 8. — (6) *Oves.* Rom. VIII, 36. — (7) *Audient.* Rom. XX, 27. — (8) *Eos.* Ps. XLVIII, 15. — (9) *Duas.* Is. VII, 11. — (10) *Camelorum.* Job I, 3.

sidemus, quum cogitationes innocuas perfecta cordis munditia et exquisito veritatis pabulo intra nosmet ipsos pascimus. — Quilibet innocentes et simplices, ut ibi : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc. »

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 14, p. 123.

ISIDORUS, *Etymol.* lib. VII, c. 3, n. 42.

RABANUS. Oves, innocentia, ut : « Dederunt ei unusquisque ovem unam [1]. » — Christus, ut : « Tamquam o. a. o. d. » — Homo redemtus, ut : « Inveni ovem quam perdideram [2]. » — Angeli, ut : « Dimisit oves in deserto [3]. » — Populi fideles, ut : « Ego ipse pascam oves meas [4]. » — Cogitationes mundæ, ut : « Ignis Dei tactas oves consumsit [5]. » — Reprobi, ut : « Sicut oves, etc. » — Petulantes motus mentis, ut : « Si de ovibus fuerit oblatio [6]. » — Boni subjecti, ut : « Pariebant oves varios fetus [7]. » — Simplices, ut : « Omnia sub pedibus ejus, oves, etc. »

NOTKER, *Sequentia* XXXVI, v. 7.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIV, art. 28.

Oves

Cœli.	*Mundi.*
Christus.	Genus humanum.
Angeli.	Judæi vel gentiles.
Salvandi.	Quicumque justi.

Tartari.

Hypocritæ.
Hæretici.
Damnati.

Christus etiam dicitur ovis propter ea quæ in ove considerantur. Ovis namque lacte nos nutrit; carne sua nos reficit; pelle pedes munit; vellere vestit; balatu agnos colligit; fimo terram fertilem reddit. Hæc autem omnia in Christo verius attenduntur. Ovis lacte nos nutrit : et Christus lacte doctrinæ suæ infantiam nostram nutrit. Nonne ex ore ejus gustaverat sponsa hoc lac, quum dicebat : « Comedi favum meum cum melle; bibi vinum cum lacte meo [8] ? » Ovis carne sua nos reficit : et Christus, in sacramento altaris, carne sua reficit mentes nostras. Nonne carne sua reficiebat discipulos, quando accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, et dedit discipulis suis, dicens : « Hoc est corpus meum [9] ? » Ovis pelle pedes munit : et Christus pelle sua, quam pro nobis posuit, et deposuit in passione sua, pedes affectuum nostrorum contra desideria terrena communivit, quando pellem pro pelle, et cuncta quæ habuit homo ille, dedit pro anima nostra. Ovis nos vellere vestit : et Christus vellere carnis suæ, quod in eo excrevit, quando descendit sicut pluvia in vellus, nuditatem nostræ naturæ vestivit. Paulus : « Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis [10]. » Ovis balatu suo agnos colligit : et Christus balatu suæ doctrinæ discipulos collegit. Ovis fimo terram fertilem reddit : et Christus, quando in passione factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, et quum unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua, terram Ecclesiæ fecundavit.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Ove.* Ovis, animal innocens et utile, significat Christum, qui tamquam ovis ad occisionem ductus est; unde versificator :

Significativam vera removit ovis.

Nam, sicut idem dicit :

Signa recesserunt; significata manent.

Oves dicuntur omnes electi, propter mansuetudinem et patientiam; unde judex justus oves statuet a dextris.

Oves dicuntur apostoli et cæteri martyres, propter perfectionem patientiæ; unde est illud Dominicum : « Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum [11]. » Et in hymno de martyribus canimus [12].

Cæduntur gladiis more bidentium :
Non murmur resonat, non querimonia ;
Sed corde tacito, mens bene conscia
Conservat patientiam.

Ovis significat innocentiam, ut : « Primogenita asini mutabis ove [13], » id est, im-

(1) *Unam.* Job XLII, 11. — (2) *Perdideram.* Luc. XV, 6. — (3) *Deserto.* Ib. 4. — (4) *Meas.* Ezech. XXXIV, 15. — (5) *Consumsit.* Job I, 16. — (6) *Oblatio.* Lev. III, 6. — (7) *Fetus.* Genes. XXXI, 8. — (8) *Meo.* Cant. V, 1. — (9) *Meum.* Matt. XXVI, 26. — (10) *Induistis.* Gal. III, 27. — (11) *Luporum.* Matt. X, 16. — (12) *Canimus.* Qui exstat integer in *Brev. rom.* ad vesp. mm. — (13) *Ove.* Exod. XXXIV, 20.

munditiam vitæ prioris redimes innocentia vitæ sequentis.

Ovis, quia animal utile est, sed labori minime habile, significat negotiosum otium 5 vitæ contemplativæ; unde : « Qui furatus fuerit ovem vel bovem, et vendiderit vel occiderit, quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove [1]. » Bovis nomine aliquem de quinque sensibus 10 corporis puto significari. Bovem ergo vendere, est pro explenda illicita voluptate aliquem de quinque sensibus corrumpere; bovem vero occidere, est vel sensum peccato assuefacere, vel concupiscentiæ mor- 15 talis peccati indulgere. Unde : « Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam [2], etc. » Pro uno autem bove, quinque restituendi sunt, quia qui unum de quinque sensibus corruperit, si inde digne satisfacere 20 voluerit, omnes corporis sensus de cætero districtius cohibebit. Per ovem, quæ est animal utile valde, sed labori minime habile, vitæ contemplativæ negotiosum otium puto designari. Hujus præcipua exercitia 25 quatuor mihi esse videntur : primum, silere; secundum, legere; tertium, meditari; quartum, orare. Qui igitur unam ovem, id est unum ex his quatuor exercitiis, vel per negligentiam vendiderit, vel 30 per diuturnam omissionem occiderit, si digne voluerit culpam corrigere, et plene recuperare gratiam, omnibus his quatuor ardentius insistere debebit.

Ovis significat fatuitatem, ut ibi : « Sicut 35 oves in inferno, etc. »

Oves dicuntur subditi; sicut pastores, prælati; unde est illud sancti Jacob : « Si oves meas plus in ambulando fecero laborare, morientur greges cuncti una die [3]. »

40 Anonymus dominicanus, *de Quadruped. per broc.* xxi, 11. Oves fortes, ut dicit Physiologus [4], exeunt ad loca deserta, et manent sub pluvia, donec pastor ad eos venerit : sic milites Christi exeunt ad deserta mundi, expositi pluviæ tribulationum, donec pastor Christus ad eos venerit, ad requiem producendo.

12. Ovis, ut dicit Physiologus, non dolet tonsuram velleris, sed tondentem se pascit lacte et carne propria : sic boni benefaciunt inimicis patienter, quia sustinent mala quæ inferuntur.

13. Oves, ut dicit Pythagoras [5], et animalia quadrupedia, domestica, quum viderint oculum lupi erutum, timent et fugiunt : sic bona anima pravum timet intuitum vel malum aspectum concupiscentis.

14. Arborem si oves depaverint, vix proficiet; unde earum morsus arboribus est exitialis : sic lingua detractorum, bonos; vel, si diabolus suo morsu animam depaverit, raro post fructificabit.

Anonymus Clarevallensis.

Ovis.

Innocentes.	Reprobi.
Christus.	Motus mentis.
Homo redemtus.	Boni subjecti.
Angeli.	Simplices.

Petrus de Riga.

Aurora, in II Reg., v. 177.

« Quidam pauper erat, quidam ditissimus; unam
« Pauper ovem, centum dives habebat oves.
« Pauper ovem pascebat, ovis pascebat egenum;
« Vir dabat huic pastum, lac dabat illa viro.
« Sustentans inopem, lanam cum lacte ministrans,
« Hæc inopi victum deliciasque dabat.
« Vidit et invidit dives; tulit hanc ab egeno,
« Ex hac hospitibus dans alimenta suis.
« Rex igitur, profer : quid vir reus iste meretur ?
« Quæ scelus hoc debet ultio digna sequi ? »
Rex inquit : « Reus est necis hujus criminis auctor,
« Bisque duas inopi reddere debet oves. »
« Tu vir es iste, Nathan ait. Uriam spoliasti
« Conjuge, vel vita; dignus es ergo mori. »

(1) *Ove.* Exod. xxii, 1. — (2) *Eam.* Matt. v, 28. — (3) *Die.* Genes. xxxiii, 13. — (4) *Physiologus.* Hæc et quæ mox idem adducit, desunt in omnibus, quas noverim, Physiologi editionibus, una Vincentii Bellovacens. excepta, quem vide l. l. — (5) *Pythagoras.* Apud eumdem xviii, 70, hæc referuntur ad Pythagoram, in *libro Romanorum.* Omnia quæ excitat anonymus, e *Speculo naturali* accepit.

XVI.

1. Agnus, Christus [1] : « Ecce agnus Dei [2]. »

2. Sancti : « Pasce agnos meos [3]. »

3. Homines lascivientes : « Incrassatus est gladius meus de sanguine hircorum et agnorum [4]. » ÷ « Holocausta arietum et adipem agnorum [5]. »

XVII.

5 1. Agna, vita activa : « Agat pœnitentiam, et offerat agnam de grege [6], » ÷ de eo qui peccavit, et oblivione transgressus est ; ÷ « sive capram, » quod est contemplativæ vitæ figura.

÷ 2. *Septem agni* et *septem agnæ*, quæ in lege Deo in sacrificium offerri præcipiuntur [7], sanctorum omnium plenitudinem, vel operis innocentiæ obtinent 10 mysterium.

3. *Fetus gemelli*, duo charitatis præcepta [8] : « Omnes gemellis fetibus, et sterilis non est inter eas [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hildefonsum*, c. 68. 15 — Apud *Hugonem S. V.*, lib. iii, c. 15.

Damasus, *Decret. conc. Rom.*, p. 789.

Nicetas, *Serm.* iii, p. 330.

Phoebadius, *adv. Arian.*, p. 262 a.

Eucherius, ed. i, p. 16; ed. ii, col. 753 d 20 ad xvi, 1, 2.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 4 et 136.

Gregorius M. Agni nomine Christus, propter innocentiam et mansuetudinem, designatur, ut in Isaia : « Quasi agnus coram 25 tondente se [10], etc. » — Agna, vita activa, ut de eo qui juramentum transgreditur oblivione, scriptum est : « Offerat, inquit, agnam de gregibus, sive capram. » Qui enim se conspicit pii voti propositum violasse, stu- 30 diosius debet simplicitatem boni operis, vel zelum sublimis contemplationis offerre. Et nota quod agna de gregibus sumitur, quia multorum exemplis activæ vitæ studium reformatur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iii, c. 15, p. 124.

Isidorus, *Etymol.* lib. vii, c. 2, n. 42.

Rabanus. Agnus, Christus, ut : « Agnus sine macula immolatur [11]. » — Lubricus, ut : « Sequitur eam, quasi agnus lasciviens [12]. » — Apostoli, ut : « Ecce ego mitto vos sicut agnos [13]. » — Viri sancti, ut : « In brachio suo congregabit agnos [14]. » — Simplices et innocentes, ut : « Pasce agnos meos. » — Vita activa, ut : « Offerat agnam de gregibus. »

Notker, *Sequentia* xxxvi, v. 7.

Petrus Cantor. Agnus dicitur Christus, ἀπὸ τοῦ ἄγνου, quod est *pium* [15] : et Christus sola pietate nos redemit. — Ab agnoscendo;

(1) *Christus, propter innocentiam. In Evangelio* B-G. — (2) *Dei.* Joan. i, 29. — (3) *Meos.* Joan. xxi, 16. — (4) *Agnorum.* Is. xxxiv, 6. — (5) *Agnorum.* Is. l, 11. — (6) *Grege.* Levit. v, 6. — (7) *Præcipiuntur.* Numer. xxviii, 11. — (8) *Præcepta, id est dilectio Dei et proximi. In Canticis canticorum* B-G. — (9) *Eas.* Cant. iv, 2. — (10) *Se.* Is. liii, 7. — (11) *Immolatur.* Exod. xii, 15. — (12) *Lasciviens.* Prov. vii, 22. — (13) *Agnos.* Matt. x, 16. — (14) *Agnos.* Is. xlvi, 11. — (15) *Pium.* Ita Isidor. *Etym.* lib. xii, c. i, n. 12. Codex : *ab agnon, quod est pium.* Licuit emendare juxta Isidorum.

tradunt enim qui de naturis rerum agunt, quantacumque fuerit pecorum multitudo, agnum matrem suam, longe positam, solo balatu agnoscere. Attendere debemus hæc in Christo : innumera multitudo circumstabat Christum crucifixum ; alii irridebant, moventes capita sua, et dicebant : Vah ! qui destruis templum Dei ! Alii flebant super innocentem condemnatum. Alii percutiebant pectus suum, mirantes super his quæ videbant. In tanta multitudine matrem agnovit, quia Virginem virgini sancto Joanni commendavit.

Agnus Dei ter dicitur in Missa, ac si diceretur primo : Agnus Dei, qui agnovisti Patrem obediendo usque ad mortem, qui tollis peccata mundi (per passionem enim ea tulit a nobis et delevit), miserere nobis. Secundo : Agnus Dei, qui agnovisti humanum genus redimendo, qui tollis, etc. Tertio : Agnus Dei, qui agnovisti matrem, pendens in cruce, et eam Virginem virgini commendasti, qui tollis peccata mundi, da nobis pacem.

Ter ideo dicitur, ut ejus corpus triforme intelligatur ; illud scilicet, quod est in cœlo glorificatum ; et mysticum, quod in terra adhuc ambulat ; et quod in sepulcrum usque ad diem judicii quiescit. Bis dicitur : Miserere nobis ; tertio variamus, quod sumtum est de veteri lege, ubi quum clamarent ad Dominum, dicebant : « Domine, parce populo tuo [1] ; » tertio variabant, et dicebant : « Et ne des hæreditatem tuam in opprobrium. » In hoc quod dicebant bis : Parce, nos dicimus bis : Miserere. Et quod tertio variabant, nos etiam variamus, dicentes : Dona nobis pacem [2].

PETRUS CAPUANUS ad litt. I, art. 58.

Agnus

Corporeus.	Æthereus, ipse Christus.
Niveus, aliquis innocens.	Tartareus, quisque lascivus.

Christus dicitur agnus propter innocentiam ; propter mansuetudinem ; quia Patrem agnovit in cruce, obedientia ; et matrem, cura ; sicut agnus in magno grege balantem matrem agnoscit ; quia nos refecit carne sua ; et quia lana sua nos vestit, id est virtutibus.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Agno* :

Est princeps magnus tumidis leo, mitibus agnus.

Agnus significat Christum, propter singularem innocentiam, quia ipse solus veraciter dicere potuit : « Princeps hujus mundi in me non habet quidquam [3]. » Unde de eodem ait Joannes Baptista : « Ecce a. d. » — Agni etiam dicti sunt ejus imitatores, quorum præcipui sunt apostoli et cæteri ejus perfecti disciputi. Quibus ipse dixit : « Ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos. » — Agni omnes boni subditi intelliguntur, ut ibi : « Montes exsultaverunt ut arietes, et colles sicut agni ovium. » Per montes et arietes designata est sublimitas prælatorum ; per colles et agnos, humilitas subditorum. Per agnos designati sunt incipientes, infirmiores boni, in Ecclesia, qui præ cæteris abundantiori indigent alimento et cura. Unde Dominus bis dixit Petro : « Pasce agnos meos, » et semel ei dixit : « Pasce oves meas. » De innocentibus, quo-

(1) *Tuo*. Joel II, 17. — (2) *Pacem*. Lectori non displiceat nota triplex ab ipsomet Cantore suis continuo apposita : « I. Solet autem quæri inter ecclesiasticos viros utrum debeat dici in prædicta auctoritate « *plorabunt*, » an « *plorabant* inter vestibulum et altare sacerdotes, dicentes : Parce, *etc.* » Dicimus quod in Joele habetur *plorabunt*, et in Esdra *plorabant* [forte respicit ad I Esdr. III, 12, ubi : *Flebant* sacerdotes, etc.]. II. Nota quod in quibusdam ecclesiis dicitur Agnus Dei ter continue, scilicet antequam sacerdos utatur corpore Dominico. In aliis dicitur semel ante perceptionem, et post perceptionem Eucharistiæ bis. Priorum hæc est ratio : dum Christus est in altari, petimus ab eo misericordiam et veniam et pacem, quia per eum redemti sumus. Aliorum hæc est ratio, ut ipse misereatur nostri et det nobis pacem, petimus, etiam quum ipse non est præsens corporaliter in altari, ut ostendamus non solum de eo præsente, sed etiam de absente confidere. III. Et hæc variatio similiter fit in missa pro defunctis, in Parisiensi ecclesia : « Agnus Dei, etc., dona eis requiem ; dona eis indulgentiam ; dona eis requiem sempiternam. » Hæc sibi ad litteram, uti et superius relata, Garnerius Lingonensis describenda curavit. — (3) *Quidquam*. Joan. XIV, 30.

rum nonnulli pendentes ad ubera matrum, puto dixisse Virgilium, in illa ecloga cujus initium est :

> Sicelides musæ, paulo majora canamus :
> Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.

Sandyx enim herba est cujus succo lanæ intinctæ rubeum colorem accipiunt. Unde per herbam illam figuratur martyrium. In eadem ecloga prophetavit idem poeta, de Christi nativitate, dicens :

> Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Quod beatus Augustinus de Christo dictum esse testatur[1]. Voluit enim Veritas testimonium habere etiam ab inimicis, quia non est validius bonitatis testimonium, quam quod ab inimico profertur. Potest autem de omnibus Christi martyribus præmissi versus sententia convenienter intelligi.

ANONYMUS DOMINICANUS, *de Quadrupedibus per brocard.* art. II.

1. Agnus dictus est quasi pius, ut dicit Isidorus, eo quod præ ceteris animalibus matrem cognoscit, etsi in magno grege erraverit : sic agni Christi semper verba ejus libenter audiunt, et ad eum, etsi per peccatum erraverint, faciliter convertuntur.

2. Agnus, ut dicit Ambrosius, qui a cibi et potus desiderio tenetur, aliena tamen ubera transcurrit, materna solum sugens : sic agni Christi, relictis mundi consolationibus, solatia Christi, qui eos amore in cruce peperit moriens, solum affectant.

3. Sanguis agni, ut dicit Avicenna, epilepticos sanat cum vino : sic nos qui epileptici eramus, quantum ad animam, ante adventum Christi, agni immaculati, ejus livore, scilicet sanguine, sanati sumus, et sanamur quotidie in vino sanguinis sui.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Agnus.

Christus.	Simplices.
Apostoli.	Vita activa.
Viri sancti.	

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 46-57.

> Vespere, mactato Judæis pascha fit in agno :
> Salvos fecit nos, mundi sub fine, Dei mors.
> Elixo, crudo Moyses vesci vetat agno :
> Est Christi deitas omnem supra rationem.
> Lex equidem vetuit ne comminuatur os agni :
> Non os pendentis fractum fuit in cruce Christi.
> Agnus lactucis commanducatur amaris :
> Crimina flens digne, panem, vinum valet esse.
> A cinctis editur, baculosque tenentibus, agnus :
> Doctores casti sustentantur dape Christi.
> Non cum fermento quis hebræus vescitur agno :
> Carne frui Christi nescit quicumque superbit.

XVIII.

1. HIRCI, peccatores[2] : « Offeram tibi boves cum hircis[3]. »

2. Peccatores, vel Antichristus[4] : « Ecce autem hircus caprarum veniebat ab aquilone[5]. »

✠ 3. *Hirci duo*, uterque populus, Judæorum scilicet et gentilis, ex traduce peccati venientes.

✠ 4. In Levitico autem duos hircos Christum et Barrabam intellexerunt.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *HugonemS. V.*, lib. III, c. 16, p. 437.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, col. 753 B, ad 3, 4.

(1) *Testatur.* Aug. *de Civit. Dei*, l. x, 27; *Ep.* CXXXVII, 5 ; CCLVIII, n. 5. Virg. *Ecl.* IV, 1, 5, 45. — (2) *Vel recordatio peccatorum* A. *Peccatores ex gentibus ad Christum conversi. In psalmo* B-G. — (3) *Hircis.* Ps. LXV, 15. — (4) *Sive gentiles. In Daniele* B-G — (5) *Aquilone.* Dan. VIII, 5

RABANUS. Hircus, Christus, ut : « Hircus emissarius peccata populi portabit[1]. » — Motus luxuriæ, ut : « Tolle hircum pro peccato[2]. » — Immunditia carnis, ut : « Offeram tibi b. c. h. » — Opera pœnitentiæ, ut : « Hircos cum medulla tritici[3]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. VIII, art. 22.

Hircus
- Purgationis nostræ, Christus.
- Culpæ, carnis lascivia et petulantia.
- Pœnitentiæ, satisfactio pro peccatis.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. II, *de Hirco*. Hircus significat Christum, propter similitudinem carnis peccati. Assumsit enim Christus non similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati, quia verissimam sumsit carnem; quæ, quia passibilis fuit et infirma, similis fuit carni peccati : sed quia sine omni culpa fuit, tam originali quam actuali, ideo caro fuit, sed non caro peccati, quia non concepta in peccato, nec per peccatum. In lege, duo hirci statuebantur ante fores templi, vel ostium tabernaculi, quorum unus occidebatur, alter in desertum emittebatur; qui etiam emissarius dicebatur. Hircus qui occidebatur, Christum significat, qui pro nostris peccatis occisus est, et inter latrones crucifixus, secundum illud propheticum : « Tradidit in mortem animam suam, cum sceleratis reputatus est[4]. » Unde Apostolus : « Qui dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate[5]. » Alter hircus, qui non occidebatur, sed emittebatur in desertum, Barabbam significat, qui verus peccator exsistens, temporali vita injuste donatus, postea descendit in infernum. Hildebertus[6] tamen per utrumque hircum Christum designari dixit, sicut patet ex his versibus :

> Ante fores templi, binos lex applicat hircos :
> Uni desertum destinat, alter obit.
> Christus diversis respectibus hircus uterque :
> Nam tulit in ligno, vivit in arce poli.

Sed nota quod, si hircus, qui in desertum emittebatur, Barabbam significat, per desertum signatur infernus, propter horrorem, quia ibi sempiternus horror inhabitat. Si vero Christum figurat, per desertum designabitur cœlum, propter libertatem, quia quæ sursum est Jerusalem, libera est.

Hirci figurant perversos principes terræ, et prælatos Ecclesiæ. Unde dicit Dominus per prophetam : « Ecce ego judico inter pecus arietum et hircorum[7]. » Per hircos tales etiam designavit Persius[8], dicens :

> Hic aliquis, de gente hircosa centurionum,
> Dicat quod sapio : satis est mihi, non ego curo
> Esse quod Archesilas, ærumnosique Salone.

Hircus, quia petulans animal est, signat luxuriam ; unde : « Offeram tibi boves cum hircis, » id est, destruam in me, timoris et amoris tui causa, cervicositatem mentis cum petulantia carnis.

Per hircos, quia de pilis eorum solent fieri cilicia, quæ sunt vestes pœnitentium, significantur opera pœnitentiæ, quæ in omni gradu virtutum necessaria sunt in hac vita. Unde scriptum est in cantico Deuteronomii, de populo christiano, sub specie Judæorum : « Constituit eos super excelsam terram, » et cætera usque ad, « hircos cum medulla tritici[9]. » Medulla enim tritici, id est puritas Dominici corporis, sumenda est cum hircis, id est cum contritione cordis et afflictione corporis. Per hircos avari et

(1) *Portabit*. Levit. XVI, 22. — (2) *Peccato*. Levit. IX, 3. — (3) *Tritici*. Deuter. XXXII, 14. — (4) *Est*. Is. LIII, 12. — (5) *Iniquitate*. Tit. II, 14. — (6) *Hildebertus*. Noli inter edita ejusdem carmina et hunc tetrastichum quærere ; sed invenies, sine auctoris nomine, insertum in Rabani allegoriis, heu ! quam fœdis maculatum nævis : ecce enim ibi : *Unus de ferro mittitur;* ubi vel cæcus viderit legendum : *Unus deserto*. Iterum ibi : *Christus diversis virtutibus*, ubi Noster rectius quam elegantius : *Diversis respectibus*. Sed jam sole clarius erat hasce Rabani editas allegorias, ejusdem ævo esse multo recentiores. — (7) *Hircorum*. Ezech. XXXIV, 17. — (8) *Persius*. In *Satyr*. III, v. 77. — (9) *Tritici*. Deuter. XXXII, 14. Iterum præ oculis Nostri ponebantur *allegoriæ* Rabani interpolatæ, ubi idem locus amplissimo commentario verbatim illustratur.

immisericordes designantur, auctore Virgilio, ut ibi [1] :

Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.
Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.

Hirco solebant antiquitus remunerari, qui tragœdias scribebant, hac ratione, ut quia fœdis verbis et turpibus uti solebant tragici, in sui laboris præmium, fœdum animal acciperent. Unde, quum quidam scholasticus de quodam episcopo tragœdiam mordacem quondam composuisset, clericus, familiaris episcopi, eidem scholastico hircum transmisit, cum scripto continenti hos versus :

Pontificis mala tu tragico scripsisse boatu
Diceris : idcirco fœdo donaberis hirco.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Hircus.

Christus.	Immunditia carnis.
Motus luxuriæ.	Opera pœnitentiæ.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 181-194.

Lex divina duos offerri præcipit hircos :
In partemque Dei qui venerit alter eorum,
Occidetur, ait, vituloque prius jugulato,
Sanguine cum vituli sanguis miscebitur hœdi.
Alter at hircus, ait, qui non ex sorte Dei fit,
Omnia portabit populi peccata super se,
Expulsusque procul minabitur in loca tesqua.
His hircis populi gemini sunt significati,
Gentes, Judæi, peccatis ambo miselli.
Ex his vero fidem Christi quicumque recepit,
Christi regnando consors erit ac patiendo :
Et sic mixtus erit vituli cum sanguine sanguis.
Qui non crediderit Christo, sine fine peribit ;
Perpetuumque chaos locus ejus erit, simul et mors.

XIX.

1. CAPREA, caro Salvatoris, ob similitudinem carnis peccati : « Fuge, dilecte mi, assimilare capreæ [2]. »

2. *Capreæ,* justi ex gentilitate [3] : « Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostom.* cod. A, c. 13 et 27 ; B, c. 14. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. I, c. 13, p. 422.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, col. 753 B ad 2.

RABANUS. Caprea, Christus, ut : « Similis est dilectus meus capreæ [5]. » — Ecclesia, ut : « Revertere, dilecte mi, similis esto capreæ. » — Virtutes animarum, ut : « Adjuro vos per capreas [6]. » — Capra, Ecclesia, ut : « Sume tibi vaccam trimam et capram. » — Contemplatio, ut : « Offerant agnam de gregibus, vel capram [7]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 68. Capra tartarea dicuntur mali vitiis fœtidi ; unde in Levitico capra jubetur offerri. Capra terrestris sunt pœnitentes de terrenis operibus, id est peccatis. Canticum : « Dentes tui, sicut grex tonsarum vel caprarum, quæ ascendunt de lavacro, » id est collectio pœnitentium. — Capra æthérea dicitur Ecclesia. Genesis : « Sume tibi vaccam, et capram triennem, » id est Synagogam, et Ecclesiam quæ credit in Trinitate. Dicitur etiam capra æthérea vita contemplativa. Exodus : « Offerat agnam et capram [8], » id est vitam activam et contemplativam.

Prima pascit in monte superbiæ, et carpit herbas voluptatis et luxuriæ. Secunda

(1) *Ibi. Eclog.* III, v. 90. — (2) *Capreæ.* Cant. VIII, 14. — (3) *Gentilitate interdum venientes* B-G. — (4) *Galaad.* Cant. IV, 1 ; VI, 4. In hoc articulo sive de capra, sive de caprea promiscue agitur. — (5) *Capreæ.* Cant. V, 9. — (6) *Capreas.* Cant. III, 5. — (7) *Capram.* Genes. XV, 9. — (8) *Capram.* Levit V, 6.

pascitur in valle tristitiæ, et potatur aqua pœnitentiæ. Tertia pascitur in colle charitatis et justitiæ, ubi reficitur per pascua Scripturæ. Quarta pascitur in excelso empyrei, et eligit lilia æternæ gloriæ. Canticum : « Ut pascat in hortis, et lilia colligat [1]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Caprea, silvatica dicta, quasi capiens ardua, cujus filii capreoli acutum visum habent; herbas eligit; ad alta nititur.

Alta petit, pretiosa legit, super ardua degit,
Intuitu claro sapienter vulnera sanat.

Caprea Christus.
— Ecclesia.
— Virtutes.

Capræ, quæ agrestes sunt, quas Græci, pro eo quod acutissime vident, dorcas appellaverunt [2]; morantur enim in excelsis montibus, et, quamvis de longinquo, vident tamen omnes qui veniunt. Capra ruminat, ungulam findit, in pascendo duos pedes sursum tendit, aliis duobus innititur; fœtida est; ex ejus pilis est cilicium, unde pœnitentes induuntur; hirsuta; immolatur; fecunda est.

Capra.

Contemplativa vita.	Pœnitens.
Pœnitentiæ opera.	Peccator.

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Levit., v. 478-487.

Sed quia nemo suum votum semper tenet, agnam
Offerat acceptam de grege, sive capram.
Activæ vitæ mores humiles notat agna;
Nam decet hæc humiles innocuosque viros.
Clare capra videns, pascens in rupibus altis,
Cor contemplantis pascua summa notat.
Et bene de gregibus oblatam dicimus agnam,
Sed non de gregibus dicimus esse capram.
Namque greges multos sibi copulat actio Liæ;
Et paucis nubis, ore venusta Rachel.

II. In Cant., v. 242-245.

Et similis capreæ Christus, quia plebis hebrææ
Ortus de genere, carnem dignatur habere;
Et quia de veteri sanctorum germine natus
Exstitit, hinnulus est cervorum jure vocatus.

XX.

1. HOEDUS, Christus [3] : « Non coques hœdum in lacte matris suæ [4]. » ÷ Et Tobias : « Videte ne furtivus sit hœdus. »

2. Antichristus : « Numquam mihi dedisti hœdum de capris, ut cum amicis epularer [5]. »

3. Reprobi [6] : « Et statuet oves a dextris, hœdos autem a sinistris [7]. »

÷ 4. Interdum autem et justi, ob confessionem peccatorum. In Jeremia : « Recedite de medio Babylonis, de terra Chaldæorum; egredimini, et estote quasi hœdi ante greges [8]. »

5. *Duo hinnuli capreæ*, duo populi [9] : « Duo ubera tua sicut duo hinnuli capræ [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, col. 753 ad 3, *sed alia interpretatione.*

RABANUS. Hœdus, Christus, ut : « Juxta quem ritum, tolletis et hœdum [11]. » — Pœnitentia, ut : « Mittam tibi hœdum de capris [12]. » — Appetitus carnis, ut : « Coxit

(1) *Colligat.* Cant. VI, 1. — (2) *Appellaverunt.* Ἀπὸ τοῦ ὀξὺ δέρκεσθαι. Isid. XII, c. 1, n. 15. — (3) *Christus, propter similitudinem carnis peccati. In Deuteronomio* B-G. — (4) *Suæ.* Deuter. XIV, 21. — (5) *Epularer.* Luc. XV, 19. — (6) *Hœdus peccatorum est forma. In Evangelio : Hœdos autem* B-G. — (7) *Sinistris.* Matt. XXV, 33. — (8) *Greges.* Jerem. L, 8. — (9) *Judæorum scilicet et gentium. In Canticis canticorum* B-G. — (10) *Capræ.* Cant. IV, 5. — (11) *Hœdum.* Exod. XII, 5. — (12) *Capris.* Genes. XXXVIII, 17.

Gedeon hœdum [1]. » — Voluptuosi sensus corporis, ut : « Pasce hœdos [2]. » — Reprobi, ut : « Statuet h. a. s. »

Petrus Capuanus ad litt. viii, art. 21.

Hœdus

Cœlestis, Christus.

Spiritualis.

Fideles.
Pœnitentes.

Infernalis.

Lascivia.
Peccatum.

Distinctionum monasticarum lib. ii, *de Hœdo*. Hœdus ab Edendo dictus est [3], etc. Per hœdum designatus est Dominus et Redemtor noster, propter similitudinem carnis peccati, sicut et per hircum. Unde, quum legislator in Exodo de immolatione agni paschalis legem tradidisset, subjecit : « Juxta quem ritum tolletis et hœdum, etc. » Vel hœdus erat Dominus Jesus Christus Judæis, reputatione, id est peccator, illis scilicet qui ei conviciabantur, dicentes ei : « Dæmonium habes [4] ! » Et illuminato illi qui erat cæcus natus, dixerunt quidam ex eis de Christo : « Nos scimus quia hic homo peccator est [5]. » Et Pilato : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. » Vel per hœdum ideo figuratus est Christus, quia ipse hostia erat pro peccato ; unde : « Christus pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo [6], etc. »

Hœdus significat peccatum ; unde Jacob, patri suo Isaac escas præbiturus, pelliculas hœdorum circumduxit manibus, quia Christus, Deum Patrem nostra conversione refecturus, manibus suis extensis in cruce, nostra peccata portavit, et ea cruci suæ affixit. Ipse enim peccata, non sua quæ nulla erant, sed nostra quæ multa et magna erant, portavit in corpore suo, super lignum.

Per hœdos significantur peccatores quandoque eligendi, quandoque reprobandi. Eligendi, sive electi, ut ibi : « Dixit Rebecca filio suo : Vade ad gregem, et affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam inde escas patri tuo, quibus libenter vescitur [7]. » Duo hœdi optimi quibus refectus est [Pater], sunt electi ex utroque populo, quorum conversione et pœnitentia Deus Pater delectabiliter reficitur ; unde est illud : « Gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente [8]. » Reprobi designantur per hœdos ; unde in Evangelio legitur quod oves ad dexteram, et hœdi ponendi sunt ad sinistram ; quia electi assumendi sunt ad gloriam ; reprobi tradendi ad pœnam. Et quidam de nostris socium suum ad virtutum studia exhortans, inter cætera ait :

In quem tu credis, cui te simul et tua dedis,
Mundos a fœdis, ut oves discernet ab hœdis.

Per hœdos designantur turpia desideria cordis, ut in illa sententia sponsi ad sponsam, secundum sensum moralem : « Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, et abi post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum [9]. » Comminatoria alloquutio est veri amatoris animarum Christi, deterrentis animam, suis donis illustratam, ne superbiat ; prædicentisque ei, quod si superbierit, suam amissura sit gratiam ; qua amissa, turpibus et flagitiosis efficienda sit similis. Dicit ergo : O anima, quæ ex donis meis facta es pulchra, et comparatione mollium et effeminatorum appares pulchrior ; si in superbiam cadendo ignoras te, quod est proprium superborum, egredere de familia et familiaritate mea, et abi quo gula te ducet, et cætera oblectamenta. Abi, inquam, post vestigia gregum, et pasce hœdos tuos, id est turpi-

(1) *Hœdum*. Jud. vi, 19. — (2) *Hœdos*. Cant. i, 7. — (3) *Edendo*. Plura ille addit, et tu habes plura in Isid. *Etymol*. xii, c. 1, n. 13. Ibi notanda multa Arevalus congessit, graviter quidem et cum gravissimis, inquit, auctoribus, inter quos, si lubet, et Nostro da locum, quem sæpius videris serio cavillari : « Hœdus, ait, ab *edendo* dictus est : est enim sapidus et sanus : quæ duo, scilicet sapor et salubritas, cibi laudem perficiunt. Sæpe namque in cibis ille sine illa recipitur ; unde medicus quidam ait :

Sæpe fit horrori stomacho quod dulce fit ori.

Scribitur autem verbum (*edere*) per *e* simplicem ; nomen per *he* aspiratam, differentiæ causa. » Hæc ille ; quæ ut absolvas, memineris *hœdum* esse ob digamma idem dictum quam *fœdum*. — (4) *Habes*. Joan. viii, 20. — (5) *Est*. Joan. ix, 24. — (6) *Deo*. I Petr. iii, 18. — (7) *Vescitur*. Genes. xxvii, 9. — (8) *Agente*. Luc. xv, 7, 10. — (9) *Pastorum*. Cant. i, 7.

bus carnis tuæ acquiesce motibus; juxta tabernacula pastorum, id est, juxta corporalem immunditiam carnis desideria foventium. De qualibus ait beatus Petrus in 5 epistola canonica : « Epulati, inquit, estis super terram et in luxuriis enutristis corda vestra [1]. » Vide, lector, et considera quod superbiam cordis sequi soleat contumelia carnis; unde est illud : « Comminuam eos 10 ut pulverem ante faciem venti; ut lutum platearum, delebo eos [2]. » Pulvis enim, id est, vanus et instabilis fit homo per superbiam, et consequenter lutum, id est, visu horridus et tactu fœdus. Per luxuriam ante 15 ruinam exaltatur cor : « Omnis qui se exaltat, humiliabitur [3]. Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam [4], » conversis ad Dominum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Hœdi fœdi, 20 fœtidi, luxuriosi, pilosi, barbati, acutis cornibus et altis muniti; lac dant ad escam, pelles ad calceamentum, pilos ad operimentum.

Hœdus.

Christus.	Confessio peccati.
Peccator.	Pœnitentia.
Appetitus carnis.	

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Deuteron., v. 171.

Non coques hœdum in lacte matris.

Ecclesiæ lenis correctio lacte notatur
Matris; et est hœdus turpia facta gerens.
Sed levibus pœnis sordens et pessimus actus
Non est purgandus, immo dolore gravi.

II. In Cantic., v. 90-94.

Si te nescieris, o pulchra, malum patieris :
Exi, non tardes, post cœtus currere fœdos,
Sub pede pastorum, non agnos pasce, sed hœdos.
Ergo tuum decus observa, ne nigra voceris,
Quæ splendore meo fieri formosa videris.

XXII.

1. LAC, prisca lex [5] : « Pulchriores sunt oculi ejus vino; et dentes, lacte candidiores [6]. »

2. Lac simplex doctrina : « Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, 25 non escam; nondum enim poteratis [7]. » ÷ « Jael aperuit utrem lactis [8]. »

3. Doctrina Ecclesiæ [9] : « Mamilla regum lactaberis [10]. »

4. Sinceritas [11] : « Quasi modo geniti infantes, rationales, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis [12]. »

÷ 5. Et in aliam partem : « Quis pascit gregem, et de lacte gregis non come-30 dit [13]? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 22; ed. II, col. 760 B ad 1, 2, *et in alium sensum.*

GREGORIUS M. Lac, doctrina simplicium, 35 qua Verbum caro factum evangelizatur, vel qua prædicamus Dominum Jesum Christum, et hunc crucifixum; unde Apostolus : « Lac vobis potum dedi, non escam. » — Carnalis vitæ remissio, ut ibi : « Non coques hœdum in lacte matris suæ. » In lacte quippe matris suæ hœdus coquitur, si peccator, pœnitentia indigens, remissioris vitæ suavitatibus dissolvatur.

(1) *Vestra.* Jacob. v, 2. Lapsum auctoris corrige.— (2) *Eos.* Ps. XVII, 43. — (3) *Humiliabitur.* Luc. XVIII, 14. — (4) *Gratiam.* Jac. IV, 6. — (5) *Lex, per Moysen prolata; unde prædicatoribus novi testamenti, per Moysen, dicitur in Genesi* B-G.—(6) *Candidiores.* Genes. XLIX, 12. — (7) *Poteratis.* I Cor. III, 2.—(8) *Lactis.* Judic. IV, 19.—(9) *Apostolorum doctrina, Ecclesiæ parvulos nutriens* B-G. — (10) *Lactaberis.* Is. LX, 16. —(11) *Mentis sinceritas. In epistola Petri : rationales* B, C, G. *Rationabiles* D, E. — (12) *Crescatis.* I Petr. II, 2.—(13) *Comedit.* I Cor. IX, 7.

Rabanus. Lac, ordo conceptionis, ut : « Sicut lac mulsisti me [1]. » — Doctrina simplex, ut : « Lac dedi v. p. n. e. » — Simpliciores auditores, ut : « Bibi vinum meum cum lacte meo [2]. » — Innocentia, ut : « Columbæ quæ lacte sunt lotæ [3]. » — Bona actio, ut : « Bibite vinum et lac [4]. » — Blandimentum peccati, ut : « Non coques, etc. » — Doctrina legis, ut : « Dentes ejus lacte candidiores. » — Administratio temporalis, ut : « Candidiores Nazaræi ejus lacte [5]. »

Petrus Capuanus ad litt. xiii, art. 36.

Lac

Dulce.	*Amarum.*
Gratia Dei.	Doctrina legis.
Doctrina Christi.	Adulatio.
Vita æterna.	Cor obduratum.
Spirituale.	*Corporeum.*
Terrena doctrina simplicium.	Semen hominis.
Fama nitida.	Sustentatio vitæ præsentis.

Primo lacte dulci, id est gratia Dei, nutriuntur incipientes; secundo, proficientes; tertio, pervenientes. Primo lacte amaro, scilicet observantia legali, nutriuntur Judæi; secundo, carnales; tertio, id est acedia malitiæ, inebriantur obstinati. Primo lacte spirituali, scilicet simplici doctrina, lactantur infantes et infirmi; secundo, id est nitore bonæ famæ, reficiuntur proximi. Primo lacte corporeo, formatur humanum genus; secundo, reficiuntur omnes generaliter, tam boni quam mali.

Distinctionum monasticar. lib. iii, *de Lacte.*

Lex Moysis (a), pietas (b), simplex doctrina (c), [voluptas (d),
Carnis adulantis lac, blandus sermo (e) vocatur,
Suntque quibus nova lex (f), lac dici jure putatur.

A. *Dedi vobis terram lacte et melle manantem* [6].
B. *Bibi vinum m. c. l. m.*
C. *Quasi parvulis in Christo, lac, etc.*
D. *Non coques hædum, etc.*
E. *Si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis* [7].
F. *Meliora sunt ubera tua vino, etc.*

Lac mihi non æstate novum, nec frigore desit [8].

Quidam codices habent *desit*, pro *deficit*. Lac novum candidum, calidum est et dulce; lac vetus unum ex his habet, sed ei desunt duo : habet enim candorem, sed nec calorem, nec dulcorem, quia frigidum est et acidum. Lacti novo bene instituta vita hominis comparatur; quæ calida est per charitatem; candida, per castitatem; dulcis, per socialitatem. Felix cui lac istud non deest, nec æstate, nec frigore, id est nec prosperitate, nec adversitate.

Lacti etiam novo comparabilis est evangelica doctrina, quæ calida est, quia nos docet perfectam charitatem, quum dicit : « Diligite inimicos vestros [9], etc. » Candida, quia docet perfectam castitatem, ubi dicit : « Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo [10]. » Dulcis, quia docet perfectam misericordiæ pietatem, ut ibi : « Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis [11]. »

Lac significat doctrinam simplicem quæ infirmis intellectibus salubris est et congrua. Unde Paulus ait : « Facti estis, quibus lacte opus est, non solido cibo [12], etc. »

Lac significat infirmos bonos, vel simplices et innocentes; unde sponsus in Canticis : « Bibi vinum, etc.; » id est, justitia fervidos et simplicitate innocuos mihi delectabiliter incorporavi. Vel martyres et virgines facile de hoc mundo in regna cœlestia, tamquam in interiora mea, trajeci. Moraliter sponsus bibit vinum cum lacte, quia ei placet severitas justitiæ, temperata lenitate misericordiæ.

(1) *Me.* Job x, 10. — (2) *Meo.* Cant. v, 1. — (3) *Lotæ.* Cant. v, 12. — (4) *Lac.* Is. lv, 1. — (5) *Lacte.* Thren. iv, 7. — (6) *Manantem.* Deuter. xxvi, 19. — (7) *Eis.* Prov. i, 10. — (8) *Desit.* Virgil. *Ecl.* ii, 22. — (9) *Vestros.* Matt. v, 44. — (10) *Suo.* Matt. v, 28. — (11) *Cœlestis.* Matt. v, 48. — (12) *Cibo.* Hebr. v, 11.

Lac significat illud genus scripturæ, quod dulce est sententiis et ornatum cultu sermonis [1]. Talis scriptura est prophetia Isaiæ. Talis etiam scriptura libri Hilarii, Ambrosii, 5 Gregorii Nazianzeni, epistolæ Hieronymi, et quidam libri et tractatus sancti Augustini et quidam ejus sermones et epistolæ.

Item per lac quidquid ad cibum pertinet designatur, sicut in distinctione *de Lana*.

10 Lac significat adulationem, quia verba adulatorum candida sunt et dulcia, id est comta et blanda; unde Salomon : « Fili, si te lactaverint peccatores, etc. » Et filius Sirach : «Vir impius lactat amicum suum, 15 et ducit illum per viam non bonam [2]. »

Lac significat carnis voluptatem; unde est illud : « Non coques hœdum, etc.; » id est, non patieris peccatorem carnis voluptate dissolvi; nam carnis filius dicitur qui carnis 20 sequitur voluptatem. Potest tamen hæc sententia aliter exponi sic : « Non coques hœdum, etc.; » id est, peccatorem non solum fœdum, sed fœtidum, mediocribus Ecclesiæ disciplinis non purgabis. Nam secundum modum culpæ debet disponi modus disciplinæ. Est igitur

Lac

Simplicitatis.	Corporalis sustentationis.
Virginitatis.	Adulationis.
Pietatis.	Voluptatis.
Venustatis.	

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 288-295.

Fraudis adulator si te vult lacte cibari,
Ut trahat ad scelera, tu fuge mortis iter.
Lac peccatoris, mundana libido, cupido
Carnis, quæ suadet illecebrosa sequi.
Felix qui tali non curat lacte cibari,
Qui peccatoris ire recusat iter.
Qui caste vivit, reprobi consortia vitat :
In prato regis flos speciosus erit.

XXII.

1. CASEUS, sensus spiritualis [3] : « Accipe ephi polentæ (hoc est, trium modiorum mensura), et decem formellas casei fer tribuno [4]. »

2. *Coagulatum*, vitiis concretus [5] : « Coagulatum est sicut lac cor eorum [6]. »

25 3. Charitate concretus : « Mons Dei, mons uber [7]. »

XXIII.

1. BUTYRUM, evangelicus sermo, deductus a lacte legis [8] : « Tulit quoque butyrum et lac [9]. »

2. Fructus Ecclesiæ primitivæ [10] : « Butyrum et mel manducabit [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

30 EUCHERIUS, ed. I, p. 22; ed. II, col. 760 B ad XXII, 2.

RABANUS. Caseus, soliditas mentis, ut : « Sicut caseum me coagulasti. »

(1) *Sermonis*. Inde Noster ansam arripit subtiliter et prolixe tractandi Jud. IV, 17 sqq. Cui commentationi an locum alicubi daturus sim, adhuc dum nescio. Nunc ad clausulam festinandum erat. — (2) *Bonam*. Prov. XVI, 29. Illic, uti supra, in eadem Noster chorda aberravit. — (3) *Spiritualis, ut quidam volunt, sicut in libro Regum pro David scribitur : Dixit ei pater suus* B-G. — (4) *Tribuno*. I Reg. XVII, 17, 18. *Tribuno, quod est decem præceptorum legis figura* B-G. — (5) *Concretus*. Dist. deest in B, C. — (6) *Eorum*. Ps. CXVIII, 70. — (7) *Mons coagulatus, mons uber, id est Christus, vel Ecclesia* E, G. *Montem Dei, montem uberem* B-D. Ps. LXVII, 16. — (8) *Sicut in Genesi de Abraham narratur, quod cum cæteris dapibus, hoc est vitulo et lacte, hoc ipsum butyrum in prandio Domino obtulit* B-G. — (9) *Lac*. Genes. XVIII, 8. — (10) *Quæ ex Judæis credidit. In Isaia* B-F. — (11) *Manducabit*. Is. VII, 15.

Butyrus, humanitas Christi, ut : « Butyrum et mel comedet. » — Doctrina patriarcharum, ut : « Butyrum de armento [1]. » — Vita contemplativa, ut : « Non videat rivos fluentes torrentem mellis et butyri [2]. » — Virtus charitatis, ut : « In fiala principum obtulit butyrum [3]. » — Fecunditas bonæ actionis, ut : « Tulit butyrum Abraham. » — Pinguedo virtutum, ut : « Qui fortiter premit ubera, elicit butyrum [4]. » — Unctio pœnitentiæ, ut : « Lavabam pedes meos butyro [5]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. II, art. 10.

Butyrum

Humanitatis assumtæ.	Intelligentiæ.
Operationis bonæ.	Pœnitentiæ.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Butyro*. Butyrum, quod pingue est et calidum, pinguedinem significat eleemosynæ, vel pietatem ex qua ipsa venit, vel præmium quod acquirit; unde beatus Job ait : « Quis mihi det ut sim secundum dies pristinos! » Et paucis interpositis, adjungit : « Quando lavabam pedes meos butyro. » Job interpretatur Dolens; figuram gerit Christi, de quo Isaias : « Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit [6]. » Pedes ejus sunt prædicatores sancti, qui portant eum per mundum, de quibus ipse dixit per prophetam : « Inhabitabo in eis et inambulabo [7]. » Hos pedes Dominus butyro lavat, quando temporalibus credentium beneficiis eorum labores lævigat. Vel pedes ejus sunt pauperes, qui hic extremi reputantur, qui butyro lavantur, id est eleemosynis refocillantur.

Butyrum significat mysterium incarnationis Dominicæ, sive ipsas sententias sacræ Scripturæ, quæ ipsam incarnationem exprimunt. Unde in libro beati Job dicitur de hypocrita, prophetando, non interpretando : « Non videat rivulos fluminis, torrentes mellis et butyri [8]. » Flumen est Spiritus sanctus; rivuli ejus, dona Spiritus sancti. Torrentes mellis sunt sententiæ continentes dulcissima mysteria divinitatis. Mel namque de rore cœli habet originem, unde :

Mel defertur api, quum ros descendit ab api [9].

Audi sententias cœlesti melle manantes : « In principio erat Verbum, etc. » Torrentes butyri sunt sententiæ de incarnatione Domini per Spiritum sanctum editæ, ut est hæc : « Verbum caro factum est [10]. »

Butyrum significat sancta corporis exercitia, qualia sunt jejunia, vigiliæ, flexiones genuum, et hujusmodi. Unde Isaias dicit de Christo, « quod butyrum et mel comedet, » qui ipse et bonis exercitiis nostris corporalibus delectatur et spiritualibus, ut sciat, id est, ut scire nos faciat, reprobare malum et eligere bonum. Nam per utraque accedimus ad eum, accedendo illuminamur. Unde : « Accedite ad eum, et illuminamini [11]. »

Butyrum significat spiritualem legis intelligentiam; unde : « Butyrum de armento, et lac de ovibus. » Nam de provectioribus habemus spiritualem, de minus provectis simplicem; unde vir quidam magnificus, magister Petrus de Melida [12], egregie ait :

Lac Moyses traxit, Paulus de lacte butyrum :
Lex aluit puerum, gloria vera virum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Butyrum.

Doctrina patriarcharum.	Fecunditas operum.
Vita contemplativa.	Pinguedo virtutum.
Virtus charitatis.	Pœnitentia.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 9680-9703.

Fortiter ubera qui premit, elicit inde butyrum :
In se mysterium res gerit ista typum.

(1) *Armento*. Deuter. XXXII, 14. — (2) *Butyri*. Job XX, 17. — (3) *Butyrum*. Jud. V, 25. — (4) *Butyrum*. Prov. XIII, 33. — (5) *Butyro*. Job XXIX, 6. — (6) *Portavit*. Is. LIII, 4. — (7) *Inambulabo*. II Cor. XVI, 16. — (8) *Butyri*. Job XX, 17. — (9) *Api*. In ultima voce inesse debet sensus alius ac in præcedenti, litteris simili, sed metro diversa : cui significatui exculiendo Cangius nullas præstitit suppetias. — (10) *Est*. Joan. I, 1, 14. — (11) *Illuminamini*. Ps. XXXIII, 6. — (12) *Petrus de Melida*. De quo putem siluisse hactenus omnes. Silent enim vero Fabricius, Caveus, Casim. Oudin, etc.

Subtili sensu sancti dum mystica verbi
Mens discendo sugit, ubera sancta premit.
Ad votum sanctum non lac, sed pingue butyrum
Effluit : hoc signat munera larga Dei.
5 Pascua larga Dei stant semper aperta petenti,
Vicinumque pecus grandius uber habet.
Sic pro lacte fluit nobis cœleste butyrum,
Quando nos sanat unctio sancta Dei ;
Nam scit divina dare plus clementia nobis,
Quam meritum poscat, quamque rogare queat.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines [1] :
Ubera discreta sic ratione preme.
Si nimis emungis, sanguis de naribus exit;
Instar ad hujus agunt ubera pressa nimis.
Credere vel scire qui plus vult quam quod oportet,
Elicit a mammis sanguinis iste cibum.
Da nobis bibere fidei sic ubera, Christe,
Æternus vitæ pastus ut inde fluat.

XXIV.

10 1. Mel, dulcedo divini eloquii [2] : « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! super mel et favum ori meo. »

2. Dulcedo Christi [3] : ÷ « Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum. » ÷ « Suxerunt mel de petra [4]. » Et in psalmo : « Et de petra melle saturavit eos [5]. »

15 3. Dulcedo peccati et vita voluptuosa [6] : « Cave ne offeras mel, neque fermentum in sacrificio meo [7]. »

÷ 4. Gratia spiritualis : « Spiritus enim meus super mel dulcis [8]. »

XXV.

1. Favus, Christus [9] : « Posuerunt coram eo partem piscis assi et favum mellis [10]. »

20 2. Scriptura divina [11] : « Comedi favum cum melle meo [12]. »

÷ 3. Illecebrosa [13] deceptio hæreticorum. In Salomone : « Favus distillans, labia meretricis [14]. »

XXVI.

÷ Cera, caro Christi : « Factum est cor meum, tamquam cera liquescens [15]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

25 Eucherius, ed. i, p. 22; ed. ii, col. 760 b, ad xxv, 1, 3.

Rabanus. Mel, divinitas, ut : « Torrentes mellis et butyri [16]. » — Sapientia spiritualis, ut : « Mel invenisti; comede quod suffi-30 cit [17]. » — Contemplatio, ut : « Mel et lac sub lingua mea [18]. » — Animæ sanctæ, ut : « Comedi favum cum melle meo. » — Dulcedo carnis, ut : « Fermentum et mel non erit in sacrificio Dei. » — Doctrina Christi, ut : « Suxerunt mel de petra. »

Favus, divinitas Christi, ut : « Partem, etc. » — Humanitas Christi, ut : « Comedi f. c. m. » — Litteralis intellectus, ut :

(1) *Fines*. Horat. i, *Sat.* i, 106. — (2) *Præceptorum Dei. In psalmo : Quam dulcia* B-G. *Meo*. Ps. cxviii, 103. — (3) *Salvatoris Dei* B-G. — (4) *Petra*. Deuter. xxxii, 13. — (5) *Eos*. Ps. lxxx, 17. — (6) *Propter quod etiam a sacrificio Dei per legem prohibitum est* B-G. — (7) *Meo*. Levit. ii, 11. — (8) *Dulcis*. Eccli. xxiv, 17. — (9) *Caro Salvatoris, divinitatis dulcedine plena. In Evangelio* B-G. — (10) *Mellis*. Luc. xxiv, 42. — (11) *Habens mel et ceram* A. *Melle spiritualis sapientiæ repleta. In Canticis canticorum* B-G. — (12) *Meo*. Cant. v, 1. — (13) *Illecebrosa* B-C. — (14) *Meretricis*. Prov. v, 3. — (15) *Liquescens*. Ps. xxii, 15. — (16) *Butyri*. Job i, 17. — (17) *Sufficit*. Prov. xxv, 16. — (18) *Mea*. Cant. iv, 11.

Favus dulcis gutturi meo [1]. » —Prædicatio, ut : « Favus distillans labia tua, sponsa [2]. » —Voluptas carnis, ut : « Anima saturata calcabit favum [3]. »

Cera, peccator, ut : « Sicut cera quæ fluit a facie ignis [4]. » — Lex vetus, ut : « Factum est cor meum tamquam cera liquescens. »

Petrus Cantor. Mel est malorum, scilicet scientia sæcularis et voluptas temporalis, de qua dicitur : « Mel distillat d. l. m. » — Beatorum, scilicet visio Dei comprehensiva ; hæc est mel eliquatum ad quod suspirat desiderium prophetæ, dicentis : « Quam dulcia, etc. » — Bonorum, scilicet fides incarnationis : hic est favus quem Samson invenit in ore leonis. Inflat mel pravorum ; mel beatorum per spem delectat ; mel bonorum delectat et sanat.

Petrus Capuanus ad litt. vi, art. 9. Favus est quasi compositum quoddam, ex cera scilicet et melle. Itaque aureis litteris scribitur tribus modis : est enim favus, caro continens divinitatem ; vel justus, sapientiam et Spiritum sanctum ; et littera, allegoriam vel moralitatem. Scribitur et favus tetris litteris, et dicitur illecebrosa deceptio exprimens mel adulationis.

Idem, ad litt. xii, art. 42.

Mel.

Divinitas Christi.
Delectatio et jucunditas ex verbis Dei.
Spiritualis intelligentia.
Gentilis populus.
Voluptas peccati.

Distinctionum monasticar. lib. i, *de Cera.* Cera quæ opus apum est, quas matres esse et virgines curiosis rerum naturalium inquisitoribus compertum est, carnem significat nostri Redemtoris, quam ipse sumsit de gloriosa et intemerata semperque Virgine. Unde quidam de nostris tam eleganter versificatus est, ut illi dare non dubitem illud poetriæ præconium :

> Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci [5] ;

Ait enim :

> Accipe per ceram carnem de Virgine veram ;
> Per lumen, numen, majestatisque cacumen.

Cera significat sacram Scripturam, secundum expositionem Cassiodori [6], super illum versum : « Factum est cor meum, tamquam cera liquescens in medio ventris mei. » Verba Cassiodori sunt hæc : Id est, Scripturæ elicuit secretum, quia Scriptura, id est sapientia et voluntas Christi, quæ erat in Scripturis clausa, crucifixo Domino, liquefacta est ut cera, adeo ut omnes infirmi intelligerent. Unde subdit : « In medio ventris mei. » Idem de eodem, post pauca : Bene mysteria legis ceræ comparat, quæ tunc lucem reddit, quum calore dissolvitur.

Cera significat infirmitatem humanam, quæ facile resolvitur, vel intensionem pœnæ damnatorum, ut ibi : « Sicut cera quæ fluit a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei [7]. » Vel secundum aliam expositionem sancti Augustini [8] : Cera significat cor peccatoris pœnitentis, cujus duritia a facie Dei, id est præsentia gratiæ ejus, in pœnitentiæ lacrymis solvitur.

Cera, quia omnes formas indifferenter recipit, significat inconstantiam et impuritatem ; unde est illud poeticum de quodam promto et proclivi ad vitia : « Cereus in vitium flecti [9]. » Unde et sincerum quasi sine cera dicitur, quia purum est et defæcatum, secundum illud :

> Sincerum nisi vas, quodcumque infundis, acescit [10].

Nam *sinceris*, media correpta, componitur ex *sine* et *carie*, id est putredine ; unde est illud Apostoli : « Ut sitis sinceres [11], etc. Est igitur :

(1) *Meo.* Prov. xxiv, 13. — (2) *Sponsa.* Cant. iv, 11. — (3) *Favum.* Prov. xxvii, 7. — (4) *Ignis.* Ps. lxvii, 3. — (5) *Dulci.* Horat. *Art. poetic.* v. 343. — (6) *Cassiodori.* Super Psalm. xxi, 15. *Opp.* ii, 74. — (7) *Dei.* Ps. lxvii, 3. — (8) *Augustini.* Opp. t. v, p. 142, 930. — (9) *Flecti.* Horat. ib. v. 163. — (10) *Acescit.* Horat. I *Epist.* ii, v. 54. — (11) *Sinceres.* Insolitum, neque vero prorsus inauditum grammaticis et glossariis vetustis, quæ recensebat Forcellini ad h. v. Immo quæ hic producitur Apostoli lectio, eadem exstat apud Sabaterium e codd. Sangerm. et Claromont. Cf. ad Philip. i, 10.

Cera { Munditiæ et puritatis. / Scientiæ et claritatis. / Pœnæ et infirmitatis. / Inconstantiæ et dolositatis. / Tristitiæ pœnitentialis.

Liber II, *de Favo*.

Favus significat imperfectiores bonos, qui, quia res hujus mundi possident, licet
5 eis licite utantur, cereum tamen aliquid habent, id est infirmum; unde sponsus in Canticis: « Comedi favum c. m. m. » Id est, imperfectos bonos cum perfectis mihi incorporavi.

10 Favus significat sacram Scripturam, quæ sensum spiritualem habet in littera, sicut favus mel habet in cera. Unde Salomon: « Comede mel, fili mi, et favum dulcissimum gutturi tuo [1]. » Hic puto per mel, novum
15 testamentum; per favum significari vetus.

Favus significat Christum, quia favus est mel et cera, Christus, Deus et homo.

Favus quandoque in malo accipitur: significat cavernosa, inflativa et male dulco-
20 rata hæreticorum dogmata, vel adulatorum verba; unde: « Favus distillans l. m. »

Favus pro dulcedine poni solet; unde vel stultus amator, vel doctus versificator ait:

Basia plena favi mihi das; ideo tibi favi.

Lib. IV, *de Melle*. Mel aliud bonorum, aliud malorum, aliud beatorum [2] [*pene ad verbum ut in Petro Cantore.*]

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 7425-7438.

Dulcedo mellis liquor est promtus comedenti:
  Sic est moralis littera promta legi.
Dicitur esse favus, quum ceræ mel sociatur,
  In se mysterium mel habet atque favus.
Elicis a cera sicut mel, littera legis
  Sic tibi mysterii dulcia mella dabit.
Doctrinas ut præcellit sapientia cunctas,
  Sic vincunt cunctos mella sapore cibos.
Mysterii satiare favus quem non valet, ille
  Simplicis historiæ dulcia mella legat.
Suxerunt oleum de saxo, mel quoque, duro,
  Petraque fudit aquas: hæc petra Christus erat.
Petra vetus lex est, nova lex sunt mella favusque:
  Elicit a vetere lex nova lege typum.

XXVII.

OVILE, Ecclesia [3]: « Fiat [4] unum ovile et unus pastor [5]. »

XXVIII.

÷ 1. PECORA, simpliciores quique, minus præditi rationis [6] subtilitate. In Salomone: « Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera [7]. »

÷ 2. Peccatores voluptatibus sæculi dediti. In Zacharia: « Pasce pecora occi-
25 sionis [8]. » Et in psalmo: « Oves et boves, insuper et pecora [9]. »

XXIX.

÷ 1. GREX, fidelium congregatio, vel cæteri veterem conversationem in baptismo relinquentes. In Canticis canticorum: « Dentes tui sicut greges detonsarum quæ ascenderunt de lavacro [10]. »

÷ 2. Peccatorum collectio. In Jeremia: « Congrega eos, quasi gregem ad victi-
30 mam [11]. »

(1) *Tuo*. Prov. XXIV, 13. — (2) *Beatorum*. Mel, inquit idem in fine, a corruptione conservat, mel enim fructus, qui facillime solvuntur putredine, sicut sunt cerasa et pira, diu sana conservat. — (3) *Ovile ovium, Ecclesia. In Evangelio.* — (4) *Fiet*. D, E, G. — (5) *Pastor*. Joan. X, 16. — (6) *Ratiocinandi* B-D, G. — (7) *Considera*. Prov. XXVII, 32. — (8) *Occisionis*. Zach. XI, 4. — (9) *Pecora*. Ps. VIII, 8. — (10) *De lavacro*. Cant. IV, 2. — (11) *Ad victimam*. Jerem. XII, 3.

Eucherius, ed. i, p. 15; ed. ii, col. 753 B ad xxviii, 1.

Rabanus. Grex, conventus electorum, ut: « Noli timere, pusillus grex [1]. » — Cœtus perfectorum, ut: « Dentes tui, etc. » — Ordo pœnitentium, ut: « Capilli tui sicut grex caprarum [2]. » — Imperiti, ut: « Diripuerunt greges, et paverunt eos [3]. » — Conventicula reproborum, ut: « Abi post vestigia gregum [4]. » — Ordines sanctorum, ut: « Sustulit eum de gregibus ovium [5]. »

Pecora, populi, ut: « Constitue magistros pecorum [6]. » — Cupidi, ut: « Insuper et pecora campi.

Petrus Capuanus ad litt. viii, art. 23. Grex Christi quandoque dicuntur minores incipientes, vel pœnitentes, quia de simplicioribus eligit prædicatores; quandoque grex ejus dicuntur majores. — Grex diaboli quandoque dicuntur stulti. Canticum: « Abi post vestigia gregum. » Quandoque hæretici. Canticum: « Ne vagari incipiam post greges. »

Christus est pastor ovium suarum; diabolus est dissipator suarum. Christus colligit suas; diabolus suas dispergit. Christus ponit se ipsum pro salvando grege suo; diabolus ingerit se ipsum pro dispergendo. Christus pro suo pugnat; diabolus suum impugnat. Christus in grege suo fovet lac et lanam, lac scilicet simplicis doctrinæ, et lanam innocentis conversationis; diabolus autem ex suis non exprimit nisi aquam, et fovet in eis linum: scilicet aquam turbidam, qua vinum veræ intelligentiæ corrumpitur, et linum dolositatis, de quo sæculi retia conficiuntur. Christus tondit a suis superflua vitiorum; diabolus tondere nititur a suo grege lanam honestæ conversationis.

Idem ad litt. xv, art. 53.

Pecus.

Subditi in Ecclesia.	Carnales voluptatibus dediti.
Simplicitate juniores in Ecclesia.	Irrationabiles motus.

Anonymus Claravallensis.

Ovile.

Synagoga.	Ecclesia.

Pecus.

Hæreticus.	Populi.
Peccator.	Cupidi.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. ii, v. 8666-8669.

O dives, dives! non omni tempore vives:
 Fac bene, dum vivis, post mortem si vivere vis.
Sic rege, pastor, oves, si desinat esse potestas,
 Ut tibi regna Dei det bona cura gregis.

XXX.

1. Pastor, Christus: « Ego sum pastor bonus [7]. »

2. Pastores, apostoli [8]: « Dabo vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina [9]. »

3. Reprobi sacerdotes: « Grex dispersus populus meus; pastores eorum deduxerunt eos [10]. » ÷ « Pastores multi demoliti sunt [11]. »

÷ 4. Antichristus. In Zacharia: « Ecce ego suscito pastorem in terra, qui dispersa non colligat [12], » et cætera.

(1) *Grex.* Luc. xii, 32. — (2) *Caprarum.* Cant. vi, 4. — (3) *Eos.* Job xxiv, 2. — (4) *Gregum.* Cant. i, 6. — (5) *Ovium.* Ps. lxxvii, 70. — (6) *Pecorum.* Genes. xlvii, 7. — (7) *Bonus.* Joan. x, 14. — (8) *Prædicatores* A *Vel cæteri principes ecclesiarum. In Propheta* B-G. *Cæteri prædicatores* E. — (9) *Doctrina.* Jerem. iii, 15. — (10) *Eos.* Jerem. l, 6. — (11) *Sunt.* Jerem. xii, 10. — (12) *Colligat.* Zachar. xi, 16.

XXXI.

÷ 1. Custos, Dominus. In Job : « Tibi peccavi, o custos hominum [1] ! » Et in Isaia : « Quid de nocte, custos [2] ? »

÷ 2. *Custodes*, apostoli, vel cæteri prædicatores. In Isaia : « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes [3], tota die et tota nocte [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 18; ed. ii, col. 756 b ad xxx, 1, 2, 3.

Damasus, in *Decreto*, p. 789; in *Carm.* vi, v. 5.

Sylvius, *de Nominib. Christi*, v. 9.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 2 et 125.

Isidorus, *Etymol.* lib. vii, c. 2, n. 36.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Pastor, Christus, ut : « Ego s. p. b. » — Dæmonia, ut : « Fecit Isaac puteum, pro quo rixati sunt pastores Geraræ [5]. » — Perfecti viri, ut : « Pastores loquebantur ad invicem [6]. » — Mercenarius, ut : « Væ pastoribus Israel, qui pascunt semet ipsos [7]. » — Cogitationes animi, ut : « Pasce hœdos tuos [8]. » — Rectores, ut : « Qui intrat per ostium pastor est ovium [9]. »

Notker, *Sequent.* xxxvi, v. 10.

Petrus Cantor. O sacerdotes, ex eo quod pastores estis, tenemini esse operarii. De quo quid dicam? nisi verbum Domini : « Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis [10]. » Gregorius dicit : Qualiter tradet animam suam pro ovibus suis, qui eis non vult tradere alimoniam [11]? — Pastores estis dicti. Debetis autem pascere tripliciter : primo, exemplo sanctæ conversationis, ne quum aliis prædicaveritis, ipsi reprobi efficiamini. Deinde, verbo sanctæ prædicationis. Tertio, pabulo sanctæ consolationis. Sed hodie versum est in contrarium. Dicit Dominus in Evangelio : « Super cathedram Moysis sederunt scribæ et pharisæi : quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, nolite facere [12]. » Non dicunt, quia nesciunt : nec faciunt, quia nolunt. Qualiter ergo prædicabunt, qui verbum nesciunt et opera nolunt? Pastores ergo sitis, non tonsores; ut quæratis salutem animarum, non lac et lanam ovium. Pastores dico, non mercenarii; « quia mercenarius fugit, quum viderit lupum venientem [13]. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 43. Pastor cœli, pastor mundi, et pastor tartari. Pastor cœli, Christus. Evangelium : « Ego sum p. b. » — Pastor mundi est prælatus. Evangelium : « Et pastores erant in regione illa, custodientes vigilias noctis, super gregem suum [14]. » — Pastor tartari, malus prælatus, quia non tam salutem ovium quærit, quam lanam et lac, id est temporalem utilitatem. Jeremias : « Pastores eorum seduxerunt eos. » Pastores quoque tartari, mundi philosophi. Exodus : « Supervenerunt pastores, et ejecerunt eas [15]. » Pastor etiam tartari, specialiter Antichristus. Zacharias : « Suscitabo, etc. »

Christus autem dicitur pastor noster, quia educit nos; quia custodit atque gubernat; et quia pascit nos. Pascit autem nos corporaliter. Psalmus : « Qui dat jumentis escam ipsorum [16]. » Spiritualiter. Evangelium : « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie [17]. » Sacramentaliter. Evangelium : « Accipite; hoc est corpus meum [18]. » Doctrinaliter. Evangelium : « Non in solo

(1) *Hominum.* Job vii, 20. — (2) *Custos.* Is. xxi, 11. — (3) *Constituti custodes* B, C, F. — (4) *Nocte.* Is. lxii, 6. — (5) *Geraræ.* Genes. xiii, 7. — (6) *Invicem.* Luc. ii, 15 — (7) *Ipsos.* Ezech. xxxiv, 2. — (8) *Tuos.* Cant. i. — (9) *Ovium.* Joan. x, 2. — (10) *Suis.* Joan. xi, 11. — (11) *Alimoniam.* Gregor. *Homil.* xiv, t. i, col. 1484 d. — (12) *Facere.* Matt. xxiii, 2. — (13) *Venientem.* Joan. x, 13. — (14) *Suum.* Luc. ii, 8. — (15) Exod. ii, 17. — (16) *Ipsorum.* Ps. cxlvi, 9. — (17) *Hodie.* Luc. xi, 3. — (18) *Meum.* Matt. xxvi, 26.

pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei [1]. » Pascit etiam æternaliter. Evangelium : « Beatus qui manducabit panem in regno cœlorum [2]. »

5 PETRUS DE RIGA.

Aurora, *in Genes.* v. 672-676.

Excolit arva Cain, colit ejus pascua frater :
Hic terræ fructus congregat; ille, gregum.
Offert dona Cain Domino de frugibus; offert
Frater de gregibus, dispare corde tamen.

Ibid. in Evang., v. 2439-2444.

Centum pastor oves habuit; perit una : relictis
Omnibus hic aliis quærere venit eam.
Nos ovis illa sumus, quos primi culpa parentis
Perdidit; est pastor omnia Christus alens.
Angelicos cives sursum dimisit; amictu
Corporis indutus, inde reduxit ovem.

XXXII.

1. MERCENARIUS, improbus sacerdos [3] : « Mercenarius autem et qui non est pa-
10 stor, cujus non sunt oves propriæ [4]. »

2. Judaicus populus [5] : « Quanti mercenarii, in domo patris [6] mei, abundant panibus [7] ! »

÷ 3. Fidelis quisque, propter tolerantiam laborum : « Sicut servus desiderat umbram, et sicut mercenarius præstolatur finem operis sui [8]. »

XXXIII.

15 ÷ INQUILINUS, hæreticus; mercenarius, populus Judæorum. In Levitico : « Inquilinus sacerdotis et mercenarius non comedent ex eo [9], » hoc est sacramentum corporis Domini.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 13; ed. II, col. 756
20 B ad XXXII, 1.

RABANUS. Mercenarius, justus, ut : « Sicut mercenarii dies ejus [10]. » — Hypocrita, ut : « Mercenarius est, et non sunt oves propriæ. »

25 PETRUS CAPUANUS ad litt. XV, art. 35. Mercenarius duplex, vel pro mercede cœlesti, vel pro mercede terrena. De primo, Evangelium : « Quanti mercenarii, etc. » De secundo : « Mercenarius fugit, etc.
30 Primus exspectat mercedem æternam, et tardum est ei donec veniat merces ipsa. Job : « Sicut mercenarii d. e. » Secundus recepit mercedem suam terrenam. Primus accepit cœlum; secundus, terram.
35 Tres autem personæ distinguuntur a Domino in Evangelio, scilicet pastor, mercenarius, et fur. De primo, Evangelium : « Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. » De secundo, Evangelium : « Mercenarius et qui non est pastor, etc. » De tertio, Evangelium : « Et lupus rapit et dispergit. » Primus, bonus prælatus; secundus, malus; tertius, hæreticus. Primus ergo est audiendus et imitandus. Secundus est audiendus et tolerandus, sed non imitandus; tertius est præcavendus et fugiendus.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Mercenarius, populus Judaicus, ut : « Quanti, etc. » — Vir sanctus, ut : « Sicut mercenarius præstolatur f. o. s. » — Prælatus, pro terreno lucro serviens, ut : « Mercenarius et

(1) *Dei*. Matt. IV, 4. — (2) *Cœlorum*. Luc. XIV, 15. — (3) *Improbi, servientes Domino non pro amore tantum divino, sed et pro temporali retributione. In Evangelio* B-E, deest in G. — (4) *Propriæ*. Joan. X, 12. — (5) *Populus Judæorum. In Evangelio* B-G. — (6) *Mercenarii patris* E. — (7) *Panibus*. Luc. XV, 17. — (8) *Sui*. Job VII, 2. — (9) *Eo*. Levit. XXII, 10. — (10) *Ejus*. Job VII, 1.

qui n. e. p. » — Justus, ut : « Sicut mercenarii d. e. »

ÆGIDIUS PARISIENSIS.

Ad *Auroram*, de agno Paschali, in Exod. v. 673-676.

Neque mercenarius edat, neque advena.

Proximus est omnis instructus dogmate Christi :
Hic te certificet, consolidetque fide.
Qui sunt circa nos, alienos dicimus omnes,
Et procul a nostris finibus esse sitos.

XXXIV.

1. FUR, dies judicii [1] : « Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet [2]. »

2. Diabolus [3] : « Et fur spolians latrunculos a foris [4]. »

÷ 3. Mors ex improviso veniens : « Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique [5]. »

÷ 4. *Latrones,* dæmones. In Job : « Simul venerunt latrones ejus, et fecerunt sibi viam per me [6]. »

÷ 5. *Fures* et *latrones,* hæretici, sive Judæorum doctores. In Evangelio : « Hoc autem scitote, quoniam si sciret, etc., non sineret perfodi domum suam. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. II, col. 769 B ad 5.

RABANUS. Fur, hæreticus, ut : « Fur non venit, nisi ut furetur et mactet [7]. » — Maligni spiritus, ut : « Ubi fures effodiunt [8]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. VI, art. 35. Fures materiales, spirituales, cœlestes et infernales. Fures materiales duplices : dicitur enim in Evangelio de Juda, quod fur [9] erat; et loculos Domini habens, ea quæ mittebantur, portabat. Fures etiam materiales dicuntur Scribæ et Pharisæi, et cupidi prælati qui plebem spoliant. Isaias : « Principes tui infideles, socii furum [10] »

Spirituales fures similiter duplices : fur enim spiritualis dicitur mors. Evangelium : « Si sciret, etc. » Fures etiam spirituales dicuntur simoniaci doctores, Judæi et hæretici. Evangelium : « Quotquot autem venerunt ante me, fures sunt et latrones [11]. »

Cœlestes etiam fures duplices : scilicet ipse Deus. Apocalypsis : « Ecce ego venio sicut fur [12]. » Fur etiam cœlestis, dies judicii. Paulus : « Dies Domini, etc. »

Fures quoque infernales duplices : fur enim infernalis, diabolus. Osee : « Fur enim ingressus est e. l. s.; » quia non potest aliquem exspoliare, nisi eum prius ab Ecclesia trahat. Fures etiam infernales, vitia et peccata. « Evangelium : » Nolite thesaurizare, etc. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Fur, hæreticus. — Maligni spiritus [*ut in Raban.*]. — Occultus inimicus, ut : « Per noctem erit, quasi fur [13]. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

I. *Hortus deliciar.*, lib. I, v. 296-301.

Insidiemur sanguini.

« Ut res insontis rapias, fundendo cruorem,
« Talibus illecebris participare cave. »
Omnes latrones notat, et specialiter illos,
Per quos effusus, Christe, tuus cruor est.
Arentes hi sunt stipulæ, quas de Paradiso
Exstirpat Salomon, quasque gehenna cremat.

(1) *Dies domini* B, C. *Quod quando venit, ignoratur* A. — (2) *Veniet*. I Thess. v, 2. — (3) *Vel malus homo* A. — (4) *Foris*. Osee VII, 1. *Latrunculos, hoc est hæreticos; a foris, extra conventum Ecclesiæ* B-G. Aliter LXX et vulgat. Distinctio bis legitur in B-G eodem modo. — (5) *Utique*. Matt. XXIV, 43. — (6) *Me*. Job XIX, 12. — (7) *Mactet*. Joan. X, 10. — (8) *Effodiunt*. Matt. VI, 19. — (9) *Fur*. Joan. XII, 6. — (10) *Furum*. Is. I, 23. — (11) *Latrones*. Joan. X, 8. — (12) *Fur*. Apoc. XVI, 15. — (13) *Fur*. Job XXIV, 14.

II. Ibid., v. 318-327.

Domus nostras spoliis implebimus.

Non impleta domus spoliis tua gaudeat istis,
Nam caret eventu sordida præda bono …
5 Sortem non mittas cum talibus; illa crumena
Non tibi provideat sanguine parta cibos.
Ut trahat ad facinus, partiri partibus æquis
Permittit sociis latro cruentus opes.
Sed Judæa, tuos si quos agnovit amicos,
Obsequio jungit in tua damna decus.
Et quos devotos tibi cernit et esse fideles,
Odit tunc et adhuc perfida persequitur.
Quorum perfidiæ finem vix livor habebit,
Dum natus fuerit perditionis homo.

XXXV.

1. Aper, diabolus : « Exterminavit eam aper de silva, et singularis ferus [1]. »
2. Titus et Vespasianus [2].

XXXVI.

1. Porci, homines immundi [3] : « Si ejicis nos, mitte nos in porcos [4]. Ne mitta-
10 tis margaritas vestras ante porcos [5]. »
2. Dæmones, vel immundæ cogitationes [6] : « Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos [7]. »
3. *Sues,* apostatæ [8] ad ea quæ fleverunt revertentes : « Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro [9]. »
15 ÷ 4. Peccator recte intelligens, et luxuriose vivens. In Salomone : « Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra et fatua [10]. »
÷ 5. Hæretici, de quibus in lege præcipitur, ob hoc quod ungulam findunt et non ruminant, ne a fidelibus eorum carnes contingantur [11] ; quia iidem hæretici, licet utrumque testamentum legis et Evangelii suscipiant, sed quia spiritualiter non
20 ruminant, immundi sunt.
÷ 6. *Porcina,* peccata. In psalmo : « Saturati sunt porcina [12]. »
÷ 7. *Jus carnium*, cogitationes sordidæ, ex quibus prava, velut decocta, procedunt. In Isaia : « Qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum [13], » id est in cordibus eorum.

25 VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugon. S. V.*, lib. iii, c. 17.—Apud *Vincentium Bellov.*, l. xviii, c. 80.

Eucherius, ad xxxv, 2 ed. i, p. 14 ; ed.
30 ii, col. 751 c; — ad xxxvi, 6 ed. i, p. 21; ed. ii, col. 760 a.

Rabanus. Porci, contemtores veritatis, ut : « Non mittatis m. a. p. » — Homines mali, ut : « Mitte nos in gregem porcorum.

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 57. Porci vel sues tantum tetris litteris scribun-

(1) *Ferus.* Ps. lxxix, 14. — (2) *Quidam autem hunc aprum et singularem ferum Vespasianum et Titum, principes Romanorum, intelligi volunt* B-G. — (3) *Et luxuriosi. In Evangelio* B-G. — (4) *Porcos.* Matt. viii, 31. — (5) *Porcos.* Matt. vii, 6. — (6) *Immundi spiritus. In Evangelio* B, G.—(7) *Porcos.* Luc. xv, 15. — (8) *Pœnitentes negligentes* B-G. — (9) *Volutabro.* II Petr. ii, 22. — (10) *Fatua.* Prov. xi, 22. — (11) *Contingantur.* Levit. xi, 7. — (12) *Porcina.* Ps. xvi, 14, ubi Vulgata : *Saturati sunt filiis.* Faciunt cum Nostro veteres, magno consensu, et facili lapsu, ob similitudinem græcorum vocabulorum ὑείων et υἱῶν. Cf. D. Sabatier. *Bibl. sacr. lat. vers. ant.* t. II, p. 31. — (13) *Eorum.* Is. lxv, 4.

tur, et interdum designant luxuriosos. Psalmus : « Saturati s. p. » — Interdum etiam designant hæreticos. Evangelium : « Nolite dare, etc. » Sapientia : « Circulus aureus [1] [doctrina] in naribus suis, mulier pulchra [in verbis] et fatua [in sensu].» Porci enim interdum etiam in pascentes conversi dirumpunt illos : et hæretici doctores interdum dilaniant.— Aliquando etiam designant dæmones. Evangelium : « Cupiebat ventrem suum saturare de siliquis, quas porci manducabant [2].» Porci namque siliquas semper comedunt, sed numquam eis saturantur ; et dæmones semper peccata appetunt, et numquam eis saturantur. Nonne semper sanguinem nostrum sitit adversarius ille noster, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret?

Anonymus Dominicanus, in *Compendio morali de Quadrupedib., per brocard.* art. v.

1. Aper silvester, ut dicit *Liber rerum*, bestia fortis est, quæ nullam doctrinam bonorum operum recipit, sed semper sæva et ferox est. Nigri coloris dentes magnos et recurvos habet, semipedalis longitudinis, qui incisionibus apti sunt; unde in viva bestia possunt ferrum incidere ; a mortua vero detracti, vim incisionis perdunt. Per apium silvestrem, sæculares homines significari possunt, qui ad litteram nullam doctrinam bonorum operum recipiunt ; sed semper feri, sævi, atque feroces, nigri, id est turpes, impii in gestibus judicantur, etc.

2. Aper animal lassatissimum est; unde in venatione lassatus, subsistit in posterioribus, et lassitudinem, atrocitate rigida anceps, dissimulat, duellum conferens venatorum. Sic fortes, in bello mundi, pugnantes cum antiquo serpente, lassitudinem, id est fragilitatem corporis, non considerant, sed firmi corde usque ad mortem pro justitia certant.

3. Venatores, quando aprum provocaturi non percusserunt cuspide acutissimo, sunt in periculo mortis, nisi arborem propinquam ad quam confugiunt, invenerint, vel in loco humiliori reliqua terræ planitie se totis membris presserint; quia, quum dentes eorum recurvantur, nisi erectum attingere non possunt. Sic contra aprum diabolum ad arborem crucis confugias, vel ad veram humilitatem recurras, quia « humiles spiritu salvabit. » Nisi enim elatum per superbiam attingere non potest.

Idem, *ibid.* art. xxii.

3. Oculi porci, ut dicit Physiologus [3], naturale figmentum habent, ita ut in terram necessitate semper intendant : sic in interitum avari.

4. Porcus, ut fertur a Physiologo, moritur, si ei unus oculus extrahatur : sic quum per diabolum vel terrena, oculus intellectus eruitur, homo facile per peccata moritur.

Anonymus Clarevallensis. Aper, Vespasianus et Titus :« Exterminavit eam, etc.»

Porci.

Contemtores veritatis.	Homines mali.

De gratia novi testamenti
lib. i, v. 488-493.

Inde duos Gerasenos, ægros nimis atque furentes,
Sanans, restituit vitæ mentisque saluti.
Permittit porcos invadere dæmoniorum
Colluviem; in stagnum datur ille suum grex.
Qui porcos imitantur, quasi vas lemurum sunt.
Vivens more suis, perit ut vas perditionis.

XXXVII.

÷ 1. Bestia [4], diabolus : « Et mala bestia non transibit per eam [5]. »
÷ 2. Dæmones : « Omnes bestiæ agri ludunt ibi, in herbis montium [6]. »

(1) *Aureus.* Prov. xi, 22.—(2) *Manducabant.* Luc. xv, 16. — (3) *Physiologus.* Hic locus et sequens, tantum apud Vincentium Bellovacensem l. l.—(4) *Bestia.* Hic incipit altera pars capituli, cum peculiari titulo, ut monuimus, p. 1.—(5) *Eam.* Is. xxxv, 9.—(6) *Montium.* Job xl, 15.

÷ 3. Vitia : « Auferam malas bestias [1]. »

÷ 4. Turba prædicatorum Antichristi : « Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo, similia agni, et loquebatur ut draco [2]. »

÷ 5. Mentes irrationabiles : « Bestia si tetigerit montem, lapidabitur [3]. »

÷ 6. Simplices : « Potabunt omnes bestiæ agri [4]. »

÷ 7. Motus carnis : « Et bestiæ terræ pacificæ erunt tibi [5]. »

÷ 8. Quatuor bestiæ, quatuor evangelistæ.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Hugon. S. V.*, lib. II, Prol.

EUCHERIUS, ed. I, p. 14 ; ed. II, col. 751 B ad 1, 5.

GREGORIUS M. Bestia, diabolus, ut in propheta : « Mala bestia per eam, etc. ; » id est per Ecclesiam.—Turba discipulorum Antichristi, ut in Apocalypsi : « Vidi aliam, etc. » De terra ascendere, est de terrena gloria superbire ; duo cornua, sapientia et vita, in quibus per hypocrisim sanctitatis Agno videtur esse consimilis. — Mens irrationabilis, ut ibi : « Bestia si tetigerit, etc. » Mens enim sensu, non ratione ducta, si ad contemplationis alta se erigit, superni ponderis ictibus necatur. — Dæmones, ut in Job : « Omnes bestiæ agri ludunt ibi. » Bestiæ quippe agri in herbis montium ludunt, quia maligni spiritus in superborum operibus delectantur, et eorum corda ad illicitas pertrahunt cogitationes. — Motus carnis, ut ibi : « Et bestiæ agri p. e. t. » Pacificæ namque terræ nobis bestiæ faciunt, quia motus carnis, quum nos tentando lacessunt, ad amorem intimæ quietis impellunt.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 16, p. 125.

RABANUS. Bestia, conversus a peccato, ut : « Glorificabit me bestia agri [6]. » — Mens irrationalis, ut : « Si bestia t. m. l. » — Judaicus populus, ut : « Bestia devoravit Joseph [7]. » — Peccatum criminale, ut : « Bestia n. t. p. e. » — Societas reproborum, ut : « Vidi b. a. d. m. » — Antichristus, ut : « Missa est bestia in stagnum ignis [8]. » — Sequaces Antichristi, ut : « Vidi aliam, etc. » — Diabolus, ut : « Bestia quam vidi, et fuit, et non est [9]. — Judæi cæcati, ut : « Pertransibunt omnes bestiæ. » — Gentiles, ut : « Potabunt o. b. a. » — Simplices, ut : « Creavit Deus omnes bestias terræ [10]. » — Increduli, ut : « Pugnavi cum bestiis Ephesi [11]. » — Spiritus maligni, ut : « Omnes bestiæ a. l. i. » — Instabiles motus cordis, ut : « Bestiæ terræ p. e. t. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. II, art. 12.

Bestia.

Homines bestialiter viventes.	Antichristus. Dæmones.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Bestia* [12]. Bestia proprie convenit immitibus animantibus quæ ore vel unguibus sæ-

(1) *Bestias.* Levitic, XXVI, 6. — (2) *Draco.* Apoc. XIII, 11. — (3) *Lapidabitur.* Exod. XIX, 12, 13. Hebr. XII, 20. — (4) *Agri.* Ps. CIII, 11. — (5) *Tibi.* Job V, 23. — (6) *Agri.* Is. XLIII, 20. — (7) *Joseph.* Genes. XXXVII, 33. — (8) *Ignis.* Apoc. XVII, 20. — (9) *Est.* Apoc. XVII, 11. — (10) *Terræ.* Genes. I, 24. — (11) *Ephesi.* I Cor. XV, 23. — (12) *Bestia.* Auctoris istius pruriginem in refricandis suis et veterum grammaticorum tricis, sæpe antea notatam, et istic agnosce : « Bestia, quasi *vastia* dicitur, a Vastando scilicet. Et ponitur *b* littera pro *v* consonante, quod crebro Græci facere solent et aliquando Latini, sicut in hac dictione : *Manubium.* Dicitur enim Manubium, quasi *Manuvium,* id est, Manus Via, et componitur ex Manus et Via. Quandoque versa vice ponitur *v* pro *b,* sicut in hac dictione *Viginti,* quæ componitur ex *bis* et e *gentos,* quod est decem ; inde Viginti, quasi bis decem. » Ταῦτα καὶ αὐτός. Parce barbaro grammatico, cui ne minima quidem suspicio inesse poterat *viginti* oriundum esse ab eolico εἴκατι. Quidni saltem non depravate descripserit hæc Isidori : « Viginti dicti quod sint *decem bis geniti,* v pro *b* littera posito. » *Etymol.* lib. III, c. 3, n. 4.

viunt, vel utrisque, sicut sunt leones et tigrides, pardi, ursi, lupi et hujusmodi; unde Salomon : « Leo, fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum[1]. » Bestiæ nomine dæmon maximus, præ singulari superbia et crudelitate, designatur; unde de eo scriptum est in libro Job : « Ingredietur bestia latibulum, et in antro suo morabitur[2]. » Bestia ingredietur latibulum, quando diabolus intrabit in Antichristum. Nam Antichristus, quia simulator erit et hypocrita, recte dicitur latibulum diaboli, qui sub umbra dormit et in secreto calami. Bestiæ omnes mali angeli indifferenter dicuntur, ut in præfato libro, ubi Dominus de Behemoth inter cætera sic loquitur : « Huic montes herbas ferunt; et omnes bestiæ agri ludunt ibi; » quia in montibus, id est in cordibus superborum, ludit turba dæmoniorum. Item de eisdem in psalmo : « Ne tradas bestiis animas confitentes tibi[3], » id est, ne tradas malis angelis homines te laudantes, vel ad laudem tuam, sua peccata confitendo, se ipsos accusantes. Homo enim per animam intelligitur, a parte totum.

Bestiæ nomine, præ nimia audacia et superbia, exprimitur Antichristus; unde in Apocalypsi de eo prophetatum est ita : « Apprehensa est bestia, etc. » Stagnum ignis stabilem pœnam significat, in qua Antichristus manentem habebit civitatem.

Bestiæ gentiles bestialiter viventes dictæ sunt, ut ibi : « Potabunt, etc., » id est, de omni genere gentilium aliqui de aquis sacræ Scripturæ potabunt.

Bestia indoctus et hebes dicitur, ut ibi : « Bestia si tetigerit, etc. » Sacra Scriptura in arduis et arcanis mysteriis mons est, ut quum loquitur de Trinitate, de Eucharistia, et hujusmodi, de quibus disserere vel disputare non conceditur indoctis; hoc est enim montem tangere. Quod si fecerint, lapidandi, id est, durius increpandi sunt vel puniendi.

Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est[4],

ait Horatius. Cui consonat Plinius, dicens[5] : Nullius rei mensuram agit, qui suam nescit.

Bestiæ significant incredulos ex infidelitate, obscurum habentes intellectum, secundum illud : « Nisi credideritis, non intelligetis[6]; » unde Apostolus : « Si ad bestias secundum hominem pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? » Id est, si rationabiliter disputavi contra irrationabiles; si non est mortuorum resurrectio, inutilis mihi est rationabiliter acta disputatio.

Bestiarum nomine prælati et qui majores sunt in populo designantur, ut ibi : « Bestiæ et universa pecora[7]. » Bestiæ ibi majores, pecora minores significantur. Sed nota quod prælati vel majores non propter crudelitatem vel fatuitatem ibi bestiæ dicuntur, sed propter libertatem, quia multa licent prælatis, quæ non licent subditis; quibus salubre dat consilium Philosophus, dicens : Quanto plus licet, tanto libeat minus. Sunt tamen qui per bestias malos prælatos, per pecora malos subditos dicunt figurari, qui Dei justo judicio sese concomitari solent, secundum illud proverbium *Vetulæ*[8] :

Non veto sal fœdum sordens condire butyrum.

Bestiarum nomine bestialis carnis motus figurantur; unde est illud propheticum ad animam obedientem : « Bestiæ terræ pacificæ e. t., » quia necesse est ut caro obediat spiritui qui plene obedit Creatori.

Bestia credulos significat, ut in illa sententia Epimenidis, quam Apostolus de sæculari fecit ecclesiasticam : « Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri[9]. » De tribus vitiis reprehendit eos

(1) *Bestiarum*. Prov. xxx, 30. — (2) *Morabitur*. Job xxxvii, 8. — (3) *Tibi*. Ps. lxxiii, 19. — (4) *Est*. Horat. I *Epist.* iii, 78. — (5) *Dicens*. Plin. in *Panegyr.* — (6) *Intelligetis*. Is. vii, 9. Ex ant. vers. — (7) *Pecora*. Ps. cxlviii, 10. — (8) *Vetulæ*. Vide quæ notantur in t. ii, p. 211. — (9) *Pigri*. Tit. i, 12.

Apostolus : scilicet falsitate, credulitate, gulositate.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Bestia.
- Conversus a peccato.
- Mens irrationalis.
- Invidia.
- Antichristus.
- Maligni spiritus.
- Peccata.
- Motus cordis.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. III, v. 834-850.

Tu, Nabuchodonosor, pacis seu fœderis osor,
Regum regnator et terrarum dominator,
Quam nihil insinuas terrena potestas!
Quum debellasses ac plurima regna teneres,
Adversus cœli regem nimis intumuisti ;
Corque tuum vidit qui vocem sanguinis audit.
Quo circa tibi mox turgenti cœlica fit vox :
« Rex, careas proprio, brutescas corde bovino ! »
Pulsus es absque mora solio, perdensque tribunal,
Es, ut equus, gramen ; potas, ut damula, flumen ;
Annis et septem silvas camposque pererras ;
Exactis annis, miserante Deo, resipiscis ;
Præditus efficeris cordis ratione prioris ;
Qui detruserunt solio, te restituerunt.
Hæc igitur talis tanti mutatio regis
Orbi sit toti divini forma timoris :
Quo procedit opus, cor omni sorde lavemus.

XXXVIII.

1. LEO, Christus, propter fortitudinem [1] : « Vicit leo de tribu Juda [2]. ÷ Et in Amos : « Leo rugiet; quis non timebit? Dominus loquutus est; quis non prophetabit [3]? »

÷ 2. Marcus evangelista, vel Christus : « Similitudo vultus eorum, facies hominis et facies leonis a dextris ipsorum quatuor [4]. »

3. Diabolus [5] : ÷ « Adversarius noster, tamquam leo rugiens [6]. » ÷ In psalmo : « Nequando rapiat ut leo animam meam [7]. » Et alibi : « Sedit in insidiis cum divitibus in occultis, sicut leo in cubili suo [8]. »

÷ 4. Antichristus : « Insidiatur in occulto, quasi leo in spelunca sua [9]. »

÷ 5. Raptor conversus : « Vitulus et leo et ovis simul morabuntur [10]. »

6. *Leones,* doctorum severitas [11]. In vasis templi, inter coronas et plectas, boves et leones et Cherubim exsculpta sunt [12].

7. Mali tyranni [13] : « Grex dispersus, populus meus; leones ejecerunt eum [14]. »

XXXIX.

1. LEÆNA, Ecclesia, ÷ vel anima : « Non calcaverunt eam filii institorum, nec pertransivit per eam leæna [15]. » ÷ In Job : « Numquid capies leænæ prædam, aut animas catulorum ejus implebis [16]? »

÷ 2. Babylonia : « Rugitus leonis et vox leænæ : et dentes catulorum leonum contriti sunt [17]. »

÷ 3. Mens humana : « Et propter superbiam quasi leæna capies me [18]. »

(1) *Regnum et fortitudinem. In Apocalypsi* B-G. — (2) *Juda.* Apoc. v, 5. — (3) *Prophetabit.* Amos III, 8. — (4) *Quatuor.* Ezech. I, 2. — (5) *Ob fortitudinem et crudelitatem. In psalmo* B-G. — (6) *Rugiens.* I Petr. v, 8. — (7) *Meam.* Ps. VII, 3. — (8) *Suo.* Ps. XVI, 91. — (9) *Sua.* Ps. X, 9. — (10) *Morabuntur.* Is. XI, 6. — (11) *Præpositi Ecclesiæ* [*in Ecclesia* B, E] ; *unde in templo Domini leones cum bobus ex ære fieri* [*in basibus templi* D, E, G] *præcipiuntur.* — (12) *Sunt.* III Reg. VII, 29. — (13) *Potestates sæculi hujus. In Jeremia* B-G. — (14) *Eum.* Jerem. L, 17. — (15) *Leæna.* Job XXVIII, 9. — (16) *Implebis.* Job XXXVIII, 39. — (17) *Sunt.* Job IV, 10. — (18) *Me.* Job X, 16.

XL.

÷ 1. CATULUS LEONIS, Christus Dominus, fortis a forti genitus. In Genesi : « Judas catulus leonis : quis suscitabit eum [1] ? »

2. *Catuli leonum*, prædicatores [2] : « Numquid capies leænæ prædam, aut animas catulorum ejus implebis? »

5 ÷ 3. Dæmones, vel mali homines : « Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum [3]. » ÷ In psalmo : « In medio catulorum leonum dormivi conturbatus [4]. » Et alibi : « Catuli leonum rugientes, ut rapiant et quærant a Deo escam sibi [5]. »

XLI.

1. CUBILE LEONUM, mundus, vel quodlibet regnum mundi : « Ubi est cubile leo-10 num, et pascua catulorum leonum [6]. »

2. Corda reproborum : « Ortus est sol, et congregati sunt, et in cubilibus suis se collocabunt [7]. »

÷ 3. *Cubilia draconum*, corda impiorum. In Isaia : « Et erit cubile draconum et pascua struthionum [8]. » Et alibi : « In cubilibus in quibus prius dracones ha-15 bitabant [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus*, cap. I. — Apud *Epiphanium*, t. II, p. 189, 191.

PHYSIOLOGUS *armenus*, c. 1.

20 PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, cod. A, B, c. 1. — Apud *Isidorum*, c. 1.—Apud *Hildefonsum*, c. 66. — Apud *Ansileubum*, fol. 57, 4, 5. — Apud *Petrum Damiani*, c. 3. — Apud *Theobaldum* et *Hildebertum*, 25 c. 1. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. II, c. 1 —Apud. *Vincentium Bellovacensem*, l. XIX, c. 72, 74.

DAMASUS, *Decret.* p. 790; *Carm.* VI, v. 6.

30 SYLVIUS, *de Nomin. Christi*, v. 10.

PHOEBADIUS, *adv. Arian.*, p. 262 A.

EUCHERIUS, ed. I, p. 14; ed. II, col. 751 B ad XXXVIII, 1, 2; XXXIX, 2.

ORIENTIUS, *de Nativ. Dom.* v. 1, 115.

GREGORIUS M. Leo, Christus, ut ibi : « Leo fortissimus bestiarum a. n. p. o. » De quo alibi : « Vicit leo d. t. j. » —Marcus evangelista, ut ibi : « Facies leonis a. d. i. q. » — Diabolus, ut ibi : « Adversarius v. c. t. l. r. » —Viri justi securitas, ut ibi : « Justus, quasi leo confidens, absque terrore erit [10]. » — Antichristus, ut ibi : « Insidiatur in occulto, etc. » Insidians enim est per miraculorum speciem ; leo, per fortitudinem sæcularem. — Quilibet raptor, ut in Isaia : « Vitulus et leo morabuntur simul ; » quia et qui mactatur, et qui mactat, in caulis sanctæ Ecclesiæ pariter conveniunt. —Leones, severi doctores ; unde in vasis templi, inter coronas et plectas, boves et leones, et Cherubim exsculpta sunt ; quia videlicet ita debent esse scientiæ plenitudine docto-

(1) *Eum.* Genes. XLIX, 9.—(2) *Catuli leænæ, apostoli, ubi et supra* B G. — (3) *Leonum.* Ps. LV, 5. — (4) *Conturbatus.* Ps. LVI, 5. — (5) *Sibi.* Ps. CIII, 21. —(6) *Leonum.* Nahum II, 11. — (7) *Collocabunt.* Ps. CIII, 22. — (8) *Struthionum.* Is. XXXIV, 13. — (9) *Habitabant.* Is. XLV, 7. — (10) *Erit.* Prov. XXVIII, 1.

res instructi, ut et boum mansuetudinem teneant, et leonum fortitudinem non amittant. Positi nimirum inter coronas et plectas, id est, inter fortitudinem boni operis quo ad victoriam currant, et charitatis concordiam qua se ab invicem non disjungant. Subter eos autem lora deprehendere, est custodiæ vincula subditis tenere; ut nec boum mansuetudo in zeli fervore amittatur, nec leonum terror in mansuetudine declinetur.

Leonum catuli, dæmones, ut ibi : « Catuli leonum rugientes, ut rapiant. » Catuli leonum rugiunt, quia nequissimarum potestatum mundi spiritus importunis tentationibus insurgunt. Qui tamen a Deo escam petunt, quia capere animas nequeunt, nisi justo Dei judicio permittatur.

Leæna, sancta Ecclesia, sicut de Judææ reprobatione dicitur per Job : « Non calcaverunt eam filii institorum, nec t. p. e. l. » Institorum certe filii prædicatores sunt et successores apostolorum, qui utique Judæam calcarent, si Synagogæ vitia virtutis calce premerent. Leæna quoque per eam non transit, quia gentium collectioni dedita, nequaquam se in illius populi prædicatione diutius occupavit. Quæ bene leæna dicitur, quia male viventes in vitiis ore sanctæ prædicationis interficit.—Babylonia, ut ibi : «Rugitus leonis, et vox, etc. » Ac si aperte diceret : nos ideo nullis flagellis atterimur, quia et virtutem antiqui hostis, et malitiam terrenæ civitatis, et persuasionem omnium reproborum, vitæ meritis superando, calcamus. — Mens humana; unde Job : « Et propter superbiam q. l. c. m.; » quia enim libera mens per superbiam mortem incurrit, sub disciplinæ custodia melius capta vivit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 17, 18, p. 128-132.

Isidorus, *Etymol.* lib. VII, c. 2, n. 43.

Rabanus. Leo, Christus, ut : « Vicit leo de tribu Juda. » —Deus judex, ut : « Leo rugiet, q. n. t. » —Fortis spiritualiter, ut : « Justus quasi leo c. a. t. e. » —Populus judaicus, ut : « Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam [1]. » — Austeritas legis, ut : « Examen apum in ore leonis [2]. » — Imperator romanus, ut : « Liberatus sum de ore leonis [3]. — Crudelis, ut : « Leo vel ursus tollebat arietem [4]. » — Antichristus, ut : « Quasi leo i. s. s. » — Diabolus, ut : « Tamquam leo rugiens. » — Marcus evangelista, ut : « Facies leonis, etc. » —Raptor, ut : « Vitulus et leo, etc.— Severi doctores, ut : « Inter plectas et coronas, l. e. b. »

Leæna, Ecclesia, ut : « Non pertransivit p. e. l. » —Mens humana, ut : « Per superbiam q. l. c. m. » — Mundus, ut : « Rugitus leænæ, etc. »

Catulus, Christus, ut : « Catulus leonis Juda. » — Populus judaicus, ut : « Susceperunt me, etc. » —Diabolus, ut : « Catulus leonis a Samsone perimitur. » — Apostoli, ut : « Animas catulorum leonum implebis. » — Reprobi, ut : « Catuli leonum rugientes, etc. » — Detractores, ut : « Dentes catulorum leonum contriti sunt. » — Dæmones, ut : « Animam meam eripuit d. m. c. l. » — Gentiles, ut : « Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa [5]. » — Cubilia leonum, conventicula malorum, ut : « De cubilibus leonum. » — Corda gentilium, ut : « In cubilibus, etc.

Notker, *Sequentia*, XXXVI, v. 7.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Leo est Deus, unde : « Vicit leo, etc. » —Martyr, unde : «Tria sunt quæ bene gradiuntur, leo fortissimus bestiarum ad nullius pavebit occursum, etc. » Hic est martyr qui pedem tinxit in sanguine, ut tandem volaret super pennas ventorum. — Zabulus, de quo Petrus : « Leo rugiens circuit, etc. » — Princeps impius, vel populus [6], de quo Salomon : « Piger dicit : Leo fortis est in medio platearum [7]; » quia fremit in platea, terret, et attrahit eos qui latam tenent viam, quæ ducit ad mortem. Primus leo est vita; secundus, vivus; ter-

(1) *Prædam.* Ps. XVI, 12. — (2) *Leonis.* Jud. XIV, 8.— (3) *Leonis.* II Tim. IV, 17.—(4) *Arietem.* I Reg. XVII, 34 — (5) *Mensa.* Luc. — (6) *Philosophus.* Alii codd. et Garnerius. — (7) *Platearum.* Prov. XXVI, 13.

tius, mors; quartus, mortuus. Leo vivus proprie dicitur martyr, qui non timet quid faciat ei homo. Leo mortuus est aliquis egregius in scientia, sed reprobus in vita; unde Salomon : « Melior est canis mortuus, » id est idiota et simplex, qui etsi voce sua aliquos non instruat, spiritualis tamen vitæ bonis exuberat; « leone mortuo, » id est aliquo egregio in scientia et vitæ reprobo.

P. Cantor. Diabolus leo dicitur propter fortitudinem; unde : « Quum fortis armatus exit atrio suo, in pace sunt ea quæ possidet [1]. » — Propter principatum; unde : « Venit ad me princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam [2]. » — Propter ardorem libidinis; unde in Job : « Fortitudo est in lumbis ejus, et virtus ejus in umbilico ventris ejus [3]. » — Propter sitim sanguinis; unde : « Adversarius vester, etc. » —Dicitur leo, quando graditur et aperte sævit, ut in primitiva Ecclesia, in persequutione martyrum.—Draco, quando volat et nocet aperte, occulte, callide. Et draco fuit, quando, jam cessante tempestate et per Dei gratiam Ecclesia dilatata, excitavit hæreses, ut occulte noceret; quibus exstirpatis ab Augustino et ab aliis doctoribus, excitavit in Ecclesia falsos fratres, qui durabunt usque ad tempus Antichristi, in quo talis erit persequutio qualis non fuit ab initio mundi. — Serpens, quando serpit et ligat. Contra hunc pugnavit mulier in Apocalypsi, et Samson, et Moyses in Ægypto.

Petrus Capuanus, ad litt. xi, art. 34.

Leo vel leæna

Tartari.	*Mundi.*	*Cœli.*
Diabolus.	Ecclesia.	Christus.
Antichristus.	Anima.	Justus.
Prædones.	Potentes.	Marcus.

Dicitur autem Christus leo propter

Regiam dignitatem.	Confidentiam.
Principatum.	Rugitum.
Fortitudinem.	Terrorem.

Quia nobilis ira leonis superbis resistit et prostratis parcit; sic et Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Diabolus autem dicitur leo propter

Principatum.	Fortitudinem.
Sitim sanguinis.	

Distinctionum monasticar. lib. iii, *de Leone*. Leo per figuram dictus est Dominus Jesus Christus; unde legimus in Apocalypsi dictum fuisse ad Joannem: « Ecce vicit l. d. t. j. » Unde quidam de nostris non imprudenter ait :

Quod leo de Juda libri signacula solvit,
Hoc est quod Christus, surgens a morte, revolvit
Velum Scripturæ : vero cessere figuræ.

Videamus in quibus vel propter quæ Christus assimilatus est leoni. Leo fortis est et impavidus, sicut scriptum est : « Leo fortissimus, etc. » Christum vero fortem fuisse et impavidum, nullus ambigit fidelis, quum dicit Scriptura : « Justus quasi leo, etc. » Leo, quando quæritur a venatoribus, vestigia sua cauda obliterat et tergit, ne inveniantur : et Dominus Jesus Christus diabolo et Judæis texit indicia suæ deitatis infirmitate suæ humanitatis. Leo dormiens apertos habet oculos : et Dominus Christus dormiens, id est mortuus ex humanitate, vigilavit ex deitate, secundum illam vocem ejus in Canticis : « Ego dormio, et cor meum vigilat [4]. » Cor, quia intimum est, figurat deitatem. Leo, quando catulus est, per tres dies a nativitate sua jacet sine vita vel sensu; tertia die, patris rugitu suscitatur [5]. Sic et Dominus Christus, die tertia mortis suæ, quæ est Ecclesiæ suæ nativitas, suscitatus est a Patre dicente : « Exsurge, gloria mea! exsurge, psalterium et cithara [6]. » Leo homini prostrato parcit : et Christus cor contritum et humiliatum non despicit.

Leo dicitur diabolus propter elationem, rapacitatem, crudelitatem, voracitatem; unde quidam ait :

(1) *Possidet.* Luc. xi, 21.—(2) *Quidquam.* Joan. xiv, — (3) *Ejus.* Job xl, 11. — (4) *Vigilat.* Cant. v, 2. — (5) *Suscitatur.* Nihil in omnibus *Physiologi* editionibus solemnius.—(6) *Cithara.* Ps. xlii, 4, cvii, 3.

Accipe cur dictus leo sit serpens maledictus:
Nam timet, estque rapax, est ferus, estque vorax.

De hoc leone dicit beatus Petrus in epistola canonica : « Adversarius vester, etc. »

Leoni propter crudelitatem comparati sunt Scribæ et Pharisæi, conspirantes in necem Domini; unde est illa vox Christi in psalmo : « Susceperunt me » a Juda tradente et Pilato judicante, « sicut leo paratus, etc.» Leoni comparantur Scribæ et Pharisæi et principes populi, qui potentiores erant ad nocendum; catulo vero leonis comparantur minores, viribus impares, sed voluntate pares « qui habitabant in abditis, » id est fraudulentis consiliis.

Leoni, propter fœtorem dentium, comparatur hæreticus, propter verba blasphemiæ; unde legimus in Apocalypsi, de locustis qui exierunt de fumo putei, quod « dentes earum erant, ut dentes leonum [1]. » Puteus est profundus et cœnosus paganorum. Fumus qui exit ex hoc puteo est tumida, tenebrosa atque confusa doctrina hæreticorum, quæ originem habet ex errore gentilium populorum. De hoc fumo exierunt locustæ, homines videlicet instabiles, qui nec volant cum contemplativis, nec gradiuntur cum activis; sed saliunt et decidunt, et virentia gratiæ in auditoribus suis ore maledico consumunt; quorum dentes sunt ut leonum, quia verba eorum putent per blasphemiam.

Per leonem terror severitatis significatur; unde : « In basibus, etc.» Bases templi sunt Ecclesiæ prælati, qui firmamentum esse debent et sustentamentum cæterorum. In his inseparabiles debent esse comites severitas disciplinæ et lenitas misericordiæ, ne aut justitia rigida, aut lenitas sit remissa. Harum alteram, id est lenitatem, quidam de nostris abbati suo deesse conquestus est, dicens :

Es leo terribilis, sed non es bos socialis:
Unde decens basis non es, bobus tibi rasis.

Anonymus Dominicanus, in *Compendio morali per brocardos de Quadrupedibus sævientibus*, c. xxxiv.

1. Leo, ut dicit Isidorus [2], princeps est omnium bestiarum; animos ejus indicat frons et cauda; virtus ejus, in pectore; fremitus, in capite : sic militum Christi, vel regnandorum in regno cœlesti, animositatem et bonitatem indicat principium vitæ et finis; virtus eorum magna in pectore, per castitatem; stabilitas sensuum, in capite Christo.

7. Si leo dormiat in navi, periclitatur navis : sic quamdiu anima est in navi corporis, si Christus sopitus fuerit, in deliciis periclitabitur.

24. Leæna catulos mortuos parit, sicque tribus diebus custodit, donec veniens pater in faciem eorum exhalat, et vivificantur. Sic primo lapsu primi parentis, natura humana, quotquot filios reperit, mortuos parturivit; sed tribus diebus, id est tribus temporibus custoditi finitis, ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Moysen, a Moyse usque ad tempus Machabæorum, eo tempore venit pater omnium, Christus, qui exhalavit sua sacra doctrina in facies eorum, et per mortem suam eos vivificavit.

85. Dicit Isidorus, quod quum leæna genuerit catulum, tribus diebus dormire fertur, donec patris fremitu vel rugitu quasi tremefactus cubilis locus, suscitat catulum dormientem : sic Christus, quum nos in cruce genuit, tribus diebus dormivit in sepulcro, donec terræ motus factus est magnus, et ex tunc excitatus est in benedicta resurrectione.

Alanus, in *Quæstionibus* [1]. — Quare leunculus mortuus generetur, et tertio die rugitu patris suscitetur? Dicitur quod leo animal siccissimum est de natura; et sicci-

(1) *Leonum*. Apoc. IX, 8. — (2) *Isidorus. Etymol.* lib. XII, c. II, n. 3, 4, etc. In hoc loco præ cæteris Isidorus rei symbolicæ, quam vix alibi aperte tetigit, fusius indulget, veteremque Physiologum aperte exprimit. — (3) *Quæstionibus.* Quem nunc primum in lucem producimus Alani libellum, erudito viro visus est alio insigniori titulo distinguendus, idemque scilicet esse cum eo quem Trithemius *Bestiarium* nuncupat. Cur aliter sentiamus, breviter diximus in *Prolegom.* Unum, alterumve locum satis erit hic delibasse, ut rudis et audacioris ingenii fetum, Alanoque satis congruum, quisque facile deprehendat.

tatis violentia humiditas cerebri ingrossatur, et valde viscosa efficitur. Sed dum inviscatur orificiis et principiis nervorum animalis, per quæ spiritus transmitti debeat ad instrumenta [1], animal licet sit vivificatum, latet tamen, sicut mortuum; quia pro impedimento spiritus non sensum habet, nec motum; et quamvis calor esse debeat, et sit fortis in eo ex natura, quia multum calidum est : tamen, propter nimiam diaphoresin [2] pororum, effectus caloris, dum est in utero matricio, debilitatur, ut non possit humorem viscosum dissolvere, et euphraxin [3] nervorum facere; ægritudines vero ex interiori aeris pori constringuntur; calor in interioribus confortatur; et fortius in primo die incipit agere in humorem, ut eum dissolvat. Ita et in secundo. Tertio vero die, quo animal calidissimum est, ex motu choleræ, quo magis habet insultum, calor magis confortatur. Pater etiam, qui calidissimus est, superveniens, et fortiter rugitum faciens, calore flatus et etiam spiritus aerem calefacit, qui gratia similitudinis, et etiam impulsionis violentia, aures et nares subintrans, leunculi calori naturali cooperatur. Qui duplicatus, immo et triplicatus, humorem oppilantem [4] dissolvit. Quo dissoluto et educto, dum spiritibus ad instrumenta patet aditus, perficiuntur motus et sensus, et animal vivificari videtur. Quare autem hoc simili modo non faciat leæna, ratio est quia in essentia, ex natura sexus, humidior est; unde flatu suo humorem potius ingrossaret, quam dissolveret. Et quia ita sit, videmus in catulis qui ex eis generantur, et cæci per novem dies permanent. Et unde hoc, nisi ex humiditate glutinosa et glutinante palpebras, quia et hoc animal siccissimum est? Sed quod in leunculo uno perficitur diatrico [5], quia calidissimus est, in istis tribus perficitur : In primo enim diatrico, in catulo humor qui in oris venarum continetur, dissolvitur; in secundo, via spirituum oppilatur, et aditus eis ad membra sensim præparatur; et tertio diatrico incipiunt videre [6].

Anonymus Clarevallensis.

Leo.

Christus.	Antichristus.
Deus judex.	Diabolus.
Fortis spiritualiter.	Raptor.
Austeritas legis.	Marcus evangelista.
Crudelis.	

Leæna.	*Catuli.*
Ecclesia.	Christus.
Mens humana.	Populus judaicus.
Mundus.	Reprobi.
	Dæmones.
	Gentiles.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. II, v. 5684-5711.

De nuce fit corylus, de glande fit ardua quercus .
  Magnum sermo brevis parturit iste typum.
Regem cœlestem signat rex iste ferarum;
  Rex leo, rex Christus, rex moritura regens.
Qui siccas mentes hilaret, leo nobilis imbrem,
  De Juda genitus impluat ille mihi;
Ut mens et lingua, sancto rorata liquore,
  Ipsius ad laudem vera loquendo canat.
« Tres leo naturas [7] et tres habet inde figuras. »
  Consulat auctorem noscere qui cupit has.
Bina luce solet catulus dormire leonis,
  Postque duos surgit evigilatque dies.
Et sic tertia lux de somno suscitat illum,
  Qui stirps hinc vere dicitur esse leo.
Quos parit exstinctos, natura teste, leæna,
  Hos leo rugitu suscitat ipse suo.
Cœlestem notat iste Patrem, qui voce potenti

(1) *Instrumenta*, seu, ut moderni aiunt, *respirationis organa*. — (2) *Diaforesin* cod. Διαφόρησις, transpiratio, dissolutio. — (3) *Eufraxin* cod. Εὔφραστος; explicatu facilis. — (4) *Oppilantem*, cui vocabulo contrarium omnino sensum dat vox gallica *désopiler*. — (5) *Diatrico*. Ita cod. silentibus glossariis forsan leg. *Dietico*. Joannes de Janua : *Dieticus, scilicet se de die in diem custodiens*—(6) *Videre*. Nec nostrum munus est, nec hujusce notæ angustissimæ locus, aut quidquam asserere de Alani physica indagatione, aut ipsius textum a mendis expurgare. Sed viri eruditi vestigiis insistentem me juvat designare præcipua veterum loca, cum Physiologo fere in omnibus consentanea. Adito, si lubet, Ælian. *de Natur. animal.* lib. IX, 30; cf. III, 31; IV, 34; V, 39; VI, 1, 22; VII, 6; IX, 30; XII, 7; XIII, 14; XVII, 26. Plin. VIII, 16-21. Solin. *Polyhist.* c. 27. Oppian. *Cyneget.* IV, v. 111. Leemans ad Horapoll. I, 19. C. Cahier. *Miscellan. archæol.* t. II, p. 115. — (7) *Naturas*. Eo ipso versu incipit *Physiologus Theobaldi*, ut circumfertur.

Excitat a morte de tumuloque Jesum.
Terribili cum voce tubæ, rex iste jubebit,
Tempore judicii, surgere plasma suum.
Ad fremitum cujus tunc, heu! tremet omnis; iniquis
5 Tunc sine spe dicet : « Ite, maligna cohors! »
Sicut erit reprobis hujus gravis ira leonis,
Sic justis hilaris, mitis ut agnus, erit.
Nam velut exhilarat arentes ros pius herbas,
Sic justos reficit, quando « Venite » canit.
Ut mihi cum justis dicas tunc dulce « Venite, »
Te, bone Christe, rogo nunc Herimannus ego.

XLII.

1. Rhinoceros, Christus Dominus, propter fortitudinem[1] : « Cujus fortitudo similis est rhinocerotis[2]. »

2. Potestas sæculi[3] : « Numquid volet rhinoceros servire tibi[4]? »

XLIII.

÷ 1. Monoceron, hoc est Unicornis, Christus. In psalmo : « Et dilectus sicut 10 filius unicornuorum[5]. »

÷ 2. *Unicornes*[6], superbi, vel unum habentes testamentum. In psalmo : « Et a cornibus unicornuorum humilitatem meam[7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *Græcus*, c. 32.

15 Physiologus *Armenus*, c. 32.

Physiologus apud *Chrysostom*. cod. A, c. 8; B, c. 5. — Apud *Isidorum*, c. 13. — Apud *Petrum Damiani*, c. 23.—Apud *Hugon. S. V.*, lib. II, c. 6. — Apud *Vincentium* 20 *Bellov.*, XIX, 91.

Eucherius, ed. I, p. 14 ad XLII, 2, XLIII, 2; ed. II, col. 751 D ad XLIII, 1.

Gregorius M. Rhinoceros, potens quilibet in sæculo; unde Dominus ad Job : 25 « Numquid volet rhinoceros servire tibi? » Numquid is qui fatua elatione extollitur, sine meis adjutoriis tuæ prædicationi subdetur? Vel populum Judaicum intellige.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, ad 30 XLII, p. 147.

Rabanus. Rhinoceros, aliquis potens, ut : « Numquid, etc.

Petrus Capuanus ad litt. XVII, art. 29. Rhinoceros vel unicornis idem animal est. Dicitur autem rhinoceros, Christus : « Et dilectus, etc. » — Diabolus. Job : « Numquid rhinoceros, etc. »—Unicornis autem vel rhinoceros animal est, quod non habet nisi unum cornu, et dicitur ejus naturæ, quod nullo modo potest capi, nisi amplexu et sinu virginis : ergo et Christus bene dicitur rhinoceros, quia et ipse inter omnes potentes singulare habuit cornu potentiæ, et regni gloria ejus quasi unicornis; ipse etiam captus est amplexu et sinu illius Virginis, de qua Isaias : « Ecce virgo concipiet et pariet filium[8]. » Jeremias : « Novum faciet Dominus super terram : mulier circumdabit virum » gremio uteri sui[9].

Sed ipse diabolus merito rhinoceros vel unicornis dicitur, quia et ipse præ cæteris habuit cornu elationis, de quo in psalmo : « Nolite extollere in altum cornu vestrum. »

(1) *Invictam fortitudinem. In Deuteronomio* B-G. — (2) *Rhinocerotis.* Deuter. XXXIII, 17. — (3) *Fortis quisque, sive p. s. hujus. In Job* B-G — (4) *Tibi.* Job XXXIX, 9. — (5) *Unicornuum, id est singularis potentiæ, et unum sanctorum regnum* B, C, D, G. Ps. XXVIII, 6. — (6) *Unicornes.* Ibid. — (7) *Meam.* Ps. XXI, 22. — (8) *Filium.* Is. VII, 14. — (9) *Sui.* Jerem. XXXI, 22.

Ipse etiam capitur amplexu Virginis illius, de qua ait Paulus : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo [1]. » Qui enim virgo permansit in mente sua, diabolum capiet in sua tentatione. Nonne capitur amplexu Virginis, quando ipse qui virgo et sanctus est, super aspidem et basiliscum ambulabit, et conculcabit leonem et draconem? O quanta est virginitas carnis, ut scilicet indomita animalia domet, et Filium Dei in gremio portet, diabolum etiam liget!

ALANI *quæstiones*. Quare virginis amplexu capitur rhinoceros? Responsio. Rhinoceros est animal furiosissimum et valde impetuosum, quia calidissimæ est naturæ; unde præabundat spiritibus ferventissimis, qui impetuose dilatant cor. Sed femina frigida est et humida, animalibus alterius speciei temperatior; et præcipue virgo, quæ adhuc retinet humiditatem et temperantiam nativitatis, spiritum habet frigidum, et humorem illecebrem quo inficit aerem. Animal natura ferventissimum attrahens aerem, sentit eam sibi idoneam, quasi temperaturæ sui spiritus fervore; magis enim prosequitur. Unde fervor spiritus et cordis paulatim immutatur. Tandem ad virginem perveniens, ubi aerem puriorem et humidiorem attrahit spiritum, temperantia cum mediocritate cor dilatant : unde mitigatio sequitur animalis; et quia delectatur in tam muliebri aere, ut uberius eum trahit, in sinu ejus reclinat [2].

ANONYMUS TRECENSIS. Rhinoceros, Christus, ut : « Cornua illius, cornua rhinocerotis. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in I Reg., v. 47, 48.

Exaltatum est cornu meum in Domino.

Hoc cornu veræ crucis inclyta cornua signant,
Quæ nos exaltant conciliantque Deo.

XLIV.

1. PARDUS, Antichristus [3] : « Et bestia quæ ascendebat de mari, similis pardo [4]. »
÷ 2. Peccator conversus : « Pardus cum hœdo accubabit. [5] »
÷ 3. Diabolus, vel peccator, moribus variis [6]. In Jeremia : « Sicut Æthiops non mutabit pellem, et pardus varietatem suam [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Hugonem S. V.*, lib. III, 2.—Apud *Vincentium Bellov.*, XIX, 76.

EUCHERIUS, ed. I, p. 14 ; ed. II, col. 751 B ad 3.

GREGORIUS M. « Pardus cum hœdo accubabit. » Pardus autem cum hœdo accubat, quum is qui peccatorum suorum maculis varius fuit, cum eo qui se despicit et peccatorem fatetur, humiliare consentit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 20, p. 138.

RABANUS. Pardus, plenus vitiis, ut : « Pardus cum h. a. » — Hypocrita, ut : « De cubilibus leonum, de montibus pardorum [8]. »

PETRUS CAPUANUS ad litter. XV, art. 54. Pardus autem interdum aureis litteris scribitur, et designat pœnitentem. Isaias : « Accubabit p. c. h. » Interdum tetris litteris scribitur, et designat peccatorem variis peccatorum maculis deformem. Jeremias : « Si potest, etc. » Et montes pardorum dicuntur

(1) *Christo.* II Cor. XI, 2. — (2) *Reclinat.* Siquis saniora quæsierit, dabit cl. vir sæpe infra laudandus C. Cahier (*Mélang. archéol.* t. II, pag. 220 sv. *Vitraux de Bourges*, n° 72, pag. 150 sv.)— (3) *Antichristus*, *malitiæ varietate aspersus. In Apocalypsi* B-G. — (4) *Pardo.* Apoc. XIII, 2. — (5) *Accubabit.* Is. XI, 6. — (6) *Varius* D, E. — (7) *Suam.* Jerem. XIII, 23.— (8) *Pardorum.* Cant. IV, 8.

hæresiarchæ. Canticum [1] : « De cubilibus leonum d. m. p. »

Anonymus Dominicanus, ibid. *Broc.* xxi.

1. Pardus, secundum Isidorum, est secundum genus post pantheram, colore varius, velocissimus etiam in animo; est autem ad sanguinem valde præceps, saltu prædam capit; accidit autem sæpius ut etiam vehementi saltu ad mortem ruat. Sic falsi et duplices varietate coloris, id est exterioris appetentiæ falsitate depicti, velocisque ac levis voluntatis proximorum sanguinem, id est substantiam vel bonam famam præcipitanter effundunt, sicque subito prædam capiunt, id est, quod voluerunt implent. Sed procul dubio, saltu, id est festinanter, ad mortem æternam, et interdum, Dei judicio, corporalem properant.

2. Pardi in Africa, ut dicit Plinius, inter condensa arborum folia vel ramos se abscondunt, sicque in prætereuntes desiliunt, eorumque præda et potissima volucrum crassantur : sic hæretici et falsi doctores, foliis, id est verborum polita eloquentia, vel habitu simulato malitiam tegunt internam, sicque simplices animos decipiunt, et filii iniquitatis eorum captatione delectantur, et specialiter volucrum, id est elevatorum per sublimitatem ingenii, vel subtilium.

Anonymus Claraevallensis.

Pardus.

Plenus vitiis.	Crudelis.
Hypocrita.	Varietas peccatorum.
Hæreticus.	

Petrus de Riga.

Aurora, in Daniel, v. 221-230.

Tertia post illam pardus, gestans avis alas,
Cui quatuor capitum deinde corona datur.
Regnum Græcorum, quod Alexandri manus auxit,
Defendit, pardus ista notare potest.
Est pellis pardi vario distincta colore :
Et varias gentes subdidit iste sibi.
In mortem pardus saltu ruet : impetus istum
In mortes hominum saltibus ire facit.
Alas pardus habet : celeri victoria cursu
Ornat Alexandrum, dum sua fama volat.

XLV.

Elephas, immanis peccator : « Et adducebant ad Salomonem simias et elephantes [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *græc.*, c. 44; apud *Epiphanium*, p. 193.

Physiologus apud *Chrysostom.*, A, c. 8, B, c. 18.—Apud *Isidorum*, c. 31.—Apud *Theobaldum* et *Hildebert.*, c. 10. — Apud *Petrum Damiani*, c. 23. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. ii, c. 25.—Apud *Vincent. Bell.* xix, 39.

Eucherius, ed. i, p. 14; ed. ii, col. 751 b.

Petrus Capuanus ad litt. v, art. 41. Elephas animal magnum est cujus ossa candida sunt et designat castitatem. Est ergo

Ebur

Castitatis.	Fortitudinis.
Incorruptionis.	

Primo ebore candida fuit Agnes, Agatha, quæ propter fidem castitatis jussa est suspendi in æquuleo, et pro virginitate servanda mortem crudelissimam pertulit. — Secundo ebore roboratus est Paulus, qui fortiter pugnavit ad bestias Ephesi.—Tertio incorruptus est Christus, qui inquit in Psalmo : « Non dabis sanctum tuum videre corruptionem [2].

(1) *Elephantes.* III Reg. x, 22. — (2) *Corruptionem* Ps. xv, 10.

Elephantes etiam sunt ventris cultores, quorum Deus venter est. Unde in Macchabæis Eleazarus percussit elephantem in ventre, et occidit eum [1].

ANONYMUS DOMINICAN. Ibid. art. XIX.

1. Elephantes, secundum Isidorum, gratissimos hauriunt lapides, odorem muris fugiunt, pabulum et quod ab eis fuerit contactum, sumere recusant : sic electi lapides gratissimarum virtutum diligunt; odorem corruptionis vel malæ societatis fugiunt; cibum et contactum, vel male acquisitum, et cujusmodi aliter malæ corruptionis contactum salubriter recusant.

2. Elephas, ut dicit Aristoteles, in desertis arbores etiam magnas sua fortitudine prosternit : sic interdum probi viri, habitantes in deserto pœnitentiæ et solitudinis, suo exemplo ac virtute suæ prædicationis, arbores magnas, id est homines sæculares dignitate elatos, prosternunt in via humilitatis et cogitatione sui.

18. Elephantes sunt audacissimi, quum sanguis uvæ passæ vel meri prætenditur : sic Christi milites, quum sanguis uvæ passæ in cruce ostenditur eis per repræsentationem.

19. Elephantes, ut dicit Physiologus [2], tempore quo volunt filios procreare, vadunt ad orientem, usque in proximum paradisi, nisi invenerint mandragoram, de cujus fructu prius gustat femina, deinde masculus ejus suasione, et tunc conveniunt, et concipit femina. Sic volentes assequi prolem spiritualem, debent attendere prope paradisum, per rationis sublevationem ad Deum, accipere etiam devota supplicatione mandragoram, beatam Virginem, et ejus fructum gustare per dulcedinem devotionis, et tunc procul dubio erit proles laudabilis spiritualium filiorum.

20. Elephantis femina, tempore partus, ingreditur aquam, usque ad ubera, et ibi parit super aquam; propter draconem qui insidiatur ei, quia si extra aquam pareret, statim draco fetum ejus devoraret; masculus quoque non recedit ab ea, quando parit, propter serpentem, qui semper inimicus ejus est, sicut draco. Sic filii spirituales debent in aqua devotionis ac munditiæ educari, et salubribus exhortationibus confortari, nec dimitti propter serpentem et draconem inferni, qui circuit quærens quem devoret.

25. Duæ puellæ virgineæ pergunt in desertum, ubi habitant elephantes, una ferens urnam aut vas quoddam; altera gladium; quibus alta voce cantantibus, audit elephas et prope accurrit; moxque naturali instinctu virgineæ carnis innocentiam recognoscit, et amore dulcedinis castimoniam veneratur, earumque pectus et ubera lambens, mirifice in soporem resolvitur : nec mora, puella tenerum ventrem perfodiens, sanguinem fundit; altera fusum in urna recipit, et ex hoc sanguine regum purpura tingitur. Duæ virgines sunt Synagoga et Ecclesia. Synagoga tenet gladium, quo Christus, doctrina sua lambens ejus ubera, superfluitates et infirmitates amovendo, interfectus est. Ecclesiaque tenet calicem, vel urnam, receptaculum sanguinis Christi. Et hoc sanguine animæ, regali thalamo dignæ, tinguntur et signantur.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Macchab., v. 119-130.

Præcedens alios elephas supereminet unus,
In cujus regem turre manere putant.
Ac Judæ frater, Eleazarus hæret in illum
Intuitu volat huc, laudis amore calens.
Hinc perimens, ac inde premens, feriensque furensque,
Per medios hostes præparat ense viam.
Et se supponens, elephantem perfodit, istum
Diruit; ut victor, victus et ipse ruit.
Iste vir exprimit hunc qui carnea vota refrænans,
Peccatum superat, sed tamen inde tumet.
Tunc veluti victor benedicitur, et quasi victus,
Quando malum superat, mente superbit homo.

(1) *Eum.* I Macchab. VI, 43. — (2) *Physiologus.* Cf. cum textu græco et armeno, paulo infra.

XLVI.

Ursus, diabolus [÷ vel Titus et Vespasianus] : « Et egressi sunt duo ursi de saltu, et laceraverunt ex iis quadraginta et duos pueros [1]. » ÷ Item ibi : « Veniebat leo et ursus, et tollebat arietem de grege [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *Græcus*, c. 57.

Physiologus apud *P. Damiani*, c. 23; apud *Hugon. S. V.*, lib. III, c. 6. — Apud *Vincent. Bellovac.*, l. XIX, 120.

Eucherius, ed. I, p. 14 ; ed. II, col. 751 B ad 1.

Rabanus. Ursus, crudelis, ut : « Vitulus et ursus pascentur [3]. » — Immunditia, ut : « Leonem et ursum interfeci. » — Imperatores Romani, ut : « Egressi s. d. u. »

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 137.

Ursus:
- Silvæ, Titus et Vespasianus.
- Terræ, gentiles conversi.
- Cœli, Deus, ferociter vindicans iniquitates.
- Gehennæ, hæretici, sive diabolus aut vitia.

Titus et Vespasianus dicuntur ursi, propter ferocitatem. — Gentilitas conversa dicitur ursa, propter familiaritatem, quia jam domestica effecta, puer parvulus pascet ursos. —Dicitur Deus ursus, propter vindictam et indignationem quam exercet in peccatores et in peccata. — Hæretici dicuntur ursi, propter humanam similitudinem : nam sicut homini ursus assimilatur, sed non est homo : sic hypocrita videtur esse justus, et non est. — Diabolus dicitur ursus, quia cruentat et sanguinem effundit. — Ursus etiam dicitur regnum Medorum et Persarum. Daniel : « Ecce alia bestia similis urso [4]. »

Anonymus Clarevallensis.

Debilis in capite, fortis in renibus, ursus
Et rapit, et passus plures consumit inanes;
Latrantes odit ; mel diligit; et calefacto
Pelvi cæcatur; saltat, festisque diebus,
Hunc labor affligit gravior. Sed non suus horret
Ductor, quum plebi soleat præbere timorem.

Ursus

Crudelis.	Imperatores romani.
Immunditia.	Gentilitas.
Hæreticus.	Diabolus.
Judæi.	

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. IV, v. 649-658.

Jamque quaterdenos subnecte mœstus ephebos,
Qui calvo dicunt Elisæo : Scande, reburre [5]!
Queis maledixit, eos ursi necuere gemelli :
Judæique crucem faciunt conscendere Christum.
Decursis annis at quadraginta duobus,
Adveniunt ursi, vel Titus, Vespasianus :
Ac pueros illos ablingunt digladiando.
Quod superest morti, toto dispergitur orbe.
Sic irridentes in Calvari crucifixum,
Semper oberrabunt, nec Jerusalem remeabunt.

XLVII.

÷ 1. Tigris, diabolus, vel hypocrita : « Tigris periit, eo quod non haberet prædam [6]. »

÷ 2. *Tigris feminea,* interdum arrogantia. In Job, ubi supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *armenus*, c. 35.

Physiologus apud *Petrum Damiani*, c. 2. — Apud *Vincent. Bellovac.* XIX, 112.

Eucherius, ed. I, 14 ; ed. II, 751 C ad 2.

(1) *Pueros.* IV Reg. II, 24.— (2) *De grege.* I Reg. XVII, 34.— (3) *Pascentur.* Is. XI, 7. — (4) *Urso.* Dan. VII, 5.— (5) *Reburre.* Hactenus ignota vox, nisi ex una inscriptioni Gruter. 525. — (6) *Prædam.* Job IV, 11

Gregorius M. Tigridis nomine hypocrita quilibet designatur; unde Eliphaz beato Job, tamquam maculis simulationis varium argueret, dicit: « Tigris periit, etc. » Ac si aperte dicat: varietas tuæ simulationis exstincta est, quia et adulatio laudis ablata, etiam tua hypocrisis prædam non habet, quia percussa divinitus humanis favoribus caret.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 19, p. 136.

Rabanus. Tigris, hypocrita, ut: « Tigris periit, etc. » — Mortalitas nostra, ut: « Mansit juxta fluvium Tigris [1]. »

Petrus Capuanus ad litt. XIX, art. 81. Tigris dicitur et animal et fluvius. Prout tigris dicitur animal, designat hypocritam, vel diabolum. Job: « Tigris periit, etc. » Tigris autem animal est maculosum, diversas maculas habens. Hic est hypocrita, qui latentia quidem habet vitia, sed interdum foris prodeuntia, quasi colorem superficiei diversis maculis variatum, et quasi varias habet tunc maculas simulationis. Dicunt ergo amici Job, et hæretici catholicis: « Tigris periit, etc. » Quasi periit nunc simulatio tua, quia jam adulationis locum non invenis, et ea quæ egisti, egisti simulatione. Diabolus quoque, pro multiformi astutia, secundum allegoriam, hic tigris appellatur, cujus astutiæ maculosæ sunt et multiformes. Paulus: « Non enim ignoramus astutias ejus. » Gregorius tamen dicit [2] quod LXX interpretes aliam ponunt hic litteram, scilicet myrmicoleon. Dicitur autem myrmicoleon, sicut idem exponit, formicarum leo, vel expressius formica et leo. Est autem, ut ait, animal parvum, in pulvere manens, quod formicas comedit et occidit, sed a volatilibus rapitur et occiditur. Est ergo formicis leo, et volatilibus formica. Sic ergo amici beati Job asserunt ipsum fuisse et timidum in potentes et sævum in subjectos et minores. Cujus sævitiam dicunt periisse, quia sic fuerat percussus a Deo. Hoc et hæretici imponunt catholicis. Sed et diabolus, secundum has proprietates, merito dicitur myrmicoleo, quia et contra resistentes est debilis, et contra consentientes fortis. Neque enim præsumit animam dejicere, nisi per consensum fuerit incurvata. Propter quod et Paulus dicit: « Nolite locum dare diabolo [3]. »

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. II, v. 5231-5254.

Fetibus ereptis, occurrere malo furenti
  Ursæ [4] crudeli, quam, furiose, tibi.
Ursæ placari casu sævitia posset:
  Est sine lege tuus, o furiose, furor.
Masticata tibi dulcem dabit uva liquorem;
  Fractaque nux, nucleum; dulcia mella, favus.
Mysterii typicum sic pandit littera sensum,
  Præsens excutere si velis ista tibi,
Gentilem populum crudelem denotat ursa:
  Sævior isti plus schismaticus furor est.
Tutius ergo fuit sanctis occurrere Genti,
  Quam male schismatici perfida tela pati.
Nam, quamvis gentes Christi sanctos laniarent,
  Dura tamen Christi sub juga colla dabant.
Nemo schismaticos ferientes fraude sagittas,
  Aut exstirpare, sive cavere potest.
Vel dicas quod sit hæc sæva diabolus ursa [4]:
  Sanctis ablatis, nam furit ipse sibi.
Eripitur levius isti catechumenus hosti,
  Et reprobum levius hujus ab ore trahis,
Schismaticos quam falsos, corruptosque fideles
  Ad rectam revoces catholicamque fidem.
Ne ferus occurrat is hostis, uterque crudelis,
  Fac nobis tritas, o pie Christe, vias.

XLVIII.

1. Lupus, diabolus [5]: « Mercenarius videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit [6]. »

(1) *Tigris.* Tob. VI, 1. — (2) *Dicit.* In Moral. lib. IV, c. 40, t. I, col. 156 D. — (3) *Diabolo.* Ephes. v, 27. — (4) *Ursæ.* De tigride omnino silentibus nostris vatibus, Hermanni locum ad articulum præcedentem referendum adducimus. — (5) *Vel tyrannus* A. — (6) *Fugit.* Joan. x, 12.

2. Paulus [1] : « Benjamin, lupus rapax. »

3. Hæretici, vel principes mali : « Venient ad vos in vestimentis ovium; intus autem sunt lupi rapaces [2]. » ÷ Et in propheta : « [Judices ejus lupi] vespere, non relinquebant in mane [3]. »

÷ 4. Raptor conversus : « Habitabit lupus cum agno [4]. »

÷ 5. Sunt et lupi dæmones, ubi et supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hildefonsum*, c. 67. — Apud *Petrum Damiani*, c. 25. — Apud *Vincent. Bellovac.*, xix, 84, 88.

Eucherius, ed. i, p. 14; ed. ii, col. 751 c, ad 1, 3, 4.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iii, c. 21, p. 138.

Rabanus. Lupi, dolus et fraus pravorum, ut : « Intrinsecus autem sunt lupi rapaces. »

Petrus Capuanus ad litter. xi, art. 35. Lupus cruentus, fraudulentus et violentus. Lupi cruenti sunt raptores et persequutores. Evangelium : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum [5]. » — Lupi fraudulenti sunt prædicatores Antichristi, hæretici et hypocritæ. Habacuc : « Leviores pardis equi eorum, et velociores lupis vespertinis [6]. » — Lupi violenti, qui violentiam inferunt sibi et aliis ad obtinendum regnum. Genesis : « Benjamin lupus rapax. » De Paulo tamen illud specialiter intelligitur dictum. Nam et ipse Paulus fuit de tribu Benjamin, juxta quod ipse de se ait. Et mane juventutis suæ comedit prædam, quam faciebat in ovibus Christi. Actus : « Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Christi, etc. » Sed vespere conversionis, divisit spolia, dum gradus Ecclesiæ ordinavit. Actus : « Vade, quoniam vas electionis est mihi iste [7]. » Mane comedit prædam, quia lapidatores Stephani « posuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis qui vocabatur Saulus [8]. » Vespere divisit spolia, juxta quod idem ait de se : « Sicut et in omnibus ecclesiis doceo [9], etc. »

Distinctionum monasticar. lib. iii, *de Lupo*. Lupus [10], animal valde rapax est, et cruorem vehementer appetens; et quum omnibus mansuetis animalibus sit pro viribus infestus, maxime tamen ovibus est inimicus : eas namque non solum in campis, sed et in caulis invadit. Lupi collum inflexibile est; oculi ejus de nocte lucent, tamquam lucernæ, et, teste Solino [11], villum amatorium gestit in cauda. Lupus figuram gerit diaboli : ipse enim semper rapinis insistit, quia animas hominum quas Deus creavit, qui verus et legitimus eorum est Dominus, sibi subdere non cessat. Cruorem lupus vehementer appetit : et diabolus qui omnibus mortalibus peccatis pascitur, maxime homicidio delectatur. Ille enim homicida fuit ab initio, quia pestifera persuasione sua, primos parentes nostros utraque morte, id est corporis et animæ, peremit, et primam illorum prolem, id est Cain, in parricidium dejecit. Ideo sane dixi, quia primos parentes nostros utraque morte peremit, quia mortaliter eos peccare faciens, in ani-

(1) *Populus Judæorum, ultimo tempore in Christo crediturus, vel Paulus apostolus, ut quidam volunt. In Genesi* B-G. — (2) *Rapaces.* Matt. vii, 15. — (3) *Mane.* Sophon. iii, 3. Locus deest in E. In cæteris a capite, eodemque modo mutilus. — (4) *Agno.* Is. xi, 6. — (5) *Luporum.* Matt. x, 16. — (6) *Vespertinis.* Hab. i, 8. — (7) *Iste.* Act. ix, 15. — (8) *Saulus.* Act. vii, 57. — (9) *Doceo.* I Cor. vii, 17. — (10) *Lupus.* De more suo ille grammatica præfigit proœmia, quæ de more nostro huc retrudimus : « Lupus a λυκὸς (cod. *licos*) græco nomine derivatur, quod latine interpretatur Mordens, quia lupi atrocissimus est morsus. A λυκὸς enim *lyncis* nomen derivatum est, quia lynces de genere sunt luporum. Dicitur etiam *lycisca* canis a lupa et cane genitus [cf. Isid. *Etymol.* xii, c. ii, n. 20, 25, 28, et varios veterum locos ibidem ab Arevalo in notis adductos]; unde Virgilius, in *Bucolicis* [iii, 17-20], introducens pastorem socium suum furti arguentem, lyciscæ mentionem facit, quum dicit :

> Nonne ego te vidi Damonis, pessime, caprum
> Excipere insidiis, multum latrante lycisca.
> Et quum clamarem : « Quo nunc se proripit ille?
> Tityre, coge pecus! » tu post carecta latebas.

— (11) *Solino.* In *Polyhist.* c. 8

ma peremit, et moriendi eis necessitatem, mediante illorum assensu, inflixit. Lupi collum inflexibile : et diaboli indomabilis est superbia. Oculi lupi de nocte lucent ut 5 lucernæ, quia hæresiarchæ stultis, qui noctis nomine non absurde denotantur, veri doctores esse videntur. Sicut enim oculi Christi esse dicuntur veri et orthodoxi doctores, ita oculi diaboli esse dicuntur recte anima-10 rum callidi deceptores. Et notandum quod ipsi etiam lupi dicuntur, quia de morte pascuntur. De talibus enim ait Dominus : « Attendite, etc. » Solent enim hæretici sanctitatem simulare in conversatione, ut 15 facilius exaudiantur in erronea prædicatione.—Per lupum, quia villum amatorium gestat in cauda, figurantur voraces et gulosi, qui per gulam incidunt in luxuriam. Nam, sicut ait beatus Hieronymus : Per or-20 dinem membrorum est ordo vitiorum. Unde quidam de nostris ait :

Ventre cibis pleno, quæ sunt sub ventre tumescunt,
Deque gulæ cœno Veneris vinaria crescunt.

25 — Lupi dicuntur recte homines inhumani, maxime illi qui humani sanguinis effusione, sicut pater eorum diabolus, delectantur. De quibus ait Dominus discipulis suis : « Ecce ego vos mitto, etc. »

Est et piscis qui lupus aquaticus dicitur, 30 qui quidem pisces comedit, sed comeditur ab hominibus. Multum iste differt a lupo terrestri, qui esui humano ineptus est. Unde fortasse per lupum terrestrem, sive, ut accommodatius dicam, silvestrem, sunt figurati duro corde et in rapacitate sua et malitia pertinaces; quorum pertinax malitia notari potest per lupi inesibilitatem et terræ in qua versantur immobilitatem. Per lupum vero aquaticum possunt figurari, qui, rapacitati insistentes, facile convertuntur et corriguntur, quorum convertibilitas per eorum potest notari esibilitatem, et aquæ in qua versantur mobilitatem. Unde :

Esca satis munda lupus est quem confoves unda,
Humani nemoris cultor non est cibus oris.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Lupus.

Persequutor.	Prælatus sua quærens.
Diabolus.	Hæretici.
Raptores.	

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. I, v. 657.

Paule, Dei præco, mundi sanctissime doctor,
Quando Rachel peperit, te Benjamin vocitavit.
Doctor et Ecclesiæ datus, hanc vexando dolore
Hinc te jure sui gnatum vocat illa doloris.
Te Joseph vidit, quum lux tibi cœlica fulsit.
Pusio parvus eras, quia Christi pace carebas,
Nam famam Christi penitus delere volebas.
Te Joseph flevit : Christus tibi lumen ademit.
Quum faciem lavit, tunc te baptisma piavit.
Inde scyphus Joseph sacci reperitur in ore :
Est inventa tuo legis meditatio corde.
Argentum nituit, quum sacci vincula solvit :
Post legis nodos, Evangelium docuisti.
Benjamin omnes superavit portio fratres :
Nam, Paule, data tibi præcellit gratia cunctis.
Prædam mane rapit Benjamin, vespere pascit :
Tu prius insequeris, sed postea dogmate pascis.

XLIX.

35 1. VULPES, tentationes [1] : « Capite nobis vulpes pusillas [2], exterminantes vineas [3]. » ÷ Et in libro Judicum pro Samsone dicitur : « Apprehendit trecentas vulpes, et ligavit faculas in caudis earum [4]. »

2. Dolosi [5] : « Ite, dicite vulpi illi Herodi [6]. »

÷ 3. Diabolus, vel dæmones. In psalmo : « Tradentur in manus gladii [7], partes 40 vulpium erunt [8]. » Et in Jeremia : « Propter montem Sion quia disperiit, vulpes ambulaverunt in ea [9]. »

(1) *Hæretici. In Canticis canticorum* B-G. — (2) *Parvas* E. — (3) *Vineas.* Cant. II, 15. B-G addunt : *Id est plebes fidelium. Et in libro Judicum, pro Samsone dicitur.* — (4) *Earum.* Judic. XV, 4. — (5) *Dolosi atque callidi peccatores. In Evangelio.* — (6) *Herodi.* Luc. XIII, 32. — (7) *Gladii, hoc est, peccatores partes v. e.* B-G. — (8) *Erunt.* Ps. LXII, 11. — (9) *Ea.* Thren. V, 18.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS [1] *græcus*, c. 17, apud *Epiphan.*, c. 21, p. 214.

PHYSIOLOGUS *armenus*, c. 17.

PHYSIOLOGUS apud *Isidorum*, c. 12. — Apud *Theobaldum* et *Hildebertum*, c. 5. — Apud *Petrum Damiani*, c. 7. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. II, c. 5. — Apud *Vincentium Bellovacens.*, l. XX, c. 122.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 752 A ad 1, 2, 3.

RABANUS. Vulpes, Herodes, ut : « Dicite vulpi illi. » — Dolosi, ut : « Vulpes foveas habent [2]. » — Hæretici, ut : « Capite nobis, etc. » — Persequutores, ut : « Samson cum facibus decurrere fecit vulpes. » — Maligni spiritus, ut : « Tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. 136. Vulpes fraudulentæ, violentæ, nocivæ, deceptoriæ et tentativæ. Vulpes fraudulentæ sunt subdoli et insidiatores. Talis erat Herodes, de quo dicitur in Evangelio : « Dicite vulpi, etc. » — Vulpes violentæ, principes mundi et persequutores. Psalmus : « Partes v. e. ». — Vulpes nocivæ, primi motus. Canticum : « Capite nobis, etc. ». Primi siquidem motus et parvuli et recentes, antequam crescant, cohibendi sunt et allidendi ad petram Christum. — Vulpes deceptoriæ sunt hæretici. Judicum : « Cepit trecentas vulpes, et faces ligavit ad caudas, quæ statim perrexerunt in segetes Philistinorum. » Siquidem hæretici, quamvis facies habeant varias et sectas diversas et dogmata, in caudis tamen sunt ligati et conveniunt, scilicet ad succendendam segetem Ecclesiæ. — Vulpes tentativæ sunt dæmones. Evangelium : « Vulpes foveas, etc. » Vulpes fraudulentæ, scilicet subdoli et insidiatores, ad modum vulpium, non directe, sed tortuose incedunt. — Vulpes violentæ, scilicet principes mundani et persequutores, ad modum vulpium, rapiunt pullos gallinæ, scilicet Ecclesiæ filios, ad prædandum eos et retrahendum a fide. — Vulpes nocivæ, sive primi motus, ad modum vulpium, silent et occulte nocent. — Vulpes deceptoriæ, scilicet hæretici, ad modum vulpium, fœtent. Nam et ideo leprosi in veteri testamento os habebant veste contectum, ne scilicet anhelitu suo fœtido alios corrumperent. Et hæretici fœtore doctrinæ et verborum suorum corrumpunt proximos : et ideo tegendum est os eorum et cohibendum, ne noceant, quia verba eorum fœtida sunt et pestilenta. — Vulpes tentativæ, scilicet dæmones, ad modum vulpium profundi sunt et occulti, et vix caventur.

ANONYMUS TRECENSIS. 1. Notandum : diabolus comparatur vulpi, propter assimilationem in seductione : dum enim non habet escam, fingit se mortuam, et extrahit linguam, et sic accedentes aves, quasi ad cadaver, rapit et devorat. Sic diabolus, cadaver factus quando de cœlo decidit, os aperuit, et linguam ejecit coram avibus, id est primis parentibus, et sic ad alimentum attraxit, et decepit. Item, propter assimilationem in habitatione : manet enim in cavernis terræ. Homo, terra cavernosa, propter oculos, aures et nares et os ejus; ibi habitant vulpes, id est dæmones. Matthæi XII : « Vulpes foveas habent; Filius autem hominis non habet ubi suum caput reclinet. » Utique in bonis. « Omnes autem declinaverunt, non est qui faciat bonum [3]. » — Item assimilatur et comparatur vulpi, propter conformitatem in motione : dicitur enim Vulpes, quasi Volupes; volubilibus enim anfractibus incedit : sic diabolus « circuit quærens quem devoret. » Psalmus : « In circuitu impii ambulant [4]. »

2. Notandum, quod quidam volunt habere vitam præsentem et futuram, et utramque non possunt habere; utraque deficiente, se perimunt; similes renardo, qui

(1) *Physiologus.* Unde sane effluxerunt variæ omnium gentium, maxime Francorum, fabulæ *de Vulpe* aut *Renardo*, quas luculenter exposuit Cl. v. Fauriel (*Hist. litt. de la fr.* t. XXII, p. 889). — (2) *Habent.* Matt. VIII, 20. — (3) *Bonum.* Ps. XIII, 2. — (4) *Ambulant.* Ps. XI, 9

transiens juxta pontem, vidit in aqua umbram casei, quem in ore portabat; credens habere utrumque, utrumque perdidit, et submersus est.

4. Advocati sunt sicut vulpes quæ numquam recte incedunt. Judic. xv, dicitur quod Samson vulpes, quæ ad facies erant divisæ, ligavit per caudas apponendo ignem; et sic mittendo eas in segetes Philistinorum, totas fruges eorum destruxit. Sic mali advocati in causis suis non ratione incedunt; in facie sunt divisi, quia in publico videtur quod quilibet fideliter causam suam agant. Sed in cauda sunt ligati, quia in occulto sunt conjuncti, et bene conveniunt et sciunt quid erit de fine causæ; et sic destruunt homines simplices confidentes in eis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Vulpes dicta, quasi Volupes [1], etc. Versus :

Obgannit vulpes; avibus magis insidiatur;
In foveis latitat, tortus pede, fœtet in ore.

Vulpes.

Dolosi.	Persequutores.
Hæretici.	Maligni spiritus.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangel., v. 2505-2510.

« Herodes, dicunt Domino quidam Pharisæi,
« Perdere te quærit; et quia quærit, abi. »
At Jesus inquit eis : « Vos illi dicite vulpi,
« Quem sic informat turpis imago doli,
« Dicite : perficio quasi cras hodieque salutes,
« Me consummabit tertia deinde dies. »

De Renardo [2] et Isengrino.

Cur timeas, frater? olim ratione timebas :
Sed cur non timeas regula nostra vetat.
— Ut tibi credatur, geris, Isengrine, cucullam :
Sed licet ante parum, nunc tibi credo minus.

L.

1. ONAGER, Christus : « Quis dimisit onagrum liberum, et vincula ejus quis solvit [3]?

2. Arrogans quisque [4] ÷ vel hæreticus : « Alii, quasi onagri, in deserto egrediuntur ad opus suum [5]. » ÷ In Jeremia : « Onager, assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ traxit ventum amoris sui [6], » id est spiritum superbiæ.

3. Judæi [7] : « Sed et onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones [8]. »

÷ 4. Is qui cuncta agit quæ desiderat : « Et quasi pullum onagri, liberum se natum putat [9]. »

÷ 5. Gentilitas : « Numquid rugiet onager, quum habuerit herbam [10]? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus*, c. 11.

PHYSIOLOGUS *armenus*, c. 11.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostom.*, cod. A, c. 7; B, c. 11. — Apud *Isidorum*, c. 17. — Apud *Petrum Damiani*, c. 33. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. II, c. 11.

EUCHERIUS, ed. I, p. 14; ed. II. col. 751 D, 752 A ad 1, 3.

GREGORIUS M. Onager, vir solitarius, ut ibi : « Quis dimisit, etc. » Onager liber et absolutus merito solitarius dicitur, qui ab hominum conversatione remotus, nullo humanæ cupiditatis ambitu, in servitute animi captivatur. — Vel Dominum melius significat, qui, pro eo quod particeps est naturæ nostræ, non culpæ, nostro peccati

(1) *Volupes.* Eadem ac in anonymo Trecensi. — (2) *Renardo.* In margine *Auroræ,* cod. Paris 8104, in Levitico, ubi de milvo, cum hac nota proxima : ℣ *in quibus tamen est moralitas.* — (3) *Christus, vel solitarius* A. *Monachus deserta inhabitans. In Job* B-G. *Solvit.* Job XXXIX, 5. — (4) *Quisque, id est amator vanæ gloriæ* B-G. — (5) *Suum.* Job XXIV, 5. — (6) *Sui.* Jerem. II, 24. — (7) *Vel superbi* A. *Principes Judæorum* B-G. — (8) *Dracones.* Jerem. XIV, 6. — (9) *Putat.* Job XI, 12. — (10) *Herbam.* Job VI, 5.

vinculo tenetur, solus inter mortuos liber. Vincula vero ejus soluta sunt, quum infirmitates passionis in resurrectionis gloriam transierunt. — Is qui in desideria sua
5 effræna libertate feritur, sicut de viro vano dicitur : « Et quasi pullum o. s. l. p. » — Gentilis populus, ut ibi : « Numquid rugiet, etc. » Tunc autem onager iste herbam invenit, quum gratiam divinæ incarnatio-
10 nis accepit. — Hæretici, ut ibi : « Alii quasi onagri in deserto egrediuntur ad opus suum. » Non enim Dei, sed opus suum agunt, qui, sana cæterorum doctrina relicta, propria desideria stulta libertate se-
15 quuntur. — Judæi, ut in Jeremia : « Onagri steterunt, etc. » In rupibus steterunt, qui spem suam non in Deo, sed in homine posuerunt, dicentes : « Non habemus regem, nisi Cæsarem [1]. »

20 GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. 3, c. 22, p. 140.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIII, art. 29. Onager est asinus silvester, habitans in solitudine, non in domo; et Christus de
25 domo Judæorum abiit in solitudinem gentium. Nonne transiit onager iste in solitudinem, quando, Domino accedente ad suscitandam filiam archisynagogi, hæmorroissa retro veniens et fimbriam tangens,
30 præripuit sanitatem ? et quum dixerunt Apostoli. « Quia repulistis verbum Dei, ecce transimus ad gentes [2]. » — Onager mundanus duplex, scilicet judaicus populus; sed hi in solitudine litteræ demorantur, domum spi-
35 ritualis intelligentiæ non intrantes. Nonne manserunt in solitudine litteræ, quando pueri Abrahæ exspectaverunt, cum asino, et stoliditate sua, ad radicem montis, nec in altum allegoriæ ascendere potuerunt ? —
40 Onager etiam mundanus, gentilis populus; unde et per pullum indomitum, qui cum asina ad Dominum adductus est, sunt designati, quia ipsi non fuerant jugo legis aut prophetarum domiti. — Onager tartareus,
45 qui libere agit quidquid delectat atque affectat. Sed et isti per solitudines ac campos licentiæ et voluptatum discurrunt.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Onagro*. Onager est asinus silvestris : his significat populum gentilem, ut ibi : « Numquid [3], etc. »

Onager significat gentiles philosophos; de quibus est illud propheticum : « Gaudia onagrorum, pascua gregum [4], donec mittatur spiritus de excelso. » Gaudebant enim gentiles philosophi in dogmatibus suis, mundanæ sapientiæ argumentis armatis, et pomposæ eloquentiæ cultu politis; quibus pascebantur auditorum greges, quorum variæ erant sectæ, ut peripateticorum, academicorum, stoicorum et epicureorum, donec Spiritus sanctus missus est die Pentecostes super discipulos. Nam exinde, postquam ex imperio Domini in omnem terram exivit sonus eorum prædicationis, stultam ostendit Deus esse hujus mundi sapientiam, per Evangelii doctrinam, sicut ipse prædixerat per prophetam : « Perdam sapientiam sapientium, et intelligentiam prudentium reprobabo [5]. »

Onagri significant Judæos; unde : « Potabunt omnes, etc. » Per bestias agri designatæ sunt gentiles bestialiter viventes, et inculti, qui, postquam ad fidem Christi sunt conversi, sapientiæ salutaris aqua sunt potati; Judæis stulte exspectantibus Messiam, et permanentibus in indigentia salutaris verbi.

Onagri significant falsos religiosos, qui subjectionis necessitatem non ferentes, ut propriæ voluntatis vivant arbitrio, cœnobia deserunt, et ad eremum se transferunt, quasi veri possint esse eremitæ, qui falsi fuerant cœnobitæ. Sed credibile valde est, quod cito expugnetur in solitudine, qui facile terga dedit in multitudine. Nam de tali homine terribile dictum est illud propheticum : « Venatio leonis, onager in solitudine [6]. » Facile enim a leone diabolo rapitur vel capitur, quum solus est, qui facile non vincebatur, quando solus non erat. De

(1) *Cæsarem.* Joan. XIX, 15. — (2) *Gentes.* Act XIII, 46. — (3) *Numquid.* Auctor ait : « Quæ sententia in distinctione *de Herba* dupliciter exposita est. » Eamdem vide infra, in parte II. — (4) *Gregum.* Is. XXXII, 14, 15. — (5) *Reprobabo.* I Cor. I, 9. — (6) *Solitudine.* Eccli. XIII, 23.

tali igitur impletur ad litteram illud authenticum : « Væ soli, quia quum ceciderit, non habet sublevantem [1]. »

ANONYMUS DOMINICANUS, *ibid.* art., LI.

Onager in solitudinibus et in locis altis habitat, ubi propter flatum ventorum, diu sine potu vivit : sic viri perfecti solitudines eremi vel religionis petentes, habitantes in alto per mentis sublevationem, propter beneficium gratiæ Spiritus sancti, diu vivunt sine recreationibus vel cibis corporalibus.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Onager.

Pauper. Contemplativus.
Populus gentilis.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Job, v. 354-359.

Est onager plebs gentilis, silvestria quærens;
Bos, Judæa jugo legis carnaliter hærens.
Dat gemitus plebs gentilis cum murmure tristi,
Donec eam satiet et pascat gratia Christi.
At Judæa tenens legem non corde sereno,
Coram præsepe patitur jejunia pleno.

LI.

ONOCENTAURI, ÷ lubrici et elati : « Erit cubile draconum et pascua struthionum; dæmones onocentauri occurrent [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus*, c. 15.

PHYSIOLOGUS *armenus*, c. 15.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, cod. A, c. 5; B, c. 3. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. II, c. 3.

GREGORIUS M. Onocentauri, lascivi homines et elati : ὄνος enim asinus, in quo lascivia; in tauro autem superbiæ cervicositas figuratur, ut in Isaia : « Et dæmonia, inquit, onocentauris occurrent. » Maligni enim spiritus valde his pro voto superbiunt, qui inde gaudent unde flere debuerunt.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 23, p. 146.

RABANUS. Onocentaurus, superbus et luxuriosus, ut : « Erit, etc. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Onocentauri, vitia.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Deuteron., v. 45-48.

Cum bove si socies asino, non campus aretur:
Hic doctos, fatuos denotat ille viros.
Doctus cum fatuo non spargat semina verbi,
Ne bona quæ docet is, destruat hujus opus.

LII.

1. CERVUS, vir spiritualis [3] : « Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum [4]. » ÷ In psalmo : « Montes excelsi cervis [5]. »

2. Patriarchæ [6] : « Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ, hinnuloque cervorum [7]. »

÷ 3. Apostoli [8] : « Vox Domini perficientis cervos [9]. »

LIII.

1. CERVA, Ecclesia, vel caro Christi [10] : « Cerva charissima et gratissimus hinnulus; ubera ejus inebrient te [11]. »

(1) *Sublevantem.* Eccle. IV, 10.—(2) *Occurrent.* Is. XXXIX, 14. — (3) *Viri spirituales, quibus in altitudine Scripturarum pascua est. In psalmo* B G.—(4) *Aquarum.* Ps. XLI, 2. — (5) *Cervis.* Ps. CIII, 18. — (6) *Patriarchæ; unde in Canticis canticorum pro Salvatore, qui ex eadem stirpe secundum carnem natus est, dicitur : Fuge* B G.—(7) *Cervorum.* Cant. II, 9.— (8) *Contemplativi* A. — (9) *Cervos.* Ps. XVIII, 9.— (10) *Caro Domini, serpentes necans* B-G.—(11) *Te.* Prov. V, 19. *Te, id est evangelica doctrina* B-G.

2. Prædicatores : « Numquid partum cervarum observasti [1] ? »

LIV.

Hinnulus, Christus [2] : « Similis est dilectus meus hinnulo capreæ [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *græcus*, c. 32. — Apud *Epiphan.*, p. 193.

Physiologus *armenus*, c. 32.

Physiologus apud *Chrysostom.* A, c. 13; B, c. 17. — Apud *Hildefons.*, c. 69, 70.— Apud *Theobaldum* et *Hildebert.*, c. 6. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. I, c. 14. — Apud *Vincentium Bellovac.*, lib. XVIII, c. 35.

Eucherius, ed. I, p. 14 ; ed. II, col. 751 C, 752 A, ad LIII, 1, LIV.

Rabanus. Cervus, fidelis anima, ut : « Sicut cervus, etc. » — Antiqui Patres, ut : « Similis est dilectus, etc. » — Contemplatores, ut : « Montes c. c. » — Mundi contemtores, ut : « Posuit pedes meos tamquam cervorum [4]. » — Sanctitates, ut : « Adjuro vos per capreas, cervosque camporum [5]. »

Cerva, prædicator negligens, ut : « Cerva in agro peperit [6]. » — Doctores, ut : « Parturientes c. o. »

Hinnuli, viri spirituales, ut : « Duo ubera tua sicut duo hinnuli [7]. »

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 66. Cervus inferni, negligens prædicator. Jeremias : « Cerva peperit in agro, et dimisit. » — Cervus mundi, majores et spirituales in Ecclesia. Psalmus : « Vox Domini præparantis cervos [8]. » — Cervus Dei dicitur humanitas Christi. Titulus psalmi : « Pro cerva matutina [9]. »

Tertius ille cervus venationi subjacuit in nemore hujus mundi. Evangelium : « In mundo erat, et mundus eum non cognovit [10]. » Et tandem conclusus fuit in parte illius nemoris, scilicet in deserto. Evangelium : « Ductus est Jesus in desertum [11]. » Venator hujus cervi fuit Lucifer. Evangelium : « Ut tentaretur a diabolo. » Ministri et coadjutores ejus fuerant minores dæmones. Psalmus : « Catuli leonum rugientes, ut rapiant [12]. » Funis circumpositus fuit triplex : tentatio de gula, vana gloria et avaritia. De his funibus dicit Scriptura : « Funiculus triplex difficile rumpitur [13]. » Retia quæ ei anteposuit ut eum caperet, fuerunt temporalia. Evangelium : « Hæc omnia tibi dabo [14]. » Paraverunt et foveas. Psalmus : « Foderunt ante faciem meam foveam [15]. » Cornua quibus se mutuo hortabantur, fuerunt variæ suggestiones dæmonum. Paulus : « Ut possitis resistere adversus insidias diaboli [16]. » Canes qui circumlatrabant eum, fuerunt Judæi. Psalmus : « Circumdederunt me canes multi [17], quorum quidam fuerunt majores, cum instantia persequentes, scilicet scribæ et principes illi quorum impulsu et invidia est occisus ; quidam minores, qui majores sequebantur. Paulus : « Zelum Dei habebant, sed non secundum scientiam [18]. » Ductor et incitator istorum canum fuit Judas. Evangelium : « Accepit ab eis cohortem et milites, ut caperent Jesum [19]. » Laqueus quo tandem eum ceperunt fuit muscipula crucis. Evangelium. « Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tra-

(1) *Observasti*. Job XXXIX, 1. — (2) *In corpore suo; quod est Ecclesia, propter gentium varietatem* B-G. — (3) *Capreæ*. Cant. II, 9.—(4) *Cervorum*. Ps. XVII, 34. — (5) *Camporum*. Cant. II, 7 « Id est, suadeo vobis amare sanctitates meritorum » *Alleg*. — (6) *Peperit*. Jerem. XIV, 5. — (7) *Hinnuli*. Cant. IV, 5. (8) *Cervos*. Ps. XXVIII, 9. — (9) *Matutina*. Ps. XXI, juxta veteres interpr. — (10) *Cognovit*. Joan. I, 10. — (11) *Desertum*. Matt. IV, 1. — (12) *Rapiant*. Ps. CIII, 21.—(13) *Rumpitur*. Eccle. IV, 12.—(14) *Dabo*. Matt. IV, 9. — (15) *Foveam*. Ps. LVI, 7. — (16) *Diaboli*. Ephes. VI, 11. — (17) *Multi*. Ps. XXI, 17. — (18) *Scientiam*. Rom. X, 2. — (19) *Jesum*. Joan. XVIII, 3.

detur [1]. » Sed istum laqueum solvit et evasit. Judicum : « Soluta sunt vincula ejus, sicut lina ad odorem ignis [2]. » Hoc laqueo soluto, aufugit in supercilium montis, ubi tutus est a venatoribus et omnibus circumlatrantibus, id est in empyreum. Psalmus : « Elevata est magnificentia tua super cœlos [3]. » Canticum : « Surge, dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum [4]. »

ALANUS [5]. *Quot modis cervus dicitur.* Proprie, dicitur animal silvestre. — Christus, vel humana Christi natura, ut habetur in titulo psalmi : « Deus, Deus meus, respice in me. » Dicitur ibi : « In finem, psalmus David, pro cerva matutina. » Eleganter comparatur humana Christi natura cervæ matutinæ, quia sicut cerva, surgens in mane, cornibus suis penetrat et pertransit dumeta, et constituit se super montis excelsa : sic Christus, mane surgens, in somno mortis, transivit spineta pœnarum et mortalitatis, et constituit se in excelso montis ; quia post resurrectionem, transiit in cœlum ; penetravit et dumeta, id est humanos defectus ; cornibus, id est potentia divinitatis, evasit. Ideo comparatur cervæ, et non cervo, ut notetur quod humana natura infirmior est divina. — Prophetæ, ut in Cantico : « Adjuro vos per capreas, cervosque camporum. » — Sancti ; unde in psalmo : « Montes excelsi, » id est apostoli, « cervis, » id est sanctis, « sunt refugium ; » id est, sancti, si tribulantur, debent recurrere ad montes excelsos, id est ad apostolos, vel ad eorum exempla. « Petra, » id est Christus, est « refugium herinaceis, » id est peccatoribus conversis et pœnitentibus, qui sic figurantur hic per herinaceos, propter herinacei proprietatem. — Neophytus, vel perfectus, secundum quod illud dupliciter exponitur : « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum ; » hoc enim exponitur vel de neophytis, quantum ad baptismum ; vel de perfectis, quantum ad vitam æternam. — Peccator, unde David ait in psalmo : « Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, super excelsa statuens me. » Cervus, quum fugatur, ad loca spinosa et lutosa transilit : similiter peccator, si occurrat sibi amor divitiarum, qui pungit sollicitudine, si lutum luxuriæ vel alicujus voluptatis fœtidæ, mente transilire debet. Cervus deserit valles et ascendit montes : ita peccator debet deserere terrena et petere cœlestia. Cervus senex devorat serpentes et tunc nimio ardore currit ad fontem ; post cujus potum deponit veterem pellem et cornua, et rejuvenescit : sic peccator occidere debet serpentes, id est diabolum, et currere ad fontem, id est Christum, et deponere veterem hominem, id est peccatum et omnia opera mala, et cornua, id est superbiam, ut dicat cum David : « Quemadmodum desiderat, etc. »

ANONYMUS DOMINICANUS in Compend. mor., *de Quadrupedib.* art. XVIII.

1. Cervi, ut dicit Plinius [6], mulcentur fistula pastorali et cantu ; fugiunt, audito latratu canum : sic multi fugientes sermones, ad fiistulas et cantilenas mundi deflectunt, et ad hæc convertuntur ; unde Apostolus : « A veritate auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. »

2. Cervus est animal simplex, ut dicit Plinius. De omnibus stupent in tantum, ut equo aut bucula propius accedente, hominem juxta venantem non cernant, aut si videant, arcum, sagittas mirentur : sic ignorantes, sacra dogmata respuentes, de factis divinis mirantur, stupefiuntque adeo, ut sub umbra prosperitatum temporalium non considerent diabolum persequentem ; nec enim, peccatorum torpore subducti, irruentes suæ mortis sagittas advertunt, quousque eorum sanguinibus inebrientur.

3. Cervi, ut dicit Glossa super Cantica, caligantibus oculis, serpentes comedunt ;

(1) *Tradetur.* Matt. XXVI, 2. — (2) *Ignis.* Jud. XV, 14. — (3) *Cœlos.* Ps. VIII, 2. — (4) *Aromatum.* Cant. VIII, 14. — (5) *Alanus.* Edita, lector, habes, sed a tribus obruta sæculis in oblivione sane immerita. — (6) *Plinius.* De eo et variis infra laudatis aut laudandis, cf. ejusdem *Hist. nat.* lib. VIII, c. 32 ; Solin. *Polyhist.* c. 22 ; Servius ad Eclog. Virg. VIII ; Origen. *hom.* V *in Cant.* Isidor. Etym. lib. XII, c. 1, n. 18-21.

hausto fonte, visum recuperant, superfluaque deponunt : sic si sentias ardoribus mundi carnisve tentationibus tuæ mentis oculos caligare, serpentem inferni 5 conteras per pœnitentiam, haustoque fonte lacrymarum, contritionis aqua gratiæque purgantis, visum recuperabis, superfluaque depones.

4. Cervi, ut dicit Aristoteles, quum pu- 10 gnant, victus obedit victori obedientia forti : sic victus a diabolo duro servitio obligatur; qui autem vicerit, conteret eum.

5. Cervi, ut dicit Aristoteles, quum impinguantur, latent propter venatores : sic 15 aliquis quanto magis proficit, quantum ad Deum, tanto plus debet abscondi per humilitatem, propter inimicum.

6. Cervi intestina, ut dicit Aristoteles, sunt valde fœtida; unde non comeduntur 20 a canibus, nisi quando valde famelici sunt : sic persona levis, vaga, dissoluta, sæpe fœtet quoad animam; quare canibus inferni famelicis exponitur.

7. Aquila, ut dicit Plinius, pugnat cum 25 cervo, et super cornua ejus sedens, pulverem collectum excutit in oculos ejus, pennis ora verberans, donec in rupes eum præcipitet : sic diabolus super potentum cornua sedens, pulverem divitiarum in oculos eo- 30 rum projicit, pennisque elationum cor et ora verberans, sic eos captos ad rupes inferni deducit.

8. Cervi, quum se gravatos sentiunt, dicit Isidorus, serpentes de cavernis extra- 35 hunt, et superat veneni perniciem eorum pabulo : sic sentiens conscientiam suam infirmam, extrahat serpentem de caverna cordis sui in sancta confessione, et sic, peccati pernicie superata, curabitur in instanti.

40 9. Cervi, ut dicit Isidorus, dictamnum herbam prodiderunt; nam cum eo pasti, sagittas acceptas excutiunt : sic per herbam contritionis sagitta peccati excutitur; vel sic ex cibo herbæ, in horto virginali col- 45 lectæ, Christo scilicet, omnis doloris sagitta extrahitur de corde humano...

11. Dicunt venatores, quod si cervus a canibus insequutus, aquam intraverit, bibens a lassitudine refocillatur, et ad cursum reparatur : sic anima sancta a canibus inferni per mundi abrupta insequuta, variisque tribulationibus coarctata, si ad fontem Christum pervenire potest, recreatur assecuraturque, dicens : « Ecce, Deus salvator meus, fiducialiter agam [1], etc. »

12, 13. Cervi teneros fetus studiose occultant inter profunda fruticum vel herbarum, pede castigant ad latendum; quumque invaluerint, ad fugam robur eos exercitio docent, assuescunt etiam salire per abrupta : sic Christus, volens teneros fetus custodire, viam humilitatis profunditate Scripturarum docet, ut sic abscondantur a diabolo; postea suppeditare carnem, per pœnitentiam et vitæ solitudinem; quum autem sic invaluerint, docet majora, ut tandem per mundi abrupta saliant in vitam æternam.

14. Hinnulus, ut legitur, agilis est, cursu velox, visu perspicuus, ungulam scindit, et in summis pascitur : sic agilis ad bene operandum, veloci cursu ad cœlum tendit; visu perspicuus, advertit versutias mundi; scindit et ungulam, et dividit a se superfluitates, et talis in summo paradiso pascitur et delectatur.

15. Hinnulus captus ab homine, et modicum in vinculo ductus, sequitur illum et non ligatus : sic cor captum a Deo, ductum vinculis charitatis, semper sequitur Christum, et non ligatum, id est spontanee; e contrario, captum a creatura, vinculatum amore inordinato, semper sequitur quod affectat quadam inclinatione, licet non ligatur omnino.

Anonymus Clarevallensis.

Cervus

Alter in alterius conjurat opem; modo spinas,
Et modo lutosa saliens fugit, atque veneno
Attacto, fontis haustu totus juvenescit.

Fidelis anima.	Sancti.
Contemplatores.	Doctores.

(1) *Agam*. Is. XII, 2.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 362-372.

Odit et insequitur colubros castissima cerva:
Sic uxor casta sit tua, scorta cavens.
5 Ecclesiam cerva merito signando figurat,
Dogmata pravorum quæ fugat atque terit.
Hinnulus istius populus quoque dicitur esse,
Virtutum meritis atque decore nitens.
Hinnulus est animal castum, nullum quoque lædens:
Sic vivat natus, lætificando patrem.
Hinnulus Ecclesiæ dicatur filius esse,
Caste vivendo, quisque fidelis homo.

LV.

DAMA [1], ÷ Christus, in corpore suo : « Et erit quasi dama [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus*, c. 43.

PHYSIOLOGUS apud *Isidorum*, c. 16. — 10 Apud *Petrum Damiani*, c. 21.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 767 A.

RABANUS. Damula, diabolus, ut : « Quasi damula fugiens. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Damula, 15 diabolus [*ut supra*]. — Contemtor mundi, et contemplatione sublimis, unde : « Eruere quasi damula de manu inimicorum [3]. » Dorcas interpretatur damula ; ac pro eo quod acutissime videant, dorcadas ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι 20 appellaverunt [4].

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 458-459.

Littera sic : cursu captantis damula fraudem,
Aucupis et laqueum callida vitat avis.
Dæmonis et mundi fuge veloci pede fraudem,
Virtutum pennis alta petendo vola.
Est animal mundum, velox et acerrima visu
Dammula, doctorem mysteriando notans.
Hujus ad exemplum sit provida cura magistri,
Corpore cum mundo lumine cordis habens.
Aucupis evadit laqueos avis, alta petendo :
Sic Satanam fugiens, cor super alta leva.
Vult ut sis cautus, scelerum contagia vitans,
Et fraudes Satanæ schismaticique dolos.

LVI.

IBICES, sancti fortitudinem in cornibus, id est divina præcepta, gestantes : « Numquid nosti tempus partus ibicum [5] ? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

25 PHYSIOLOGUS *græcus*, c. 42. — Apud *Ansileubum*, fol. 35, 4. — Apud *Petrum Damiani*, c. 19. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. I, c. 57 ; lib. II, c. 15, p. 423.

RABANUS. Ibices, prædicatores, ut : 30 « Numquid nosti, etc. » — Viri perfecti, ut : « Super petras, quæ solis ibicibus perviæ sunt [6]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Ibex, avis [7] Nili fluminis, etc.; aquam ingredi timet, quia natandi notitiam nescit, sed juxta littus nocte ac die ambulat, quærens aut mor-

(1) *Damula, quod et supra* E. — (2) *Dama.* Is. XIII, 14. — (3) *Inimicorum.* Prov. VI, 5. — (4) *Appellaverunt.* Isid. XII, 1, n. 16. — (5) *Ibicum*, Job XXXIX, 1. — (6) *Sunt.* I Reg. XXIV, 3. — (7) *Avis. Ibicem*, capreæ genus, et ibin, Niliacam avem, Isidorus, Rabanus et alii liquido distinguunt, plerique vero Physiologi commentatores, uti et Noster, adeo promiscue habent, ut in eo articulo eamdem rerum confusionem remansisse lector mirari non debeat. Cf Isidor. lib. XII, c. 1, n. 16 ; c. 6, n. 53. Raban. *de Universo*, lib. VII, c. 8, col. 204 A. C. Cahier. l. l. p. 201 sq. Ipsummet Isidori locum secundum Noster excitavit ab initio.

tuos pisces aut cadavera; habet longum collum, sicut ciconia, ut et alvum purget, et cibum de profundo eliciat. Hæc serpentibus inimica est. Has Moyses detulit ad Æthiopes.
5 Aliud genus est in solitudine, dicti ibices, quasi avices, eo quod ad instar avium ardua et excelsa teneant, et in sublimi inhabitent, ita ut de sublimitate vix humanis obtutibus pateant. Hæc animalia in petris
10 altissimis commorantur, et si quando ferarum vel hominum adversitatem senserint, de altissimis saxorum cacuminibus sese præcipitantes, in suis se cornibus illæsa suscipiunt [1].

Ibices.

Prædicatores.	Viri perfecti.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Levitic., v. 733-736.

Rostrum grande gerens, nulli volucrum nocet ibis,
Sed colubras rostro diripit, ore vorat :
Sic multi nollent alios turbare, sed in se
Crudeles, mortis dira venena bibunt.

LVII.

HERINACEUS, peccator [2] : « Petra refugium herinaceis [3]. » — « Et ponam eam in possessionem herinacei [4]. »

15 ## VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus*, c. 16.

PHYSIOLOGUS *armenus*, c. 16.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, B, c. 18. — Apud *Isidorum*, c. 29. — Apud *An-*
20 *sileubum*, fol. 48, 5. — Apud *Petrum Damiani*, c. 7. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. II, c. 4.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 752 A.

RABANUS. Hericius, vitium excusationis,
25 ut : « Ibi habebat foveam hericius [5]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. VIII, art. 28. Hericius animal hispidum est et hirsutum, et in se ipsum conglobatur atque colligitur; hericius etiam in foveis manet, et si-
30 militudinem habet porci.

Quantum ad duas primas proprietates, designat pœnitentem, qui convertitur ad Christum. Psalmus : « Petra r. h. » — Vel hæreticus, secundum aliam litteram. Nam
35 et pœnitens habitu suo hirsutus debet esse et hispidus. Regum : « Vir pilosus et zona pellicea accinctus [6]. » Cinis namque et cilicium arma sunt pœnitentium. Hericius etiam in se ipsum conglobatur atque colligitur : et pœnitens quando scrutatur peccata sua, a strepitu mundi et voluptatibus, per quas vagabatur, colligitur in se ipsum, id est in secretum conscientiæ suæ. Isaias : « Redite, prævaricatores, ad cor [7]. »

Quantum ad duas ultimas proprietates, designat duplices et dolosos, qui peccata sua defendunt. Ibi foveam habet herinaceus : nam et dolosus foveam duplicitatis et deceptionis inhabitat. Evangelium : « Vulpes foveas habent [8]. » Hericius similitudinem habet porci : et hi qui duplices sunt, et peccata sua defendunt, tanquam porci in cœno vitiorum versantur. An non in hoc cœno versabantur Cretenses illi, de quibus ait Paulus : « Cretenses, malæ bestiæ, ventres pigri [9]? »

ANONYMUS DOMINICANUS, *ibid.*, art. 89. 1. Hericius animal spinosum est; spinis quasi armis contra insidias se defendit, spinis dorsi fructus colligit; hunc etiam lupus timet et fugit : sic boni spinis contritionis a peccati insidiis proteguntur; fructus etiam gratiæ acquirunt, et eos diabolus timet et fugit.

2. Hericius, ut dicit Ambrosius, futuri

(1) *Suscipiunt*. Multa illic e primo Isidori loco, supra laudato. — (2) *Peccator ad Christum conversus. In psalmo* B-G. — (3) *Herinaceis*. Ps. CIII, 18. — (4) *Herinacei*. Is. XIV, 23. — (5) *Hericius*. Is. XXXIV, 15. — (6) *Accinctus*. IV Reg. I, 8. — (7) *Cor*. Is. XLVI, 8. — (8) *Habent*. Matt. VIII, 20. — (9) *Pigri*. Tit. I, 12.

providens, in fovea sua habet plures vias et foramina, per quæ respiret, ut quando boream flare putat, foramen in parte illa obturet, vel aliud aperiat, vel e converso : 5 sic electi contra omnes tentationes muniunt se, ut habeant diversas vias evadendi.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Hericius spinosus est; cito irascitur; aculeis tegitur; dum tangitur, in acervum se colligit; dum non spectatur, membra exserit. — Hericius, peccator, ut : « Petra refugium h. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 9510, 9511.

[*Infra, ad art. sequentem*].

LVIII.

LEPUS, timoratus homo : « Lepusculus, plebs invalida, qui collocat in petra cu- 10 bile suum [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 15; ed. II, col. 751 A.

RABANUS. Lepus, iniquus et tamen doc- 15 tus, ut : « Lepus : nam et ille ruminat [2]. »

ANONYMUS DOMINICANUS, *ibid.*, Broc. 19.

1. Lepus hieme albescit, æstivo tempore in colorem suum redit, ut ait Ambrosius : sic refrigeratus omnino a malo carnis æstu, 20 albescit munditia mentis.

2. Lepus crura posteriora habet longiora, unde facilius ascendit, quam descendit; cubile suum in petra collocat : sic, qui in fine vitæ suæ magis in bono dilatatur. Qui 25 cubile suum in petra pœnitentiæ collocant, faciliter ad cœlos ascendunt.

3. Lepus est animal timidissimum; unde et raro nisi de nocte exit ad pastum; tempore messis exsultat, et movetur ad ludum : 30 sic boni, timidi Deum offendere, cibum de nocte, cum dolore et humilitate, sumunt. Psalmus : « Potum meum cum fletu miscebam [3]. » Tempore autem retributionis, plenarie exsultabunt, quia qui seminat in la- 35 crymis, in exsultatione metet.

4. Fertur quod mustela ludit cum lepore, et tandem lassati guttur leporis dentibus apprehendens, acerrime stringit : qui morsum sentiens, evadere fugiendo conatur, 40 sed doloso pondere aggravatur; tandemque corruentem improba bestiola et necat et manducat : sic mundus vel diabolus ludit cum homine, quando prosperitates transmittit; sed in fine mordendo morsu guttur ejus fortissime stringit; ideoque creatorem suum recognoscere vel confiteri non potest.

5. In pedibus leporis, ut dicit Physiologus, sunt pili; unde videntur pilosi, ne lædantur in saltu; habet etiam lepus os pilosum : sic boni viri non habent os pilosum, ut fatui, sed pedes, id est affectiones pilosas virtutibus; et tales non læduntur, id est, non depravantur in saltu projiciendo.

6. Sanguis leporis, ut dicit Isaac, confert venenum sagittæ armeniæ, et ejus coagulum cum aceto contra venenum : sic sanguis Christi, contra sagittam peccati; et coagulum, id est commixtio nostræ humanitatis cum aceto quod bibit in cruce, contra omne venenum peccati.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Lepus.

Homo mundus.	Ecclesia catholica.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 9496-9511.

Est plebs invalida timidus lepus et fugitivus,
Hoc leve nomen habens a levitate pedum.

(1) *Suum.* Prov. XXX, 26. — (2) *Ruminat.* Levit. XI, 6. — (3) *Miscebam.* Ps. CI, 10.

Hoc animal timidum nimis, invalidum, fugitivum,
Ecclesiam poterit significare sacram.
Hæc est invalida, quæ non ulciscitur ense,
Ultori tribuat sed male facta Deo;
5 A reprobis pacem quæ sperat habere tyrannis,
Quos fugitiva vitat hæc, mediante Deo.
Collocat in petra timidus lepus iste cubile:
Firma suis timidis pax, petra Christus erit.

Scriptum pro lepore quidam ponunt chirogrillum:
In veteri poteris hoc reperire stylo.
Hoc animal parvum muri similatur et urso,
Virtus in exiguo corpore tecta latet...
Hoc animal petris hæret terræque cavernis,
Ut lepus, Ecclesiam mystificando notans.
Pro specie leporis, herinaceus invenietur:
Altera signat idem littera mysterium.

LIX.

1. Canes, apostoli [1]: « Lingua canum tuorum ex inimicis [2]. »

10 2. Sacerdotes mali [3]: « Canes muti, non valentes latrare [4]. » ÷ « Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem [5]. »

3. Judæi: « Quoniam circumdederunt me canes [6]. »

4. Gentiles [7]: « Non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus [8]. »

5. Hæretici: « Videte canes, videte malos operarios [9]. » ÷ Videte concisiones.

15 In Deuteronomio: « Non inferes pretium canis in domo Dei tui [10]. » ÷ « Foris canes [11]! »

6. Peccator [12]: « Melior est canis vivens leone mortuo [13]. »

7. Rixosi vel detractores [14]: « Quod si invicem mordetis et comeditis [15]. »

÷ 8. Adulatores: « Sed et canes veniebant et lingebant ulcera [16]. »

20 ÷ 9. Apostata: « Sicut canis revertitur ad vomitum, sic stultus ad stultitiam [17]. »

10. *Catelli*, gentiles [18]: « Etiam, Domine; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum [19]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *græcus*, c. 57.

25 Physiologus apud *Hugonem S. V.*, lib. III, c. 11, p. 435.

Eucherius, ed. I, p. 16 ad 4, et in alium sensum; ed. II, col. 753 D ad 1 et 4.

Gregorius M. Canes, sancti prædicatores, ut in Evangelio: « Sed et canes veniebant, etc. » Sancti etenim doctores, dum peccatorum eliciunt confessiones, quasi ulcera Lazari canes lingunt. — Potest autem per linctionem canum adulantium lingua signari. His enim vulnera lingere, est ipsa quæ in nobis plangimus, mala laudare. — Hæretici, vel recidivi pœnitentes; unde scriptum est: « Sicut canis reversus ad vomitum, etc. » — Judæi, Dominum Christum effrænata rabie persequentes, ut ibi: « Circumdederunt m. c. m. » — Gentiles; unde Dominus: « Non est, inquit, bonum sumere, etc. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 12, p. 118.

(1) *Prædicatores* A. — (2) *Inimicis*. Ps. LXVII, 24. B-G *id est ex Judæis*. — (3) *Canes muti, sacerdotes improbi. In Ecclesia, ib.* — (4) *Latrare*. Is. LVI, 10. — (5) *Saturitatem*. Ib. 11. — (6) *Canes*. Ps. XXI, 17. — (7) *Populus gentium. In Evangelio* B-G. — (8) *Canibus*. Marc. VII, 27. — (9) *Operarios*. Phil. III, 2. — (10) *Tui*. Deuter. XXIII, 18. — (11) *Canes*. Apoc. XXII, 15. — (12) *Vel gentilis populus* A. — (13) *Mortuo*. Eccle. IX, 4. B-G glossam addunt istam: *Hic leonem, diabolum; canem vero, gentilem vel hominem peccatorem [illegible] putant, [illegible] ad [illegible] vel pœnitentiam possit venire; ille vero non venit.* — (14) *Alterutros se lacerantes. In Apostolo* B-G. — (15) *Comeditis*. Galat. V, 15. *[illegible]* A. — (16) *Ulcera*. Luc. XVI, 21. — (17) *Stultitiam*. Prov. XXVI, 11. — (18) *Fideles ex gentibus, in Christum credentes. In Evangelio* B-G. — (19) *Suorum*. Matt. XV, 27.

RABANUS. Canis, peccator impudens, ut: « Canis revertitur a. v. » — Pœnitentes, ut: « Melior est c. v. l. m. » — Infirmus, ut: « Numquid canis ego, quod tu venis ad me cum baculo [1]? » — Vilissimus, ut: « Quem persequeris, rex Israel? canem mortuum [2]». — Apostoli, ut: « Lingua c. t. e. i. » — Gentes, ut: « Non licet sumere panem, et mittere canibus. » — Judæi, ut: « Circumdederunt me canes multi. » — Reprehensores, ut: « Nolite dare sanctum canibus. » — Detractores, ut: « Videte canes, etc. » — Prædicatores, ut: « Canes lingebant ulcera ejus. » — Mali prædicatores, ut: « Canes muti, non valentes latrare. »

PETRUS CANTOR. In cane commendatur latratus utilis, lingua medicinalis, sagacitas mirabilis, quia solo tactu aeris longe positas sentit venationes; fidelitas commendabilis, quia dominum suum per invia et pervia sequitur et obsequitur usque ad mortem. Hæc omnia fuisse in patre Augustino, qui libros ejus diligenter inspexerit, indubitanter agnoscet; quia quasi latrans contra hæreticos et falsos fratres disputavit, quasi medicanter verba vitæ æternæ habuit, quod est salubre antidotum contra molestias sæculi et animi languores.

Canes dicuntur immundi, sive peccatores; unde: « Canis r. a. v. » — Persequutores; unde: « Circumdederunt m. c. m. » — Pigri, unde Isaias: « Canes muti n. v. l. » — Boni prædicatores, unde: « Lingua canum, etc. » — Et propter rabidam famem dicuntur canes; unde: « Et famem patientur ut canes, et circuibunt civitatem in mortalitate [3]. » — Judæi, propter indiscretionem latratus; unde: « Circumdederunt me c. m. » — Gentiles, propter immunditiam; unde: « Non est bonum, etc. »

Canis cæcus nascitur, dominum agnoscit, dentes habet corrosivos, sanguinem lingit, ad vomitum redit. Juxta has quinque proprietates comparantur mali canibus de quibus dicitur: « Væ vobis, canes muti, » pigri, somnolenti, « non valentes latrare! » Sed juxta alias prædictas proprietates, scilicet, quia canis latrat, lingua vulneribus medetur, dominum longe positum sagacitate sua odoratur, boni prælati comparantur canibus.

PETRUS CAPUANUS

Cani.

In malo.	*In bono.*
Occidens, diabolus.	Tergens, bonus prædicator.
Persequens, persequutores.	Pœnitens, peccata lugens.
Mordens, hæreticus.	Vilescens, gentilis.
Lingens, mutus prædicator.	

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Canes.

Judæi.	Contemtibiles.
Gentiles.	Peccatores.
Prædicatores.	

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Tobiam, v. 159-166.

Pergens Tobias Medorum venit ad urbem,
Et catulus sequitur ejus euntis iter:
Ut salvent gentes, Christo veniente, sequuntur
Doctores ejus verba, docendo fidem.
Lectio sacra canes doctores nominat: illi
Latrant, perimunt; hi sacra verba serunt.
Hi latrando gregem servant a dente lupino;
Hi servant animas hostis ab ore mali.

II. *Ibid.*, v. 391-403.

Præcurrit catulus, domini quasi nescius, astans
Ante fores, cauda gaudia lætus agit.
In cane signatur doctor: canis ulcera lingit,
Linguaque doctoris est medicina reis.
Cauda boni signat operis finem, vel honorem
Summæ mercedis quæ sine fine manet.
Blanditiis caudæ gaudebat, quum dominorum
Vicinus domui se videt esse canis:
Sic et doctor ovat, operum de fine suorum,
Quum Judæorum cernit adesse fidem.
Gaudet idem doctor, quum cernere credit Hebræos
Vitam, quam verbis fine carere docet.
Post canis adventum, qui tamquam nuntius exstat
Tobiæ, surgit cæcus, abire parat.
Corpore cepit iter pater, offendens pede, donec
Uni de pueris porrigit ille manum.
Gaudet hebræa tribus, doctoris ab ore salutis
Verba sequendo, fide surgit, amatque Deum.
It prius, offenso pede, factis cæca malignis,
Donec lux fidei plena refulsit ei.

(1) *Baculo.* I Reg. XVII, 43. — (2) *Mortuum.* I Reg. XXIV, 15. — (3) *Mortalitate.* Ps. LVIII, 15.

LX.

1. Venatores, apostoli et cæteri prædicatores : « Mittam eis venatores, et venabuntur[1] eos de omni monte[2]. »

2. Dæmones[3] : « Venantes ceperunt me, quasi avem, inimici mei gratis[4]. »

÷ 3. Venator, Christus. In Isaia, secundum LXX : « Ecce quemadmodum leo, aut catulus leonis, in venatione quam capit, ita veniet[5]. »

÷ 4. Diabolus, in cujus figuram Nembrod, ille gigas venator coram Domino[6].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Cantor. Venatio alia est licita ut causa necessitatis, ad victum vel vestitum : alia illicita, ut causa voluptatis, in quolibet. — Ut causa personæ, in clerico; unde ex concilio Agathensi, de venatione : Episcopis, presbyteris, diaconibus, canes habere non liceat ad venandum, aut accipitres[7], etc.—Ut causa temporis, in Quadragesima. — Ut causa inhumanitatis, in arenaria : inhumanum enim est homines cum dentatis bestiis in arena pugnare, quod non solum exercere, sed et aspicere, et hoc merito dicitur ars nequissima[8].

Venatores dicuntur diabolus et dæmones, propter instrumenta venatorum quibus utuntur. Habent enim laqueos; unde : « Cogitaverunt, et absconderunt laqueos. Et dixerunt : Quis videbit eos[9]? » Habent foveam; unde : « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam[10]. » Habent sagittas; unde : « Paraverunt sagittas suas in pharetra[11]. » Venator fere semper in malo accipitur in Scriptura sacra, sicut piscator in bono[12]; tamen aliquid invenitur, ut in Jeremia : « Ecce enim venatores mittam, » id est prædicatores, apostolos, qui non a sua venatorum proprietate dicti sunt, sed ut notetur feritas eorum ad quos mittebantur.

Petrus Capuanus ad litt. XX, art. 130.

Venatores

Aureis litteris.	*Tetris litteris.*
Apostoli.	Tyranni.
Prædicatores.	Amatores sæculi.
	Dæmones.

Dicuntur autem dæmones venatores, quia et in terra etiam usum habent venatorum. Habent enim retia fraudulentiæ et insidiarum ad capiendos fideles. Jeremias : « Expandit rete pedibus meis[13]. » Sed hoc rete, sicut dicitur in Sapientia, « frustra jacitur ante oculos pennatorum[14]. » Propter quod et Paulus ait : « Non enim ignoramus astutias ejus[15]. » Habent funes. Psalmus : « Funes peccatorum circumplexi sunt me[16]. » Habent laqueos. Psalmus : « Laqueus contritus est, et nos liberati sumus[17]. » Habent cornua superbiæ vel malitiæ. Psalmus : « Nolite extollere in altum cornu vestrum[18]. » Habent arcum doli et mendaciorum. Psalmus : « Arcum conteret, et confringet arma[19]. » Habent sagittas tentationis. Psalmus : « A

(1) *Venabunt* B-D. — (2) *Monte*. Jerem. XVI, 16. — (3) *Vel homines pravi* B-G. — (4) *Gratis*. Thren. III, 52. — (5) *Veniet*. Is. XXXI, 4. Juxta veterem interpret. — (6) *Domino*. Genes. X, 9. — (7) *Accipitres*. c. 55. Mansi *Concil*. VIII, col. 334. — (8) *Nequissima*. Addunt nonnulli codd. *Ut D.* LXXXVI *Od.* quæ referri ad *corpus canonicum* videntur. — (9) *Eos*. Ps. LXIII, 6. — (10) *Eam*. Ps. LVI 7. — (11) *Pharetra*. Ps. X, 3. — (12) *In bono*. Quæ sequuntur, in codice Solesmensi desiderantur : addita putem ex novis auctoris aut ejus discipulorum curis aut cujusdam scriptoris diligentia. Ita se habent omnia Cantoris scripta, referta multis varietatibus. — (13) *Meis*. Thren. I, 13. — (14) *Pennatorum*. Prov. I, 17. — (15) *Ejus*. II Cor. II, 11. — (16) *Me*. Ps. CXVIII, 61. — (17) *Sumus*. Ps. CXXII, 7. — (18) *Vestrum*. Ps. LXXIV, 6. —(19) *Arma*. Ps. XLV, 10.

sagitta volante in die [1]. » Habent equos superbiæ. Psalmus : « Fallax equus ad salutem [2]. » Habent canes, scilicet persequutores. Psalmus : « Circumdederent me canes multi [3]. » Usum et venatorum habent; parant enim foveas. Psalmus : « Paraverunt ante faciem meam foveam. » Parant insidias. Psalmus : « Insidiatur, ut rapiat pauperem. [4] »

Dicuntur etiam venatores propter violentiam. Epistola canonica : « Adversarius vester circuit tamquam leo rugiens [5]. » Est enim diabolus leo et draco. — Propter sanguinis, id est peccati, effusionem. Evangelium : « Homicida fuit ab initio [6]. » — Propter consuetudinem mentiendi. Evangelium : « Ab initio mendax est et pater ejus. »

Anonymus Trecensis. 1. Notandum quod diabolus homines capit, sicut venator cervos. Venator enim volens capere cervos, facit sibilos similes filiis cervorum. At vero cervi non experti insidias venatorum, credentes quod sint filii, veniunt ad illos sibilos, et capiuntur, et occiduntur. Sed qui experti sunt, non veniunt, sed ad occulta nemorum fugiunt, et abscondunt se, ne audiant, et sic evadunt manus illorum. Sic diabolus procurat sibilos chorearum, ut incautos homines et lascivos capiat et spiritualiter occidat. Sed cauti, insidias diaboli experti, fugiunt, et abscondunt se, ne audiant, et sic evadunt mortem spiritualem.

2. Humilitas Christi fuit nobis necessaria. Notandum : venator volens feras capere, induit se similibus vestibus arborum, inter quas feræ habitant, sicut veste viridi, vel aliis foliis arborum, ut ex ista similitudine feræ attrahantur et non fugiant. Sic Dei Filius, volens peccatores silvestres Deo capere et ad se trahere, voluit nostræ humanitatis vestibus indui, ut ex similitudine nos attraheret. Ita dicit Apostolus : « Habitu inventus ut homo [7]. »

Anonymus Clarevallensis.

Sicut venator, sic hostis quinque requirit :
Retia cum telis, laqueos, foveasque, canesque.

Venator, prædicatores hæretici, ut : « Inveni morte amariorem mulierem quam laqueos venatoris [8]. » — Carnales homines, ut : « Venatio leonis, onager in eremo [9]. » — Dæmones, ut : « Liberavit me de laqueo venantium. » — Sancti viri, ut : « Factus Esau vir gnarus venandi et homo agricola [10]. »

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciarum, lib. I, v. 342-349.

Quum capiat volucres auceps malus, haud tamen illos
Rete capit, mente qui super astra volant.
Dogmata falsa vel illecebras hoc rete figurat,
Quæ stultos homines illaqueare solent.
Sed mens, corde Dei retinens et fratris amorem,
Evadet laqueos, quam auferet ala duplex.
Felix auratæ quem ponit penna columbæ,
Hos inter flores, et geminatus amor.

LXI.

÷ 1. Lamia, diabolus vel dæmones. In Jeremia : « Sed et lamia nudavit mamillam, et lactavit catulos [11]. »

÷ 2. Hæretici, vel quilibet hypocritæ. In Isaia : « Ibi cubabit lamia, et invenient sibi requiem [12]. »

LXII.

Pilosi, dæmones. In Isaia : « Et pilosi saltabunt ibi [13]. »

(1) *Die.* Ps. xc, 6. — (2) *Salutem.* Ps. xxxii, 17. — (3) *Multi.* Ps. xxi, 17. — (4) *Pauperem.* Ps. x, 9. — (5) *Rugiens.* I Petr. v, 8. — (6) *Initio.* Joan. viii, 44. — (7) *Homo.* Phil. ii, 7. — (8) *Venatoris.* Eccle. vii, 27. — (9) *Eremo.* Eccli. xiii, 23. — (10) *Agricola.* Gen. xxv, 27. — (11) *Catulos.* Thren. iv, 3. — (12) *Requiem.* Is. xxxiv, 14. — (13) *Saltabunt ibi.* Is. xiii, 28.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

M. Gregorius. Lamiæ, hæretici, vel pseudoprædicatores, humanam quidem faciem, sed belluina corda gerentes; unde : « Lamiæ nudaverunt, etc. » Tunc hæretici catulos lactant, quum male sequaces parvulorum animas in impietate sua nutriendo confirmant.

Rabanus. Lamia, simulatio, ut : « Ibi cubabit lamia. » — Pilosus, spiritus immundus, ut : « Pilosi saltabunt ibi. » — Superfluitati studens, ut : « Esau pilosus, et ego lenis [1]. » — Vilis et humilis, ut « Elias vir pilosus, » et Joannes.

Anonymus Dominicanus, *ibid.* art. xxxii, 1. Lamia est animal magnum et crudele; nocte silvis exit, et hortos intrat, arborumque ramos dissipat; et hoc per brachia fortia et ad omnem actum habilia; quumque venerunt homines ad prohibendum, pugnat cum eis, et mordet eos : sic mali, in malitia crudeles, bonorum dissipatores, quum reprehenduntur, pugnant contentionibus, mordent injuriis.

2. Dicit Aristoteles, quod morsu lamiæ vulneratus, non sanatur, donec rugientis bestiæ vocem audierit : sic, nisi Christi in cruce rugientis vocem audieris, ejus complendo mandata, a morsu diaboli non curaberis.

3. Lamia est crudelissima; tamen felibus teneris lac præbet : sic christianus lamia crudelior est, quia paululum consolationis vel dulcedinis proximo non impendit; unde Jeremias : « Lamiæ n. m. »

4. Lamia adeo crudelis est, quod nulli parcit : sic nec tyranni. Pilosus, ut dicit Glossa super Isaiam, animal est quod figuram hominis habet superius, sed inferius in pedes bestiæ desinit. Sic multi similitudinem hominis, quantum ad usum rationis, videntur habere; quantum ad pedes sui regiminis vel affectionum suarum, brutales sunt. Vel sic : aliqui superius, id est in vitæ suæ principio, homines fuerunt, recto judicio rationis utentes; in fine tamen vitæ desipientes, brutaliter vivunt.

Anonymus Clarevallensis. Lamia a laniando dicta, eo quod laniat catulos suos. Lamia, bestia crudelis, et quæ aliis bestiis crudelior, sævit in catulos suos, pedes habet equinos, cætera feminea sunt. Quidam Judæorum putant ea esse de Furiis inferni, id est de Parcis, eo quod minime parcant.

Lamia, diabolus, vel hypocrita, vel prudentia carnis, ut : « Sed et lamiæ, etc. »

Pilosi, facie admodum grata, et gesticulosis motibus inquieti. Sunt homines aduncis naribus, in frontibus cornua habentes, et caprarum pedibus pedes similes : hos nonnulli Faunos ficarios vocant [2].

Pilosi.

Spiritus immundi.	Superfluitati studens.
Humilis et vilis.	

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. i, v. 508-519.

At supplantator Jacob ore vocatur hebræo :
Simpliciter vixit, nec se mundo duplicavit.
Hunc afferre duos ad se mater jubet hædos.
Illius atque manus texit de pellibus horum.
Nam conceptus homo Christus de Pneumate sancto,
Sancta Rebecca suo quod de vocitamine signat,
Indutus vestes Esau valde pretiosas,
Hoc est, exponens legem simul atque prophetas,
In se Judæos et gentes credere fecit.
Obvolvitque manus hircinis pellibus ipse,
In cruce languores nostros portando super se :
Christus enim patitur pro peccatis alienis.

LXIII.

Mustela, furti figura. In Levitico [3]. »

(1) *Lenis.* Genes. xxvii, 11. — (2) *Vocant.* Cf. Isid. *Etym.* xi, c. 3, n. 21, 22. — (3) *Levitico.* xi, 29.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus* et *armen.*, c. 23.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum* B, c. 16. — Apud *Petrum Damiani*, c. 17. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. II, c. 25.—Apud *Vincentium Bellovac.* XIX, 133.

RABANUS. Mustela, vita pravorum : « Mustelam non comedetis. »

ANONYMUS DOMINICANUS, in *Compendio morali per Brocardos; de Quadrupedibus minutis*, art. IV. 3. Mustela, ut dicit Clemens papa, ore concipit et ore parit; quod tamen Isidorus negat. Ore concipiunt illi qui propter ventreas vel gulositates illecti, faciunt vel facere intendunt pro aliquo vel contra aliquem quod antea non fecissent; quare et ore pariunt, malos conceptus evomendo. Sed non dubito quin perierint in finali judicio : nam quod injuste evomuerint, cum igne ardente, in os eorum retrudetur; de quibus Apocalypsis : « Quia nec frigidus, nec calidus, evomam te de ore meo [1]. » Projicientur enim a facie Domini, dicentis : « Ite, maledicti, etc. »

4. Mustela super omnem medicorum artem perita esse dicitur, quia si fetus suos mortuos invenerit, et a serpente vel alio hujusmodi interemtos, per herbam naturaliter cognitam, eos vivificat, aut redivivos facit. Spiritualiter : fetus nostri, opera nostra, quos diabolus nititur per peccatum interimere. Apocalypsis : « Draco stetit contra mulierem [2], etc. » Herba, naturaliter cognita, Christus est, quæ herba collecta est in Virgine, de qua dicitur : « Hortus conclusus, etc. » Fetus ergo, id est opera nostra, si mortificata fuerint per peccatum, eamus ad herbam Christum, coram illo corda nostra effundendo in sancta confessione, ipsumque in animo contrito et humilitatis spiritu deprecando, et sic vivificabuntur, id est, vitam æternam merebuntur.

6. Mustela serpentes persequitur, adeo ut basiliscum interimat; sed, eo interfecto, commoritur : ipsam siquidem intrantem cavernam basilisci, fugit basiliscus; sed insequens occidit eum. Sic Christus basiliscum, id est mortem nostram, moriendo destruxit; quia diabolum usque ad inferna insequens, contrivit eum. Hoc dici potest de sanctis martyribus.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Mustela, hypocrita, vel hæreticus, ut : « Mustela et mus et crocodilus. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 163-169.

Lex vetuit vesci mustelis atque lacertis,
Passeribus, milvis et oloribus, atque camelis,
Murenis, suibus, corvis quoque, vulturibusque.
Christus enim tales sibi non incorporat umquam :
Scilicet instabiles [3], seu fures [4], sive rapaces [5],
Immundos [6], tumidos [7], discordes [8] ac lutulentos [9],
Lascivos [10], lubricos [11], cultores ventris [12] ineptos.

LXIV.

TALPA, hæretici [13], sive dæmones, vel idola [14].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Hugon. S. V.*, lib. III, c. 26.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, col. 753 C.

(1) *Meo.* Apoc. III, 16. — (2) *Mulierem.* Apoc. XII, 4. — (3) *Instabiles.* Supra, inter lineas, *Lacertos.* — (4) *Fures.* Ibid. *Mustelas.* — (5) *Rapaces.* Ibid. *Milvos.* — (6) *Immundos.* Ibid. *Corvos.* — (7) *Tumidos.* Ibid. *Cycnos.* — (8) *Discordes.* Ibid. *Camelos.* — (9) *Lutulentos.* Ibid. *Sues.* — (10) *Lascivos.* Ibid. *Passeres.* — (11) *Lubricos. Ibid. Murenas.* — (12) *Ventris.* Ibid. *Vultures.* — (13) *Hæretici, ob ingenii tarditatem et cordis cæcitatem* B-G. — (14) *Idola.* Cf. Lev. XI, 30; Is. II, 20, ut infra.

Petrus Capuanus, ad litt. xix, art. 116. Talpæ ad litteram animalia sunt quæ semper sub terra versantur. Dicuntur autem talpæ falsa dogmata hæreticorum. Isaias : « In die illa projiciet homo idola argenti sui, et simulacra auri sui quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas et vespertiliones, et ingredietur scissuras petrarum, et in cavernis saxorum, a facie fortitudinis Domini [1]. » Sicut enim talpæ et vespertiliones lucem fugiunt, cæci autem sunt : sic omnia dogmata contraria veritati etiam cæca sunt. Evangelium : « Sinite illos : cæci sunt et duces cæcorum [2]. » Habent quidem talpæ et vespertiliones oculos, sed non vident lucem : sic et hæretici oculos quidem rationis habent, lucem autem veritatis non attendunt. Evangelium : « Abiens fodit illum in terra [3] ; » et cætera, de quorum intelligentia ait Paulus : « Terrena, carnalis, diabolica [4]. » Et sicut talpæ terram semper inhabitant, et terram etiam, ut dicunt, comedunt : sic et hæretici terrenum sensum sequuntur, et in eo delectantur, et eo pascuntur. Sed quum homo talis projecit hæc idola et falsa dogmata, ut in superiori prophetia dictum est, ingreditur, non jam in terram carnalis intelligentiæ, sed in scissuras petrarum et cavernas saxorum, id est in veram et firmam doctrinam, ubi jam firma ratione versetur, et inveniat sibi diversa virtutum foramina, quibus ad veritatem pervenitur, audiendo mandatum Petri in epistola canonica : « Parati reddere rationem omni poscenti, de ea quæ in nobis est fide et spe [5]. »

Quandoque per talpam intelliguntur amatores terrenorum. Leviticus : « Hæc quoque inter polluta reputabantur [6], etc. » Non enim damnat Moyses horum animalium naturam. Sed quæ per hæc significantur, nobis omni modo prohibentur, quibus datum est cœlum respicere, rectos incedere, non curvos ; per quod mulier illa quamdiu fuerat curvata, nec omnino poterat sursum aspicere, a Domino erecta est.

Anonymus Clarevallensis. Talpa, cupidus, avarus, terram fodiens, ut : « Adoret talpas [7] et vespertiliones. »

Hermannus Werdinensis, lib. i, v. 622.

Fossor, ut eripiat tectum sub montibus aurum,
Quidquid obesse potest, ejicit omne foras.
Projice sic sæculi sordes, ut fulgeat in te
Aurum virtutis, sic placeasque Deo.

LXV.

÷ Aranea, humana fragilitas. In psalmo : « Tabescere fecisti velut araneam animam ejus [8]. » In Isaia : « Telas [9] araneæ texuerunt. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Chrysostomum* b, 39.

Eucherius, ed. i, p. 16 ; ed. ii, col. 754 a.

Petrus Capuanus ad lit. i, art. 25. Aranea dicitur justus, qui ait in psalmo : « Tabescere fecisti, etc. » In aranea autem ad litteram sex principaliter attenduntur : Aranea enim corpus habet tenue, et tibias longas ; in altis versatur ; fila subtilia facit ; ex quibus etiam telam texit ; ipsa tela muscæ capiuntur, et tamen cito rumpitur ; corpus quoque araneæ cito tabescit. Hæc autem bene competunt justo. Aranea corpus habet tenue : et justus per abstinentiam attenuat carnem suam. Paulus : « Castigo corpus meum [10]. » Tibias habet longas, quia justus brachia dilectionis et operum extendit etiam usque ad inimicos. Psalmus : « Latum mandatum tuum nimis [11]. » Aranea in altis versatur, sicut et sancti. Evangelium :

(1) *Domini*. Is. ii, 20. — (2) *Cæcorum*. Matt. xv, 14. — (3) *Terra*. Matt. xxv, 18. — (4) *Diabolica*. Jacob. iii, 15. — (5) *Spe*. I Petr. iii, 15. — (6) *Reputabantur*. Levit. xi, 30. — (7) *Talpas*. Is. ii, 20. — (8) *Ejus*. Ps. xxxviii, 12. — (9) *Telas*. Is. lix, 5. — (10) *Meum*. I Cor. ix, 27. — (11) *Nimis*. Ps. cxviii, 96.

« Qui supra tectum est, non descendat[1]. » Aranea e filis subtilibus quæ facit, telam texit : et justus, ex filis bonorum operum, de quibus in Proverbiis : « Quæsivit lanam 5 et linum, et operata est[2]. » Isaias : « Præcisa est velut a texente vita mea[3]. » Hac tela capiuntur muscæ : et illæ de quibus Sapientia : « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti[4]; » quia conversatione 10 bona circumvolantes cogitationes præpediuntur, ne noceant nobis, eo quod « frustra jacitur rete ante oculos pennatorum[5]. » Tela etiam araneæ cito rumpitur : et conversatio viri justi cito transit. Sic tela et 15 conversatio Abel cito rupta est, quando Cain frater suus consurrexit adversus eum, et interfecit ipsum. Ipsum etiam corpus araneæ cito tabescit, et caro nostra cito marcescit. Ipse etiam justus intus timore 20 divino tabescit. Habacuc : « Consideravi opera tua, et expavi[6]. »

Aranea etiam dicitur malus. Job : « Sicut aranearum telæ, fiducia hypocritæ[7], » et hoc, propter dolositatem. Isaias : « Inveni sunt in populo meo viri tendentes pedicas[8]. » Propter fatuitatem, quia aranea se ipsam eviscerat, ut telam faciat. Sic malus sibi prius rapuit innocentiam, quam alii pecuniam. Psalmus : « Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum[9]. » Et propter vanitatem. Isaias : « Telas araneæ texuerunt, telæ eorum non erunt eis in vestimentum, neque eis operientur. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Aranea.

Vanitas vitæ.	Anima afflicta.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hort. deliciar., lib. II, v. 2648-2657.

Ut capiat muscas, suspendit aranea telas,
Et quos non poterat vi, rapit arte, cibos.
Præparat in corde vir iniquus retia fraudis,
Ut capiat justos fraude doloque viros...
Qui mel in ore gerit, et retro pungere quærit,
Hujus amicitiam nolo mihi sociari.
Hæc inter flores regis sunt alba ligustra,
Quæ suffocando lilia pulchra ligant.

LXVI.

25 ÷ REPTILIA, terrenæ cogitationes : « Et ingressus, vidi : et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio[10]. »

LXVII.

1. RANÆ, dæmones : « Vidi de ore draconis spiritus tres immundos in modum ranarum[11]. »

÷ 2. Hæretici, qui in cœno vilissimorum sensuum commorantes, vana garruli- 30 tate latrare non desinunt. In Exodo[12].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus*, c. 38.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, 753 D ad LXVII, 1.

GREGORIUS M. Reptilia, terrenæ cogitationes [*ut supra*]. Hæc reptilia sunt intra parietem, quando vertuntur cogitationes intra mentem.

(1) *Descendat.* Matt. XXIV, 17. — (2) *Est.* Prov. XXXI, 13. — (3) *Mea.* Is. XXXVIII, 1. — (4) *Unguenti.* Eccle. X, 1. — (5) *Pennatorum.* Prov. I, 17. — (6) *Expavi.* Hab. III, 2. — (7) *Hypocritæ.* Job VIII, 14. — (8) *Pedicas.* Jerem. V, 26. — (9) *Eorum.* Ps. LIII, 8. — (10) *Abominatio.* Ezech. VIII, 10. — (11) *Ranarum.* Apoc. XXVI, 13. B G *Sunt autem spiritus dæmoniorum.* — (12) *Exodo.* VIII, 2 sqq.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 33, p. 160.

Rabanus. Ranæ, hæretici : « Dedit terram eorum ranas [1]. »

5 Petrus Capuanus ad litt. XVII, art. 37. Reptilia mala sunt cogitationes venenosæ, et sensus in malum proni ac circa terrena versantes. Leviticus : « Omne reptile immundum erit [2]. » — Reptilia pejora sunt 10 luxuriosi et gulosi. Leviticus : « Reptile non tanges [3]. » — Reptilia pessima sunt spiritus immundi et eorum suggestiones. Psalmus : « Illic reptilia, quorum non est numerus [4]. »

Prima reptilia versantur circa terram istam visibilem, quia omnis eorum cogitatio in terrenis versatur. Secunda cœno voluptatis, gulæ atque luxuriæ se involvunt. Tertia versantur in hoc aere caliginoso 20 atque obscuro.

Ranæ autem quandoque dicuntur dæmones et eorum suggestiones. Apocalypsis : « Vidi de ore, etc. » Sunt enim spiritus dæmonum facientes signa, et propter hanc vi-25 sionem consueverunt homines depingi in modum ranarum. Hæ ranæ ex se venenum deceptionis effundunt. Paulus : « Timeo ne sicut serpens seduxit Evam, ita etiam corrumpantur sensus vestri [5]. » — Ranæ etiam 30 dicuntur garruli poetæ, vel oblatrantes hæretici. Psalmus : « Misit ranam, et exterminavit eos [6]. » Hæ autem ranæ garriunt, sed inutiliter, quia eorum doctrina non proficit, nec aliquid utilitatis affert. Aures 35 tamen onerant, sed [mentem] non reficiunt. Evangelium : « Cupiebat ventrem suum saturare de siliquis quas porci manducabant [7]. »

Alanus. Rana proprie dicitur quidam vermis garrulus habitans in aquis. — Phi-40 losophus ranæ comparabilis, propter inundantiam sermonis; unde in psalmo : « Et dedit t. e. r., » quia philosophi et hæretici circa terrena versantur. — Timor mundanus, vel amor terrenus; unde dicitur quod rana in os canis projecta reddit canem mutum, quia frequenter prælatus a correctione vel a sententiæ ecclesiasticæ latione cessat, tactus timore mundano vel amore terreno.

Distinctionum monasticar. lib. IV, *de Rana*. Rana significat adulatores, vel adulationes. Rana enim, licet vile sit animal, vocale tamen est, et multos, maxime autem delectat curiosos. De significatis per ranas dicit Psalmista, nisi fallor, mystice, licet de ranis materialibus historice : « Dedit terram e. r. in penetralibus regum ipsorum. » In penetralibus enim regum sunt ranæ, quia familiarissimi principum et prælatorum sunt adulatores, loquentes eis placentia, et videntes eis vana. Unde quidam ait :

> Hodie summus processus in aula
> Pestis adulandi.

Et alibi :

> Quid Romæ faciam? mentiri nescio [8].

Potentum gratiam dat adulatio. Non sunt isti Ulixi similes,

> Qui cantus sirenum surda pertransiit aure.

Si enim cives Jerusalem essent, sine dubio peregrini Babylonis, id est totam spem in bonis futuræ vitæ habentes, quod nomen Ulyxis videtur innuere. Ulyxes enim interpretatur peregrinus [9]. Verus enim sapiens peregrinus est omnibus civibus Babyloniæ. Audi vocem cujusdam sapientis in psalmo : « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ [10]. »

Ranæ significant gentiles philosophos et hæreticos; unde sanctus Augustinus dicit in sermone *de decem Chordis* [11] : Philosophi et hæretici, quia falsa et inutilia proferunt, quasi ranæ sunt in paludes lutosas; per superbiam enim et inanem contentionem, strepitum habere possunt, doctrinam sa-

(1) *Ranas*. Ps. CIV, 30. — (2) *Erit*. Levit. V, 2. — (3) *Tanges*. Ib. XI, 14. — (4) *Numerus*. Ps. CIII, 25. — (5) *Vestri*. I Cor. XI, 3. — (6) *Eos*. Ps. LXXVII, 15. — (7) *Manducabant*. Luc. XV, 16. — (8) *Nescio*. Crambe male recocta. Eadem enim effutivit idem in t. II, p. 516, quæ nemo non videt erui e garrulo isto et male feriato poetarum grege, cujus Gualterus Maph antesignanus erat, hostis in clerum omnem infensissimus et ridiculus. — (9) *Peregrinus*. Alludit ad græcum 'Οδυσσεύς, male deductum ἀπὸ τῆς ὁδοῦ. — (10) *Meæ*. Ps. LXVIII, 9. — (11) *Chordis*. *T. V. Opp. in Append. Serm.* XXI, n. 3, *de decem Plagis*.

pientiæ insinuare non possunt. Qui enim christianæ veritati contradicunt, et in vanitate decepti, alios decipiunt, ranæ sunt tædium afferentes auribus, non cibum mentibus.

Ranæ etiam dicuntur sophistæ et falsi dialectici, qui loquacitati student ob laudem humanam et inanem gloriam. Unde magister Serlo, scholas vanitatis relicturus, ait [1] :

Linquo coax ranis, cra corvis, vanaque vanis;
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

Anonymus Clarevallensis. Reptilia, spiritus immundi, ut : « Illic reptilia quorum non est numerus. » — Cogitatio terrena, ut : « Omnis similitudo reptilium. »

Rana. { Hæreticorum garrulitas. Dæmones. Cupiditas, vel luxuria. }

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. II, v. 1072-1079.

Deficiet corvus citharizans cum Philomena,
Sic qui doctorem vult superare suum.
Stultus et irrisor quod non est se putat esse,
Vendicat hic sine re nomen inane sibi.
Sic, in monte sedens, jactas te scire medelam,
Et sanare feras, pallida rana tumens.
Hinc humiles parvosque vocat sapientia : namque
Hic stultus non est erudiendus homo.

LXVIII.

Formica, providus operarius : « Vade ad formicam, o piger [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *græcus*, c. 14. — Apud *Epiphanium*, p. 212.

Physiologus *armenus*, c. 14.

Physiologus apud *Chrysostomum*, A, 17; B, 29. — Apud *Isidorum*, c. 10. — Apud *Theobaldum* et *Hildebertum*, 14. — Apud *Ansileubum*, f. 14, 3. — Apud *Petrum Damiani*, c. 23. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. II, c. 29. — Apud *Vincentium Bellovac.*, XIX, 134.

Eucherius, ed. I, p. 16; ed. II, col. 753 D.

Anonymus Clarevallensis. Formica dicta eo quod *ferat micas* farris [3], cujus solertia multa. Providet enim in futurum, et præparat æstate quod hieme comedat : in messe autem elegit triticum, hordeum non tangit. Dum pluit ei super frumentum, totum ejicit. Dicuntur [4] in Æthiopia esse formicæ ad canis formam, quæ arenas aureas pedibus eruunt, quas custodiunt, ne quis auferat, captantesque ad necem persequuntur.

Formica, vir prudens, ut : « Vade ad formicam, etc. »

Hermannus Werdinensis.

I. *Hortus deliciar.*, lib. II, v. 470-487.

Provida, nec ratione vigens, animalque pusillum,
Sit formica tibi pulchra figura, piger;
Quæ sine consilio, sine jussu, tempore veris,
Congregat, ut comedat, quum riget aura gravis.
Sic homo qui ratione viget, sic congregat actu,
Ut de cœlesti pascua messe metat.
Hic sapiens Salomon hortatur quemque vacantem,
Ut mihi si nequeat, provideat sibimet.
Hoc præsens tempus pulcherrima dicitur æstas,
Sic et hiems, quod sit illa tremenda dies.
Nam quales fructus habeant tunc horrea mentis,
Hic modo collectos, illa videbit hiems.

(1) *Ait.* Ecce iterum recocta crambe, uti videre est l. II, p. 499. — (2) *Piger.* Prov. VI, 6. — (3) *Farris.* Ita Isidorus ex Servio in *Æneid.* IV. — (4) *Dicuntur.* Ex eodem, post Solinum c. 43.

LXIX.

1. Vermis, Christus[1] : « Ego autem sum vermis, et non homo[2]. »

2. Cupiditas, vel conscientia peccati[3] : « Et vermis eorum non moritur[4]. »

∸ 3. Caro : « Dulcedo illius, vermis[5]. »

∸ 4. Progenies hominis : « Ecce luna non splendet, et stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus : quanto magis homo, putredo ; et filius hominis, vermis[6] ? »

∸ 5. Cogitationes inquietæ : « Putredini dixi : pater meus es ; mater mea et soror mea, vermibus[7]. »

∸ 6. Carnales curæ : « Simul in pulvere dormient, et vermes operient eos[8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus apud *Hugon. S. V.*, lib. III, c. 54.

Eucherius, ed. I, p. 16; ed. II, col. 754 A ad 1, 2.

Gregorius M. Vermium nomine cogitationes inquietæ designantur, sicut per beatum Job dicitur : « Pater meus es, etc. » Mater et soror vermes sunt, quia, ex natura corruptibili et consuetudine, perversa cogitamus, ut quasi quibusdam vermibus, sic inquietis cogitationibus in mente fatigemur. — Vermes, carnales ; unde Job : « In pulvere dormient, etc. » In pulvere enim dormire, est in terrenis desideriis oculos claudere mentis. Vermes vero, qui de carne nascuntur, eos similiter operiunt, quia sive divitis, sive pauperis superbientis animum curæ carnales premunt. — Vermis nomine hominis progenies designatur; sic per Baldad dicitur : « Filius hominis vermis. » Recte vermis dicitur, quia jam ex mortalium corporum corruptione propagatur. — Vermis, Christus, ut ibi : « Ego sum v. e. n. h. » — Caro, sicut de luxurioso per beatum Job dicitur : « Dulcedo i. v ; » quia hic qui in desiderio carnalis corruptionis exæstuat, ad fœtorem putredinis anhelat.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 33, p. 161.

Isidorus, *Etymolog.* lib. VII, c. 2, n. 48.

Rabanus et Anonymus Clarevallens. Vermis, Christus, ut : « Ego sum v. e. n. h. » — Luxuria, ut : « Dulcedo i. v. » — Conscientia reproborum, ut : « Vermis e. n. m. » — Conceptio operis, ut : « Mater mea e. s. m. v. » — Tormenta inferni, ut : « Operimentum tuum erunt vermes[9]. »

Petrus Cantor. Vermi comparatur Christus, propter nascendi similitudinem; quia sicut vermis sine coitu nascitur, ita Christus sine virili semine. — Propter carnis fragilitatem ; unde in libro Regum : « Vermis tenerrimus, » id est David, « octoginta interfecit uno impetu[10]. » — Propter vilitatem ; unde : « Reputavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum[11]. » — Propter silentium ; unde : « Non est audita vox ejus in plateis[12]. » — Propter incedendi modum, quia sicut vermis se ore trahit, ita et Christus sua prædicatione se traxit usque ad patibulum crucis; unde : « Quia Filium Dei se nominat[13]. » Item : « Dixit enim : Filius Dei sum[14]. »

(1) *Christus, pro humilitate assumta* B, C. *Humilitate carnis assumtæ* D, E, G. — (2) *Homo*. Ps. XXI, 7. — (3) *Peccati, vel tortores inferni* A. *Vel ipse qui supernus est, Christus* B, C. *In Isaia* B-G. — (4) *Moritur*. Is. LXVI, 24. — (5) *Vermis*. Job XVII, 14. — (6) *Vermis*. Job XXV, 6. — (7) *Vermibus*. Job XVII, 14. — (8) *Eos*. Job XXI, 26. — (9) *Vermes*. Is. XIV, 11. (10) *Impetu*. II Reg. XXIII, 8. — (11) *Humiliatum*. Is. LIII, 4. — (12) *Plateis*. Matt. XII, 19. — (13) *Nominat*. Joan. XIX, 7. — (14) *Sum*. Matt. XXVII, 43.

PETRUS CAPUANUS ad litt. xx, art. 176 et 177.

Vermis

Figuræ, Christus.
Scripturæ, varietas ipsius.
Terræ, homo corruptus.
Conscientiæ, conscientia vitiis sauciata.
Luxuriæ, corrodens luxuria.
Vindictæ, cui datur caro hominis, in mortis vindicta.
Gehennæ, pœnæ gehennales.

Cur Christus comparatur vermi. Comparatur autem Christus vermi, propter nascendi similitudinem; nam, sicut vermes de terra nascuntur, sic ipse de terra virgine natus est. Isaias : « Aperiatur terra, et germinet Salvatorem [1]. » — Propter carnis fragilitatem. Regum : « Princeps inter tres ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. » — Propter vilitatem. — Propter silentium — propter incedendi modum, etc. [*ut supra in P. Cantore*]. Hic est vermis qui percussit cucurbitam vel hederam Jonæ prophetæ. Jonas : « Lætatus est super hedera [vel cucurbita] lætitia magna. Et præparavit Deus vermem, et percussit hederam, et exaruit [2]. » Hic est vermis qui clamat de ligno : « Scarabæus [3] de ligno clamavit [*vide*, t. II, p. 516, *Scarabæus*]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1001-1008.

Quod vermem manna parit, hoc est gratia magna :
Vermis enim est Christus ; manna Maria fuit.
Nec vermis coitum, nec novit Virgo maritum ;
Nec venit hic coitu, nec coit illa viro.
Plus illo de pane legens, plus non habet ille ;
Sive minus sumens, non habet inde minus.
Sic est in Christi quod sacras corpore, quantum
Hostia tota capit, pars capit una brevis.

LXX.

÷ 1. TINEA, hæretica pravitas : « Subtus te sternetur tinea [4]. Ædificavit sicut tinea domum suam [5]. »

÷ 2. Tentatio carnis : « Tinea comedet eos, quasi putredo [6]. »

÷ 3. [Vita præsens :] « Ubi fur non appropiat, neque tinea corrumpit [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Hugon. S. V.*, lib. III, 54.

GREGORIUS M. Tineæ nomine carnis tentatio designatur; sic in persona tentati hominis per beatum Job dicitur : « Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea [8]. » Bene ergo dicitur quod homo tamquam vestimentum a tinea consumitur, quia nonnumquam tentationum nostrarum vulnera non agnoscimus, nisi postquam ab eis confossi in mente fuimus.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 34, p. 165.

RABANUS. Tinea, hæreticus, ut : « Ædificavit s. t. d. i. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIX, art. 68. Tinea vermis est, qui latet subrependo, et consumit vestes. Est autem tinea invidiæ, quæ studium lacerat bonum, et unitatis

(1) *Salvatorem.* Is. XLV, 8. — (2) *Exaruit.* Jon. IV, 7. — (3) *Scarabæus.* Locus libro designando paratus, remansit vacuus, eo forte quia anceps hærebat auctor circa hunc Scripturæ locum insolentiorem, quem proin fusius duxi illustrandum in tom. II, l. l. — (4) *Tinea.* Is. XIV, 11. — (5) *Suam.* Job XXVII, 18. — (6) *Putredo.* Is. L, 9. — (7) *Corrumpit.* Luc. XII, 33. — (8) *Tinea.* Job XIII, 28.

conjunctionem et compassionem, quasi vestem, dissipat et corrodit. Evangelium : « Nolite thesaurizare, etc. » — Tinea luxuriæ dicitur ipsa luxuria. Sapientia : « De 5 vestimento procedit tinea, et a muliere iniquitas viri[1]. »—Tinea gehennæ dicitur pœna gehennalis. Isaias : « Subtus te sternetur, etc. » Tinea gehennæ, vermis scilicet conscientiæ, ex veste et congerie actuum no- 10 strorum oritur, qui actus per vestem carnis arguuntur. Hæc corrodebat linguam divitis illius qui sepultus est in inferno, unde et originem habuit : peccaverat enim et lingua, qui puniebatur in eo ; propter 15 quam pœnam vehementer dicebat : « Mitte Lazarum, ut intinguat extremum digiti sui[2], etc.» Hæc etiam latenter consumit vestimenta damnatorum; quia licet videantur consumi propter immensitatem pœnarum, 20 tamen semper durabunt ad pœnam, et ideo sine consumtione consumentur. Psalmus : « Mors depascet eos[3], » id est, iterum et iterum pascet. Sicut herba pasta semper renascitur ad pastum, sic sine consumtione consumet corpora eorum, qui quærent mortem et non invenient eam ; desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis, sicut dicitur in Apocalypsi : « Propter quod et dicturi sunt montibus : Cadite super nos ! Et rupibus : Operite nos[4]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Tinea. { Hæreticus. / Tentatio. / Tormentum inferni.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 610-617.

Thesauros mundi cupidorum cura requirit,
  Quæsitosque tenet anxietate gravi.
Sed quærat cupidus cœlestes quisque fidelis,
  Quas puri cordis area recondit, opes;
Conditus in sulcis, emtor quem providus emit,
  Hic est thesaurus, gemmaque cara nitens.
Hic est electus piscis, quem cœlicus hamus
  Attrahit, in vase perpetuoque locat.

LXXI.

÷ BEHEMOTH, diabolus : « Ecce behemoth, quem feci tecum[5]. »

LXXII.

25 LEVIATHAN[6], idem ac serpens, diabolus : « Et visitabit Dominus in gladio suo duro super leviathan serpentem[7], ÷ et occidet cetum qui est in mari[8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Serpens [leviathan], diabolus, ut ibi : « Super leviathan serpentem 30 vectem, super leviathan serpentem tortuosum. » Vectis autem dicitur, quia obstinatus; serpens, quia mollis et lubricus. Vectis, quia usque ad necem percutit; serpens, quia malitiæ venena diffundit.

35 PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. 185. *Behemoth* [*infra p.* 97].

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 9648-9679.

« Sunt tria, rex Salomon inquit, bene quæ gradiuntur;
  « Felici quartum sed pede terit iter.
« Nullius leo, rex fortissimus atque ferarum,
  « Occursum metuit, nec trepidando fugit. »
Hic est ille leo, septem signacula solvens,
  Natum de Juda quem legis esse tribu

(1) *Viri.* Eccli. XLII, 13. — (2) *Sui.* Luc. XVI, 24. — (3) *Eos.* Ps. XLVIII, 15. — (4) *Nos.* Apoc. VI, 16. — (5) *Tecum.* Job XL, 10. — (6) *Id est serpens, diabolus. In Isaia* B-G. — (7) *Serpentem ventre* B. — *Serpentem veterem* C, G. *Serpentem tortuosum* D *Serpentem ventre* [corrigitur *vecte*]. *Serpentem tortuosum* E. In apographo Grabiano aliquis eruditus, quem et Grabium esse reor, notavit : « Vulg. *vectem.* בריח. Cod. Mesm. *veterem.* » — (8) *In mari.* Is. XXVII, 1.

Istius graditur virtus secura leonis,
Quem tremit infernus, et mare, terra, polus.
« Non tremo, Christus ait, mundi si venerit ad me
Princeps, in me nil invenit esse suum [1]. »
5 Æterni gallus qui nobis mane diei
Nuntiat, est doctor dogmata sancta canens.
Succinctos gallus lumbos habet iste beatus,
Quum prohibet carnem luxuriare suam.
Dux gregis est aries; et doctorem notat illum,
10 Qui domini servat et bene pascit oves.
Nullius regis huic fortia castra resistunt,
Nulla tyrannorum dira flagella movent.
Nec prece, nec pretio, nec vi justus separatur,
Ut cadat ipsius mens ab amore Dei.
Hos Antichristus sequitur, vir perditionis :
« Hic, Salomon dixit, post tria quartus erit. »
Hic pede felici curret, tamen absque salute,
Post mortale decus mortis in antra ruens.
Hic serpens stultus nimis in sublime levatur,
Esse Deum dum se fingit, ad ima ruit.
Hunc interficiat divini spiritus oris,
Rex cœli, damnans fulminis igne sui.
Hunc si præscisset hic casum perditionis,
In cœlum nollet os posuisse suum.
O Salomon, trahe nos in florigerum paradisum,
Ne nos deceptor mortis in antra trahat.

LXXIII.

1. Serpens, Christus, propter sapientiam [2] : « Et sicut Moyses exaltavit serpen-
15 tem in deserto [3]. ÷ Estote prudentes, sicut serpentes [4]. »

2. Diabolus : « Sed et serpens callidior erat omnibus animantibus quos fecerat Dominus Deus [5]. »

÷ 3. *Serpentes*, diaboli [6], vel homines impii. In Evangelio : « Serpentes, genimina viperarum [7]. »

20 4. *Caput serpentis,* prima peccati suggestio : « Ipsa conteret caput tuum [8]. »

5. *Pectus serpentis,* venenata consilia, vel typhus superbiæ [9] : « Supra pectus gradieris. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus *græcus* et *armenus*, c. 13.
25 — Apud *Epiphan.*, p. 205.

Physiologus apud *Chrysostomum* A, 4; B, 8. — Apud *Isidorum*, c. 18. — Apud *Hildefonsum*, c. 64, 65. — Apud *Ansileubum*, fol. 194, 2. — Apud *Theobaldum* et
30 *Hildebertum*, c. 3. — Apud *Petrum Damiani*, c. 22. — Apud *Hugonem S. V.*, lib. III, c. 40. — Apud *Vincentium Bellovac.*, l. XX, c. 7, 13.

Eucherius, ed. I, p. 16; ed. II, col.
35 754 A ad 1, 2, 3.

Gregorius M. [*vide supra p.* 87]; — apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 27, p. 151.

Rabanus. Serpens, Christus, ut : « Fac tibi serpentem æneum. » — Incredulitas, ut : « Numquid pro pisce serpentem dabit ei [10] ? » — Diabolus, ut : « Serpenti pulvis ejus. » — Detractores, ut : « Acuerunt linguam suam [11], sicut serpentis. » — Peccata, ut : « Misit in eos Dominus ignitos serpentes [12]. » — Dæmones, ut : « Cum furore trahentium super terram, atque serpentium [13]. »

Petrus Cantor. Serpens dicitur diabolus, quia serpit et ligat; quia serpentinam naturam habet. Hæc est enim natura serpentium, ut hominem nudum fugiant : similiter facit diabolus. Sic ergo securius transibit nudus, quam mollibus vestitus. Non hujus mundi sarcinis involutus sis, ut serpentes impediant iter tuum : « Sicut

(1) *Suum.* Joan. XIV, 30. Plura ex his, sed non omnia exstant tom. II, p. 490. — (2) *Vel mors Christi* A. *Cujus figuram serpens ille æneus gerebat, quem Moyses in ligno suspendit; in cujus intuitu percussi a serpentibus sanabantur* B-G. — (3) *Deserto.* Joan. III, 14. — (4) *Serpentes.* Matt. X, 6. — (5) *Dominus.* Genes. III, 1. — (6) *Diabolus* B-D. — (7) *Viperarum.* Matt. XXIII, 33. — (8) *Tuum.* Genes. III, 14. — (9) *Vel intimi cordis malitia, ubi est supra* B-G. — (10) *Ei.* Luc. XI, 11. — (11) *Suam.* Ps. CXXXIX, 4. — (2) *Serpentes.* Num. XXI, 6. — (13) *Serpentium.* Deut. XXXII, 24.

Moyses, etc.» Nota est historia, qualiter filii Israel, murmurantes percussi sunt ab ignitis serpentibus in deserto. Tunc Moyses ex præcepto Domini serpentem æneum in pertica exaltavit, ad quem filii Israel respicientes, a serpentium morsibus sanabantur. Per hunc serpentem æneum in pertica exaltatum, intelligimus Christum crucifixum, quia per serpentem mors intravit in mundum; ideo per eum mors significatur. Serpens ille æneus similitudinem habuit serpentis; sed non habuit venenum : sic et Christus similitudinem habuit carnis peccati, sed non habuit venenum peccati; quia si venenum peccati haberet, veneno peccati non liberaret. Quotiens ergo a serpentibus percutimur, id est, a dæmonibus vulneramur, ad hunc serpentem respiciamus.

Petrus Capuanus ad litt. xviii, art. 90.

Serpens

Supremus.	*Infimus.*
Christus.	Mundana philosophia.
Humanitas ejus.	Venenosa persuasio.
Medius, justus.	Diabolus.

Dicitur autem hæc esse prudentia serpentis sive calliditas, ut caput servet tamquam vitam suam, et quantumcumque fuerit percussus vel vulneratus, seu et detruncatus in corpore, dummodo caput servet, evadit. Ergo et supremus serpens, id est Christus, eamdem prudentiam custodivit. Caput autem ipsius est divinitas. Paulus : « Caput mulieris, vir; caput viri, Christus; caput Christi, Deus [1]. » Hoc caput omnino servavit illæsum, quia divinitas in passione nullam potuit sustinere læsionem, licet corpus ipsius, id est humanitas, vulneratum fuerit et etiam mortuum. Hi namque sunt duo hirci in Levitico : quorum unus immolabatur, et hæc est humanitas Christi; et alter in desertum cum peccatis populi mittebatur, et hæc est hujus divinitas. Hoc etiam sunt aries in Genesi pro Isaac immolatus, id est Christi humanitas; et Isaac, qui etiam immolationem evasit, id est ejus divinitas, quæ in passione nullam sensit læsionem. Hoc ergo caput servando evasit, quia « resurgens a mortuis, jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur [2]. » — Sed medius serpens, id est justus, hanc prudentiam observat : caput autem justi est fides; quod si bene servat justus, licet alias sustineat læsiones, evadit tamen ad vitam spiritualem, ad quam vitam sine capite nequaquam sufficeret. Paulus : « Sine fide impossibile est placere Deo [3]. »

Dicitur enim alia serpentis proprietas, quod sputo vel saliva hominis jejuni perimitur et moritur. Saliva autem sapientia Dei Patris est, quia a capite saliva descendit, et ipse Filius exivit a Patre, et venit in mundum. Evangelium : « Lutum fecit ex sputo [4]. » Ergo et hac saliva, id est sapientia Dei, peremtus est antiquus ille coluber tortuosus, scilicet diabolus, et Satanas, quando « Angelus, qui habebat clavem abyssi, secundum Apocalypsin, et catenam magnam in manu sua, apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum et misit in abyssum [5]. »

Mali vero comparantur serpentibus propter quatuor : scilicet, propter astutiam. Evangelium : « Filii hujus sæculi prudentiores sunt filiis Dei in suis generationibus [6]. ». — Propter lenem incessum. Genesis : « Super pectus tuum gradieris. » — Propter veneni emissionem. Psalmus : « Venenum aspidum sub labiis eorum [7]. » — Propter virtuositatem et caudæ revolutionem. Paulus : « Sermo eorum serpit ut cancer [8]. »

Anonymus Clarevallensis.

Serpens.

Christus.	Familiarius inimicus.
Diabolus.	Perversi homines.

(1) *Deus.* I Cor. xi, 3. Cf. supra t. ii, p. 4 et 23. His incipiunt plerique codices Melitoniani. — (2) *Dominabitur.* Rom. vi, 9. — (3) *Deo.* Hebr. xi, 6. — (4) *Sputo.* Joan. ix, 6. — (5) *Abyssum.* Apoc. xx, 1. — (6) *Generationibus.* Luc. xvi, 8. — (7) *Eorum.* Ps. xiii, 3; cxxxix, 4. — (8) *Cancer.* II Tim. ii, 17.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI et ECCLESIÆ

lib. II, v. 279-293.

Ultio terribilis rursum pro murmure venit :
Flammivomus serpens discerpit mordicus artus
5 Blasphematorum, longæque viæ querulorum.
At non deleantur penitus : nam fusilis ære
Sanat eos serpens, dum respectatur ab illis.
Nequaquam, fratres, sunt frivola talia verba,
Lucida luce Dei, cœlesti mellea melle.
10 Nam qui murmuriis pecuali more remugit,
Omnia causando, semper se justificando,
Rodit eum sua mens et discerpit quasi serpens.
A tantis superesse malis forsan fuga possit,
Immutando viam, qui vult acquirere vitam,
15 Si fabricet casti sibi clavos ipse timoris.
Quis? quasi transfossus, et cum vitiis crucifixus,
Respectet, Christi meminens mortem crucifixi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Numer., v. 502-515.

Post Aaron mortem movet illic murmura, mannam
Spernit, serpentum vulnere turba perit.
Æneus in ligno stat serpens, vulnera sanat,
Quum percussus in hunc lumina fixa tenet.
Sic cruce suspensus, sanat tua vulnera Christus,
Si tua mens fidei lumine tangat eum.
Æneus in ligno serpens est in cruce Christus :
Virus non habuit iste, nec ille dolum.
Hæc duo mente vide, vires serpentis et æris :
Quod sit homo Christus, quod Deus, inde nota;
Mors in serpente, deitas signatur in ære,
Nam durare nihil longius ære solet.
A serpente datur mors; mortuus est homo Christus;
Sed deitas durat et sine morte manet.

LXXIV.

1. DRACO, diabolus : « Draco iste quem tu formasti ad illudendum ei [1]. » ÷ Et alibi : « Tu confregisti caput draconis magni [2]. »

20 2. *Dracones,* principes gentium [3] : « Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones [4]. »

÷ 3. Principes Judæorum : « Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi dracones [5]. »

÷ 4. Malitia : « Et erit cubile draconum, et pascua struthionum [6]. »

25 ### VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostom.*, B, c. 15.— Apud *Ansileubum*, fol. 95, 4.— Apud *Hugon. S. V.*, lib. III, c. 40. — Apud *Vincentium Bellovacensem*, l. XX, c. 29 et 32.

30 EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, 754 A ad 1, 2.

GREGORIUS M. Draco, Antichristus, ut ibi : « Draco misit caudam, et traxit tertiam partem stellarum in terram [7]. » Huic 35 autem draconi stellas in terram trahere, est eos qui videbantur studio vitæ cœlestis inhærere, iniquitate aperti erroris involvere. — Malitia, ut ibi de perversa mente dicitur : « Erit cubile draconum et pascua 40 struthionum; » quia ibi et latens malitia callide tegitur, et intuentium oculis simulatio bonitatis antefertur. — Antiquus hostis, ut ibi : « Vidi angelum descendentem de cœlo, et apprehendit draconem antiquum serpentem qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille [8]. » — Dracones, principes Judæorum, ut ibi : « Onagri, etc. » — Dæmones, vel vitia, ut ibi : « In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur nitor calami et junci [9]. » —Gentiles, vel aperte mali, ut ibi : « Glorificabit me, etc. »

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 27, p. 152.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Draco, diabolus, ut : « Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone [10]. »—Mun-

(1) *Ei.* Ps. CIII, 26. — (2) *Magni.* Ps. LXXIII, 14. — (3) *Dæmones, in psalmo : tu contribulasti* [*confregisti* E] *caput* [*capita* E, C] *Draconis* B-G. —(4) *Struthiones.* Is. XLIII, 20. — (5) *Dracones.* Jerem. XIV, 6. — (6) *Struthionum.* Is. XXXIV, 13. — (7) *Terram.* Apoc. XII, 4. — (8) *Mille.* Apoc. XX, 2. — (9) *Et junci.* Is. XXXV, 7. — (10) *Cum dracone.* Apocalyps. XII, 7.

dus, ut : « Draco iste, etc. » — Antichristus, ut : « Ecce draco magnus et rufus [1]. » — Spiritus maligni, ut : « Erit cubile d. » — Homines malitiosi, ut : « Frater fui draconum [2]. » — Judæi, ut : « Traxerunt sensum q. d. » — Gentiles, ut : « Glorificabit me, etc. »

Petrus Capuanus ad litt. IV, art. 39.

Draco.

Lucifer.	Principes Judæorum.
Minores dæmones.	Antichristus.

Petrus Cantor [Cf. *supra*, art. 1, 60].

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Dracone*. Draco significat diabolum, ut ibi : « Factum est in cœlo prælium, etc. » Prælium in cœlo est dissensio in Ecclesia, in quo cœlo Michael et angeli ejus pugnabant contra diabolum. Legi in quadam scriptura hæc verba : Nihil capite draconis splendidius est, sed nihil virtute veneni abundantius. Unde recte diabolus figuratur per draconem, quia quum sit plenus veneno malitiæ, transfigurat se in angelum lucis. Est autem diabolus draco et leo, sed draco occulte insidiando, leo aperte impugnando. Draco significat malitiosos. Unde beatus Job : « Frater fui draconum et socius struthionum. »

Anonymus Trecensis. 1. Absorbere nititur diabolus hominem maxime per peccatum. Draco, licet naturaliter adversetur elephanti propter ejus sanguinem, quem scit esse causam vitæ, magis tamen insidiatur ei, quando ipse bibit. Sic draco inferni diabolus, licet semper insidietur homini propter animam, quæ est causa vitæ, tunc tamen magis, quando videt quod laxatus sit per peccatum. Figura de Loth qui commisit delictum cum filiabus suis.

2. Diabolus decipit multos, promittendo longam vitam. Notandum : draco elephantem, quem non potest vincere, ejicit fraude. Extendit suam caudam in via elephantis, qua pedes ejus involvit, et sic ipsum ad terram dejicit et occidit. Sic diabolus cauda mortis, id est, confidentes in eo, quamdiu vivent, ipsos multos involvit, et dum credunt diu vivere et in fine vitæ pervenire, dum non cavent, subito cadent per mortem. Apoc. XII. « Draco trahebat cauda sua tertiam partem stellarum, » per quas intelliguntur majores qui habent alios illuminare.

Petrus de Riga [3].

Aurora, in Daniel., v. 790-801.

Sub tellure latens, draco parte jacebat in illa,
  Ignem sæpe vomens, raro patere volens.
Viventem plebs esse Deum Babylonia credens,
  Thure sacris precibus prona colebat eum.
Istum commendans, rex intulit hoc Danieli :
  « Quin Deus hic vivat, nemo negare potest. »
Cui Daniel : « Mi rex, tua sit concessa potestas,
  Ut faciam citius hunc sine fuste mori. »
Ille potestatem dedit hoc quod vellet agendi.
  Accipit hic adipem cum pice, cumque pilis.
Hoc coxit, massas confecit, in ore draconis
  Projecit; crepuit ille, peremtus obit.

LXXV.

1. Coluber, diabolus : « Et obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus [4]. » ÷ « Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber [5]. »
÷ 2. Antichristus : « Fiat Dan coluber in via [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Physiologus [*cf. supra* Serpentem].

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 28, 158.

Gregorius M. Coluber, diabolus, ut in Job : « Et obstetricante, etc. » — Antichristus, ut ibi : « Fiat Dan c. i. v. » Quia enim

(1) *Rufus.* Apoc. XII, 3. — (2) *Draconum.* Job XXX, 29. — (3) *Riga.* Cf. quæ supra p. 90, et t. II, p. 332, 479. — (4) *Tortuosus, id est medicina Domini Jesu Christi projectus est diabolus de cordibus hominum* B.G. Job. XVI, 13. — (5) *Coluber.* Eccle. X, 8. — (6) *Via.* Genes. XLIX, 17

de tribu Dan venire Antichristus creditur, recte Dan coluber in via fieri perhibetur. Est ergo Dan coluber in via, quia in præsentis vitæ latitudine, eos ambulare provocat, quos, quasi parcendo, palpat; fit cerastes semita, quia quos a religionis districtione non dejicit, quasi cornutus serpens, cornibus potentiæ premit.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Coluber, Sapientia incarnata, ut : « Virga versa est in colubrum [1]. » — Diabolus, ut : « Eductus est coluber tortuosus. » — Antichristus, ut : « Fiat Dan c. i. v. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. IV, art. 78. Coluber dicitur caro Christi. Exodus : « Projecit virgam, etc. »—Coluber, superbia vel concupiscentia. Isaias : « De radice colubri (superbia, concupiscentia) egreditur regulus [2] (consuetudo peccati). » — Coluber etiam dicitur diabolus. Job : « Obstetricante manu, etc. »

Dicitur autem coluber, quasi Colens umbram, quia scilicet sub terra in cavernis et tenebrosis locis atque umbrosis manet. Ergo et primus coluber, id est caro Christi, coluit umbram pœnalitatis et mortalitatis nostræ, quando populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam. Et in se ipso tenebras et umbram nostræ mortalitatis assumsit. Secundus coluber, id est superbia et concupiscentia, colit umbram iniquitatis. Tertius, id est Antichristus, colit umbram conculcationis et simulationis. Quartus, scilicet diabolus, colit umbram cordium tenebrosorum.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 749-756.

Eruaris a via mala et ab homine qui perversa loquitur [3].

Qui perversa docens, animæ tibi noxia suadet,
  Ut colubri virus, hic fugiendus homo.
Hunc nobis supra Salomonis carmina monstrant,
  Sanguinis insidias quando cavere jubent.
Vel via schismatici tibi sit vitanda maligni,
  Perfidiæ tua mens ne trahat inde notam.
Hos caveas laqueos ; hæc ne semita turpis
  A te curratur, sta, prohibendo pedem.

LXXVI.

1. REGULUS, diabolus : « Et in caverna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet [4]. »

2. Dæmones [5] : « Ecce ego immittam vobis regulos quibus non est incantatio, et mordebunt vos [6]. In quo erat serpens flatu adurens [7]. »

÷ 3. Antichristus : « Ova aspidum ruperunt, et quod confotum est, erumpet in regulum [8]. »

LXXVII, LXXVIII.

1. ASPIS, qui verbum Dei dedignanter audit [9] : « Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas [10]. »

2. Blandæ suggestiones [11], vel fortes et subitaneæ tentationes : « Caput aspidum suget [12]. »

÷ 3. Aspis, diabolus : « Super foramina aspidis [13]. »

4. ASPIS, peccatum; BASILISCUS, mors : « Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem [14], ÷ » id est diabolum et Antichristum.

(1) *Colubrum.* Exod. IV, 3.— (2) *Regulus.* Is. XIV, 29. — (3) *Loquitur.* Prov. II, 12. — (4) *Mittet.* Is. XI, 8. — (5) *Vel pessimæ tentationes* A. *Dæmones flatu cogitationis corda hominum vulnerantes* B-G. — (6) *Vos.* Jerem. VIII, 17. — (7) *Adurens.* Deuteron. VIII, 15. — (8) *Regulum.* Is. LIX, 5. —(9) *Duritia peccatorum, sanctis prædicationibus* [*prædicatoribus* E] *aurem cordis non accommodantes* B-G. — (10) *Suas.* Ps. LVII, 5. — (11) *Et in aliam partem. In Job, pro impio* B-G.—(12) *Suget.* Job XX, 16. *Hoc est inspirationes diaboli vel dæmonum* B-G.—(13) *Aspidis.* Is. XI, 8. — (14) *Draconem.* Ps. XC, 13.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, B, c. 16. — Apud *Ansileubum*, fol. 33, 3, 4. Apud *Petrum Damiani*, c. 17. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. II, c. 30. — Apud *Vincentium Bellovacens.*, l. XV, c. 20, 21.

GREGORIUS M. Regulus, diabolus, ut ibi : « In caverna reguli, etc. » Quod utique incarnatus Dominus fecit, quando iniquorum corda divina potestate tenuit. — Antichristus, ut ibi : « De ovis aspidis dicitur, quod confotum est in eis, erumpet in regulum. » Quia videlicet is qui in se nutrienda diaboli consilia recipit, membrum iniqui capitis factus, in Antichristi corpus accrescit. — Reguli, pravissimi dæmones, ut in propheta : « Immittam vobis serpentes, etc. »

Aspis, quilibet verbi Dei surdus auditor, ut in psalmo : « Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas ; » unam quippe aurem terræ applicat, alteram oppilat cauda, ut, posterioribus terrenis intentus, nec ad anteriora se extendat, nec cœlestibus appetendis assurgat. — Blandæ suggestiones, vel subitæ immundorum spirituum tentationes, ut in Job : « Caput aspidis suget ; » id est, iniquæ suggestionis initium, in palatum cordis, assensu sorbente, trajiciet.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 29 et 31, p. 155, 159.

RABANUS. Regulus, concupiscentia, ut : « De radice colubri egressus est regulus[1]. »

Diabolus, ut : « Quod confotum est e. i. r. » — Antichristus, ut : « In caverna reguli, etc.

Aspis, diabolus, ut : « Super aspidem, etc. » — Reprobus, ut : « Sicut aspidis surdæ, etc. » — Sævitia occulta diaboli, ut : « In foramine aspidis. » — Spiritus maligni, ut : « Panis illorum vertetur in fel aspidum[2]. » — Suggestio diaboli, ut : « Caput aspidum suget. » — Dolosi, ut : « Venenum aspidum sub labiis eorum[3]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. I, art. 67. Aspis, diabolus. Isaias : « Super foramen, etc. » — Antichristus. Psalmus : « Super aspidem, etc. Hic venenum persequutionis emittet contra Enoch et Eliam, qui in fine temporis, Deo permittente, faciet bellum contra illos, et superabit illos. — Aspis est quilibet obstinatus qui verbum Dei non vult audire. Psalmus : « Furor illis secundum similitudinem serpentis, et sicut a. o. a. s. » Dicitur autem malus aspis, qui surdus est ad bonum, qui tortuose incedit, qui venenum emittit. Paulus : « Sermo eorum, ut cancer serpit[4]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Aspis.

Diabolus.	Reprobus.
Suggestio occulta.	Dolosi.
Sævitia occulta.	

LAURENTIUS DUNELMENSIS.

Hypomnesticon, lib. VII.

Eneus et serpens suspensus, et omnia curans
Vulnera serpentum, me quoque jure juvat
Æneus, æternus serpens, homo robora ligni
Scandens, solus erit plena medela, Deus.

LXXIX.

1. VIPERA, violenta vel lenis et diuturna tentatio : « Et occidet eum lingua viperæ[5]. »

÷ 2. Diabolus vel ministri ejus. In Evangelio : « Genimina viperarum[6]. »

(1) *Regulus*. Is. XIV, 19. — (2) *Aspidum*. Job XX, 14. — (3) *Eorum*. Ps. XIII, 3. — (4) *Serpit*. II Tim. II, 17. — (5) *Viperæ*. Job. XX, 16. — (6) *Viperarum*. Luc. III, 7.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PHYSIOLOGUS *græcus* et *armenus*, c. 12.

PHYSIOLOGUS apud *Chrysostomum*, A, c. 11 ; B, c. 25. — Apud *Isidorum*, c. 27. — Apud *Ansileubum*, fol. 242. — Apud *Petrum Damiani*, c. 22. — Apud *Hugon. S. V.*, lib. II, c. 21. — Apud *Vincentium Bellov.*, l. XX, c. 48.

EUCHERIUS, ed. I, p. 16; ed. II, col. 754 B.

GREGORIUS M. Viperæ nomine violenta vel levis et diuturna tentatio diaboli designatur, ut per beatum Job de hypocrita dicitur : « Caput aspidum suget, et occidet e. l. v. » Aspis parvus est serpens ; vipera vero prolixioris est corporis. Aspides ova gignunt, atque ex ovis eorum filii procreantur. Viperæ autem quum conceperint, filii earum in ventrem sæviunt, qui ruptis lateribus matris, ex earum ventre procedunt. Quid per aspides pravos, nisi latentes suggestiones? Caput aspidum sugit hypocrita, quia initium suggestionis occultæ pravum prius in corde nascitur. Sed occidit eum lingua viperæ, quia postmodum capta mens veneno virulentæ tentationis necatur.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. III, c. 30, p. 160.

RABANUS. Vipera, tentatio diaboli, ut : « Occidet eum, etc. » — Actus peccati, ut : « Leæna et leo, et ex eis vipera volans [1]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. 178. Vipera approbanda et vipera improbanda. Viperæ approbandæ sunt apostoli et prædicatores. Evangelium : « Genimina viperarum, quis vos docebit fugere a ventura ira? » Nos enim sumus genimina harum viperarum, qui docti sumus et quotidie docemur fugere a ventura ira. — Vipera improbanda dicitur diabolus. Job : « Caput aspidum suget. »

Vipera autem ad litteram dicitur primo, qui occidit patrem, id est diabolum, cujus filii sumus natura, cumque suis bonis operibus occidit, et a se separavit. Hinc filii Zebedæi, qui cum Zebedæo patre non poterant sequi Jesum, relictis retibus et patre, sequuti sunt eum. Sed secunda vipera, id est diabolus, occidit patrem, id est, Dominum Christum, qui eum creaverat, suggessit occidi. Paulus : « Si enim [2] cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent. » Hinc uxor Pilati misit ad eum, dicens : « Nihil tibi et justo illi; multa enim passa sum in nocte per visum, propter eum [3]. »

Vipera autem, ad litteram, prudentia utitur serpentina, et veneno mortem infert. Sed et serpens antiquus erat callidior cunctis animantibus, et per serpentem mors introivit in mundum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Vipera. { Tentatio. Actus peccati. Diabolus.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Act. Apostol., v. 985-995.

Dumque rogum sarmenta fovent, flammæque favillam,
Vipera prosiliit : Pauli manus excipit illam.
Indigenæ Pauli digitis inhærere videntes
Serpentem, secum spargunt hæc verba, loquentes :
« Iste vir est latro, vel proditor, aut homicida,
Occisor fratrum, vel matris, vel patricida. »
Excutit hærentem serpentem Paulus in igne,
Nec nocuere sibi partis tormenta malignæ.
Plebs, prædicta videns, concepit mente stuporem
Quod nullum poterat Paulus sentire dolorem :
Clamant, quod Deus est, cœlesti dignus honore.

LXXX.

÷ CERASTES, Antichristus, ut quidam volunt. In Genesi : « Fiat [4] Dan coluber in via, cerastes in itineribus. »

(1) *Volans.* Is. XXX, 6. — (2) *Enim.* I Cor. II, 8. — (3) *Eum.* Matt. XXVII, 19. — (4) *Fiat.* Genes. XLIX, 17.

LXXIX.

÷ Scorpius, diabolus vel ministri ejus. In Evangelio : « Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones [1]. »

LXXX.

÷ Lacerta, incerta vitæ varietas, in Levitico [2].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

5 Eucherius, ed. i, p. 16; ed. ii, col. 754 b ad lxxix.

Rabanus. Cerastes, Antichristus : « Fiat Dan, etc. » — Scorpio, desperatio, ut : « Numquid porriget illi scorpionem [3] ? » — 10 Detractores, ut : « Cum scorpionibus habitas [4]. » — Dæmones, ut : « Calcandi super serpentes et scorpiones. »

Lacerta, vita iniqui, ut : « Lacerta non comedetur. »

15 Petrus Capuanus ad litt. xviii, art. 91. Scorpio dicitur desperatio; sicut ovum, spes. Evangelium : « Aut si petierit, etc. » — Scorpio etiam detractores. Ezechiel : « Et cum scorpionibus habitas. »

Anonymus Clarevallensis.

Cerastes, Antichristus.

Scorpio. { Desperatio. Detractores. Dæmones.

Lacerta, dives, terram fodiens, id est terrena quærens, unde lacerta immundum est animal, et comedi prohibetur.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. i, v. 733-736.

Dan mordebit equum, sessorque retro cadet ejus.
Sed salvantem me, tamen, o Deus, operiar te.
Ac si dixisset : Morieris, Christe; resurges :
Et qui crediderit tibi, perpete morte carebit [5].

LXXXI.

20 Sanguisuga, diabolus : « Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : Affer, affer [6], » id est, cupiditas et luxuria.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Capuanus, ad litt. xviii, art. 93. Sanguisuga, ad litteram, designat mentis 25 lubricitatem. Sapientia : « Sanguisugæ duæ sunt filiæ. » Hæ duæ filiæ sanguisugæ, id est lubricitatis, sunt luxuria et philargyria, id est cupiditas, sive amor argenti. Hæ sunt, sicut dicitur in Sapientia, quæ semper di- 30 cunt : « Affer, affer. » Quia utrumque vitiorum istorum est insatiabile. Sapientia : « Tria sunt insatiabilia, et quartum quod numquam dicit : Sufficit, scilicet infernus, et os vulvæ, et terra quæ numquam satiatur aqua; ignis vero numquam dicit : Sufficit. » Infernus enim insatiabilis. Isaias : « Propterea dilatavit infernus animam suam, et aperuit os ejus absque termino [7]. » Os vulvæ, id est meretrix, est insatiabilis. Regum : « Fili mulieris ultro rapientis virum [8]. » Terra, id est avarus, est insatiabilis. Ecclesiastes : « Non satiabitur oculus visu [9], etc. » Ignis vero gehennæ numquam dicit : Sufficit, quia semper ardebit, et tamen num-

(1) *Scorpiones.* Luc. x, 19. — (2) *Levitico.* xi, 30. — (3) *Scorpionem.* Luc. xi, 12. — (4) *Habitas.* Ezech. ii, 9. — (5) *Carebit.* Cf. t. ii, p. 332, 479, ubi interpretatio scorpionis juxta *Auroram.* — (6) *Affer.* Prov. xxx, 15. — (7) *Termino.* Is. v, 14. — (8) *Virum.* I Reg. xx, 30. — (9) *Visu.* Eccles. iv, 8.

quam consumetur materia illa quam comburet. Job : « Devorabit eos ignis, qui non succenditur. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. II, *de Filia*. Filia diaboli sunt vitia majora; unde scriptum est : « Sanguisugæ duæ, etc. » Per sanguisugam diabolus figuratur, quia, sicut sanguisuga sanguine, ita diabolus pascitur peccato. Unde sanctus Gregorius : Vita peccatoris cibus est serpentis. Hujus duæ filiæ, per quas multos sibi acquirit generos, sunt luxuria et avaritia. De prima :

Et lassata viris, necdum satiata recessit.

De secunda :

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit[1].

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 9370.

Serpens sanguisuga regem designat abyssi,
Qui sitit omne scelus et bibit omne nefas.
Laxat avaritia gremium numquam satiandum,
Nec carnem satiat fœda libido suam.
Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit,
Crescit luxuria sic ratione pari.
Nec missura cutem nisi plena cruoris hirudo[2],
Sic Satan æternum crimina nostra sugit.
Ut tecum cœlestia balsama, Christe, sugamus,
Sanguisugas animæ, rex, procul esse jube.

LXXXII.

÷ 1. DIABOLUS[3], caput omnium malorum. In Habacuc : « Percussisti caput de domo impii[4]. »

÷ 2. *Corpus Zabuli*[5], reprobi omnes. In Job : « Corpus ejus sicut scuta fusilia. »

÷ 3. *Oculi ejus*, vel *dentes*, hæretici sive pravi omnes doctores. In Job : « Oculi ejus, sicut palpebra diluculi. In circuitu dentium ejus formido[6]. »

÷ 4. *Nares Zabuli*, inspirationes illius pravæ. Ubi et supra : « De naribus ejus fumus procedit[7]. »

÷ 5. *Os Zabuli*[8], loquutiones ejus, quibus corda hominum occultis cogitationibus alloquitur. In Job : « De ore ejus flamma procedit[9]. »

÷ 6. *Lingua Zabuli*, sapientia sæculi hujus, vel hæreticorum dogma. Ubi et supra : « Et fune ligabis linguam ejus[10]. »

÷ 7. *Ossa Zabuli*[11], potentes quique et fortes in malitia, sive hæretici. In Job : « Ossa ejus sicut fistula æris[12]. »

÷ 8. *Cartilago ejus*, minus potentes in malitia, quam ii qui ossa nominantur. In Job : « Cartilago ejus sicut laminæ ferreæ[13]. »

÷ 9. *Halitus Zabuli*, inspiratio ejus occulta, per quam corda peccatorum amore carnali ardere faciat[14]. In Job : « Halitus ejus prunas ardere facit[15]. »

÷ 10. *Facies Zabuli*, Antichristi adventus, vel aperta ejus malitia. In Job : « Faciem ejus præcedet egestas[16]. »

(1) *Crescit*. Juven. *Sat.* XIV, 138. — (2) *Hirudo*. Horat. *Art. poet.* 476. — (3) *Diabolus*. In nonnullis codd. articulus ille rejicitur post cap. XI. Eadem in codice regio Vaticano 1850, pene ad verbum, inseruntur in *Etymologiis* Isidorianis, post cap. I, lib. XI, teste Arevalo, t. II, Isid. *Opp.* p. 520. Arevalum vero fugit eadem et integriora verba exstare apud Rabanum, lib. VI *de Universo*, c. III, his tantum præmissis ab utroque : Sciendum vero est quod quando membra hominis et humani actus diabolo ascribuntur, non secundum historiam, sed secundum allegoriam accipienda sunt, quia in multis locis Scripturæ sacræ hujusmodi species inveniuntur. Nam *caput*, etc. — (4) *Impii*. Habac. III, 13. Cf. t. II, p. 195. — (5) *Diaboli*. E, G, et ita constanter. *Cor diaboli*, deinde *cor ejus sicut*. Isid. l. l. *Fusilia*. Job XLI, 6. — (6) *Diluculi*. Sic E, G. *Palpebræ diaboli* B, C, D. Deest in Rabano. Apud Isid. absone : *Dentes ejus, vel dementes hæretici, sicut pravi omnes*. *Formido*. Job XLI, 5, 9. Cf. supra t. II, p. 200. — (7) *Procedit*. Ib. 11, t. II, p. 204. — (8) *Zabuli sapientia* B, C, in quibus cætera omissa. Hinc vero corrigas velim quæ truncata exstant in t. II, p. 204, l. 11 et 12. — (9) *Procedit*. Ib. 10. — (10) *Ejus*. XL, 20. — (11) *Os Zabuli* D, G. — (12) *Æris*. Ib. 13. *Veris* D. — (13) *Ferreæ*. Ib. *In malitia* male omittitur in Isid. et Rab. — (14) *Facit* D. Cf. t. II, p. 204 et corrige Arevali ἀποσπασμάτιον : *Inspiratio ejus occulta per corda hominum, vel peccatorum amore carnali eamdem faciat*. — (15) *Facit*. Job XLI, 12. — (16) *Præcedat egestas* B, C. Ib. 13.

÷ 11. *Carnes Zabuli,* infirmi quique, in corpore ejus, et minus valentes peccare. In Job : « Membra carnium ejus cohærentia sibi [1]. »

÷ 12. *Testiculi Zabuli,* hæretici, vel pravæ cogitationes, subtiliter vinculis peccatorum obligantes. In Job : « Nervi testiculorum ejus perplexi [2]. »

5 ÷ 13. *Cauda Zabuli,* Antichristus, vel consuetudo peccandi. Ubi et supra : « Stringit caudam suam, quasi cedrum [3]. »

÷ 14. *Dormire Zabuli,* est in corde reproborum requiescere. In Job : « Sub umbra dormit, in secreto calami [4]. »

÷ 15. *Pascere Zabuli,* in peccatis impiorum delectari. In Job : « Huic montes 10 herbas ferunt [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I et II, *passim in cap.* 7.

GREGORIUS M. in *Moralium* [6] lib. 32-34.

RABANUS, *de Universo*, lib. VI, c. 3. *Quo-15 modo humana membra ascribantur diabolo* [col. 179, 180, *pene ad verbum* [7], *ut supra*].

PETRUS CANTOR et GARNERIUS LINGONENSIS [*vid.* t. II, p. 59].

PETRUS CAPUANUS ad litt. IV, art. 20. 20 Diabolus dormit, quiescendo in cordibus malorum. Job : « Sub umbra, etc. » Sic dormiebat diabolus, quando, dum fortis armatus custodiret atrium suum, in pace erant omnia quæ possidebat : dormitio dia-25 boli trahit ad damnationem. Evangelium : « Assumit septem alios spiritus nequiores se, et ingressi habitant ibi [8]. »

[Cf. *supra,* t. II, p. 19.]

IDEM, ad litt. XX, art. 185. Vehemoth 30 interpretatur animal ; designat autem diabolum, quia quasi rationale animal cum homine conditus est, et utens ratione, sicut homo. Job : « Ecce Vehemoth quem feci tecum. » Dicitur autem quasi bos fenum 35 comedere, quia suggestionis suæ dente conterere mundam vitam spiritualium quærit : boves namque non nisi mundo feno utuntur ; quod quidem prævalet in his qui mundam vitam per studium ducunt, sed ex 40 illa placere Deo non appetunt. De hoc a Deo dicitur ad hominem : « Ecce Vehemoth q. f. t. » Ipse namque cum homine factus est, non unitate temporis, sed cognitione rationis, quia in cuncta rerum natura, præter hominem, nulla rationalis creatura est condita, nisi angelus. Quidquid ratione uti non potest, cum homine factum non intelligitur. Dicitur ergo homini : « Quem feci tecum, » ut dum homo eum, qui in ratione secum factus est, periisse considerat, vicinum sibi casum superbiæ, ex ipsa propinqua sui perditione, pertimescat.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Inferno*. Infernus locus est perpetuorum tormentorum, quæ præparata sunt diabolo et angelis ejus. Qui locus infernus appellatur, quia in inferioribus partibus terræ esse creditur. — Infernus, quia habitatio dæmonum est, significat pravos homines, in quibus maligni spiritus habitant. Unde est illud in Apocalypsi : « Infernus et mors missi sunt in stagnum ignis ardentis [9], » id est, reprobi homines et dæmones mittendi sunt in ignem inexstinguibilem, qui significatur per stagnum ignis ardentis, quia stagnum stabilitatem significat. — Infernus, quia inexplebilis est, significat avaritiam, vel cor avari, quia scriptum est : « Avarus non impletur pecunia [10]. » Unde Salomon :

(1) *Sibi.* Ib. 14. *Minus valentes peccatis* Isid. — (2) *Perplexi.* Job XL, 12. Distinctio deest in B, C. Erronee legitur in Rabano : *Vinculis peccatores ligantes.* — (3) *Cedrum.* Job, ib — (4) *Calami.* Ib. 16. — (5) *Ferunt.* Ib. 1. — (6) *Moralium.* Hujus enim articuli, nulla distinctione excepta, commentarius perpetuus invenitur in descriptione allegorica Behemoth et Leviathan, apud eumdem l. l. — (7) *Verbum.* Cs. lect. varias, quæ supra. — (8) *Ibi.* Matt. XIV, 45. — (9) *Ardentis.* Apoc. XXI, 8. — (10) *Pecunia.* Eccle. V, 9

« Tria sunt insatiabilia, etc. » Hæc sunt tria vitia, quæ, quo abundantius assequuntur quod desiderant, eo ardentiori desiderio æstuant, id est avaritia, luxuria, invidia.— Infernus, quia locus tenebrosus est, significat cæcitatem mentis; unde est illud: « Non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi [1]?» Nisi præcedat gratiæ infusio, per quam datur culpæ cognitio, non sequitur salubris peccati confessio. Infernus significat ipsum diabolum, quia crudelis est et insatiabilis et implacabilis; unde: « De manu inferi et de profundo laci [2]. »

LAURENTIUS DUNELMENSIS.

Hypomn. lib. VIII.

De spoliatione inferni.

Rex regum, quo se mea musa reflectat,
Inde recessit, ita mortis amara tulit.
At deitate potens, petit infera spiritus ejus,
Atraque collucent atria luce nova.
Clarior æstivo crux sidere sacra refulget,
Nec magno vis est lumine magna minor.
Lux tenebras pellit, portasque potentia sternit;
In crucis adventu vincula dura cadunt.
Vincla cadunt, planctusque vacant, tormenta quiescunt,
Dissiliunt vectes, mors perit, horror abit.
Gaudet Adam, lætatur Abel, plaudit Noe, plaudunt
Millia sanctorum jus cecidisse ferum;
Jus vitii, jus exitii, jus perditionis,
Jus perimentis Adam, nosque reos in Adam.
Impia cœlestem mirantur tartara pacem,
Antidotumque stupent vulnera prisca novum.
Pallentes Erebi trepidare timore phalanges,
Virtutemque crucis vis inimica pati.
Auctor mortis atrox flet mortem, morte peremtam;
Infirmus vires, jam nihil ipse potest.
Hunc Deus alligat, et pius explicat ante ligatos,
Linquens ipse malos, eripit inde suos.

APPENDIX AD CAPUT IX.

AUCTORES DE ANIMALIBUS.

I.

APUD PLINIUM [3]

Ælius Stilo.
Æmilius Macer.
Æschines, medicus.
Æschrion.
Agathocles, Chius.
Agriopas.
Alexander, Polyhistor.
Amphilochus, Atheniensis.
Anaxilaus.
Anaxipolis, Thasius.
Andreas.
Androtion.
Antæus.
Antigonus, Cumæus.
Antipater.
Apelles, Thasius.
Apion.
Apollodorus, Lemnius.
Apollonius, Pergamenus.
Apollonius, Pitanæus.
Archelaus, rex.
Archidemus, medicus.
Archytas.
Aristander, Atheniensis.
Aristogenes, medicus.
Aristomachus, Solensis.
Aristophanes.
Aristoteles.
Artemon.
Asclepiadus.
Attalus, rex.
Bacchus, Miletus.
Bion.
Botris, medicus.
Byttius, Dyrrachenus.
Cæcilius.
Callimachus.
Caro.
Cassius Hemina.
Celsus.
Chæreas.
Chrysippus.

(1) *Tibi.* Ps. VI, 6. — (2) *Laci.* Ps. LXVIII, 16. — (3) *Plinium.* Quum e Plinianis fontibus suos deduxere rivulos quicumque inter auctores christianos de animalium naturis scripsere aut historias aut allegorias, haud ineptum visum est catalogum hic describere auctorum, quos Plinius undequaque suos in usus comparavit: nonnullos autem ipse, ut videtur, in capite librorum suorum, indicavit; indicem vero locupletiorem edimus e septem libris *Hist. nat.* VIII, IX, XI, XXVIII, XXIX, XXX, XXXII attente recensitis. Si cui placuerit nonnulla de singulis auctoribus notitia brevis, quæ ad omnia ubi excitantur loca lectorem accurate ducat, adeat editionem ejusdem Plinii ab erudito v. E. Littré notis et gallica versione eleganter adornatam, ad calcem libri I.

Cicero.
Columella.
Cornelius Nepos.
Cornelius Valerianus.
Coruncanius.
Ctesias.
Dalion.
Demetrius, physicus.
Democritus.
Diodorus, Prienæus.
Dionysius.
Dion, Colophonius.
Diophanes.
Diotimus, Thebanus.
Domitius Calvinus.
Duris.
Elephantis.
Empedocles.
Epigenes, Rhodius.
Erasistratus.
Eudoxius.
Euphronius.
Evanthes.
Fabianus.
Fabius.
Fenestella.
Granius, medicus.
Hegesias, Maroneus.
Hegesidemus, Cythnius.
Hermippus.
Herophilus.
Hesiodus.
Hippocrates.
Homerus.
Horus, medicus.
Hyginus.
Icetidas, medicus.
Jacchus.
Jollas.
Juba, rex.
Julius Aquila.
Laberius.
Lais.
Lucilius.
Lucius Piso.
Lysimachus.
Mæcenas.
Magon.
Mamilius Surra.
Megasthenes.
Melissus.
Menander, Heracleensis.
Menander, Prienæus.
Menecrates.
Messala Corvinus.
Metellus Scipio.
Metrodorus, Miletus.
Micton, Smyrnæus.
Mucianus.
Neoptolemus.
Nicander.
Nigidius Figulus.
Olympias, Thebana.
Opilius, medicus.
Oppius.
Orpheus.
Ovidius.
Pelops.
Philarchus.
Philiscus, Thasius.
Philistus, Syracusanus.
Plautus.
Polybius.
Pomponius Mela.
Procilius.
Salpe
Saserna.
Scropha.
Seneca.
Servius Sulpitius.
Sextilius.
Sextus Niger.
Sornatus.
Sotira.
Stabius Sebosus.
Tarquitius.
Themison.
Trasyllus.
Trebius Niger.
Trogus Pompeius.
Turranius Gracilis.
Umbricius.
Valerius Flaccus.
Varro.
Verrius Flaccus.
Virgilius.

II.

APUD ISIDORUM [1].

Ælianus.
Æmilius Macer [2].
Afranius.
Aratus.
Ambrosius.
Anonymi poetæ.
Aristoteles.
Augustinus.
Aulus Gellius.
Cæsar.
Cicero.
Donatus.
Dracontius.
Festus.
Galenus.
Gregorius.
Hieronymus.
Homerus.
Horatius.
Hortensius.
Juvenalis.
Lactantius.
Lucanus.
Lucretius.
Martialis.
Nævius.
Nigidius.

(1) *Isidorum*. Ex duobus tantum *Etymolog.* libris xi et xii, ubi nostra libantur, indicem retexinius; cui non minimam opem contulere in suis notis Grialius, Chacon, Arevalus : at post illos plura de singulis auctoribus hic regerere longum erat. — (2) *Macer*. Non tantum obiter, ut Plinius, sed conceptis carminibus Æmilium Isidorus adducit, neque semel, ut antea monuimus, sed tribus in locis, lib. xii, c. 4, n. 24 ; 7, n. 19; 8, n. 3.

Novatianus.
Origenes.
Ovidius.
Palladius.
Persius.
Philadelphi.
Physiologus.
Placidus.
Plato.
Plinius.
Pythagoras.
Quintilianus.
Sallustius.
Servius.
Solinus.
Strabo.
Suetonius.
Terentius.
Tertullianus.
Varro.
Virgilius.

III.

APUD VINCENTIUM BELLOVACENSEM [1].

Æsculapius, in libro *de Mitil* [2].
Alcides, in libro *de Venenis*.
Alexander, polyhistor.
Algazel, *Super de sensu et sensato* [3].
Almanzor.
Ambrosius.
Andromachus.
Auctor, sive Vincentius ipse.
Avicenna.
Bali.
Basilius [4].
Belbetus, in libro *de Sensibus*.
Cassiodorus.
Constantinus Africanus.
Dioscorides.
Glossa super Leviticum.
— II Regum.
— Job.
— Psalmos.
— Cantica.
— Proverbia et Parabol.
Glossa super Isaiam.
— Jeremiam.
— Danielem.
— Ezechielem.
— XII Prophetas.
— Lucam.
— Epist. ad Hebræos.
— Apocalypsim.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nyssenus [5].
Guillelmus de Conchis.
Hali.
Hesychius, *in Leviticum*.
Hieronymus.
Liber *Jorath, de Animalibus*.
Isaac, in *Diætis*.
Isidorus.
Orosius.
Lucanus.
Palladius.
Papias.
Petrus Damiani.
Petrus Comestor.
Philosophus [6].
Physicus.
Physiologus.
Platearius.
Plinius.
Priscianus, *ad Cosroe* [7].
Pythagoras, in *libro Romanorum*.
Rabanus.
Razi, *in Almanzor*.
Rodolphus [8], *in Leviticum*.
Rufus [9].
Seneca.
Serapion.
Solinus.
Suetonius.
Thomas Cantipratanus, sive *Liber de Naturis rerum* [10].
Valerius Maximus.
Vegetius.
Virgilius.
Walafridus Strabus.
Zeno, *de Animalibus* [11].

(1) *Bellovacensem*. Sub oculis habet lector quasi tria sex sæculorum stadia, tresque metas sive columnas a summis viris Plinio, Isidoro, Vincentio, ad omnium disciplinarum honorem, amplitudinem et censum positas. *Speculi* igitur *naturalis* libros tres *de animalibus variis*, XVIII, XIX, XX, sedulo perlustravimus, ut, quantum citatus oculus cavere potest, omnes demus, quotquot magnus Speculator in lucem adduxit auctores, non in alienis obiter insertos, sed nominatim a se ipso excitatos. Sequimur ultimam Benedictinorum Sanvedastinorum editionem; alias enim libri iidem sunt XIX, XX et XXI. — (2) *Mitil*. Arabicus utique est liber, ut clamant, quæ ad manum sunt, ex eodem hæc verba : « Si calcaverit *Zosach*, id est equus, ubi vestigium fuerit *Dorim*, id est ursi, accidit stupor ejus pedi. » — (3) *Sensato*, auctore Aristotele. —(4) *Basilius*, videlicet in Hexaemero, e veteri versione. — (5) *Nyssenus*. In libro *de Imagine*, seu *de Opificio hominis*, ex antiqua pariter interpretatione. — (6) *Philosophus*. Ab Aristotele, ut mihi visum est, distinctus : ita certe laudatur proxime ante vel post Stagiritam. — (7) *Cosroe*. Multa ex hoc libello nuperrime in primam lucem prodiere e schedis cl. v. Quicherat (*Ecole des chartres*, 2e série, t. VI). — (8) *Rodolfus*. Lege Radulfum Flaviacensem, egregium Levitici commentatorem. — (9) *Rufus*. An Ephesinus, quem mox publici juris factum iri pollicitus est cl. v. Darembergius, ipse, opinor, dijudicare non omittet. — (10) *Rerum*. Mirum auctoris nomen fuisse a Vincentio coævo et contubernali constanter suppressum. — (11) *Animalibus*. Eum librum præ oculis habuisse, nec e Plinianis laciniis depromsisse Vincentius visus mihi est in cap. 64, lib. XVIII, quocum cf. c. 50.

IV.

AUCTORES

QUIBUS ADSCRIBITUR PHYSIOLOGUS AUT BESTIARIUM VETUS [1].

Salomon.
Aristoteles.
5 Democritus.
Juba, rex.
Tatianus.
Epiphanius.
Ambrosius.
10 Chrysostomus.
Hieronymus.
Philatus, apud Armenos.
Philo Carpathus.
Isidorus.
Theobaldus Sinensis, alias Placentinus.
Damascenus Studites.
Fulgentius.
Florinus.
Hildebertus aut Philibertus.
Hugo de S. Victore.
Alanus de Insulis.
Odo Shirton.
Guillelmus Peraltus.
Joannes Cornubiensis.
Sextus Parisiensis.

V.

VETERES PHYSIOLOGI INTERPRETES, EDITORES ET COMMENTATORES.

Tertullianus, *de Animalibus mundis et immundis.*
Novatianus, *de Cibis legalibus.*
15 Triphon, *de vacca Rufa et dichotomatibus.*
Duo interpretes armeni.
Interpres syriacus.
20 Interpretes latini plures.
Ansileubus.
Hildefonsus.
Petrus Damiani.
Interpres grammaticus.
Interpres saxonicus.
Philippus de Thaun.
Glossa in Theobaldum.
Theodericus, *de Monstruosis animalibus*, metrice.
Interpres arabicus.
Interpres theotiscus.
Veteres interpretes gallici.
Guillelmus Utenhovius.
Jacobus Macrland.
Commentatores græci duo, in *Physiologum.*
Petrus, Picardus clericus.
Guillelmus, Normannus clericus.
Robertus de Furnival.
Bestiarius de VII *vitiis et* VII *virtutibus.*
Joannes Sancti Ebrulfi, *de Allegoriis bestiarum.*

(1) *Vetus.* De illo et sequenti articulo, ne in immensum notulæ crescant, satius visum est omnino hic tacuisse, præsertim quum hanc eamdem provinciam, sive in *Prolegom.* sive infra ubi de Physiologo græco, armeno, et arabico, sive variis in notis hic illic disjectis, pro modulo suscipimus.

CAPUT X.

DE HOMINIBUS [1].

I.

1. Vir, Christus : « Et ecce vir [2], Oriens nomen ejus [3]. ÷ Vir quoque unus in medio eorum, vestitus lineis, et atramentarium scriptoris ad renes ejus [4]. »
5 Et alibi : « Convertimini, filii revertentes, quia ego vir vester [5]. »

2. Spiritus, id est rationalis sensus : « Caput mulieris, vir [6]; » id est animæ. ÷ Item ibi : « Vir non debet velare caput, quia imago Dei est [7]. »

3. Antiquus hostis [8] : ÷ « Maledictus vir, qui annuntiavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus [9]. » ÷ In Habacuc : « Sicut vinum potantem se deci-
10 pit, sic erit vir superbus, et non decorabitur [10]. »

÷ 4. Angelus : « Ecce vir Gabriel [11]. »

÷ 5. Perfectus quisque : « Accinge, sicut vir, lumbos tuos [12]. »

÷ 6. Perfecti : « O viri, ad vos clamito [13]. »

÷ 7. Ætates sæculi : « Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris [14]. »

15 ÷ 8. *Vir et uxor,* anima et caro; *filii,* opera ab utrisque genita. In Exodo : « Serviet tibi cum uxore et filiis [15]. »

÷ 9. Christus et Ecclesia. In Apostolo : « Propter hoc relinquet homo patrem, et hærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una; ego autem dico, in Christo et Ecclesia [16]. »

20 ÷ 10. Diabolus et urbs Babylonis, hoc est conventus omnium malorum.

÷ 11. *Viri,* apostoli, vel cæteri prædicatores. In Isaia : « Viri sublimes ad te transibunt [17]. »

÷ 12. Et in malam partem : « Viri impii dixerunt apud te, cogitantes non recte [18]. »

25 ÷ 13. *Viri et mulieres,* fortes et infirmi. In Exodo : « Omnes viri et mulieres, mente devotæ obtulerunt denaria [19]. »

(1) *De hominibus.* Mirum quanta sit in eo capite locorum interturbatio et male disjectarum partium varietas, quam multa interpolentur, quam misera rerum confusio, eaque in omnibus fere codicibus occurrat. Multa deesse palmari cod. A nimis oppido patet. Cæteris vero in codd., initium, quod in hoc articulo tandem proferimus, capiti v immixtum est; alia sunt, multis interpositis, rejecta in caput IV, alia in caput XI. Codicem A præ cæteris, quod hactenus fecimus, sequimur; nec usque adeo unius vestigia premimus, quin juxta cæteros codices, unum alterumve articulum suis, ut visum est, sedibus restituamus. In capite v actum est *de Homine* καθ' ὅλον allegorice descripto, ac præcipue de ipsius opificio, ut aiunt, corporisque ac membrorum mystica significatione. Nunc vero *de Hominibus* disserendum, ac potissimum de re domestica ac familiari; nam in sequenti capitulo quæstio erit de vita civili et publica, de urbe et orbe politico; quibus sua non deesse mysteria, quis mirabitur? — (2) *Christus. In Zacharia : Ecce veniet vir* B-D. *Cujus oriens nomen ejus* E. — (3) *Ejus.* Zachar. VI, 12. — (4) *Ejus.* Ezech. IX, 2. — (5) *Vester.* Jerem. XIV, 22. — (6) *Vir.* I Cor. XI, 3. — (7) *Est.* Ib. 7. — (8) *Diabolus* B-G. In quibus ea distinctio extra locum multum vagatur, uti et infra dist. 10. — (9) *Masculus.* Jerem. XX, 15. — (10) *Decorabitur.* Habac. II, 5. — (11) *Gabriel.* Dan. VIII, 21. — (12) *Tuos.* Job XL, 2. — (13) *Clamito.* Prov. VIII, 4. — (14) *Superioris.* Ezech. IX, 2. — (15) *Filiis.* Exod. XXI, 3. — (16) *Ecclesia.* Ephes. V, 31. — (17) *Transibunt.* Is. XLV, 14. — (18) *Recte.* Sapient. II, 1. — (19) *Denaria.* Exod. XXXV, 29. *Denaria* B-C. *Denarios* D, E. Omnes addunt : *Et in malam partem, in Salomone : Mulieres insensatæ.* Cf. art. seq. d. 3.

II.

1. MULIER, Ecclesia [1] : « Mulierem fortem quis inveniet [2] ? »

2. Sapientia [3] : ÷ « Quæ mulier habens dragmas decem [4] ? » ÷ In Salomone : « Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ [5]. » Item ibi : « Fruere vita cum uxore quam diligis [6], » quia conjugem qui amplexus fuerit, generabit ex ea filios, non filias [7], id est virtutes, non vitia.

÷ 3. Mentes carnalium : « Quasi una de stultis mulieribus loquuta est [8]. Mulieres eorum insensatæ [9]. »

÷ 4. Anima [10], quæ regitur a ratione, sicut corpus ab anima.

÷ 5. Pro sexu : « Factum ex muliere [11]. »

÷ 6. Pro infirmitate : « Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier [12], » id est infirma mens.

÷ 7. Urbs Babylonis, quæ totius mundi gerit figuram : « Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum [13]. »

÷ 8. Hæretica pravitas : « Mulier stulta et clamosa, plenaque illecebris [14]. »

÷ 9. *Mulieres duæ*, plebs judaica et hæretica. In Zacharia : « Ecce mulieres duæ portantes amphoram [15], » id est diabolum.

÷ 10. *Mulieres septem*, septiforme Ecclesiæ sacramentum. In Isaia : « Et apprehendent septem mulieres virum unum [16], » id est Christum.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 17; ed. II, col. 754 D ad art. I, dist. 1, 9; ad art. II, dist. 2, 4, 5.

ADRIANUS, Εἰσαγωγή, Α', η'.

GREGORIUS. Viri nomine Christus intelligitur, sicut per Ezechielem dicitur : « Vir quoque vestitus lineis, etc. » Recte dicitur Christus vestitus lineis, qui indumentum sui corporis non ex corruptione commixtionis sumsit. Habuit vir iste atramentarium scriptoris ad renes, quia scripturam testamenti novi, postquam discessit, condidit. — Viri nomine antiquus hostis designatur, sicut Jeremias ait : « Maledictus vir, qui annuntiavit, etc. » Inimicus patri natum masculum denuntiat, quando huic mundo eum quem persuasit, factum innocentiæ corruptorem demonstrat. — Virorum nomine perfecti viri exprimuntur, ut ad beatum Job ab Eliud dicitur : « Memento quod ignoras opus, de quo cecinerunt viri [17]. » Ac si aperte dicat : de quo fortes quique loquuti sunt, ejus opera tuæ mentis oculis absconduntur, quia mensuram tuæ notitiæ, eo ipso quod humanitate circumscriberis, transeunt. — Virorum nomine sex ætates sæculi designantur : sicut per Ezechielem dicitur : « Ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, etc. ; » sex viri, id est sex ætates humani generis, de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi, sicut ab ingressu mundi, a superioribus generationibus evolvuntur. Quæ porta ad aquilonem respicit, quia videlicet

(1) *Ecclesia, propter filiorum generationem. In Salomone* B-G. — (2) *Inveniet.* Prov. XXXI, 10. — (3) *Mulier, vel uxor. Sapientia* B-G. — (4) *Decem.* Luc. XV, 18. — (5) *Tuæ.* Prov. V, 18. Locus deest in D. — (6) *Diligis.* Eccle. IX, 9. Cætera quæ tamquam e Scriptura dantur, nulla versio repræsentat, nullo commentarius meminit, nisi me mea, non indiligens tamen, inquisitio fefellerit. — (7) *Filios et filias* B, C. — (8) *Est.* Job II, 10. — (9) *Insensatæ.* Sap. III, 12. — (10) *Anima, sive caro, ubi et supra : Caput mulieris vir. Etenim sicut anima regit corpus, ita et ratio animam* B-G. *Ita et ratio regit animam* B, C. — (11) *Muliere.* Gal. IV, 4. — (12) *Mulier.* Eccli. XLII, 14. — (13) *Mulierem.* Apoc. XVII, 6. — (14) *Illecebris.* Prov. IX, 13. — (15) *Amphoram.* Zach. V, 9. — (16) *Unum.* Is. IV, 1. — (17) *Viri.* Job XXXVI, 24.

mens, humani generis vitiis aperta, nisi calorem charitatis deserens, torporem mentis appeteret, ad hanc mortalitatis latitudinem non exisset. « Et uniuscujusque vas interitus in manu ejus, » quia unaquæque generatio, singulis quibusque ætatibus evoluta, ante Redemtoris adventum, sua operatione habuit unde pœnam damnationis sumsit.

Mulier, sapientia Dei, ut ibi : Quæ mulier habens dragmas decem, etc. » Hæc mulier, accensa lucerna, dragmam recepit; quia mox ut ejus divinitas in carne apparuit, humanam naturam in ingenuitatem pristinam reparavit. — Impietas; unde Zacharias : « Ecce, inquit, mulier sedens in medio amphoræ. Et dixit : Hæc est impietas. » Hæc amphora avaritiam signat, in qua sedens impietas massam plumbi in os accepisse dicitur, quoniam impietas avaritiæ peccati sui pondere gravatur. — Mulier, per naturam, ut ibi : « Quid mihi est et tibi, mulier[1] ? » Solet enim virgo, mulier dici. — Mulier per infirmitatem, ut : « Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier ; » quia nonnumquam etiam culpa fortium et occasio virtutis fit; et virtus infirmorum, occasio peccati. — Mulieres, mentes carnalium, ut ibi : « Quasi una de stultis mulieribus loquuta, etc. » —Vitia ; unde Zacharias : « Vidi, et ecce duæ mulieres egredientes, et spiritus in alis earum. » Hæ duæ mulieres superbia et vana gloria sunt, quæ avaritiæ amphoram portant.

Gregorius *apud Garnerium S. V.*, lib. iv, c. 2, p. 173.

Rabanus. Vir, Christus, ut : « Femina circumdabit virum[2]. » — Intellectus, ut : « Voca virum tuum, et veni huc[3]. » — Animus noster, ut : « Deditque viro suo et comedit[4]. » — Diabolus, ut : « A viro iniquo eripe me[5]. » — Error animæ, ut : « Qui nunc est, non est tuus vir[6]. » — Robusti et spirituales, ut : « De quo cecinerunt viri. » — Hæretici, ut : « Viri sanguinum, declinate a me[7]. »—Sensus corporis, ut : « Quinque viros habuisti. »

Mulier, sapientia Dei, ut : «Quæ mulier h. d. d. »—Christus, ut : « Fermentum mulier abscondit infra sata tria[8]. »—Ecclesia, ut : « Mulierem fortem q. i. » — Virgo Maria, ut : « Mulier circumdabit virum. »—Genus humanum, ut : « Ecce mulier habens spiritum infirmitatis[9]. » — Anima fidelis, ut : « Mulier sapiens ædificat sibi domum[10]. » —Vanitas mundi, ut : « Mulier circumdata purpura et bysso[11]. »—Crudelitas, ut : «Vidi mulierem ebriam de sanguine martyrum.» — Doctrina hæretica, ut : « Mulier pulchra et fatua[12]. »—Impietas, ut : « Mulier sedet i. m. a. »—Sanctæ animæ : « O pulchra inter mulieres[13]. »—Subditi : «Viri cum mulieribus præbuerunt armillas[14]. »—Voluptuosi, ut : «Mulieres dominabuntur eis.[15]»—Sexus, ut : « Factum ex muliere. » — Infirmitas : « Homo natus de muliere[16]. »

Petrus Cantor. Vir, in sacra Scriptura, non tantum ad litteram accipitur, ut ibi : « Dixit Dominus mulieri Samaritanæ : Quinque viros habuisti, et hic quem nunc habes, non est tuus vir. » Per quinque enim viros quinque sensus intelliguntur, qui non reputantur ad bonum, vel ad malum, usque ad annos discretionis; per sextum virum, error infidelitatis, quo ipsa detinebatur. Sed mystice per primum virum intelligitur præceptum datum Adæ de ligno prohibito. Per secundum, præceptum de semine multiplicando : «Crescite, et multiplicamini[17]. » Per tertium, præceptum de divisione linguarum. Per quartum, præceptum de arca. Per quintum, præceptum de circumcisione datum Abrahæ. Per sextum de quo hic dicitur : « Hic quem habes n. e. t. v., » lex intelligitur, quia lex neminem duxit ad perfectum. Quum ergo ratio deberet eam regere, scilicet Samaritanam, sequebatur magis errorem.

(1) *Mulier.* Joan. ii, 4. — (2) *Virum.* Jerem. xxxi, 22. — (3) *Huc.* Joan. iv, 14. — (4) *Comedit.* Genes. iii, 6. — (5) *Me.* Ps. cxl, 2. — (6) *Vir.* Joan. iv, 18. —(7) *Me.* Ps. cxxxviii, 19.—(8) *Tria.* Matt. xiii, 33. — (9) *Infirmitatis.* Luc. xiii, 11. — (10) *Domum.* Prov. xiv, 1. — (11) *Bysso.* Apoc. xvii, 4.—(12) *Fatua.* Prov. ii, 22. — (13) *Mulieres.* Cant. i, 7. — (14) *Armillas.* Exod. xxxv, 22. — (15) *Eis.* Is. iii, 2. — (16) *Muliere.* Job xiv, 1. — (17) *Multiplicamini.* Genes. i, 28.

Vir dicitur a vi, sine qua non est vir, et ita nec beatus; unde : « Beatus vir qui non abiit in concilio impiorum [1]; » nec regnum cœli intrare poterit; unde in Evangelio : « A diebus Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur [2]. » — A virtute, id est a charitate, quæ antonomastice dicitur virtus, de qua dicitur : Habe charitatem, et fac quidquid vis [3]. Verba sunt sanctorum in glossis : Sine qua quælibet scientia, quælibet virtus, quantumcumque magna, imperfecta est. — A virore : quidam enim in principio virent, in fine desiccantur, id est, bene incipiunt, et male finiunt. Hi non sunt viri a virore dicti; unde a virore dictus semper viret, quia finis, non pugna, coronat. Si ergo vis esse vir beatus, sis vir a virore, et a vi, et a virtute dictus.

Vir in sacra pagina notat

Ætatem.	Sexum.
Sacerdotii dignitatem.	Nequitiæ amplitudinem.
Fortitudinem corporis.	Sensus.

Distinctionum monasticarum lib. v, *de Viro*. Vir quandoque notat sexum, ut ibi, de Domina : Fecundata sine viro. — Quandoque sponsum, licet non interveniat opus nuptiale; unde Joseph appellatus est vir beatæ Mariæ Virginis. — Quandoque hominem masculum perfectæ ætatis; unde poeta [4] :

Multum dissimiles, hic vir, et ille puer.

— Quandoque perfectum hominem integræ virtutis; unde et Christus dictus est vir, ut ibi : « Beatus vir qui non abiit, etc. » — Diabolus dicitur vir, propter præsumtionem et audaciam, ut ibi : « Maledictus vir qui annuntiavit patri meo, dicens : Natus est tibi puer masculus. » Pater est mundus iste de quo carnaliter nascimur : patri ergo natum masculum denuntiat, quando huic mundo diabolus eum qui male agit, viriliter egisse persuadet, et infirma quasi fortia laudat. — Vir sensualitatem designat; unde Dominus dixit Samaritanæ : « Quinque viros habuisti. »

Vir notat ætatem; vir, sexum; vir, probitatem.

Idem, lib. iv, *de Muliere :*

Cunctis præfer, here, tractatum de muliere.

Mulier a mollitie nomen accepit. Sed nosse nos convenit quod est mollities laudabilis et vituperabilis. De mollitie laudabili est illud : Leges emolliendæ sunt, non exasperandæ. De mollitie vituperabili ait quidam : Male mihi esse malo, quam molliter [5]. Est igitur satis aptum et evidens quod est mollities [bona et] mala. Bona, pietatis; mala, voluptatis : bona, misericordiæ; mala luxuriæ.

Ad has distinguendas et propagandas nos adjuvet illa mulier, cui dixit Dei Filius et suus, de filio, secundum carnem non suo : « Mulier, ecce filius tuus [6]. » Igitur mulier dicitur Dei sapientia, ut ibi : « Mulier habens dragmas decem, etc. » Quæ sententia in distinctione *de Lucerna* exposita est [*infra*, *in cap.* xi].

Mulier dicitur quasi molliens herum. Hæc est Dei genitrix gloriosa, intemerata et illibata Virgo virginum Maria, quæ nobis peccatoribus, suis gloriosis precibus, propitium facit Dei suumque filium, Dominum nostrum Jesum Christum. Probatum est in Theophilo. Et cuidam monacho ordinis nostri beata Maria apparuisse fertur, in cujus diademate idem monachus videre videbatur hanc scripturam evidenter insculptam :

Quidquid voles, tua proles dare non morabitur.

De hac gloriosa et intemerata muliere, cui Gabriel archangelus dixit : « Benedicta tu in mulieribus [7], » scriptum esse credo in Apocalypsi : « Signum magnum apparuit in cœlo [8], » id est in electis de stirpe Abraham, cui Dominus magnam rem promisit, dicens : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli [9]. » « Mulier amicta sole. » Sol hic

(1) *Impiorum*. Ps. i, 1. — (2) *Patitur*. Matt. xi, 12. — (3) *Vis*. Augustin. *In Epist. Joan.* tr. vii, n. 8, ed. G. t. iii, col. 2555. — (4) *Poeta*. Ovidius scilicet, *Epist.* ix, 24. — (5) *Molliter*. Eadem t. ii, p 486. — (6) *Tuus*. Joan. xix, 26. — (7) *Mulieribus*. Luc. i, 28. — (8) *Cœlo*. Apoc. xii, 1. — (9) *Cœli*. Genes. xvi, 10.

significat singularem gratiam Dei genitricis, quæ sola inter mulieres est corpore mater et virgo. Sol namque, quia unus tantum est, a solitudine nomen accepit. Et 5 ideo ipsum maximum mundi luminare positum est recte in designationem illius admirabilis gratiæ, quæ soli Mariæ matri Domini nostri Jesu Christi collata est, quæ ventre beato,

10 Gaudia matris habens cum virginitatis honore,
Nec primam similem visa est, nec habere sequentem [1].

« Mulier, inquit, amicta sole, » id est ea singulari ornata gratia quæ omnem humani sensus acumen reverberat [2]... « Et luna sub 15 pedibus ejus, » id est mundus sub affectionibus ejus. Præterea sub pedibus ejus est mundus, quia ipsa est domina totius mundi. Non enim fas est dubitare quod sit domina mundi, quæ est mater Dei : « Et in capite 20 ejus corona stellarum duodecim. » Duodecim stellæ sunt duodecim opera misericordiæ. Sex enim sunt opera misericordiæ corporalis, et totidem spiritualis. Unde recte visa est coronam duodecim stellarum ha-25 bere in capite, quæ noscitur esse regina misericordiæ.

Mulier dicitur

Ecclesia.	Hæresiarcha.

Mulier

Ecclesiæ particulares.	Anima errans, sive Samaritana.
Anima hominis.	Caro.
Concupiscentia carnis.	Massa reproborum.
	Impietas.
Falsi religiosi.	Vitia.
Voluptuosi prælati.	Infirmi.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. iii, v. 736-756.

Ecclesiam sanctam Salomon Christumque figurat
Multimodis verbis : hic pauca libet memorare :
« Nullius occursum pavitabit, ait, leo fortis : »
Indubitanter enim Christo metus abfuit omnis,
« Gallus succinctus lumbos nullum trepidabit : »
Tutus erit doctor qui semper castificabit.
« Fortis, ait, mulier : per quem poterit reperiri? »
Scilicet Ecclesiam quis fundabit, nisi Christus?
« Non exstinguetur ejus sub nocte lucerna : »
Ecclesiæque fidem franget tentatio nulla.
« Illius digiti norunt comprendere fusum : »
Nempe stolam vitæ sibi net quicumque fidelis.
« Pauperibus palmas extendere non pigritatur : »
Mysterium fidei gentilibus insinuabit.
« Atque suæ domui frigus nivis haud dubitabit : »
Vincet perfidiæ torpore rigentia corda.
« In portis sponsus parebit nobilis ejus : »
Coram Pilato Christus Deus exalapatus
Rex apparebit, quando judex erit orbis.
Hæc mulier Christum loquitur sic per Salomonem :
« Oscula, quæso, suo sponsus mihi porrigat ore, etc. »

III.

÷ 1. Uxor, bona operatio : « Si emeris servum hebræum, sex annis serviet 30 tibi, in septimo egredietur. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat : si habens uxorem, et uxor egrediatur simul [3]. »

÷ 2. Carnalis cogitatio, mentem lacessens : « Dixit autem illi uxor sua : Adhuc tu permanes in simplicitate tua [4]? »

IV.

÷ 1. Vidua, anima : « Pavit enim sterilem quæ non parit; viduæ bene non 35 fecit [5]. »

(1) *Sequentem*. Sedulius *Carm. paschal.* l. ii, v. 67, 68. Cantatur hodie in Nat. Dom. ad Laud. ant. 2. Vide variet. t. ii, p. 325. — (2) *Reverberat*. Multa ex uberiore commentario demi oportuit, quæ alium locum exspectant. — (3) *Simul*. Exod. xxi, 3. — (4) *Tua*. Job ii, 9. Codex addit : *Foris interficit gladius, et domi mors similis est*, quæ ad rem non pertinent, nisi forte ob allegoriam Gregorianam. — (5) *Fecit*. Job xxiv, 21.

÷ 2. Ecclesia : « Viduam ejus benedicens benedicam [1]. Et causa viduæ non ingreditur ad eum [2]. »

÷ 3. Plebs hæretica : « Viduæ illius, » id est hæretici, « non plorabunt [3] Et viduæ eorum non plorabantur [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Uxor, carnalis cogitatio, ut in libro Job : « Dixit uxor, etc. » Uxor malesuadens est carnalis cogitatio mentem lacessens. —Viduæ nomine, anima, ut per beatum Job dicitur : « Pavit sterilem, etc. » Caro non solum sterilis, sed etiam quæ non parit, dicitur, quia suo sensu bonas cogitationes gignere, nec in ultimis valet. Hanc iniquus pascit, quia carnis desideriis serviens, curam animæ vitamque contemnit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. iv, c. 4, 5, p. 180, 181.

Rabanus. Uxor, Ecclesia, ut : « Sponsam uxorem agni [5]. » — Sapientia justorum, ut : « Uxor tua sicut vitis abundans [6]. » — Exemplum bonum, ut : « Virginem ducet uxorem [7]. »—Actio bona, ut : « Diligo uxorem et liberos, non egredior [8]. »—Voluntas bona, ut : «Ingredere in arcam, tu et uxor tua [9]. » — Voluptas carnis, ut : « Uxorem duxi, et ideo non possum venire [10]. » —

Vidua, Ecclesia, ut : « Abstulerunt pro pignore bovem viduæ [11]. » Anima prava, ut : « Viduam et repudiatam non accipiet [12]. » —Anima hominis, ut : « Viduæ non benefecit. »—Plebs hæreticis subjecta, ut : « Viduas dimisisti vacuas [13]. »

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 89.

Uxor

Dei, fidelis anima.	*Diaboli*, synagoga Satanæ.
Mali.	*Christi.*
Carnalis voluptas.	Sancta Ecclesia.
Conscientia prava.	Synagoga.
Sapientia carnis.	

Uxor justi.

Vita activa vel contemplativa.	Spes præsumens et altiora conspiciens.
Sapientia.	Opera bona.

Idem, art. 92. Vidua materialis, spiritualis, moralis, cœlestis et infernalis. De prima Paulus : « Vidua eligatur non minus sexaginta annorum [14]. » —Vidua spiritualis est sancta Ecclesia, pro qua vir ejus Christus mortuus est. Evangelium : « Vidit mittentem æra minuta duo [15]. » — Vidua moralis est fidelis anima. Job : « Cor viduæ consolatus sum [16]. » — Vidua cœlestis est quæ vidua est virtute continentiæ et castitatis.— Judith : « Erat autem Judith relicta ejus vidua jam tribus annis et mensibus sex ; et hæc erat in omnibus famosissima, quoniam timebat valde Dominum, nec erat qui loqueretur de ea verbum malum [17]. »— Vidua infernalis est vidua delicata. Paulus : « Quæ in deliciis vivit, mortua est [18]. » Vidua etiam infernalis anima seducta. Job : « Viduæ illius non plorabunt, » id est plebes seductæ.

Anonymus Clarevallensis.

Uxor.

Ecclesia.	Actio bona.
Sapientia justorum.	Voluntas bona.
Exemplum bonum.	Voluptas carnis.

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., de Muliere forti. Aleph.

Aleph doctrina sonat, Ecclesiamque figurat :
Nos docet ista fidem, parturiendo Deo.
Quis reperire valet fortem, vel ubi, mulierem?
Hæc bona res veniet e regione procul

(1) *Benedicam*. Ps. cxxxi, 15. — (2) *Eum*. Is. i, 23. — (3) *Plorabunt*. Job xxvii, 15. — (4) *Plorabantur*. Ps. lxxvii, 64. — (5) *Agni*. Apoc. xxi, 9. — (6) *Abundans*. Ps. cxxvii, 3.— (7) *Uxorem*. Levit. xxi, 13. — (8) *Egredior*. Exod. xxi, 5. — (9) *Tua*. Genes. vii, 1. — (10) *Venire*. Luc. xiv, 20. — (11) *Viduæ*. Job xxiv, 3. — (12) *Accipiet*. Ezech. xliv, 22 ; rectius forte respicit ad Levit. xxi, 14.— (13) *Vacuas*. Job xxii, 9. — (14) *Annorum*. I Tim. v, 9. — (15) *Duo*. Luc. xxi, 2. — (16) *Sum*. Job xxix, 13. — (17) *Malum*. Judith, viii, 4. — (18) *Mortua est*. I Tim. v, 6.

Hæc mulier sancta, Christo sponsata fideli,
Dicitur Ecclesia, vel sacrosancta fides.
Hæc fortis mulier idcirco dicitur esse,
Leviathan superans schismaticosque viros.
5 Quis tantus vir erit, qui tam fortem mulierem
Repperit? Unde venit tam pretiosus homo?
Christus homo, procul adveniens de culmine cœli,
Ecclesiam fortem perficit esse suam.
Quam nullus redimit patriarcha, sive propheta :
Adveniens, illi, Christe, redemtor eris.

BETH.

Beth quod designat confusio, signat eamdem,
Quam non confundet judicis ille dies.
Cor sponsi Christi confidit in hac muliere,
Fœdere sponsali cui sociata fuit.
Confidit quia progeniem fidei sibi gignit,
Et quod in illius semper amore calet.

V, VI.

10 1. FILIUS *hominis,* Christus : « Quum venerit in majestate sua et omnes sancti cum eo [1]. »

2. *Filii hominum,* fideles in Ecclesia, pertinentes ad Filium hominis, qui est Christus : « Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum [2]. » Spiritualiter renati in Ecclesia [3], ÷ quibus per Psalmistam Dominus dicit : « Filii, 15 audite me [4]. » Et de Ecclesia : « Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem [5]. » ÷ Et sicut Apostolus ait : « In Christo Jesu per Evangelium ego genui vos [6]. »

÷ 3. Virtutes sanctorum. In psalmo : « Filii servorum tuorum inhabitabunt [7]. »

÷ 4. Et in malam partem. In Salomone : « Nequissimi filii eorum [8]. »

20 ÷ 5. Hæreticorum discipuli. In Job : « Si multiplicati fuerint filii ejus in gladio [9]. »

÷ 6. Reprobi omnes. In epistola Joannis : « In hoc manifestati sunt filii Dei et filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est ex Domino, et qui non diligit proximum suum [10]. »

25 ÷ 7. FILIA, anima fidelis, sive Ecclesia. In psalmo : « Audi, filia, et vide [11]. »

÷ 8. Et in malam partem : « Filia Babylonis misera [12]. »

÷ 9. *Filiæ,* animæ sanctorum. In propheta : « Ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias [13]. »

÷ 10. *Filii,* vel *filiæ Jerusalem,* fideles in Ecclesia. In Canticis canticorum : 30 « Filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum [14]. »

÷ 11. *Filia Sion,* Ecclesia, vel anima [15]. In Sophonia : « Lauda, filia Sion; jubiletur Israel [16]. »

÷ 12. *Filii Sion,* filii Ecclesiæ. In psalmo : « Filii Sion exsultent super regem suum [17]. » In Joel : « Et vos, filii Sion, exsultate in Domino Deo vestro, quia 35 dedit vobis doctorem justitiæ [18]. »

÷ 13. *Filii Juda,* filii Ecclesiæ. In psalmo : « Exsultaverunt filii Judæ [19]. »

(1) *Eo.* Luc. IX, 26.—(2) *Hominum.* Ps. XI, 9. Cf. t. I, p. 190.—(3) *Populi fideles, per apostolorum prædicationem in Ecclesia renati, sicut Apostolus ait : In Christo* B-G. — (4) *Me.* Ps. XXXIII, 12.— (5) *Lætantem.* Ps. CXII, 9. — (6) *Vos.* I Cor. IV, 15.—(7) *Inhabitabunt.* Ps. XXXVI, 29.—(8) *Eorum.* Sapient. III, 12. *Filiorum* E.—(9) *Gladio.* Job XXVII, 14.—(10) *Suum.* I Joan. III, 10.—(11) *Vide.* Ps. XLIV, 11.—(12) *Misera.* Ps. CXXXVI, 8. — (13) *Filias.* II Cor. VI, 18.— (14) *Meum.* Cant. III, 5. Dist. hæc et sequentes exstant in cap. XII ad *Jerusalem* et *Sion*, in plerisque codd. nostris. — (15) *Non Ecclesia, sed anima sancta* B, C. — (16) *Israel.* Sophon. III, 14. *Jubila tu, Israel* C. *Jubila, filia Jerusalem* D. — (17) *Suum.* Ps. CXLIX, 2. — (18) *Justitiæ.* Joel II, 22. — (19) *Judæ.* Ps. XCVI, 8.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 17; ed. ii, col. 755 c ad 1, 2, 7.

Orientius, *de Nativ. Dom.*, v. 9.

Adrianus, Εἰσαγωγή, Β', μ'.

Rabanus. Filius, Christus, ut : « Filium ancillæ tuæ [1]. » — Membrum Ecclesiæ, ut : « Mortuus efferebatur filius [2]. » — Populus Judaicus, ut : « Erat filius senior in agro. » — Populus gentium, ut : « Filius meus mortuus erat, et revixit [3]. » — Angeli, ut : « Quadam die, quum venissent filii Dei [4]. » — Apostoli, ut : « Non possunt filii sponsi lugere [5]. » — Judæi, ut : « Sumere panem filiorum, et mittere canibus [6]. » — Viri sancti, ut : « Nunc filii Dei sumus [7]. » — De malo redeuntes ad bonum, ut : « Filii alieni inveterati sunt [8]. » — Sequaces aliorum, ut : « Longe fient filii ejus a salute [9]. » — Hæretici, ut : « De manu filiorum alienorum [10]. » — Auditores, ut : « Si multiplicati fuerint filii ejus in gladio. » — Homines a Deo creati, ut : « Orabam filios uteri mei [11]. » — Opera bona, ut : « Salvabitur mulier per filiorum generationem [12]. »

Filia, Ecclesia, ut : « In portis filiæ Sion [13]. » — Anima, ut : « Filia mea a dæmonio vexatur [14]. » — Caro, ut : « Filia Babylonis misera [15]. » — Judæi, ut : « Egredimini, filiæ Sion, et videte [16]. » — Infirmi, ut : « Filiæ tibi sunt? observa corpus earum [17]. » — Sæculares, ut : « Filiæ Sion ambulaverunt extento collo [18]. »

Petrus Cantor. Filii sunt adoptione ; unde : « Ego dixi : Dii estis et filii excelsi omnes [19]. » — Regeneratione ; unde : « Filioli mei quos iterum parturio [20], » et isti omnes sunt filii crucis. — Æterna hæreditate ; unde : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur [21]. » Hujusmodi filius non fuit Judas. — Imitatione ; unde : « Ut filii sitis Patris vestri qui in cœlis est [22]. » — Diffidentiæ ; unde Apostolus ad Ephesios : « Spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiæ [23], » vel de quibus diffiditur. — Iræ ; unde Apostolus ad Ephesios : « Nos eramus natura filii iræ [24], » id est vindictæ, gehennæ ; id est, debitores damnationis æternæ. « Natura » dicit, quia, peccante prius homine, vitium inolevit pro natura.

Filii hominum, per naturam. — Dæmonum, per imitationem. — Sanctorum, per instructionem. — Dei, per adoptionem. De primis dicitur : « Filii hominum, usquequo gravi corde [25] ? » In secundos invehitur Dominus dicens : « Vos ex patre diabolo estis [26]. » Pro tertiis dicitur : « Afferte Domino filios arietum [27]. » Quartis promittitur adoptio, secundum illud : « Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. »

Petrus Capuanus ad litt. vi, art. 33.

Filius

Dei.	Malorum.
Bonorum.	Diaboli.

Filius Dei per naturam vel per æternam generationem dicitur Verbum. Psalmus : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu : hodie genui te [28]. » — Qui et dicitur filius matris, per temporalem nativitatem. Evangelium : Virgo « peperit filium suum primogenitum [29]. » Qui etiam dicitur filius Ecclesiæ. Apocalypsis : « Peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea [30]. » Qui etiam dicitur filius noster, si fecerimus voluntatem ejus. Evangelium : « Qui fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, et soror, et mater est [31]. »

Dicuntur etiam alii filii Dei multis modis,

(1) *Tuæ.* Ps. lxxxv, 16. — (2) *Filius.* Luc. vii, 12. — (3) *Revixit.* Luc. xv, 24. — (4) *Dei.* Job i, 60. — (5) *Lugere.* Matt. ix, 15. — (6) *Canibus.* Matt. xv, 26. — (7) *Sumus.* I Joan. iii, 2. — (8) *Sunt.* Ps. xvii, 46. — (9) *Salute.* Job v, 4. — (10) *Alienorum.* Ps. cxliii, 7. — (11) *Mei.* Job xix, 17. — (12) *Generationem.* I Tim. ii, 15. — (13) *Sion.* Ps. ix, 15. — (14) *Vexatur.* Matt. xv, 17. — (15) *Misera.* Ps. cxxxvi, 8. — (16) *Videte.* Cant. iii, 11. — (17) *Earum.* Eccli. vii, 26. — (18) *Collo.* Is. iii, 16. — (19) *Omnes.* Ps. lxxxi, 6. — (20) *Parturio.* Gal. iv, 19. — (21) *Vocabuntur.* Matt. v, 9. — (22) *Est.* Matt. v, 45. — (23) *Diffidentiæ.* Eph. ii, 62. Cf. Job xli, 25. — (24) *Iræ.* Ephes. ii, 3. — (25) *Corde.* Ps. iv, 3. — (26) *Estis.* Joan. viii, 44. — (27) *Arietum.* Ps. xxviii, 1. — (28) *Genui te.* Ps. ii, 7. — (29) *Primogenitum.* Matt. i, 25. — (30) *Virga ferrea.* Apoc. xii, 5. — (31) *Mater est.* Matt. xii, 50.

scilicet: creatione. Job: « Quadam die quum assisterent filii Dei coram Deo, affuit inter eos et Satan [1]. » — Nutritura. Isaias: « Filios enutrivi et exaltavi [2]. » — Collatione bonorum temporalium. Isaias: « Primogenitus meus Israel [3]. » —Fide. Evangelium: « Justificata est sapientia (Christus) a filiis suis [4], » qui scilicet in eum credunt, et eum honorant. — Adoptione. — Imitatione. — Æterna hæreditate [*ut in Cantore*]. Aliquando dicuntur etiam filii specialiter angeli. Job: « Ubi eras, quum me laudarent astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei [5]? »

Filia Dei dicitur

Sapientia.	Fidelis anima.
Ecclesia.	*Filia Christi*, Caro ipsius.
Fides integra.	

Filii

Bonorum.	*Malorum.*
Bona opera.	Mala opera.
Quos in fide gignunt.	Hæreticorum discipuli.
Qui imitantur eos.	Filii diaboli mali.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. II, *de Filia*. Filia Dei allegorice dicitur Ecclesia; antonomastice, beata Maria; tropologice, quælibet anima fidelis. De qualibet istarum congrue intelligitur in psalmo: « Audi, filia, et vide. » Sed de sancta Ecclesia, seu de sancta Maria proprie intelligitur laus illa: « Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu supergressa es universas [6]. » Sed si de sancta Ecclesia intelligatur illa sententia, per filias ibi intelliguntur congregationes gentium, philosophicorum sive hæreticorum. Si vero de beata Maria, matre Christi et virgine, sit intellecta laudatio, per filias omnes animæ fideles in Christum credentes debent intelligi. — Per filias, infirmiores boni significantur; unde scriptum est in Canticis, quod Salomon « media ferculi sui charitate constravit, propter filias Jerusalem [7], » quia fideles animæ, licet argento divini eloquii non splendeant, nec auro divinæ contemplationis rutilent, nec purpura martyrii rubeant, tamen per dilectionem Dei et proximi pervenient ad regnum Dei. — Filiæ significant carnales quosque et leves in Ecclesia; unde: « Filiæ tibi sunt: conserva corpus earum, et ne ostendas faciem tuam hilarem ad eas. » — Filia Babylonis caro est, in vitiorum confusione enutrita; unde: « Filia Babylonis misera. » — Filiæ animæ sunt appetitus ejus; unde: « Oculus meus deprædatus est animam meam, in cunctis appetitibus carnis meæ [8]. » — Filiæ Dei dicuntur virtutes; unde legimus in vita sancti Joannis Eleemosynarii, quod Eleemosyna, in specie pulcherrimæ virginis ei apparens, ait: Ego sum prima filiarum Regis [9]. — Filiæ vero diaboli sunt vitia majora [*vide supra*, p. 96].

PETRUS et ÆGIDIUS.

I. *Aurora*, in Evangel., v. 1892-1901.

* Progrediens ex æde Petri, Salvator in urbem
* Tendit, cui nomen dicitur esse Naim.
* Hic adolescentem, quem jam tumulare ferebant,
* Suscitat, in mœsta gaudia matre novans.
* Qui videt exstinctum prius, et tunc luce fruentem,
* Miratur populus, magnificatque Deum.
Filius hic viduæ, quem Christus suscitat extra
Portas, est aliquis qui grave crimen alit.
Qui cadit in culpam, non solum mente, sed actu,
Sed tales surgunt sæpe, jubente Deo.

II. *Ibid.*, v. 2449-2470.

Vir geminos genuit pueros: puer unus, Hebræos;
Gentiles, alius; vir notat ille Deum.
Cum patre major habet curas; minor omnia vastat,
A patre discedens, cum meretrice manet.
Sic Judæa prius Domini præcepta tenebat,
Quum gentes agerent otia plena malis.
Omnibus exhaustis, miser ad patrem redit orans,
Invenit veniam pacificumque patrem.
Plebs ita gentilis, post idola facta fidelis,
Promeruit veniam propitiumque Deum.
Amissum puerum pater excipit ore sereno;
Occiso vitulo, fercula grata parat;
Annulus in digitis datur; artus vestis honorat;
Emittunt modulos organa, plectra, lyræ.

(1) *Satan.* Job I, 6. — (2) *Exaltavi.* Is. I, 2. — (3) *Israel.* Exod. IV, 22.—(4) *Suis.* Matt. XI, 19.— (5) *Dei.* Job XXXVIII, 7. — (6) *Universas.* Ps. XXXVII, 5. — (7) *Jerusalem.* Cant. III, 10. — (8) *Meæ.* Thren. III, 51. — (9) *Regis.* Bolland. *Acta SS.* ad diem XXIII Jan. p. 500, c. II, n. 11.

Occisus vitulus Christus fuit in cruce passus :
Ecclesiam redimit iste cruore suo.
Annulus iste fidem demonstrat ; veste notatur
Immortalis honor : dat Deus ista suis.

Et licet in fratrem major livore gravetur,
Huic tamen arrident gaudia læta patris.
Sic licet invideant Judæi Gentibus, illas
Cantibus angelicis suscipit aula poli.

VII.

÷ 1. Infans, Christus : « Delectabitur infans ab ubere, super foramine aspidis [1]. »

÷ 2. Neophyti, vel novitii : « Quasi modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite [2]. »

÷ 3. Humiles, vel insontes : « Ex ore infantium vel lactentium perfecisti laudem [3]. »

÷ 4. *Infantia,* innocentia parvuli. In psalmo, ubi supra.

VIII.

1. Parvulus, Christus [4] : « Parvulus natus est nobis [5]. »

÷ 2. *Parvuli,* sancti, spiritu humiles. In psalmo : « Custodiens parvulos Dominus [6]. »

÷ 3. Et in malam partem. In Osee : « Parvuli eorum elidantur [7]. »

÷ 4. Cogitationes pravæ, priusquam in opere perficiantur. In psalmo : « Beatus qui tenebit et allidet parvulos tuos ad petram [8]. »

÷ 5. *Lactantes,* fide proficientes, ubi et supra.

÷ 6. *Ablactatus*, Christus, de quo per Isaiam : « Delectabitur infans ab ubere, super foramine aspidis, et in caverna reguli qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. »

÷ 7. *Ablactati*, perfecti, a simplici cibo doctrinæ abstracti, ubi et supra : « Ablactatos a lacte, et appulsos ab uberibus [9]. »

IX.

1. Puer, Christus : « Puer autem Jesus proficiebat [10]. Puer natus est nobis. »

2. Deo serviens [11] : « Ecce ego et pueri mei, quos mihi dedit Deus [12]. »

÷ « Quando erat Omnipotens in tabernaculo meo mecum, et in circuitu meo pueri mei [13]. Pueri, quid pulmentarii habetis [14] ? »

÷ 3. Teneritudo novitiorum et inchoantium : « Boves arabant et asinæ pascebantur juxta eos, et irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, et pueros percusserunt gladio, et evasi ego solus [15]. »

÷ 4. Propheticus sermo : « Est puer unus hic [16]. » Hic est puer qui mittitur ad deducendam Rebeccam, in conjugio Isaac [17].

(1) *Aspidis.* Is. xi, 8. — (2) *Concupiscite.* 1 Petr. ii, 2. — (3) *Laudem.* Ps. viii, 3. — (4) *Christus, ubi et supra* B-G. — (5) *Nobis.* Is. ix, 6. — (6) *Dominus.* Ps. cxiv, 6. — (7) *Elidantur.* Osee xiv, 1. — (8) *Petram.* Ps. cxxxvi, 9. Ad hæc Grabius, in apograph. suo : *Nonnulla istic transposita sunt, sed ex Mesmiano codice ita restituuntur.* Notandum præterea et in codice Argentinensi hæc translata eodem modo esse. — (9) *Uberibus.* Is. xxviii, 9. — (10) *Proficiebat.* Luc. ii, 80. — (11) *Sancti, a puritate appellati. In Isaia : Ecce* B-G. — (12) *Deus.* Is. viii, 18. — (13) *Mei.* Job xxix, 5. — (14) *Habetis.* Joan. xxi, 5. — (15) *Solus.* Job i, 15. — (16) *Hic.* Joan. vi, 9. — (17) *Isaac.* Genes. xxiv, 52.

÷ 5. Innocentes, sed adhuc infirmi : « Ignis Dei descendit de cœlo, et tactas oves, puerosque consumsit [1]. »

÷ 6. Circumspectiones mentis, sive cogitationes, ut supra : « Pueros percusserunt. »

5 ÷ 7. Stulti : « Nolite pueri effici sensibus [2]. »

÷ 8. *Puer centum annorum*, peccator : « Quoniam puer centum annorum morietur [3]. »

X.

÷ 1. [PUELLA [4], Ecclesia] : « Sic et sic loquuta est puella [5]. Soror nostra parvula [6]. »

10 ÷ 2. [Lex Moysis] : « Vocemus puellam, et inquiramus [7]. Egressa est puella [8]. »

÷ 3. [Prophetica doctrina] : « Non est mortua puella, sed dormit [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

ORIENTIUS, *de nat. Dom.*, v. 6 et 150.

15 EUCHERIUS, ed. I, p. 18; ed. II, col. 756 A ad VIII, 1, 2, 3.

GREGORIUS M. Infans, Dominus, ut ibi : « Delectabitur infans, etc. » — Infans quilibet regeneratus, quilibet noviter conversus, sicut de quibusdam per Petrum di-20 citur : « Sicut modo geniti, etc. » — Pueri, qui in cœlestibus mandatis deserviunt; unde Job, in persona Ecclesiæ : « Quando erat, inquit, Omnipotens, etc. » — Inchoantes 25 et teneri, ut ibi : « Et percusserunt pueros gladio. » Tales enim pueros hostis gladio percutit, dum æternitatis desperatione transfigit. — Vel per pueros occupationes mentis intellige, quas ignis descendens 30 de cœlo urit, dum cordis nostri custodiam flamma livoris incendit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. IV, c. 7, p. 184.

RABANUS. Infans, Christus, ut : « Delec-35 tabitur, etc. » — Electus, ut : « Infans octo dierum circumcidetur [10]. » — Sermo Dei, ut : « Si formatus fuerit infans [11]. »

Puer, Christus, ut : « Puer parvulus minabatur eos [12]. » — Populus Judaicus, ut : « Est puer unus hic. » — Innocens, ut : « Laudate, pueri, Dominum [13]. » — Cives patriæ cœlestis, ut : « Pueri mei mecum sunt [14]. » — Judæi, ut : « Ursi laceraverunt quadraginta duos pueros [15]. »

PETRUS CANTOR. Parvulis, sive juvenibus Salvator ait : « Sinite parvulos venire ad me [16]. » Paulus : « Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote. » Ipse filius Sirach : « Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies ea in senectute [17]? » Basilius : In quibusdam te exhibe senem, in quibusdam infantem. Perfectus enim dicitur, non qui in ætate, sed qui in sensu perfectus est : non tibi obest puerilis ætas, si fueris mente perfectus; nec proderit ætas, si fueris parvulus sensu [18].

Puer dicitur Christus, propter officium; unde : « Non veni ministrari, sed ministrare [19]. » — Propter paupertatem; unde : « Vulpes foveas habent, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet [20]. » —

(1) *Consumsit.* Job I, 16. — (2) *Sensibus.* I Cor. XIV, 20. — (3) *Morietur.* Is. LXV, 20. — (4) *Puella.* Desunt initia trium distinct. in uno codice, ubi cætera supersunt. E commentariis utcumque supplentur desiderata. — (5) *Puella.* IV Reg. V, 4. — (6) *Parvula.* Cant. VIII, 8. — (7) *Inquiramus.* Genes. XXIV, 55. — (8) *Puella.* Genes. XXXIV, 1. — (9) *Dormit.* Matt. IX, 24. — (10) *Circumcidetur.* Genes. XVII, 12. — (11) *Infans.* Exod. XXI, 22. — (12) *Eos.* Is. XI, 6. — (13) *Dominum.* Ps. CXII, 1. — (14) *Sunt.* Luc. XI, 7. — (15) *Pueros.* III Reg. XX, 19. — (16) *Me.* Marc. X, 14. — (17) *Senectute.* Eccli. XXV, 5. — (18) *Sensu.* Basil. Cf. t. III, p. 836 A. — (19) *Ministrare.* Matt. XX, 28. — (20) *Reclinet.* Luc. IX, 58.

Propter puritatem; unde: « Peccatum non fecit [1]. » — Propter humilitatem; unde: « Humiliavit semet ipsum [2]. » — Propter mansuetudinem; unde: « Mansuetus sicut ovis quæ portatur ad victimam [3]. » — Propter obedientiam; unde: « Christus factus est pro nobis obediens. » Sed maxime propter hæc tria dicitur puer: propter puritatem, simplicitatem et obedientiam.

Pueri dicuntur, propter ætatem; unde: « Pueri Hebræorum, etc. » — Propter humilitatem; unde: « Nisi efficiamini sicut parvuli [4]. » — Propter omnimodam puritatem; unde: « Pueri mei mecum sunt. » — Propter simplicitatem; unde Petrus: « Quasi modo geniti infantes. » Et: « Laudate, pueri, Dominum. » Et super hunc versum dicit Augustinus: Nemo, nisi puer, intrat in regnum cœlorum [5]. — Propter stoliditatem; unde: « Pueri, numquid pulmentarium habetis? » Item: Maledictus puer centum annorum. Ait enim Isaias: « Puer centum annorum morietur, et peccator centum annorum maledictus, » ille scilicet qui etsi diu, tamen pueriliter vixit, serviens vitiis.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVI, art. 33.

Puer.

Christus, propter	*Apostoli*, propter observantiam divinorum mandatorum.
Puritatem.	
Humilitatem.	*Ecclesia*, propter
Mansuetudinem.	
Obedientiam.	Humilitatem.
Ministerium.	Simplicitatem.

Puer vel *parvulus*.

Lex mosaica.	*Pueri* ætate.
Prophetica doctrina.	— intelligentia.
Principes stulti.	— sensu.
Primi motus.	— humilitate.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. V, *de Puero*. Puer [6] dictus est Dominus, et fuit secundum ætatem et verissimam innocentiæ puritatem; unde: « Puer natus est nobis. » Puer significat fatuitatem, vel sensus parvitatem, animi levitatem, infirmitatem non tam corporis quam mentis, ut ibi, secundum sensum moralem: « Ne extendas, Abraham, manum tuam super puerum [7]; » id est, o prælate, ne aggraves potestatem tuam super infirmum, aut super tibi plene subditum, quia antiqua laus est et generaliter approbata:

> Parcere subjectis, et debellare superbos.

Dixit quidam de simplicitate puerorum, quod me dicere delectat:

> Sonent laudem pueri, sonent et provecti,
> De cisterna veteri pariter ejecti.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Puer a puritate vocatus, quia purus est; nondum adhuc lanuginem, floremque genarum habens. Puer innocens est, purus, simplex, verax, munificus; pro parvo temperat iram; læsus, non meminit, ad matrem recurrit, vulnus ostendit, matri de facili lacrymatur. Vel puer dicitur [8] a pus, quod est custodia, quia sub custodia debet esse. Pustula dicitur a pus, quod est putredo, unde versus:

> *Pus*, pro *putredo*, non declinabile puto:
> *Pus* declinatur, *custodia* quando notatur.

Versus:

> Purus et infirmus, fatuus, lenis, humilis, infans,
> Est puer; incultus, mundus, docilisque, jucundus;
> Læsus non meminit; parvo contentus, obedit.

Puer.

Christus.	Innocens.
Populus judaicus.	Civis cœlestis.

FULCOIUS BELLOVACENSIS [9].

Utrumque, de nuptiis Christi et Ecclesiæ, in lib. VI.

> Nascere, lux mundi. Nox, occide, tetra profundi
> Pax erit in terris, quæ tunc descendet ab astris;
> Bos non draconem metuet, non agna leonem:

(1) *Fecit*. II Cor. V, 21. — (2) *Ipsum*. Phil. II, 8. — (3) *Victimam*. Jerem. XI, 19. Hæc omnia cf. cum Isid. Etym. l. XI, c. 2, n. 11. — (4) *Parvuli*. Matt. XVIII, 3. — (5) *Cælorum*. August. *Enarr.* in ps. CXII, n. 1, t. VII, col. 1784 B. — (6) *Puer*. Præludit in etymon, uti infra anon. Clarevall. — (7) *Puerum*. Genes. XXII, 12. — (8) *Dicitur*. Prius etymon ex Varrone, Censorino et Isid., posterius ex ignotis et sequioribus grammaticis. Versiculi alii e *synonymis* Matthæi Vindocinensis; alii, nescio quo fonte, triviales. — (9) *Bellovacensis*. Ultimus pene e nostris rei symbolicæ vatibus prodit ille Fulcoius, ætate quidem cæteris prior, neque laude sane inferior, neque ultimo loco habendus. De eo cf. *Hist. rei litter. franc.* t. VIII, 113.

Agnis atque lupis, canibus concordia cervis
Tunc erit, et nullum serpens spuet ille venenum.
In caput antiqui calcabis tu, Puer, anguis.

Nascere, lux mundi. Nox, occide, tetra profundi.
5 In cordis nebula quum lux tibi mane refulsit,
Quam, licet ignorans, libas summo tenus ore,
Optasti vitæ spatium supcresse supremæ,
Ut de temporibus pueri, divine poeta,
Quum caneres, te carminibus, te non superarent
Orpheus atque Linus, quamvis in carmine docti,
Ille deæ puer, ille Dei juvamine freti,
Calliope genitrix, genitor licet esset Apollo,
Orpheu, musa tibi; Line, sit musæ tibi rector.
Regibus hoc celat Dominus, servisque revelat;
Parvulus hoc scivit, sapiens quod scire nequivit:
Est nova par veteri, par ultima musa priori.
Infantis linguam vult, qui facit esse disertam.

XI.

1. Adolescentes, operibus proficientes [1]: « Scribo vobis, adolescentes, quia
10 fortes estis [2], et verbum Domini in vobis manet [3]. »

÷ 2. Et in aliam partem [4]: « Adolescentia et voluptas vanæ sunt [5]. » ÷ In psalmo: « Juvenes eorum comedit ignis [6]. »

÷ 3. *Juvenes*, alacres in Deum. In epistola Joannis: « Scribo vobis, juvenes, quia vicistis malignum. »

15 ÷ 4. *Adolescentulæ*, animæ reproborum, quæ tantum audire delectantur, nihil operis boni actione generantes. In Canticis: « Adolescentularum non est numerus [7]. »

XII.

1. Senes, consummati justitia [8]: « Mortuus est senex et plenus dierum [9]. Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata [10]. »

20 ÷ 2. Item [11], in malam partem, de peccatore perfecte stulto, qui nescit providere in posterum.

÷ 3. *Juvenes* et *senes*, apostoli et prophetæ. In Joel: « Senes vestri somnia somniabunt, et juvenes vestri visiones videbunt [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

25 Eucherius, ed. i, p. 18; ed. ii, col. 755; ad xi, 1, 2, 3; ad xii, 1, 2.

Rabanus. Juvenes, fortes, ut: « Scribo vobis, juvenes, quia vicistis malignum. » — Lascivi, ut: « Juvenes eorum c. i. » — 30 Leves, ut: « Videbant me juvenes, et abscondebantur [13]. » — Juventus, primæva ætas hominis, ut: « Deus, docuisti me a juventute mea [14]. » — Initium bonæ vitæ, ut: « Sicut dies juventutis tuæ, ita senectus tua [15]. » — Reversio ad bonum, ut: « Renovabitur ut aquilæ juventus tua [16]. »

Adolescentulæ, animæ sanctorum, ut: « Adolescentulæ dilexerunt te [17]. »

Senex, perfecti, ut: « Abraham mortuus, etc. » — Malitia antiqua, ut: « Lactentem

(1) *Adolescens* B, C. *Fideles, sive operibus proficientes, in epistola Joannis* B-G. (2) *Scribo vobis Joannes* B, C. Lege *Juvenes*, et adde quæ in 1 dist. Utramque enim in unam conflare liceret. — (3) *Manet*. I Joan. ii, 13, 14.—(4) *In malam partem*. G. Dist. 3 et 4 desunt in B, C. — (5) *Sunt*. Eccle. xi, 10. — (6) *Ignis*. Ps. lxxvii, 70. —(7) *Numerus*. Cant. vi, 7. —(8) *Consummati in sultitia, sicut in Genesi... et in Salomone: Cani* B-G.—(9) *Dierum*. Genes. xxxv, 29.— (10) *Immaculata*. Sap. iv, 8.— (11) *Item*. Dist. deest in E. — (12) *Videbunt*. Joel ii, 28. — (13) *Abscondebantur*. Job xxix, 8. — (14) *Mea*. Ps. lxx, 17. — (15) *Tua*. Deuter. xxxiii, 25. — (16) *Tua*. Ps. cii, 5. — (17) *Te*. Cant. i, 3.

cum homine sene[1]. » — Maturitas, ut : « Dominus ad judicium veniet cum senibus[2]. » — Prælati, ut : « Senes ejus prudentiam doceant[3]. » — Senectus, perfectio, ut : « Ibis ad patres tuos in senectute bona.[4] » — Defectus virtutum, ut : « Ne projicias me in tempore senectutis[5]. »

Petrus Cantor. Juventus est naturæ, scilicet ætatis; unde : « Junior fui, etenim senui[6], etc. » — Culpæ; unde : « Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris[7]. » — Gratiæ; unde : « Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam[8]. » — Gloriæ; unde : « Renovabitur ut a. j. t. » — Virtutis; unde : « Spes mea a juventute mea[9]. » — Erroris et temeritatis; unde : « In quo corrigit adolescentior viam suam[10] ? » — Castitatis; unde : « Habitabit juvenis cum virgine sua[11]. »

Senectus est ætatis; unde : « Senes, ut patres[12]. » — Dignitatis; unde : « Exaltent eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum[13]. » — Corruptionis, secundum quod mundus dicitur senescere ; unde Apostolus : « Omne quod antiquatur et senescit, prope interitum est.[14] »

Petrus Capuanus ad litt. i, art. 32. Adolescens, vel adolescentia per gratiam, sunt augmenta bonorum. Quandoque dicitur per fidem novam primitiva Ecclesia. — Adolescentulæ etiam, per obsequii impensam et familiaritatis gratiam, dicuntur fideles. — Dicitur quandoque adolescens per lasciviam sive malitiam. Actus : « Et testes deposuerunt vestimenta secus pedes adolescentis[15]. » — Evangelium : « Adolescens, tibi dico, surge[16]. » — Adulta etiam fuit lex in primitiva Ecclesia, quæ per Moysen designatur in Exodo : « Suscepit mulier (Synagoga) puerum (legem), et nutrivit, adultumque tradidit filiæ Pharaonis (gentili Ecclesiæ), quæ illum adoptavit in locum filii[17]. »

Idem ad litt. ix, art. 24.

Infantia

Ætatis primævæ.	Gratiæ.
Litteræ.	Ecclesiæ. Solet enim in-
Intelligentiæ.	fantia Ecclesiæ distin-

gui ab Adam usque ad Noe; pueritia, a Noe usque ad Abraham ; adolescentia, ab Abraham usque ad David ; juventus, a David usque ad transmigrationem Babylonis; virilitas, usque ad Christum; decrepita senectus, ad finem mundi, quando Ecclesia non poterit parere propter Antichristum.

Idem, ib., art. 25.

Juventus

Ætatis.	Christus.
Temeritatis.	Saulus.
Castitatis.	Joseph.
Longanimitatis.	Job.
Acuminis sive discretionis.	Daniel.
Glorificationis.	Christus resurgens a mortuis.

Idem ad litt. xviii, art. 53.

Senectus

Discretionis.	Fatigationis.
Ætatis.	Iniquitatis.

Distinctionum monasticar. lib. ii, *de Juventute*. Juventus alia naturæ, alia culpæ, alia gratiæ, alia gloriæ. Juventutem naturæ omnes noverunt, qui alicujus scientiæ habent memoriam. De hac tamen quidam ait, reprehendens quosdam qui in juventute studiose congregant temporalia, ne in senectute tabescant inopia ; ait itaque sic :

> In diebus juventutis
> Timent annos senectutis,
> Ne fortuna destitutis
> Desit eis splendor cutis.

Et dum quærunt medium[18], vergunt in contrarium : fallit eos vitium specie virtutis.

(1) *Sene*. Deuter. xxxii, 25. — (2) *Senibus*. Is. iii, 14. — (3) *Doceant*. Ps. civ, 22. — (4) *Bona*. Genes. xv, 15. — (5) *Senectutis*. Ps. lxx, 9. — (6) *Senui*. Ps. xxxvi, 25. — (7) *Memineris*. Ps. xxiv, 8. — (8) *Meam*. Ps. xlii, 5. — (9) *Mea*. Ps. lxx, 7. — (10) *Suam*. Ps. cxviii, 9. — (11) *Sua*. Is. lxii, 5. — (12) *Patres*. I Tim. v, 1. — (13) *Seniorum*. Ps. cvi, 32. — (14) *Est*. Hebr. viii, 13. — (15) *Adolescentis*. Act. vii, 58. — (16) *Surge*. Luc. vii, 14. — (17) *Filii*. Exod. ii, 10. — (18) *Medium*. Rhythmus forsitan continuatur.

Juventus culpæ alia est præcipitationis et audaciæ, alia lubricitatis et lasciviæ. De illa ait Psalmista : « Delicta juventutis, etc. » De hac dictum est illud : « Juvenes eorum 5 c. i. », id est, lubricos eorum et lascivos comedit flamma libidinis. In illa namque ætate calor naturalis abundat, qui parcitate ciborum et potuum reprimendus est. Quia, sicut ait beatus Hieronymus, non Ætnæi 10 ignes, non Vulcania tellus, non Vesevus et Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ et dapibus [1].

Tunc Venus in venis, ignis in igne, furit.

Sunt senes in quibus ista juventus inve-15 nitur; unde quidam ait :

Veterascunt corda senum,
Nec refrænant motus renum.

Sed sciendum quod juventus ista, quæ non ætatis est, sed lubricitatis, licet in quo-20 libet homine sit vitiosa, in senibus tamen est ignominiosa, juxta quod ait quidam versificator egregius :

Non par involvit puerumque senemque reatus,
Errat amando puer, sævit amado [2] senex.

25 Nam ubi pugnat amor, ibi casus excusabilior. Est autem, sicut fere omnibus manifestum est, gravior in talibus infestatio juvenum quam senum; unde quidam ait :

Deliciis plenum dum ver adventat amœnum,
30 Sollicitans juvenum corda, movensque senum,
Affectu quivis ducatur et ordine quovis,
Deliciis, fateor, innovor ipse novis.

De juventute gratiæ est illud : « Deus, docuisti me a juventute mea, » id est a 35 renovatione mea per gratiam. Hæc multiplex est; sed non est meæ facultatis omnes ejus species exprimere : duas tantum ad instructiones pauperum, quibus ego vades sum [3], assignare et auctoritatibus asserere 40 tentabo. Altera est pœnitentiæ, altera vero fortitudinis : de illa quæ est pœnitentiæ, est illud in psalmo : « Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. » De illa quæ est fortitudinis, loquitur beatus Joannes in epistola cano-45 nica, dicens : « Scribo vobis, juvenes, quia vicistis malignum. » Hanc autem juventutem commendavit sanctus Sixtus in beato Laurentio, dicens ad eum : Nos quasi senes levioris pugnæ cursum suscepimus; te quasi juvenem gloriosior manet de tyranno triumphus [4]. Et hæc commendatur in illa Domini promissione, prolata per prophetam, qua consolatur Ecclesiam primitivam, mœstam de paucitate fidelium : « Complacuit, inquit, Domino in te, et terra tua inhabitatur; habitabit enim juvenis cum virgine sua; » id est fortis operarius cum infirmo pudico et continente.

Juventus gloriæ tunc erit, quando reformabit Dominus corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Quod nobis præstare dignetur, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Juvenis.

Fortis.	Prima ætas.
Lascivus.	Initium bonæ vitæ.
Lenis.	Reversio ad Deum.

Senex.

Perfectus.	Malitia vetusta.
Maturus.	Defectus virtutum.
Prælatus.	

FULCOIUS.

Utrumque, de nuptiis Christi et Ecclesiæ, in lib. III.

Heu! quia nemo potest, vel parvo tempore vitæ,
Perpetuo gaudere bono; tristis, quia lætus;
Lætior unde fuit, mox tristior inde futurus.
Arboris in morem quæ ponit, habetque decorem,
Vivit homo, qui idem jam felix, jam miser idem.
Ver intrat : foliis viret hæc. Intravit et æstas :
Floribus arridet, ramisque propaginat umbras.
Autumnus sequitur : se ferre negans, alienum
Postulat auxilium, non duratura diu sic.
Venit hiems, cujus boreas comitatur et Eurus,
Imbres et glacies, grandisque procella pruinæ :
Fetibus [5] et foliis stupet arbor dedecorata,
Dum viret et floret, fructumque ferendo decora.
Sic homo dum vivit, per tempora fluctuat altum,
Ut rota, nunc supra graditur, nunc volvitur infra.

(1) *Dapibus.* Hieron. *Epist.* LIV, n. 9, t. I, p. 287. — (2) *Amado.* Ita codex, nec videtur bis legendum : *amando*; sed fugit me et sententiæ et vocabuli acumen. — (3) *Vates sum.* Cod. — (4) *Triumphus.* Apud Bolland. *ad diem* x *Aug.* p. 490, ex S. Ambros. *Offic.* l. I, c, 41. — (5) *Fructibus*, forte melius.

XIII.

1. Virgo, Ecclesia [1], fide integra : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo [2]. »

2. Continentes [3], sive propter Deum, sive propter cœnodoxiam : « Simile est regnum cœlorum decem virginibus [4]. » ÷ « Virgo Israel, revertere [5]. Et virgines eorum non sunt lamentatæ [6]. Virgines meæ et viduæ [7]. » ÷ Et in Amos propheta : « In illa die deficient virgines [8]. »

÷ 3. Animæ sanctorum, a corruptione mundi per quinque sensus corporis continentes. In Evangelio : « Simile est [9], etc. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, *Carm.* vi, v. 4.

Sylvius, *de Nominib. Christ.* v. 8.

Eucherius, ed. i, p. 17, ad 1, 3; ed. ii, col. 755.

Orientius, *de nat. Dom.* v. 1 et 114.

Rabanus. Virgo, beata Maria, ut : « Ecce virgo concipiet et pariet [10]. » — Ecclesia, ut : « Despondi, etc. » — Anima sancta, ut : « Virginem ducet uxorem [11]. » — Mens prava, ut : « Sede in pulvere, filia Babylonis [12]. » — Plebs Judæorum, ut : « Virgo Israel projecta est [13]. »

Petrus Cantor. Virgines quædam sunt fatuæ, omnes scilicet mali, qui non bonam conscientiam, sed humanam laudem quærunt; et ideo lampades eorum in adventu judicis exstinguuntur. Unde in Evangelio legitur quod non habent mercedem, quia receperunt laudem. — Quædam sapientes sive prudentes, omnes scilicet boni, qui in bonis operibus quæ faciunt, non quærunt laudem humanam, sed bonam conscientiam. De his virginibus, fatuis scilicet et sapientibus, dicitur in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum, etc. » — Decem virgines sunt universi credentes bona opera exhibentes; lampades, bona opera; oleum, gratia, sive bona conscientia. Virgines ergo fatuæ sunt omnes mali, qui pro æternis non faciunt quidquid faciunt; sapientes vero pro æternis faciunt. De sapientibus dicit Isidorus : Qui casti perseverant et virgines, angelis Dei efficiuntur æquales [14].

Virginali statui triplex assignatur privilegium : fructus centesimus, cantare canticum novum, sequi Agnum utroque pede. Unde præeminentia quam habebunt in futuro, virgines scilicet, martyres et prælati, appellatur aureola, quæ scilicet eis debetur.

Virginitas alia quæ est casta, de qua dicitur : « Despondi, etc.; » et de hac dicitur : Virginitas implet cœlum, sicut terram conjugium. Virginitas casta est, quæ pro æternis tantum observatur, et major est virtus quam martyrium : nam uno momento fit martyrium; sed virginitas cum lucta et pugna longa. — Alia quæ non est casta, nec est virtus, quæ dici solet carnis integritas, quia si virginitatem quis servaverit propter cupiditatem famæ vel lucri temporalis, virginitate casta caret. De hac dicitur: Virginitas si labitur, nullatenus reparatur. Augustinus : Nihil prodest virginitas corporis, ubi operatur corruptio mentis [15]. — Item Hieronymus : Nihil prodest habere

(1) *Ecclesia, eo quod sit fide incorrupta, in Apostolo* B-G. — (2) *Christo.* II Cor. xi, 2. — (3) *Animæ continentium, non propter æternam retributionem, sed propter favorem laudis humanæ. Ubi et supra Et quinque fatuæ* B-G. — (4) *Virginibus.* Matt. xxv, 1. — (5) *Revertere.* Jerem. xxxi, 21. — (6) *Lamentatæ.* Ps. lxxvii, 63. — (7) *Viduæ.* Thren. ii, 21. — (8) *Virgines.* Amos viii, 13. — (9) *Est.* Art. totus post xxv rejicitur in B-G. — (10) *Pariet.* Is. vii, 14. — (11) *Uxorem.* Levit. xxi, 13. — (12) *Babylonis.* Is. xlvii, 1. — (13) *Est.* Amos v, 2. — (14) *Æquales.* Isid. t. vi, p. 246. — (15) *Mentis.* August. *Opp.* t. v, p. 2165.

carnem virginem, si mente quis nupserit [1]. Item dicitur : Virginitas in corpore nihil proderit, si charitas aut humilitas a corde discesserit.

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 90.

Virginitas		
Carnis.	Mentis.	Tartari.

Virgo	
Universalis, Ecclesia. Singularis, beata Maria. Particularis, Judæa.	Spiritualis, mens pudica. Infernalis, mens corrupta.

Virgo singularis, gloriosa Virgo Maria. Isaias : « Ecce virgo concipiet. » Hæc est nubes illa lucida, quæ solis formationem præcessit, et de qua factum dicitur corpus solare, quando sol justitiæ « ascendit super nubem levem, ut ingrederetur Ægyptum [2]. » Hæc est terra illa rubra vel virgo, de qua primus Adam formatus est, quando descendens sicut pluvia in vellus, « veritas de terra orta est, et terra nostra dedit fructum suum [3] ; » quum aperta est terra et germinavit utique Salvatorem ; nec minus fuit de terra virgine et inculta sola manu Dei formare humanam carnem, quam de carne Virginis, sola manu Spiritus sancti, sine commixtione alicujus, formare aliam carnem humanam. Hæc est aurora, quæ solis ortum præcedit. Hæc est arca illa Noe, per quam salvatum in diluvio genus humanum, quia scilicet in mari hujus mundi, « ubi reptilia quorum non est numerus [4], » salvantur et benedicantur hi qui per mulierem fuerant maledicti, quando scilicet, mutato nomine Evæ, angelus illi dixit : « Ave, gratia plena. » Hæc est columba illa emissa, quæ manentibus in arca pacem mundo redditam nuntiavit. Hæc est Sara sterilis, quæ per repromissionem, contra naturam, fecunditatem accepit. Hæc est scala illa Jacob, per quam angelos ascendentes et descendentes respexit, quia et per hanc apostoli et evangelistæ multa didicerunt de Christo, utpote ab ea quæ secreta omnia familiariter et plenius noverat, quæ postmodum alii cœli novi annuntiaverunt, tamquam angeli ascendentes et descendentes super Filium hominis, nunc divinitatem ejus, nunc humanitatem ejus, tamquam dies diei verbum, enarrantes. Hæc est sextupla spica Joseph, quæ, in fame hujus mundi, grano frumenti horrea nostra replevit. Hæc est fiscella illa scirpea, in qua noster Moyses inventus est. Hic est rubus, in quo apparuit Dominus Moysi. Hæc est illa nubes, quæ filiis Israel manna pluebat. Hæc est virga Aaron, quæ, licet arida, subito tamen germen protulit, et fructum uberius pullulavit. Hæc est urna aurea, in qua manna continebatur. Hæc est vellus Gedeonis, quæ, area remanente sicca, compluitur. Hæc est funda illa David, quæ lapidem unum emisit, qui Goliam antiquum postravit. Hic est thronus Salomonis, quem rex fecit sibi de ebore. Hæc est domus illa, quam Sapientia sibi ædificavit, quando excidit columnas septem, et septem dona Spiritus sancti ejus mentem solidaverunt. Hic est hortus, in quem ascendit dilectus colligere fructus pomorum suorum. Hic est liber, de quo dicit Isaias : « Dabitur scienti litteras, et dicetur ei : lege [5]. » Hæc est mulier, quæ, secundum Jeremiæ vaticinium, « circumdedit virum gremio uteri sui [6]. » Hæc est porta in domo Domini, quæ, secundum Ezechielem, semper clausa mansit, quia virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Hic est mons, de quo, secundum Danielem, lapis sine manibus et opere viri præscinditur. Hæc est oliva, quæ a Zacharia propheta prospicitur, quia Virgo sancta illud oleum eliquavit, quod infusum est vulneribus sauciati. Hoc est castellum, in quo Martha excepit Jesum, et Maria sedebat ad pedes ejus, quia in castello pectoris sui illæ duæ vitæ, activa et contemplativa, conjunctæ fuerunt. Hæc est mulier amicta sole, quæ, secundum Apocalypsim, habet in capite coronam stellarum duodecim, quia apostolorum duodenarius circulus hanc et adorat et adornat,

(1) *Nupserit*. Hieron. t. ii, p. 227. — (2) *Ægyptum*. Is. xix, 1. — (3) *Suum*. Ps. lxxxiv, 12; lxvi, 7. — (4) *Numerus*. Ps. ciii, 25. — (5) *Lege*. Is. xxix, 11. (6) *Sui*. Jerem. xxxi, 28.

juxta quod legitur in Actibus : « Hi omnes erant perseverantes in oratione unanimiter cum mulieribus et Maria matre Jesu [1]. »

LAURENTIUS.

Hypomnesticon, in lib. VII.

Eva parens, pariens pro pignore pignera mortis,
Quod paris, ecce perit; quod vel obest, id abest.
Damna tuis, tibi probra paris; sed damna tuorum
Et tot probra tui dulce levamen habent.
Virgo Dei, medicina rei, tua teque juvabit :
Publica nostra salus; Virgo Maria parit.
Hæc parit unde perit tuus furor et tuus error,
Quo tu, quo nati deperiere tui.
Quos sternis, relevat; quos vincis, ipsa resolvit;
Quos lædis, sanat; quos premis, ipsa fovet.
Destruis, instaurat; cæcas, illuminat; urges,
Expedit; occidis, vivificat. Quid enim est?
Per te nonne malum est? Per te confusio, per te
Anxietas, per te mors mala cœpit atrox.
Sed mala, sed probra, sed fera mortis acumina pellit,
Virgo salus, virtus femina, mater honos.
Si qua tui sceleris vestigia stare videntur,
Irrita virginea jam probitate cadent.

XIV.

÷ SPONSUS, Christus, ideo quod a Patre ab initio sit promissus. In psalmo : « Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo [2]. »

XV.

1. SPONSA, Ecclesia : « Veni a Libano, sponsa, veni a Libano [3]. »
÷ 2. Vel anima, ubi supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

DAMASUS, *Carm.* v. 3, et *Decret.* col. 790.
SYLVIUS, *de Nomin. Christi*, v. 6.
EUCHERIUS, ed. I, p. 17; ed. II, col. 755 B ad XIV et XV, 1 ad 14.
ORIENTIUS, *de Nat. Dom.*, v. 3 et 128.
ISIDORUS, *Etymol.*, lib. VII, c. 2, n. 33.
NOTKER, *Sequentia* XXXVII, v. 10.

PETRUS CANTOR. Ecclesia dicitur sponsa in patriarchis; amica, in prophetis; proxima, in apostolis; columba, in Maria et Joseph; formosa, in confessoribus; soror, in virginibus;

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 22. Sponsus, Christus. Psalmus : « Tamquam sponsus, etc. » Ejus sponsa est Ecclesia. Evangelium : « Qui stat, et audit, et gaudio gaudet propter vocem sponsi [4]. » — Sponsus autem dicitur animus, cujus sponsa dicitur caro, cui animus tamquam sponsus debet præesse. Isaias : « Tamquam sponso, alligavit mihi mitram, et sic sponsa decoravit me ornamentis [5]. »

De primo sponso et sponsa pariter dicitur : « Exierunt obviam sponso et sponsæ [6]. » Hic sponsus hanc sponsam desponsavit in incarnatione, vel in passione, quando eam proprio sanguine redimendo, eam sibi in sponsam acquisivit. Sapientia : « Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis illius [7]. » Et in præsenti quidem facta est desponsatio dumtaxat, quando accepit sponsa a sponso dotem sanguinis. Epistola canonica : « Non corruptibilibus auro et argento redemti fuimus, sed pretioso sanguine agni immaculati [8]. » Et pignus fidei. Paulus : « Fide mundans corda eorum [9]. » Accepit etiam arrham sacramentorum. Et hinc fortasse etiam dicitur in Canticis : « Veni de Libano, sponsa; veni de Libano; veni. » Quia desponsata fuit primo fide in Abraham, quando « credidit Abraham, et reputatum est ei ad justitiam [10]. » Secundo, per arrham sa-

(1) *Jesu.* Act. I, 14. — (2) *Suo.* Ps. XVIII, 6. — (3) *Libano.* Cant. IV, 8. — (4) *Sponsi.* Joan. III, 29. — (5) *Ornamentis.* Is. LXI, 10. — (6) *Sponsæ.* Matt. XXV, 1. — (7) *Illius.* Cant. III, 11. — (8) *Immaculati.* I Petr. I, 19. — (9) *Eorum.* Ephes. V, 26. — (10) *Justitiam.* Gal. III, 6.

cramentorum in Moyse, quando « omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari [1]. » Tertio quasi per dotem sanguinis in Verbo, quando in sanguine testamenti sui « eduxit vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua [2]. » Traductio autem ipsius sponsæ fiet in futuro, quum traducetur sponsa in lectum sponsi. Interdum ergo ardenter desiderat sponsa oscula futura, inquiens in Canticis : « Osculetur me osculo oris sui [3]; » quando sponsus, qui eam supposito brachio temporaliter modo sustentat, eam in lectum traducens, recipiet inter amplexus. Cantica : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me [4]. » — Omnes autem fideles animæ sunt una sponsa, ei per fidem desponsata. Paulus : « Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. »

ANTONIUS DE RAMPIGOLLIS [5] in *Figuris biblic.*, c. 9, *Beatitudo*. « Dicite invitatis ut veniant, quia parata sunt omnia [6]. » Aliud : « Beati qui ad cœnam agni vocati sunt [7]. » Videmus quia in nuptiis principum bene ordinatis, unusquisque ponitur secundum dignitatem, ut principes et barones et milites; et ibi paterfamilias ordinat omnia bene, secundum necessitatem.

Spiritualiter. Nuptiæ sunt æternæ beatitudinis bene ordinatæ, quia nullus indignus potest intrare. Matthæi XXII : « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem [8]? » Et ibi paterfamilias cœlestis unicuique tribuit locum, secundum suam dignitatem. Joannis XXV : « In domo Patris mei multæ mansiones sunt [9]. »

Figura. Genesis XLIII. Joseph, dum dominaretur in terra Ægypti fratres suos invitavit, et magnum convivium illis paravit, quamvis ipsum in terra nativitatis vendiderunt pro triginta argenteis Ismaelitis.

Moraliter. Per Joseph, nota Christum; per fratres suos, nota homines in hoc existentes. Quamvis autem ipse ab eis fuit venditus et crucifixus, non reddens malum pro malo, sed ipsis redire volentibus, convivium magnum præparavit; et mittit quotidie et misit suos discipulos; omnes invitavit. Et ibi, sicut Joseph, secundum dignitatem primogenituræ ponet, id est secundum merita. Et ipse quum primogenitus sit Patris, ideo primum locum obtinet, ut ait in Psalmo : « Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ [10], » et post ipsum alii electi, secundum sua bona opera.

Unde Augustinus in quodam sermone : Ordo in illa patria servatur talis, quia una gloria fruentur omnes, tamen plus et minus, secundum merita præcedentia [11].

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Sponsus prudens, providus, castus, diligens, sollicitus, mansuetus, benignus.

Sponsus.

Christus. Animus.

Sponsa casta, fidelis, obediens, munda, amans, timida, ornata, pulchra, verecunda.

Sponsa.

Ecclesia. Anima. Caro.

FULCOIUS.

Utrumque, de nuptiis Christi et Ecclesiæ, in lib. VII.

Christus ab Ægypto remeat, de nocte lucerna,
Proficiens ætate, simul virtute superna,
Heroas heros sapiens inter sapientes.
Et jam tempus erit quo summus poscat honores,
Et regi cœli sponsetur filia mundi,
Cœlum cum terra respublica fiat una.
De Christi thalamis age jam, præcursor honeste,
Dic, age, dic mundo quod firmet pignora natæ;
Cum Christo dic divitias dotemque puellæ.
Sat fuerit felix, talem sortita maritum,
Qui rex et Deus est, et in hoc reges super omnes.

(1) *Mari*. I Cor. x, 2. — (2) *Aqua*. Jerem. XXXVIII, 13. — (3) *Sui*. Cant. I, 1. — (4) *Me*. Cant. II, 6; VIII, 3. — (5) *Rampigollis*. Ecce tibi, lector, nomen novum, sed notus auctor. Idem enim is demum est quem antea designavi inscius *Anonymum Præmonstratensem*. Adisis Prolegomena, rem, uti est, inspecturus. — (6) *Omnia*. Luc. XIV, 7. — (7) *Sunt*. Apoc. XIX, 9. — (8) *Nuptialem*. Matt. XXII, 12. — (9) *Sunt*. Ib. 2. — (10) *Terræ*. Ps. LXXXVIII, 18. — (11) *Præcedentia*. Forsan e serm. CCXXXVI, 5, in append. t. V et col. 298.

Sub teneris annis virtus perdura Joannis
Ambit desertum, callem parat et dat apertum :
Ut veniat sponsus, sponsi præcedit amicus.
Erigit exemplo, figit tentoria verbo,
Ac præconatur quod regi sponsa paretur,
Sic aiens : « Omnis, prope vestra redemtio, gens, est.
Mundum munda decent; et sponsum, sponsa pudica. »

XVI.

5 ÷ 1. Nuptiæ, copulatio Verbi divini et carnis. In Evangelio : « Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo [1]. »

÷ 2. Societas angelorum et hominum, per Dominum Christum facta. In Evangelio : « Et vos similes hominibus exspectantibus dominum suum, quando revertitur a nuptiis [2]. »

XVII.

10 1. Thalamus, anima, vel Ecclesia : « Et mensus est thalamum uno calamo in longum, et uno in latum [3].

÷ 2. Uterus Virginis : « Et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo [4]. »

÷ 3. Mens devota : « Benjamin, amantissimus Domini, tota die commorabitur in thalamo [5]. »

15 ## VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 18.

Rabanus. Nuptiæ, gaudia æternæ vitæ, ut : « Quando revertitur a nuptiis. » — Vocatio 20 Ecclesiæ, ut : « Qui fecit n. f. s. »

Thalamus, uterus Mariæ, ut : « Tamquam sponsus, etc. » — Mens devota, ut : « Quasi in thalamo tota die commorabitur. » — Viri sancti, ut : « Inter thalamos, quin- 25 que cubitos [6]. »

Petrus Cantor. Nuptiæ, aliæ sunt spirituales, scilicet sanctæ animæ post peccatum redeuntis ad Deum, qui cum ea unitur; unde in Isaia : « Vulgo dicitur : mu- 30 lier si dimiserit virum suum, numquid ad eum redibit amplius? Et tu tamen revertere ad me [7]. » Item de istis dicitur : « Despondi, etc. » Hæ nuptiæ celebrantur in conjunctione Dei ad animam fidelem. — 35 Aliæ sanctiores, Christi et Ecclesiæ; unde : « Sicut sponso alligavit mihi mitram, et sicut sponsa decoravit me ornamento [8]. Et istæ nuptiæ sunt legitimæ, quia sunt sponsi et sponsæ. Et humiles sunt, quia sunt regis et plebis. Et sunt utiles, quia sunt salvatoris et salvandorum. — Aliæ sanctissimæ in unione Verbi ad humanam naturam, secundum id : « Verbum caro factum est [9]; » et alibi : « Tamquam sponsus p. d. t. s. » Item : « Osculetur me osculo oris sui. » Hæ nuptiæ celebratæ fuerunt in utero Virginis.

Petrus Capuanus. Nuptiarum quatuor sunt genera : primæ, inter virum et uxorem; secundæ, inter Deum et animam fidelem; tertiæ, inter Verbum et carnem; quartæ, inter Christum et Ecclesiam universalem. Primæ factæ sunt in Cana Galilææ. De secundis Paulus : « Despondi, etc. » De tertiis, Evangelium : « Simile est regnum, etc. » De quartis, Apocalypsis : « Venerunt nuptiæ Agni [10]. » Primæ, corporales; secundæ, spirituales; tertiæ, sacramentales; quartæ cœlestes. In primis nuptiis, sunt

(1) *Suo*. Matt. XII, 2. — (2) *Nuptiis*. Luc. XII, 36. — (3) *Corda sanctorum. In Ezechiele* B-G. *Latum*. Ezech. XL, 7. — (4) *Suo*. Ps. XVIII, 6. — (5) *Thalamo*. Deuter. XXXIII, 12. — (6) *Cubitos*. Ezech. XL, 7. — (7) *Me*. Jerem. III, 1. — (8) *Ornamento*. Is. LXI, 10. — (9) *Est*. Joan. I, 14. — (10) *Agni*. Apoc. XIX, 7.

duo in carne una; in secundis, sunt duo in spiritu uno; in tertiis, sunt duæ naturæ in persona una; in quartis, sunt duo in corpore uno. Primæ nuptiæ contractæ fuerunt in paradiso; secundæ contrahuntur in pœnitentia; tertiæ, in Virginis utero; quartæ, tempore gratiæ, in mundo.

In nuptiis autem tria principaliter attenduntur, scilicet sponsalia, quæ præcedunt, ubi exigitur consensus, et celebratio ipsarum nuptiarum, quæ fit cum solemnitate, et tandem traductio in thalamum nuptialem, quæ subsequitur. Hæc autem et in sacramentalibus nuptiis, scilicet in unione Verbi et carnis, etiam possunt intelligi. Fuerunt enim sponsalia in his qui præcesserant apostolos, scilicet in patriarchis et prophetis. Nam quasi interrogata sponsa, scilicet humana natura, de hac conjunctione, exprimit consensum suum in Canticis : « Osculetur me osculo oris sui [1]. » Postea quasi sequuta est celebratio in utero Virginis. Evangelium : « Concipies et paries filium; hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur [2]. » Subsequuta est postmodum traductio in lectum, quando naturam suam, quam sibi copulavit Verbum, traduxit in cœlum, ubi in lecto nuptiali quiescit.

Sed et in cœlestibus nuptiis, scilicet Christi et Ecclesiæ, quasi sponsalia præcesserunt, quando Abraham misit Eliezer procuratorem domus suæ, ut filio suo Isaac Rebeccam ex gentibus advocaret; quæ interrogata a parentibus : « Vis ire cum homine isto? respondit : Vadam [3]. » In istarum autem nuptiarum celebratione observata est illa celebris solemnitas, quæ solet nuptiis exhiberi. Invitatores namque fuerunt prophetæ. Evangelium : « Misit hora cœnæ servum suum dicere invitatis, ut venirent [4]. » Paranymphus sponsi fuit Joannes Baptista. Evangelium : « Amicus autem sponsi stat, et audit eum, et gaudio gaudet propter vocem sponsi [5]. » Donatio propter has nuptias fuerunt inaures et illa ornamenta quæ protulit Eliezer, servus Abrahæ, et dedit Rebeccæ, pro parte Isaac. Inaures autem sunt obedientia. Armillæ, opera bona, quæ manus et brachia ornant. Vasa aurea, sapientia; vasa argentea, eloquentia : hic enim est scyphus argenteus ægyptiacus, qui in sacco Benjamin minoris fuerat repositus. Vestes fuerunt virtutes. Psalmus : « In vestitu deaurato, circumdata varietate [6]. » Adolescentulæ sponsæ fuerunt puellæ illæ quæ comitatæ sunt Rebeccæ : hæ sunt particulares ecclesiæ, quæ cum gentili Ecclesia universali venerunt ad Christum. Psalmus : « Adducentur regi virgines post eam [7]. » Aula in qua celebratæ sunt hæ nuptiæ fuerunt atria domus Domini, scilicet militans Ecclesia. Thalamus, uterus Virginis. Annulus, quo subarrhata est sponsa, fides. Lectus, unitas Ecclesiæ. Canticum : « Lectulus noster floridus [8]. » Qui nostrum dicit, socium habet. Ministri, apostoli. Paulus : « Ministri ejus, cui credidistis [9]. » Magister [10] et dispensator harum nuptiarum, Spiritus sanctus. Evangelium : « Virtus Altissimi obumbrabit tibi [11]. » Quasi citharœdus, David. Regum : « David percutiebat in organis [12]. » Ipse quasi saltator. Regum : « Et saltabat totis viribus ante Deum [13]. » Et licet Goliam gigantem dejecit, fregit ora leonum, ursos dilaceravit, ego tamen plus stupeo David saltantem, quam bellantem vel triumphantem. Ipse quasi fatuus. Regum : « Et impingebat in ostia portæ [14]. » Quasi funambulus fuit ibi Elias, qui, quasi fune quodam per aera graditur, dum in curru igneo rapitur. Quasi astrologus Ezechiel, qui quasi astrolabium in manu sua aspicit, quando rotam in medio rotæ conspexit. Quasi magi Zacharias et Joannes in Apocalypsi, qui modo equos albos, modo nigros, modo rufos et alias diversas species, quasi oculos deludentes, subito repræsentant. Moyses et Aaron, dum

(1) *Sui.* Cant. I, 1. — (2) *Vocabitur.* Luc. I, 32. — (3) *Vadam.* Genes. XXIV, 58.—(4) *Venirent.* Luc. XIV, 7. — (5) *Sponsi.* Joan. III, 19 — (6) *Varietate.* Ps. XLIV, 10.—(7) *Eam.* Ib. 15.—(8) *Floridus.* Cant. I, 16.—(9) *Credidistis.* I Cor. III, 5.—(10) *Magister.* Præter allegoriam, multa de moribus sæc. XII, in nuptiis, hic notare est, quæ lectori diligenti ultro sese dabunt observanda. — (11) *Tibi.* Luc. I, 35.—(12) *Organis.* II Reg. VI, 5. — (13) *Deum.* II Reg. III, 14.— (14) *Portæ.* I Reg. XXI, 13.

virgam convertunt in colubrum, aquam in sanguinem, et cætera hujusmodi, magos in his nuptiis repræsentant. Grandem aspectum exhibuit Jacob, scalam scilicet, cujus cacumen et cœlum tangere videbatur. Quasi balbutiens et verba syllabicando pronuntians Jeremias, qui ait : « A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui [1]. » Immunda profert labia Isaias, cui os calculo sumto de altari mundatur. Quasi mutus efficitur Moyses, inquiens : « Ex quo loquutus es ad servum tuum, impeditioris et tardioris linguæ sum [2]. » Tamquam histrio cum fornicaria Osee, qui accepit uxorem fornicariam. Mirandum spectaculum præbuit Daniel, quando occidit draconem et obturavit ora leonum; et socii ejus, quando exstinxerunt impetum ignis. Quasi per aera volavit Habacuc, quando angelus arripuit eum capillo capitis sui, et tulit prandium Danieli. Quasi oculos ludificans et quadam cæcitate percutiens fuit Elisæus, quando aorasia percussit illos qui venerant ad percutiendum ipsum. Quasi tympanistria Maria soror Aaron, prophetissa, quæ post transitum maris Rubri sumsit tympanum in manu. Quasi cantatrices aliæ mulieres, quæ egressæ sunt post eam, cum tympanis et choris, quibus præcinebant : « Cantemus Domino. » Immo et quasi tympanistriæ multæ in his nuptiis sunt omnes qui carnem domant. Tripudiavit omne genus musicorum; psallebat in psalterio, tangebat citharam, percutiebat tympanum, sonabat buccina, intonabat cornu; modulabatur in choro, resonabat in chordis, melodias formabat in organo, jubilabat in cymbalis. Et cæteræ solemnitates nuptiales, si diligenter attendantur, in his nuptiis poterunt inveniri [3].

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2707-2718.

Regis filius est Verbum Patris; est caro sponsa
 Christo juncta; thorus, Virginis aula sacra.
Servi qui clamant : Vos regia fercula poscunt!
 Sunt Patres legis, discipulique Jesu,
Qui per scripta monent Judæos credere Christo :
 Sed plebs prona malo credere tardat ei.
Qui non intravit, festiva veste coruscus,
 Expulit hunc hominem regia mensa foris :
Hic designat eos quos non dilectio vestit,
 Quorum non ornat membra pudoris honor.
Quos licet una fides justis conjungat, ab illis
 Tempore judicii dividet ignis eos.

XVIII.

÷ Adulter, Zabulus, vel dæmones. In Isaia : « Vos autem accedite huc, filii auguratricis, semen adulteri et fornicariæ [4]. »

XIX.

÷ Fornicaria, carnalis propagatio, sive plebs judaica, sive anima peccatrix, ubi et supra.

XX.

÷ Meretrix, anima peccatrix, quæ, derelicto viro cœlesti, id est Christo, adulterinos de diabolo iniquitatis fructus concepit : « Frons meretricis facta est tibi [5]. »

(1) *Loqui*. Jerem. I, 9. — (2) *Sum*. Exod. IV, 10. — (3) *Inveniri*. Oleum forte non perdet quicumque Capuani Ἔκφρασιν conferet cum similibus veterum ludis, quales sunt *Cœna Cypriani*, ut circumfertur; ejusdem metaphrasis Rabaniana, quæ occurrit in codicibus nonnullis; item *Nuptiæ regis Joelis*, quas nuper edidit erud. v. Edel. Duméril (*Poésies latines popul.*, t. II, p. 193); tum eædem, ibi adornatæ a quodam Azelino (*ibid.* p. 95); sed his sane longe præstat amplissimus Hervei Burgidoliensis in cœnam Cyprianeam commentarius, in schedis nostris ex dono R. P. Cahier asservatus, reservatusque Spicilegii proximis voluminibus. — (4) *Fornicariæ*. Is. LVII, 3. — (5) *Tibi*. Jerem. III, 3.

XXI.

÷ Lupanar, id est locus meretricosus [1], conscientia hominis peccatoris, vel corpus in quo adulterinos cum dæmonibus perpetrat concubitus. In Ezechiele : « Et destruam lupanar tuum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 18; ed. ii, col. 756 b ad xx.

Adrianus, Εἰσαγωγή, Β', κ', κα'.

Rabanus. Meretrix, anima polluta, ut : « Facta est meretrix civitas fidelis [3]. »

Petrus Cantor. Fornicatio spiritualis duplex, minor, per quodlibet peccatum; major, per idololatriam.

Petrus Capuanus ad litt. vi, art. 32.

Fornicatio spiritualis.

Omne mortale.	Uxor fornicaria,
Idololatria.	Synagoga.

Item ad litt. xii, art. 12.

Meretrix.

Concupiscentia.	Synagoga.
Anima infidelis.	Gentilitas.
Artes liberales.	

Meretrices quandoque dicuntur artes liberales. Evangelium : « Et dissipavit totam substantiam cum meretricibus, vivendo luxuriose [4]. » Hi sunt medici nihil proficientes, in quibus hæmorrhoissa expenderat totam substantiam, nec tamen potuerat liberari. Hi sunt panes qui non saturant, juxta quod dicitur : « Quare appenditis argentum, et non in panibus; et laborem vestrum, et non in saturitatem [5] ? » Hæ sunt siliquæ illæ porcorum, de quibus filius prodigus ventrem suum saturare cupiebat; ventrem quidem onerant, sed non reficiunt, quia tantum ventilatione verborum aures onerant, sed spiritualem refectionem non præstant.

Meretrix quandoque dicitur Synagoga..., quandoque gentilitas. Hæc est Raab meretrix, quæ per funem coccineum, appensum in fenestra, salvatur; quia et gentilis Ecclesia coccinum sanguinis Christi ponit in fenestra oris sui, ipsum confitendo; vel confitetur coccinum qui emissus est de fenestra lateris Christi, quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua.

Antonius de Rampigolis, in *Figur. biblic.* c. 31, *de Judicio.* « Projicite eum in tenebras exteriores [6]. » — *Figura.* Apoc. xvii, ubi legitur quod angelus Domini ostendit damnationem meretricis magnæ, et vidit Joannes mulierem sedentem super bestiam habentem capita septem et cornua decem. « Et mulier erat vestita auro et lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione et in fronte nomen ejus scriptum : Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ [7]. »

Moraliter : per hanc bestiam nota diabolum; per septem capita, nota septem peccata mortalia; per decem cornua, decem transgressiones præceptorum Dei. Per mulierem accipe naturam humanam, quam Deus tam multipliciter ornavit dotibus corporis et animæ, scilicet sapientia, intellectu, voluntate; quæ tenet in manu sua poculum delectationis, et implevit manus suas fœtore immunditiæ. Nam mala quæ egit, et non pœnitentiam fecit, scribuntur sibi confuse ad frontem. Mittitur autem et ducitur peccator super hanc bestiam ad pœnas inferni.

Anonymus Clarevallensis. Fornicaria laqueus est diaboli, vitiorum sentina, venatrix pecuniæ, peremtrix animarum. —

(1) *Domus meretricum* E. — (2) *Tuum.* Ezech. xvi, 39, vulg. *Et destruent.* — (3) *Fidelis.* Is. i, 21. — (4) *Luxuriose.* Luc. xv, 30. — (5) *Saturitatem.* Is. lv, 2. — (6) *Exteriores.* Matt. xxii, 13. — (7) *Terræ.* Ib. 4, 5

Fornicaria, peccatrix anima, ut : « Perdidisti omnes qui fornicantur abs te [1]. » — Carnalis propagatio, vel plebs judaica, ut : « Semen adulteri et fornicariæ. »

Meretrix, Ecclesia quæ fornicata est olim cum idolis et dæmonibus et vitiis, ut : « Thamar sedit in habitu meretricio [2]. » — Doctrina hæretici, ut : « Favus distillans labia meretricis [3]. » — Anima, ut : « Quomodo facta es meretrix, civitas fidelis? »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 8599-8606.

« Quid levius [4] vento? fulmen. Quid fulmine? fama.
 « Quid fama? mulier. Quid muliere? nihil.
Femina vana vagi venti retinetur ad instar,
 Namque vaga volitant ista vel ista via.
Non offendatur isto bona femina verbo,
 Cui similis nulla res pretiosa nitet.
Sit tibi stella maris mulier commissa pudica;
 Herodias tibi sit femina juncta mala.

XXII.

÷ 1. PRÆGNANTES, animæ fidelium, verbum Domini nuper concipientes, et necdum in opere parturientes; sicut in Exodo, pro contentiosis doctoribus dicitur : « Si duo viri rixantes percusserint mulierem prægnantem, et abortum fecerint [5], » id est, verbum fidei perdiderint. De his namque animabus fidelium per Amos de hæreticis dicitur : « Secuerunt prægnantes Galaad [6]. »

÷ 2. Prægnantes, animæ peccatorum, cupiditatum cogitationibus plenæ, de quibus in Evangelio : « Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus [7]! »

XXIII.

÷ 1. PARIENS, aure cordis, fidei verbo concipiens, et in confessione vel opere generans, sicut in Jeremia de fidelibus dicitur : « Inter quos erit cæcus et claudus, prægnans et pariens [8]. »

÷ 2. In malam partem : « Concepit dolorem, et peperit iniquitatem [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PETRUS CAPUANUS ad. litt. XVI, art. 31. Parturit vel parit Deus Pater. Isaias : « Qui alios parere facio, numquid et ego ipse non pariam [10]? » — Ab hoc parturitur Filius. Sapientia : « Nondum montes gravi mole constiterant, et ego parturiebar [11]. » — Parturit vel parit Ecclesia filios, quos suis sacramentis fovet et nutrit. Ab hac pariuntur fideles illi, qui in ejus utero ad imaginem Dei formantur. Isaias : « Quis genuit mihi istos [12]? » — Parturit prædicator instruendo, et parit auditores in sacra doctrina. Paulus : « Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis [13]. — Parturit fidelis anima, quando bonum conceptum in opus producit. Apocalypsis : « Clamabat parturiens, et cruciabatur ut pariat [14], » id est, ut non sit infructuosa. Parturit malus, dum « concepit dolorem, et peperit iniquitatem »; vel hæreticus, dum producit ad opus pravos discipulos.

Prima parturitio est ab æterno, et est inenarrabilis. Secunda fuit in tempore gratiæ, et hæc parturitio collaudabilis. Tertia parturitio fuit post tempus gratiæ, et est hæc parturitio appetibilis. Quarta fit quotidie,

(1) *Te.* Ps. LXXII, 27. — (2) *Meretricio.* Genes, XXXVIII, 15. — (3) *Meretricis.* Prov. v, 3. — (4) *Quid levius.* Duo primi versus multo antiquiores, e fontibus classicis derivantur. — (5) *Fecerint.* Exod. XI, 22. — (6) *Galaad.* Amos I, 13. — (7) *Diebus.* Luc. XXI, 23. — (8) *Pariens.* Jerem. XXXI, 8. — (9) *Iniquitatem.* Ps. VII, 15. — (10) *Pariam.* Is. LXVI, 9. — (11) *Parturiebar.* Prov. VIII, 25. — (12) *Istos.* Is. XLIX, 21. — (13) *In vobis.* Galat. IV, 19. — (14) *Ut pariat.* Apoc. XII, 2.

et hæc est parturitio remunerabilis. Quinta et sexta fient maxime in fine temporum, et erit utraque parturitio terribilis.

DISTINCTION. MONASTIC., lib. V. *De sinu.*

5 *Sinus*

Secreta requies.	Familiaritas Dei.
Conscientia.	Regio.

FULCOIUS.

Utrumque, de Nuptiis Christi et Ecclesiæ, 10 in lib. VI.

Nascere, lux mundi. Nox, occide, tetra profundi [1].
Mundi, Salvator, culpæ salveto piator;
Salvetoque dator veniæ, generis reparator.
Mundi salvatrix, culpæ salveto piatrix.
Salvetoque datrix veniæ, generis reparatrix.
Tu fons signatus, clausulaque, clausaque porta.
Tu Domini templum, tu sedes Flaminis almi.
Tu rosa de spina. Tu nobilis indole bina
Virginis et matris, genitrix et filia Patris,
In gremio mundum fers, Virgo, ferendo ferentem.
Nascere, lux mundi. Nox, occide, tetra profundi.
Dum medium cursu nox intempesta teneret
Et genus humanum, volucresque feræque silerent,
Sermo tuus, Pater, omnipotens a sedibus altis
Processit, summus rex, regum regia proles;
Per quem nascuntur nascentia, nascitur infans,
Ingrediens clausam portam, clausamque relinquens.

XXIV.

÷ STERILIS, sancta Ecclesia ante Salvatoris adventum. In Isaia : « Lauda, sterilis, quæ non paris [2]. » Et in psalmo : « Qui habitare facit sterilem in domo [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

15 PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 52.

Sterilitas

Culpæ.	Gratiæ.	Gloriæ.

Sterilitas culpæ triplex, scilicet qua olim gentilis Ecclesia sterilis erat a procrea- 20 tione filiorum spiritualium. Isaias : « Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe et clama, quæ non parturis. » Hic est mortuus Sarræ uterus, quæ jam amiserat vim pariendi. Hæc est sterilitas Rachelis, quæ postmo- 25 dum tamen facta fecunda est. Sterilitas quoque culpæ est, qua Synagoga prius fecunda, modo sterilis est a procreatione sobolis spiritualis. Sterilitas autem provenit vel ex defectu ætatis, vel ex infirmitate, vel ex 30 impotentia viri : sic ergo et Synagoga vel lex sterilis est propter ætatem. Paulus : « Omne enim quod antiquatur et senescit, prope interitum est [4]. » Et ex infirmitate. Paulus : « Neminem ad perfectum adduxit 35 lex [5]. » Et propter defectum viri, seu doctorum judaizantium. Actus apostolorum : «Quid tentatis imponere jugum super nos [6], quod nec nos nec patres nostri portare potuerunt? » Sterilitas etiam culpæ est, qua caro sterilis est a productione bonorum operum. Job : « Pavit et sterilem, quæ non parit [7]. » — Sterilitas gratiæ est virtus virginitatis. Paulus : « Beatior autem erit, si sic permanserit [8]. » — Sterilitas gloriæ est, qua cœlestis Jerusalem sterilis est a procreatione filiorum. Evangelium : « In die illa neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlis [9]. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 859-865.

Anna prius sterilis, fecundaque postea facta,
Veridicis verbis de Christo talia dixit :
« Pulvere de terræ Deus elevat, inquit, egenum,
« Ut sedeat cum principibus regnetque per ævum.
« Morte triumphata, Christus scandit super astra;
« Et qui dives erat, pro nobis factus egenus [10],
« Post exaltatus, moderatur cuncta serenus.

(1) *Profundi.* Cf. supra, p. 115 et infra in cap. XI. — (2) *Paris.* Is. LIV, 1. — (3) *Domo.* Ps. CXII, 9. — (4) *Est.* Hebr. VIII, 13. — (5) *Lex.* Hebr. VII, 19. — (6) *Nos.* Act. XV, 10. — (7) *Parit.* Job XXIV, 21. — (8) *Permanserit.* I Cor. VII, 8. — (9) *Cœlis.* Matt. XXII, 30. — (10) *Egenus.* II Cor. VII, 9.

XXV.

÷ 1. Pater, Deus. In Isaia : « Ero vobis in patrem [1]. » Et in Evangelio : « Unus est Pater vester in cœlis [2]. »

÷ 2. Homo, primus Adam. In Isaia : « Pater noster primus peccavit [3]. »

÷ 3. Mundus, sive diabolus. In Evangelio : « Vos de patre diabolo estis [4]. »

5 ÷ 4. *Patres*, apostoli, sive prophetæ. In psalmo : « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii [5]. »

÷ 5. Et in aliam partem. In Zacharia : « Patres vestri, ubi sunt [6] ? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Sylvius, *de Nominib. Christi*, v. 1.

10 Eucherius, ed I, p. 17 ; ed. II, col. 755 A ad. 1 et 5.

Adrianus, Εἰσαγωγή, A′ η′. B′ κϐ′.

Rabanus. Pater, Deus, ut : « Oculum qui subsannat patrem [7]. » — Prælatus, ut : « Pa-15 ter mi, currus Israel et auriga ejus [8]. » — Protoplastus, ut : « Pater meus et mater mea dereliquerunt me [9]. » — Quisque superior, ut : « Quis pater ejus [10] ? » — Mundus, ut : « Maledictus qui annuntiavit patri 20 meo [11]. » — Diabolus, ut : « Vos ex patre diabolo estis. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 30.

Pater

Cœlestis.	*Terrestris.*
25 Deus Pater.	Pater generatione.
Filius.	— fidei imitatione.
Trinitas.	— sola reputatione.
Angeli.	— prædicatione.
Terrestris.	— administratione.
	Infernalis.
30 Apostoli.	
Patriarchæ.	Mundus.
Prophetæ.	Diabolus.
Priores antiquitate.	

Distinctionum monasticarum lib. iv, 35 *de Patre*. Pater a patrando dicitur [12]. Est autem pater noster, id est creator, tota Trinitas, unus Deus, super omnia benedictus. Amen, amen. Præterea solus ille pater noster est verus, qui nos potest facere filios Dei ; quod solus potest facere Deus.

Dicitur tamen pater, qui nos carnaliter generat. Dicuntur et patres, qui nos spiritualiter generant ; id est, qui suis sanctis monitis, doctrinis et exemplis, nos ad Patrem nostrum principalem, qui Deus est, per ipsius gratiam, convertunt : quia isti patres nostri secundarii sine principali Patre nihil possunt facere. Audent tamen se qui ejusmodi sunt, operante gratia Dei in illis, patres se ipsos appellare eorum quos Deo per Evangelium genuerunt. Unde Paulus : « Licet decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres : nam in Christo Jesu per Evangelium vos genui [13]. » « Ego, inquit, vos genui, » sed præmisit : « In Christo Jesu. »

Patres etiam solemus vocare nutritios viros ; unde beatus Joseph pater Christi appellatus est, quia nutritius ejus fuit, et postea quia putabatur pater ejus esse.

Patres etiam nostri dicuntur et sunt prælati nostri, qui nobis in spiritualibus et temporalibus providere tenentur. Sed multi hodie sunt, et ante hæc tempora fuerunt, qui se suis subditis magis vitricos, vel dominos exhibent, quam patres. Unde de talibus dicit beatus Gregorius : Multi quum regiminis jura suscipiunt, ad lacerandos

(1) *Patrem*. Jerem. xxxi, 9 ; II Cor. vi, 18. — (2) *Cœlis*. Marc. xxv, 26. — (3) *Peccavit*. Is. xliii, 27. — (4) *Estis*. Joan. xiii, 44. — (5) *Filii*. Ps. xliv, 17. — (6) *Sunt*. Zach. i, 5. — (7) *Patrem*. Prov. xxx, 17. — (8) *Ejus*. IV Reg. ii, 12. — (9) *Me*. Ps. xxvi, 10. — (10) *Ejus*. I Reg. x, 12. — (11) *Meo*. Jerem. xx, 15. — (12) *Dicitur*. Isid. *Etymol*. ix, c. 5, n. 3. — (13) *Genui*. I Cor. iv, 15.

subditos inardescunt. Terrorem potestatis exhibent; et quibus prodesse debuerant, nocent. Et quia charitatis viscera non habent, dum videri appetunt, patres se esse minime 5 recognoscunt [1]. Et hos quidem videmus in monasteriis inter cæteros prælatos elatiores, quos in sæculo vidimus despectiores, secundum illud poeticum :

Asperius nihil est humili, quum surgit in altum [2].

10 Quos alter poeta reprimere curavit, dicens :

Fortunam patienter habe, quicumque repente
Summus ab exili progrediere domo.

Patres etiam solemus vocare seniores no-15 stros; unde Apostolus : « Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem [3]. » Pater etiam malorum dicitur diabolus, eorum scilicet qui eum imitantur. Unde Dominus ad Judæos : « Vos ex patre diabolo 20 estis, « et opera patris vestri vultis facere. »

Est igitur pater

Creatione.	Educatione.
Generatione spirituali.	Prælatione.
	Imitatione.

25 MAURICIUS [4], *Distinctiones super litt. P*, cap. 19, *Pater*. Triplex est pater : naturalis. Exodi XX : « Honora patrem [5] tuum. » Et huic debemus tria : beneficentiam. Ecclesiastici III : « Gloria patris non erit in 30 oblivione [6]. » Item supportationem. Ecclesiastici III : « Fili, suscipe senectam patris tui. [7] » Item honorem. Malachiæ I : « Filius honorat patrem [8]. » Et hunc honorem debemus patribus triplici ratione : primo, 35 ut in filiis jucundemur, et in petitionibus nostris exaudiamur. Ecclesiastici III : « Qui honorat patrem, jucundabitur in filiis, et in diebus orationis suæ exaudietur [9]. » Item ut diutius vivamus. Ecclesiastici III : « Qui honorat patrem suum, vita vivet longiori. » Item ut a Deo benedicamur. Ecclesiastici III : « Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino. » — Item est pater spiritualis, qui designatur per Abraham, qui fuit pater multarum gentium [10]. Genesis XVII, et Ecclesiastici XLIV, dicitur pariter Abraham magnus p. m. g. Et iste tenetur curam aliorum gerere, item alios instruere, item alios supportare et protegere. Propter primum dicitur Matthæi XX : « Simile est regnum cœlorum homini patris familias qui exiit primo mane [11]. » De secundo, I Machabæorum II : » Et ecce Simon Machabæus; scio quia vir consilii est; ipsum audite semper, et ipse erit vobis Pater [12]. » De tertio, IV Regum II : « Pater mi, currus Israel et auriga ejus. » — Item est Pater cœlestis, Matthæi V : « Estote perfecti sicut et Pater vester cœlestis [13]. » Et iste est Pater misericordiarum, qui consolatur nos in omni tribulatione et lætificat. II Cor. I : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum [14]. » Item luminum, quia ad modum lucis omnia communicat. Jacobi II : « Omne datum optimum descendit a Patre luminum [15]. » Item dicitur Pater omnium, quia omnia gubernat. Ephes. IV : « Unus Deus et pater omnium qui super omnes et per omnia et in omnibus nobis [16]. » Sapientiæ XIV : « Tu autem, Pater, gubernas providentia [17].

ANONYMUS CLAREVALLENSIS [18].

Pater.

Naturaliter.	Imitatione.
Generatione.	Doctrina.
Posteritate gentis.	Veneratione.

(1) *Recognoscunt*. Gregor. *Hom.* XVII, n. 4. — (2) *In altum*. Claudian. *in Eutrop.* VI, 181. — (3) *Patrem*. I Tim. V, 1. — (4) *Mauricius*. Nec omnino novus, neque ex integro notus esse debet is auctor; partim enim editæ sunt illius *Distinctiones alphabeticæ*, scilicet usque ad litt. E (*Distinct. per abecedarium*, Venet. 1603, ed. unica), partim quoad cætera jacet in codicibus contemtus : neque is jure merito sperni censebitur, quem videlicet præ cæteris olim vulgatum fuisse ostendunt innumera quæ ubivis exstant ejusdem exemplaria manu scripta. De illo S. Dominici alumno plura in *Prolegom.* — (5) *Patrem* l. l. 12. — (6) *Oblivione* l. l. 15. — (7) *Tui*. Ib. 14. — (8) *Patrem* l. l. 6. — (9) *Exaudietur* l. l. 6. — (10) *Gentium*. Genes. XVII, 4; Eccli. XLIV, 20. — (11) *Mane* l. l. 11. — (12) *Pater* l. l. 65. — (13) *Cœlestis* l. l. 48. — (14) *Misericordiarum* l. l. 3. — (15) *Luminum* l. l. 17. — (16) *Nobis* l. l. 6. — (17) *Providentia* l. l. 14 vulg. *Tua a. p. p. gubernat.* — (18) *Clarevallensis*. Easdem refert distinctiones, quas Alanus in *Summa quotmodis*.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 1311-1334.

« O Pater alme, tuum nomen sit sanctificatum.
« Adveniatque tuum regnum per secla beatum.
5 « Velle tuum fiat in terra, sicut in altis.
« Tu panem nostrum da nobis quotidianum.
« Debita dimitte nobis, ut nos inimicis.
« Et non permittas ut nos tentatio vincat.
« Sed tutela malo tua nos defendat ab omni. »
10 Amen.
Esse petis librum, recipis. « Pater alme » *timorem*
*Pauperiem*que sapit: tria sunt hæc præmia, regnum.
« Et ne nos » confert *pietatem;* dat pietas ut
Mens tua *mitescat:* merces, possessio terræ.
Quum «dimitte» rogas, datur inde *scientia;* culpas
Hæc *lugere* docet: solamen erit tibi merces.
Quumque petis « panem », valeas ut fortior esse,
Esuries fit *justitiæ :* satiatio mentis,
*Consilium*que datur, per quod discis *misereri.*
Quum petis « Adveniat », datur *intellectus,* ut ille
Det tibi *cor mundum :* merces Deus esse jubetur.
« Sanctificetur » ais; datur hinc *sapientia,* quæ te
Pacificum reddat: es filius inde vocandus.
Si sua dimittis homini commissa, reatu
Te Pater absolvet, qui cor opusque videt;
Si non dimittis, tibi nulla remissio fiet
A Patre cœlesti, cui mala quæque patent.

XXVI.

÷ 1. Mater, Ecclesia. In psalmo : « Matrem filiorum lætantem [1]. »

15 ÷ 2. Cœlestis Jerusalem. In Apostolo : « Quæ autem sursum est, libera est, mater omnium nostrum [2]. »

÷ 3. Synagoga Judæorum, pro qua Dominus per Jeremiam loquitur, dicens : « In sceleribus vestris dimisi matrem vestram [3]. »

÷ 4. Babylonia, sive carnalis generatio. In psalmo : « Quoniam pater meus et 20 mater mea dereliquerunt me [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 7; ed. ii, col. 755 A, B ad 1, 2.

Rabanus. Mater, civitas cœlestis, ut : 25 « Quæ sursum, etc. » — Ecclesia, ut : « Qui despicit partum matris suæ [5]. » — Virgo Maria, ut : « Videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua [6]. » — Gratia Dei, ut : « Columba mea una est 30 matris suæ [7]. » — Natura vitiata, ut : « Putredini dixi : Mater mea es [8]. » — Synagoga, ut : « Donec introducam in domum matris meæ [9]. » — Prædicator, ut : « Ipse meus frater et soror et mater est [10]. » — Concu- 35 piscentia, ut : « De ventre matris meæ tu es protector meus [11]. » — Terra, ut : « Usque in diem reversionis in matrem omnium [12]. »

Petrus Capuanus ad litt. xii, art. 18. Mater Christi quadruplex : scilicet Synagoga. Evangelium : « Ecce mater tua et fratres tui foris stant, quærentes te [13]. » Et mater ejus Virgo Maria. Evangelium : « Nonne hic est filius fabri, cujus nos novimus patrem et matrem [14]? » Mater etiam ejus, quicumque bona opera faciunt. Evangelium : « Ipse meus frater, et soror, et mater. » Mater quoque ejus, charitas Dei Patris. — Mater bonorum triplex : triumphans Ecclesia, et Ecclesia militans, et etiam prædicatores. — Mater etiam malorum, putredo et corruptio, concupiscentia, vel Babylonia, civitas sæculi.

Ecclesia eadem conservat in filiis suis quæ mater solet servare in filio. Concepit namque mater Ecclesia filios, primo per ingressum Ecclesiæ, quum eos primo cum quadam solemnitate in Ecclesiam introducit. Secundo, portat in utero per exorcismum.

(1) *Lætantem.* Ps. cxiii, 9. — (2) *Nostrum.* Galat. iv, 16. — (3) *Vestram.* Apud Isaiam, c. l, 1. — (4) *Me.* Ps. xxvi, 10. — (5) *Suæ.* Prov. xxx, 16. — (6) *Sua.* Cant. iii, 11. Excipit eadem in *Allegoriis* editis glossa : « Id est, diligite Christum, in humanitate qua induit eum Virgo Maria. » — (7) *Suæ.* Cant. vi, 8. — (8) *Es.* Job xvii, 14. — (9) *Meæ.* Cant. viii, 5. — (10) *Est.* Matt. xii, 50. — (11) *Meus.* Ps. lxx, 6. — (12) *Omnium.* Eccli. xl, 1. — (13) *Te.* Matt. xii, 47. — (14) *Matrem.* Matt. xiii, 55; Joan. vi, 42.

Tertio, parturit et laborat, ut eos mittat in lucem, per catechismum et instructionem, laborando et interrogando : « Vis baptizari? » Quarto, parit eos per baptismum, emittendo in lucem gratiæ. Quinto, lactat et nutrit simplici doctrina, a Pascha usque ad Pentecosten. Sexto, in Pentecoste suscipiunt Spiritum sanctum ad robur, per confirmationem episcoporum, et quasi ad solidum cibum accedunt.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Matre*. Mater universalis Ecclesiæ est gratia Spiritus sancti; unde de ea sponsus suus dicit in Canticis : «Una est columba mea, una est perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ [1]. » Spiritus namque sancti gratia vere est mater Ecclesiæ, quia eam non solum gignit, sed et educat et erudit, custodit et consolatur. Generat enim eam in spiritu, secundum illud : « Quod natum est de spiritu, spiritus est [2]. » Educat, secundum illud : « Super aquam refectionis educavit me. Spiritus autem Domini ferebatur [3], » vel secundum aliam translationem, « confovebat, super aquas. » Erudit, secundum illud Dominicum ad Apostolos : « Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia [4]. » Conservat, secundum illud Joannis, in epistola canonica : « Omnis qui natus est ex Deo, non peccat [5]. » Quod dicit : «Non peccat, » intelligendum est ad mortem, quia paulo ante dixerat : « Est peccatum ad mortem, non dico ut pro eo roget quis. » Et fortasse peccatum ad mortem, quod non corrigitur ante mortem. Consolatur, quia proprium est sancti Spiritus consolari lugentes et tristes. Quod quum multis possint sacræ Scripturæ sententiis ostendere, placet tamen in testimonium adducere quod in laude Spiritus sancti vir vita et doctrina venerabilis, magister Stephanus de Langetunn[6], gratia Dei Cantuariensis archiepiscopus, ait in quadam egregia sequentia, quam de Spiritu sancto composuit [7], ita :

Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.

In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.

Lava quod est sordidum,
Riga quod est aridum,
Sana quod est saucium.

Fove quod est frigidum,
[Flecte quod est rigidum],
Rege quod est devium.

Mater est sancta Ecclesia, secundum illud : « Fili, ne abjicias disciplinam patris « tui, et ne dimittas legem matris tuæ [8], » id est instituta Ecclesiæ. Quia, sicut dicit sanctus Augustinus, sicut transgressores legum divinarum, ita contemtores constitutionum ecclesiasticarum coercendi sunt. Hæc una est, sicut et ejus unus est sponsus Christus; unde et ipsa dicit : « Dilectus meus mihi, et ego illi [9]. » Et sicut unum caput est, quod est Christus, ita et unum corpus est, quod est Ecclesia. Nam, sicut multa membra unum corpus faciunt, ita multi fideles unam Ecclesiam; unde Apostolus : « Unus panis, unum corpus multi sumus in Domino [10]. »

Mater antonomastice dicitur beata Maria, mater Domini, quia enim supra modum diligit Christum, ideo tenerrime diligit christianos. Et quia eos tenerrime diligit, ideo eorum miseriæ clementissime miseretur : unde et mater misericordiæ dicitur. Probatum est exemplis infinitis, maxime autem in Theophilo. Et quum ipsa sit filia universalis Ecclesiæ, quæ est mater omnium viventium, ipsa etiam mater esse videtur Ecclesiæ; nam quum sit certissime mater capitis, non incongrue mater esse intelligitur et corporis. Mater igitur Ecclesia Mariæ; et Maria, mater Ecclesiæ. Et sicut sancta Ecclesia multum, ut justum est, diligit Mariam, plus tamen Maria Ecclesiam. Ecce cui minus dimittitur, plus diligit. Illa est

(1) *Suæ*. Cant. VI, 8. — (2) *Est*. Joan. III, 6. — (3) *Ferebatur*. Genes. I, 3. — (4) *Omnia*. Joan. XV, 26. — (5) *Peccat*. I Joan. III, 9. — (6) *Langhton* alias, qui floruit initio sæc. XIII, obiit a. 1228. — (7) *Composuit*. Nota coætanei viri et conterranei, nec indiligentis, nec imperiti testimonium, de re a multis agitata, novum et gravissimum. — (8) *Tuæ*. Prov. I, 8. — (9) *Illi*. Cant. II, 16. — (10) *Domino*. Ephes., IV, 4.

rgo nostra mater verissima, quæ nos maxime diligit. Nihil enim sic veram matrem probat, sicut vehemens dilectio. Unde est illud vetus et vulgo tritum proverbium

5 Omnis amicus amat, mater plus omnibus una.

Adeamus igitur cum fiducia thronum gratiæ ipsius, clamantes :

Monstra te esse matrem,

non solum Christi, sed et christianorum. 10 Et impetra nobis a Filio tuo unigenito, fratre nostro primogenito, Deo nostro et Domino, nostrorum remissionem omnium peccatorum et vitam per omnia sæcula sæculorum.

15 Mater etiam nostra est Ecclesia cœlestis; unde Apostolus : « Quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. »

Mater primitivæ Ecclesiæ dicitur Synagoga, ex qua corporalem habet originem. 20 De qua matre, pietatis maternæ oblita affectum, filia sua juste quæritur, dicens : « Filii matris meæ pugnaverunt contra me [1]. » Hæc est Medea, quæ a viro suo juste, quia pro meritis, repudiata, proprios filios inter- 25 fecit.

Mater dicitur Eva, ut ibi : « Pater meus et mater mea dereliquerunt me; » id est, in malis multis et magnis exposuerunt me Adam et Eva. « Dominus autem assumsit me, » 30 id est naturam humanam, ut liberaret me ab omni malo. Vel pater ibi intelligitur diabolus; mater, concupiscentia. De hac enim, secundum quamdam expositionem quam legisse me memini, dictum est : « Non coques 35 hædum in lacte matris suæ, » id est, peccatorem concupiscentiæ carnalis illecebris non patiaris dissolvi.

Mater dicitur Ecclesia de gentibus, ut ibi : « Qui habitare facit sterilem in domo, 40 matrem filiorum lætantem; » id est Ecclesiam de gentibus, quæ quondam erat sterilis, facit habitare in domo communi, hoc est in unitate fidei, cum populo electo ex Judæis.

Mater nostra terra dicitur, quia ex ipsa habemus, quantum ad corpus, originem; ab ipsa, sustentationem; in ipsa resolutionem patiemur. Unde : « Grave jugum super filios Adam, a die exitus eorum de ventre matris eorum in diem sepulturæ, in matrem omnium. »

Matres dicuntur novercæ, non propter dilectionis affectionem, vel educationem, sed propter dominationem. Non tamen in divinis litteris memini me invenisse novercas matres vocari [2], sed in sæcularibus, ut ibi :

Ut nox longa quibus mentitur amica, diesque
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit custodia matrum, etc.

Anonymus Clarevallensis. Mater in pariendo anxia; in educando sollicita; in custodiendo diligens; in amore fervens; puero vaganti ostendit aliquid ut eum revocet; intra alvum gestat filium; intra cunas educat; nunc volubilibus quibusdam deterret; nunc blandis demulcet; duobus uberibus pascit; gaudet quum eum videt patri assimilari.

Mater.

Civitas cœlestis.	Natura vitiata.
Ecclesia.	Concupiscentia.
Virgo Maria.	Terra.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 379-386.

Dicitur Ecclesiæ mater Synagoga fuisse,
De qua doctores meruit sanctos habuisse.
Sed tenet Ecclesia dilectum, donec in ædem
Matris ducat eum, sponso faciens ibi sedem.
Namque fidem Christi Judæos illa docebit,
Et cito conversos in mundi fine videbit.
Quorum pars, quædam cœlestia singula spernens,
Hærebit cœlo, Christum per ænigmata cernens.

Ibid., v. 1151-1154.

In thalamum matris apprensum ducere Christum
Nititur, hebræo populo quia prædicat istum.
In mundi fine, suberunt quum cuncta ruinæ,
Credeturque Deus, et Christo credet Hebræus.

(1) *Mo.* Cant. I, 5. — (2) *Vocari.* Vide tamen Levit. xx, 11.

XXVII.

÷ 1. Frater, Christus, de quo in Cantico canticorum Ecclesia dicit : « Frater meus mihi, et ego illi [1]. »

÷ 2. *Fratres,* apostoli, sive omnes sancti. In psalmo : « Narrabo nomen tuum fratribus meis [2]. »

5 ÷ 3. Et in aliam partem. In Job : « Fratres mei prætererunt me, sicut torrens [3]. »

XXVIII.

Soror, Ecclesia : « Soror mea et sponsa. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 17 ad xxvii; ed. ii, 10 col. 755 b ad xxvii, 1, et xxviii.

Rabanus. Frater, Christus, ut : « Quis mihi det ut te fratrem meum inveniam [4]? » — Christianus quilibet, ut : « Si quis frater nominatur inter vos [5]. » — Bonus homo, 15 ut : « Ille meus frater et soror et mater est [6]. » — Apostoli, ut : « Vade ad fratres meos [7]. » — Secundum carnem, ut : « Ecce mater tua et fratres tui [8]. »

Soror, Ecclesia primitiva, ut : «Soror mea 20 parvula est [9]. » — Putredo carnis, ut : « Mater mea, et soror mea, vermibus [10]. »

Petrus Capuanus ad litt. vi, art. 34.

Fratres

Secundum naturam.	*Secundum gratiam.*
25 Nativitate.	Per charitatem.
Consobrinus.	Per fidem.
Consanguineus.	Per imitationem.
Contribulis.	Per communes parentes spirituales.
Secundum gloriam,	
30 Christus.	Per prædestinationem.

Idem ad litt. xvii, art. 55. Soror Christi, Ecclesia. Canticum : « Aperi mihi, soror mea [11]. » Et soror Christi dicitur quilibet fidelis et justus. Istæ sorores cum fratre Christo 35 habent eumdem Patrem per gratiam, sed non eamdem matrem per naturam. Hæc soror Christi, scilicet sancta Ecclesia et fidelis anima, est etiam sponsa ipsius. Canticum : « Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa [12]! » — Soror Ecclesiæ, Synagoga; unde et de Ecclesia ipse Christus ait Synagogæ : « Soror mea parvula est, et ubera non habet. » — Soror justi dicitur sapientia. Sapientia : « Dic Sapientiæ : Soror mea es [13]. » Sorores etiam justi dicuntur virtutes. Job : « Ibant filii ejus, et faciebant convivia unusquisque in die suo, et mittentes vocabant tres sorores suas [14], » fidem, spem et charitatem. — Una etiam virtus dicitur soror alterius, ut contemplativa est soror activæ. Et hæ sunt Rachel et Lia, duæ uxores Jacob; hæ etiam sunt Martha et Maria, duæ sorores Lazari. — Soror etiam humanæ naturæ dicitur infirmitas et corruptio. Job : « Dixi : Soror mea, vermibus. »

Distinctionum monasticarum lib. ii, *de Fratre.* Fratres quatuor modis dici in Scriptura sacra, beato Hieronymo docente, didicimus, scilicet, natura, cognatione, gente, affectu. Natura, ut Esau et Jacob. Cognatione, ut Abraham et Loth. Legitur enim Abraham dixisse ad Loth : « Ne sit jurgium inter me et te, fratres enim sumus [15]. » Gente, ut omnes Judæi. Affectu, ut sunt omnes qui sibi invicem fidem servant. Sed affectus iste geminus est : videli-

(1) *Illi.* Cant. ii, 16, juxta veterem interpretat. — (2) *Meis.* Ps. xxi, 23. — (3) *Torrens.* Job vi, 15. — (4) *Inveniam.* Cant. viii, 1. — (5) *Vos.* I Cor. v, 11. — (6) *Est.* Matt. xii, 50. — (7) *Meos.* Marc. iii, 35. — (8) *Tui.* Matt. xii, 47. — (9) *Est.* Cant. viii, 8. — (10) *Vermibus.* Job xvii, 14. — (11) *Mea.* Cant. v, 2. — (12) *Sponsa.* Cant. iv, 10. — (13) *Es.* Prov. vii, 4. — (14) *Suas.* Job i, 4. — (15) *Sumus.* Genes. xiii, 8.

cet spiritualis et carnalis. Affectu carnali fratres erant Pilades et Orestes. Hunc affectum poeta gentilis persuadere volens, quia spiritualem nesciunt, ait[1] :

Semper habe Pyladem aliquem, qui curet Orestem.

Spirituali affectu verissimi fratres fuerunt Petrus et Paulus; unde de eis juste canit Ecclesia[2] : Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

Frater significat parilitatem, vel similitudinem, ut ibi : « Qui mollis est et remissus in opere suo, frater est sua opera dissipantis[3]. » Fratres dicuntur unius fidei seu religionis professores : Unde beatus Job : « Frater fui draconum et socius struthionum[4], » id est malitiosorum et simulatorum. Potuit hoc dicere Christus de quibusdam, qui cognati ejus erant secundum carnem.

Mauricius. *Distinct. super litt.* F, c. 53. *Fraternitas* duplex est, mala et bona. Mala in multis consistit; in contentione, in perditione et mali procuratione, in mendacio et derisione, in fraudulentia et deceptione, in fratrum impugnatione et persequutione, in miseria et oppressione.—Item est fraternitas gratiæ, et hæc consistit in tribus : in mutua supportatione, quoad pauperes; in voluntatis superioris adimpletione; in fratrum revertentium a peccato congratulatione. Hæc fraternitas valet ad pacis conservationem, ad pietatis commotionem, ad humilitatem, ad hostium expugnationem[5].

Anonymus Clarevallensis.

Frater.

Christus.	Apostoli.
Christianus.	Fratres secundum carnem.
Bonus homo.	

Soror

Dilectione.	Ecclesia.
Cognatione.	Putredo carnis.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. i, v. 684-730.

Diligitur cunctis plus gnatis a patre Joseph :
Hæredes Abrahæ superas omnes, bone Christe.
Præcepit Joseph pater ejus visere fratres :
Misit quippe Deus Christum nos ad redimendum.
In Dothaim Joseph legitur fratres reperisse :
Quum Christus venit, totus defecerat orbis.
Utque vident fratres, mox tractant de nece Joseph :
Ut per opus novit Christum, Judæa peremit :
At Joseph vestis de sanguine tingitur hædi;
Testibus a falsis accusatur caro Christi...
Quum mulier Joseph se despexisse videret,
Saltem quod potuit, fecit, chlamydem tulit illi;
Aufugit Joseph meretrici veste relicta :
Illæso Verbo, crucifixa fuit caro Verbi,
Non Deus occisus, caro passa tamen fuit ejus.
O pudibunde Joseph, tua quis præconia narret?
Scribere quis possit, quamvis reticere quis ausit?
Israel altus amor præ cunctis fratribus in te,
Tædas invidiæ fomentans, ferbuit in te.
Vendunt ergo te fratres; eunuchus emit te.
Sed Deus aspectans humiles non deseruit te.
Mox equidem dominus tuus ædituum statuit te.
Antiquus sed adhuc inimicus persequitur te.
Nam quia pulcher eras, mulier petulans adamat te :
Quod volo fac, inquit; jam libertum faciam te;
Nocte dieque meo bene commendabo viro te.
Pervigil ast oculus, nescit dormire super te;
Igne potenter enim de tanto surripuit te.
Quum mulier verbis de stupro sollicitat te :
En, dicis, dominus mihi tradidit omnia, non te.
Illius uxorem, dominam mihi, non temero te.
Aufugis ergo. Tenet hæc vestem; maluerat te.
Quam redeunte viro monstrans, nimis insimulat te.
Ille sibi credens, in vincula præcipitat te.
In fovea secum Deus est; ibi notificat te.
Nam quid portendant aperitur somnia per te.
Hinc pincerna tui regi memor insinuat te.
Carcere sublatum Pharao tunc consuluit te.
Quod bene respondes, Ægypto præposuit te.
Suppliciter fratres adeunt, qui vendiderant te;
Quique putaverunt dudum nocuisse, rogant te.
Tu cognoscis eos; agnoscere sed nequeunt te.
Uris eos verbis, veniaque data, retegis te.
Inde patrem sanctum produci præcipis ad te.
Et pater et fratres omnes pariter repetunt te.
Dote pudicitiæ meritoque Deus decorat te.
Castos nos faciat Dominus, te subsidiante.

(1) *Ait.* Ovidius, *de Remed. amor.* v. 589.—(2) *Ecclesia.* Brev. *ad suffrag. SS* in laudib.—(3) *Dissipantis.* Prov. xviii, 9. — (4) *Struthionum.* Job xxx, 29. — (5) *Expugnationem.* Omisimus magnam testimoniorum copiam de singulis assertionibus ab auctore, juxta fidem *Concordantiarum*, congestam.

XXIX.

1. Primogenitus, Christus, de quo in lege : « Omne primogenitum sanctum Domino vocabitur [1]. »

2. Populus Judæorum. In propheta : « Primogenitus meus Israel [2]. »

3. *Primogenita*, primitiva hominum vita, pro qua in lege : « Omnia primoge-
5 nita filiorum tuorum redimes [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 32. Primogenitus Dei Judaicus populus. « Primogenitus m. i. » — Primogenitus Ecclesiæ
10 Christus. Apocalypsis : « Qui est primogenitus mortuorum et princeps regum terræ [4]. » — Primogenitus hominis, quem primo generat. Genesis : « Ego sum filius tuus primogenitus, Esau [5]. » — Primogenitus animæ
15 dicitur principium boni operis. Exodus : « Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam [6]. » — Primogenita Ægypti sunt principatus dæmonum et gloria sæculi, ut superbia, luxuria, et cætera hujusmodi,
20 qui in fine percutientur. Job : « Consumat [7] brachia ejus (impii) primogenita mors (superbia). » — Primogenitum vitiorum est carnalis appetitus, qui nobis ante alia vitia inest quasi ab ineunte ætate.

25 Christus dicitur primogenitus Ecclesiæ, quia primus surrexit ad immortalitatem. Dicitur et primogenitus Mariæ virginis, non post quem alium, sed ante quem nullum genuit.

30 Mauricius. *Distinctiones super litt.* p, c. 66. *Primitiæ*. Tria genera primitiarum offerebantur in tribus festis, videlicet in festo paschæ, pentecostes, et scenopegiæ, quas debemus Deo offerre, ut dicatur de nobis :
35 « Hi emti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno [8]. » Primæ primitiæ sunt innocentiæ; secundæ, pœnitentiæ; tertiæ, gloriæ. Primæ offeruntur in baptismo, ubi redimimur a culpa originali; secundæ offeruntur in contritione, in qua redimimur a culpa actuali; tertiæ, in gloriosa resurrectione, quando redimemur a miseria temporali.

Primæ signantur per illas quæ in pascha offerebantur; unde præcipitur Levitici xxiii, quod « offerant spicas virentes, tostas igni [9]. » Per spicas virentes signantur parvuli in prima ætate; per ignem, virtus passionis in baptismo, per quem est mundatio a palea originalis peccati, sicut in spicis, quando in igne torrebantur, separabatur granum a palea. Nota etiam quod in his primitiis offerebantur thus et oleum : in thure vero, fides de divinitate; in oleo, de humanitate. Nota quod offerebantur in pascha, quando filii Israel liberati sunt ab Ægypto. Pascha interpretatur transitus; Ægyptus, tenebræ : hoc est dicere, quod primitiæ innocentiæ offeruntur in baptismo, in quo est transitus ad gloriam, et in quo liberamur a pœna carentiæ visionis Dei, quæ significatur in tenebris. Istas primitias Deo offerunt qui juventutem suam in servitium Dei expendunt.

Item sunt primitiæ pœnitentiæ, de quibus Levitici xxiv, ubi dicitur quod « debent offerri duo panes novi primitiarum de simila fermentata [10]. » Qualitatem dicit, quum dicit : novi debent esse; quantitatem, quum dicit : duo. Sed notandum quod primitiæ primæ erant de granis, secundæ de panibus. In quo signatur quod plus requiritur in primitiis pœnitentiæ, quam innocentiæ, quia

(1) *Vocabitur*. Luc. ii, 23. — (2) *Israel*. Exod. iv, 22. — (3) *Redimes*. Deuter. xii, 6. — (4) *Terræ*. Apoc. i, 5. — (5) *Esau*. Genes. xxvii, 19. — (6) *Vulvam*. Exod. xiii, 2. — (7) *Consumat*. Job xviii, 13. — (8) *Agno*. Apoc. xiv, 4. — (9) *Igni* l. l. 10. — (10) *Fermentata* l. l. 5.

usus liberi arbitrii et dolor de peccato. Notandum etiam quod debent esse de simila fermentata, quantum ad naturam. Granum enim molitur, ut fiat farina : sic et debemus moli inter molam timoris et spei, sive gaudii, de quibus dicitur, Deuteronomii XXIV : « Non accipies loco pignoris inferiorem et superiorem molam [1]. » Inferior mola timor est; superior, spes; inter quas qui molitur, habet materiam primitiarum pœnitentiæ. Notandum etiam quod ista simila debet esse fermentata, non fermento vetustatis; Matthæi XIII, ubi dicitur quod « mulier abscondit fermentum in tribus satis farinæ [2]. » Tria sata sunt tres vires animæ; farina, anima; fermentum, charitas. Fermentum enim in farina absconsum, pastam levat; sic et ipsa charitas, tres vires animæ : rationalem, ad cognitionem peccati; concupiscibilem, ad dolendum de peccato; irascibilem, ad detestationem. Nota quod debent esse duo panes, quia primitiæ pœnitentiæ debent esse in contritione de commissis et omissis. Nota etiam quod hæ primitiæ offeruntur in contritione, secundum spiritum; secundum litteram, in pentecosten, in quinquagesima die ab exitu de Ægypto : in quo numero notatur remissio peccati, quam consequimur in contritione, ubi et redimimur a culpa actuali.

Tertiæ primitiæ sunt gloriæ, quæ offerebantur in scenopegia, quæ erat festum tabernaculorum. Hoc festum erit in patria, quando habitabimus in tabernaculis illis, de quibus Psalmus : « Quam dilecta tabernacula tua, Domine [3] ! » Ad quam solemnitatem venient boni cum exsultatione, portantes manipulos suos et se ipsos offerent Deo, primitias plenas bonis operibus. Et nota quod hæ primitiæ offerebantur in terra promissionis, quia primitia laudis et gratiarum actiones pro liberatione a pœna, et adeptione gloriæ : quæ duo notantur in adeptione terræ promissionis et liberatione ab Ægypto. Offerent boni in terra cœlesti, quæ duo voluit Dominus profiteri illum qui hujusmodi primitias offerebat. Et tunc de his dicetur ab angelis in Apocalypsi : « Hi emti sunt primitiæ Deo et Agno. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genes., v. 1724-1741.

« Tu primogenitus, virtus mea, tuque doloris
« Principium, donis imperioque prior.
« Sicut aqua livor est effusus : crescere numquam
« Possis! læsisti nempe cubile patris. »
In primogenito cognoscimus Israel isto,
Qui populus Domini dicitur esse prior.
Dicitur esse Dei virtus; nam viribus ejus
Vicit et attrivit plurima bella Deus.
Dicitur esse prior donis : nam primitus istum
In populum fluxit gratia larga Dei.
Huic populo patuit mare; manna polus dedit; undam,
Petra; columna, viam; sol redeundo, moram.
Est tamen iste patri factus quasi causa doloris,
Dum cruce punit eum quem negat esse Deum.
Patris deturpat lectum, sponsam crucifixi
Probris, tormentis, morte gravare studens.
Sed minui meruit plebs, ex quo Titus Hebræos
Depellens, ursi more, voravit eos.

XXX.

÷ 1. AMICI, apostoli, vel omnes sancti. In Evangelio : « Jam non dicam vos servos, sed amicos [4]. »

÷ 2. Et in aliam partem : « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem [5]? »

÷ 3. *Sodales*, apostoli. In Canticis canticorum : « Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum [6]. »

(1) *Molam* I. I. 6. — (2) *Farinæ* I. I. 33. — (3) *Domine*. Ps. LXXXIII, 2. — (4) *Amicos*. Joan. XV, 15. — (5) *Nuptialem*. Matt. XXII, 12. — (6) *Tuorum*. Cant. I, 6.

XXXI.

÷ VICINI, propinqui. In Exodo : « Assumet vicinum suum, qui junctus est domui ejus [1].» Et in Salomone : « Melius est vicinus juxta, quam frater procul [2].»

XXXII.

÷ PROXIMI, hoc quod supra, hoc est propinqui fide. In Salomone : « Venite, manducate, et bibite, et inebriamini, proximi mei [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 18; ed. II, col. 755 D, ad XXX, 1 et XXXII.

RABANUS. Amicus, Christus, ut : « Ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem [4]. » — Proximus noster, ut : « Si spoponderis pro amico tuo [5].» — Animus noster, ut : « Amicus meus venit de via [6]. » —A solo nomine, ut : « Amice, quomodo huc intrasti, etc.» — Angeli, ut : « Quæ habitas in hortis, amici auscultant [7]. » — Prædicatores, ut : « Concident eum amici [8]. » — Sancti, ut : « Vos amici mei estis [9]. » — Amica, Ecclesia, ut : « Ecce tu pulchra es, amica mea [10]. » —Angeli, ut : « Convocat amicas et vicinas [11]. »

PETRUS CANTOR. Amicus fictus, sed solo nomine; unde in Salomone : « Amicus in tempore necessitatis deseret te [12]. » Et Dominus dicit ad Judam : « Amice, ad quid venisti [13] ? » — Momentaneus, quales sunt qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt. — Mensæ socius, ut ait Jesus filius Sirach [14]. — Verus qui dixit cum Paulo : « Neque mors, neque vita separabit nos a charitate Christi [15]. » Hoc revelatum erat Apostolo, et quilibet potest dicere hoc, quia mors vel vita non separat hominem a Deo, sed homo separat se a Deo, et subtrahit se a gratia Dei, quam Deus hominibus gratis confert, sicut qui oculos claudit, subtrahit a se lucem. Nulli enim Deus subtrahit gratiam. — Amicus, secretorum revelatione; unde Dominus : « Vos dixi amicos. » — Operis exhibitione; unde : « Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis. » Amicus enim dicitur necessarius, qui non reliquit hominem in necessitate. — Amor inseparabilis, qui Deum omnibus præponit. — Insuperabilis, qui numquam a memoria excidit. — Singularis, qui unum solummodo quærit, scilicet Deum. — Insatiabilis, qui in dilectione Dei satiari non potest. Primo gradu amoris diligit homo tota anima; secundo, toto corde; tertio, tota mente. Primo, ex deliberationis consilio; secundo, ex affectionis desiderio; tertio, exercitio.

PETRUS CAPUANUS ad litt. I, art. 28.

Amicus

Mundi.	Fortuna.
Diaboli.	Secretorum reseratione.
Dei.	
Nomine.	Operis exsequutione.

IDEM, ad litt. XV, art. 45. Proximus dicitur, impensa beneficii, Deus; proximus, ratione primæ nativitatis, omnis homo; proximus, ex ratione fidei; proximus etiam,

(1) *Ejus.* Exod. XII, 4. — (2) *Procul.* Prov. XXVII, 10. — (3) *Mei.* Cant. V, 1. — (4) *Jerusalem.* Cant. I, 16. — (5) *Tuo.* Prov. VI, 1. — (6) *Via.* Luc. XI, 6. —(7) *Auscultant.* Cant. VIII, 13.—(8) *Amici.* Job XL, 25. — (9) *Estis.* Joan. XV, 14. — (10) *Mea.* Cant. I, 15. — (11) *Vicinas.* Luc. XV, 9. — (12) *Te.* Eccli. VI, 10. — (13) *Venisti.* Matt. XXVI, 50.—(14) *Sirach* l. l. supra. Quæ sequuntur, a multis codicibus exsulant; exstant vero in Solesmensi; cui desunt, quæ infra *de Amore.* — (15) *Christi.* Rom. VIII, 38.

ratione consanguinitatis. Persequutio etiam Dei dicitur proxima, quando hominem corripit et emendat.

Idem ad litt. xx, art. 148.

Vicinus

Terrenus.	*Supernus.*
Juxta terram manens.	Angeli.
Fide conversus.	Christus.

Distinctionum monasticar. lib. iv, *de Proximo.*

Proximus dicitur

Conditione nativitatis primæ.	Professione unius religionis.
Cognatione carnis.	
Exhibitione miserationis.	

Tempore, mente, loco, natura, gente propinquo.

Anonymus Clarevallensis. Amicus, dictus ab hamo, id est catena charitatis; unde illud : Hami quidem se teneant. Amicus fidelis amico fideliter succurrit; secure denudat animo secreta, sperat remedia; suscipit ab eo consilia; diligit fortiter inter adversa; tegit arcana; pro eo patitur fortia; transit maria; congaudet in prosperis; compatitur in adversis.

Amicus.

Christus.	Omnes, per fidei communionem.
Animus.	
Amator sæculi.	Viri sancti.

Hermannus Werdinensis.

Hort. deliciar., lib. ii, v. 1164-1171.

Non impone tuo fermentum fraudis amico
Quum sincera fides de bonitate tua est.
Si fraudando noces tibi qui confidit amico,
Duplex pœna tibi perditionis erit.
Quandocumque potes, benefac; noli nocere :
Vitæ reddetur inde corona tibi.
« Hinc supplantator mihi factus erat, David inquit,
« Pane meo pastus, falsus amicus homo est.

XXXIII.

÷ 1. Osculum, reconciliatio hominis in Deum, sicut in Evangelio de prodigo filio dicitur : « Et osculatus est eum [1]. » Et in Apostolo : « Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus [2]. »

÷ 2. Et in malam partem : « Juda, osculo filium hominis tradis [3] ! »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Osculum, dona Spiritus sancti, ut : « Osculetur me osculo oris sui [4]. » — Charitas, ut : « Osculum non dedisti mihi [5]. » — Deceptio, ut : « Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis [6]. »

Petrus Capuanus ad litt. xiv, art. 10.

Osculum

Bonum.	*Malum.*
Reconciliatorium.	Meretricis.
Remuneratorium.	Elationis.
Contemplatorium.	Proditionis.

Primum bonum suscipitur ad pedes; secundum ad manus; tertium ad os. Primum suscipiunt peccatores, quando per pœnitentiam et veniam reconciliantur Deo. Evangelium : « Hæc non cessavit osculari pedes meos [7]. » Secundum suscipiunt justi et amici, quando remunerationem recipientes pro servitiis, osculantur manus dominorum suorum. Psalmus : « Justitia et pax osculatæ sunt [8]. » Justitia enim hominis et pax Dei conjunctæ sunt in omnibus, quia nisi homo operetur justitiam, non habet pacem a Deo. Tertium suscipit Ecclesia, quando in incarnatione osculatus est eam sponsus. Canticum : « Osculetur me osculo oris sui. »

(1) *Eum.* Luc. xv, 20. — (2) *Ejus.* Rom. v, 10. — (3) *Tradis.* Luc. xxii, 4. — (4) *Sui.* Cant. i, 1. — (5) *Mihi.* Luc. vii, 45. — (6) *Odientis.* Prov. xxvii, 6. — (7) *Meos.* Luc. vii, 45. — (8) *Sunt.* Ps. lxxxiv, 1.

Osculum malum est meretricalis oblectationis. Proverbium : « Apprehensumque juvenem deosculatur [1]. » Osculum elationis est, si quis extollitur de operibus, et collaudat opera sua. Job : « Si osculatus sum manum meam ore meo [2]. » Et osculum est proditionis et deceptionis. Evangelium : « Juda, osculo filium hominis tradis [3] ! »

Anonymus Clarevallensis. Osculum filiis dare dicimus, pacem amicis, uxori basium, scorto suavium. Item osculum est charitatis, basium blanditiæ, suavium voluptatis. Versus :

Basia conjugibus sunt, oscula dantur amicis,
Suavia lascivis miscentur grata puellis.

Osculum.	
Dona Spiritus sancti. Charitas.	Deceptio fraudulentorum.

Petrus de Riga.

Aurora, in Passione D. N. J. C., v. 325-336.

Tunc illis iterum : « Jam surgite, dixit, eamus,
« Accedit, properans traditor ille mei. »
Vix ea dixit, adest Judas, diræque cohortes,
Armatæ gladio, fuste, sequuntur eum;
Quas et pontifices, quas et populi seniores
Miserunt, ut eant, arripiantque Jesum.
His dederat signum fur, ut raperetur ab illis
Ille vir, os cujus tangeret ore suo.
Accedens propius, dedit oscula ficta Magistro.
Cui Salvator ait : « Ad quid, amice, venis? »
Quumque Jesus dixisset eis : « Quem quæritis? adsum,
Sum Jesus, » exhorrent, et cecidere retro.

XXXIV.

÷ 1. Risus, gaudium sempiternum, sicut in Salomone pro Ecclesia dicitur : « Et ridebit in die novissimo [4]. »

÷ 2. Et in aliam partem : « Ego quoque in interitu vestro ridebo [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Risus, gaudium spirituale, ut : « Risum mihi fecit Dominus [6]. » — Lætitia mundi, ut : « Risus dolore miscebitur [7]. » — Gaudium cœleste, ut : « Donec impleatur os tuum risu [8]. »

Petrus Capuanus ad litt. xvi, art. 10. Risus Dei triplex : dicitur enim Deus ridere, dum mala nostra dissimulat, et differt misereri. Dicitur quoque ridere erga sanctos, id est, sanctorum vias prosperari. Ridebit etiam in futuro erga damnatos, id est, eos dignos irrisione ostendet. De primo Job : « Si flagellat, occidat semel, et non de pœnis innocentum rideat [9]. » De secundo : « Si quando ridebam ad eos, non credebant [10]. » De tertio Sapientia : « Ego in interitu vestro ridebo. »

Risus hominis triplex : gloriæ, gratiæ, culpæ. Risus gloriæ duplex, scilicet exhilaratio pro æternis. Job : « Donec impleatur risu os tuum. » Et apprehensio quædam jucunditatis et admirationis. Genesis : « Cecidit Abraham in faciem suam, et risit [11]. » Neque enim dubitando, sed applaudendo et admirando risit. Et ab hoc etiam risu filius dictus est Isaac, qui interpretatur risus : in figura tamen illius veri Isaac, qui est risus et gaudium nostrum. Propter quod et angelus, in ejus nativitate, inquit pastoribus : « Ecce ego vobis annuntio gaudium magnum [12], etc. » De cujus tamen fletu licet multa legantur in Evangelio, de risu ejus non memini me legisse, et ideo, « melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii [13], quia cor sapientis ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia. » — Risus etiam gratiæ duplex, scilicet gaudium et lætitia beatitudinis æternæ. Pro-

(1) *Deosculatur.* Prov. vii, 13. — (2) *Meo.* Job xxxi, 27. — (3) *Tradis.* Luc xxii, 48. — (4) *Novissimo.* Prov. xxxi, 25. — (5) *Ridebo.* Prov. i, 26. — (6) *Dominus.* Genes. xxi, 6. — (7) *Miscebitur.* Prov. xiv, 13. — (8) *Risu.* Job viii, 21. — (9) *Rideat.* Job ix, 23. — (10) *Credebant.* Job xxix, 14. — (11) *Risit.* Genes. xvii, 17. — (12) *Magnum.* Luc. ii, 10. — (13) *Convivii.* Eccle. vii, 3.

verbium : « Et ridebit in die novissimo. » Risus etiam sanctorum erit, in futuro, applausio divinæ justitiæ erga damnatos. — Risus culpæ quadruplex est : est enim risus 5 delectationis illicitæ, risus facilitatis nimiæ, risusque infidelitatis et diffidentiæ, risus etiam facultatis perniciosæ.

MAURICIUS. *Distinctiones super litt.* R. c. 52. *Qui rident.*

10 *Nota quod mali rident,*

Voluptatem quærendo.	Pœnitentiam negligendo.
Lasciviam ostendendo.	Adulando.
	Dissimulando.
Sonum emittendo.	Propria merita extollendo.
Nequitiam perpetrando.	Alios deprimendo.
Humanam laudem acquirendo.	Pœnam æternam merendo.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. I, v. 754-760.

Ex sterili Sara proles est vita beata,
Sed tunc quum cessant fieri muliebria Saræ :
Ut nobis liqueat nullum bene fructificare,
Dum fruitur mundi complexibus illecebrosis.
At qui turbinibus mundanis excruciatur,
Nec contristatur, sed gaudia concipit ex his,
Parturit hic Isaac, qui risum nomine signat.

XXXV.

15 ÷ 1. SALTARE, totis viribus in Domino gaudere, sicut in libro Regum de David dicitur : « Et saltabat coram arcam totis viribus [1]. »

÷ 2. Et in aliam partem, in Evangelio : « Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

20 PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 57.

Saltus

Sapientiæ incarnatæ.	Lætitiæ.
Gratiæ.	Lasciviæ.

Saltus autem Christi fuit, a sinu Patris in 25 uterum matris, quia et « in principio erat Verbum, » et « Verbum caro factum est [3]. » — A Patre ad mundum, quia « exivit a Patre, et venit in mundum [4]. » — A matris utero in præsepio, quia « peperit filium 30 suum primogenitum [5], etc. » — A præsepio in templum, quia, « quum introducerent puerum Jesum parentes ejus in templum, fecerunt secundum consuetudinem legis, pro eo [6]. » — A templo in Nazareth, quia 35 reversi sunt in Galilæam. — A Nazareth in Ægyptum, quia angelus Domini apparuit, dicens : « Fuge in Ægyptum [7]. » — Ab Ægypto in Galilæam, quia dictum est Joseph : « Revertere in Judæam [8]. » — A Galilæa ad Jordanem, quia, quum baptizaretur omnis populus, et, Jesu baptizato, apertum est cœlum. — A Jordane in desertum, a deserto in montem altum, a monte in pinnaculum templi, ut tentaretur a diabolo. — A valle in montem excelsum, quia « assumsit sibi Petrum et Jacobum et Joannem, et transfiguratus est ante eos [9]. » — A prætorio ad Pilatum ; a Pilato ad crucem, quia « Pilatus tradidit Jesum eis, ut crucifigeretur [10]. » A cruce ad sepulcrum, quia « Joseph ab Arimathæa deposuit eum in monumento novo. » — A sepulcro ad infernum, quia elevatæ sunt portæ æternales inferni, ut introiret rex gloriæ. — Ab inferis ad superos, qui eduxit vinctos suos de lacu, in quo non erat aqua ; inde saltavit ad discipulos, quando intravit ad eos januis clausis. — Ab apostolis in cœlum,

(1) *Viribus.* II Reg. VI, 14. — (2) *Saltastis.* Luc. VII, 32. — (3) *Est.* Joan. I, 1, 14. — (4) *Mundum.* Joan. XVI, 28. — (5) *Primogenitum.* Matt. I, 25. — (6) *Eo.* Luc. I, 9. — (7) *Ægyptum.* Matt. II, 13. — (8) *Judæam.* Ib. 20. — (9) *Eos.* Matt. XVII, 2. — (10) *Crucifigeretur.* Matt. XXVII, 26.

quando assumtus est in cœlum; ab homine ad Deum, quia ivit ad Patrem suum et Patrem nostrum, ad Deum suum et Deum nostrum. — A crucifixo in regem, nam 5 quia factus est obediens Patri usque ad mortem, ideo et Deus Pater « exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen [1]. » — Adhuc tamen magnum saltum facturus est, quando a cœlo veniet 10 ad judicium, quia Dominus ad judicium veniet cum senatoribus populi sui. A judicio tandem saltabit iterum, et saltum faciet in cœlum, quando, pleno jam corpore, dicet illis : « Venite, benedicti Patris mei ! » 15 Utinam et nos possimus saltare cum ipso ! Et saltabimus vere, si iterum parati sumus sequi ipsum per bona opera et imitationem, sicut ipse ait Petro : « Sequere me [2]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Saltare, spirituale gaudium, ut : « David saltavit t. v. » — Gaudium carnale, ut : « Saltavit filia Herodiadis. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evang., v. 2228-2259.

Contigit Herodem, natalis festa colentem,
Principibus lautas instituisse dapes.
Affuit huic festo reginæ filia, saltu
Et gestu regi docta placere suo.
Quæ quum saltasset regique placeret, ad illam :
« Munus, ait, quodvis, si velis, illud habe. »
Et jurans sanxit, quoniam quodcumque petisset
Promissis staret inviolata fides.
Consulit hæc matrem. Caput ut petat ipsa Joannis,
Instigat mater : sic petit illa caput...
Sensus is est typicus : legalia sacra Joannes,
Christus habet legem significare novam.
Collige sic : quoniam Jesus exstat obitque Joannes,
Gratia, jam lege deficiente, manet.

XXXVI.

÷ 1. CANTICUM, scientia. In psalmo : « Cantate Domino canticum novum [3]. »

20 ÷ 2. *Canticum*, ad contemplativam; *psallere* refertur ad activam vitam, ubi et supra.

XXXVII.

÷ 1. PSALLERE, opus bonum exercere : « In psalterio decem chordarum psallite ei [4]. »

÷ 2. *Psalterium*, opera bona. In psalmo : « Psalterium jucundum cum ci- 25 thara [5]. »

÷ 3. *Psalterium decem chordarum*, operatio decem præceptorum legis. In psalmo, ubi et supra. Item ibi : « In decem chordarum psalterio, cum cantico et cithara [6]. »

XXXVIII.

JUBILATIO, clamor spirituali fervore expressior, sive gaudium quod humana 30 lingua plenius fari non valet. In psalmo : « Beatus populus qui scit jubilationem [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PETRUS CANTOR. Cantant quidam in gaudio; unde : « Exsultate, justi, in Domino; rectos decet collaudatio [8]. » — Ut rele- 35 vent dolorem; unde : » Ut cantent in viis Domini [9]. » — Et alios invitent; unde : « Ut cortina cortinam trahat [10]. » Et : « Qui audit, dicat : Veni [11]. »

Cantant quidam carmen, qui peccatorum

(1) *Nomen*. Philipp. IV. — (2) *Me*. Luc. V, 27, etc. — (3) *Novum*. Ps. XLVII, 1, 4. — (4) *Ei*. Ps. XXXII, 2. — (5) *Cithara*. Ps. LXXX, 3. — (6) *Cithara*. Ps. XXXII, 2. — (7) *Jubilationem*. Ps. LXXXVIII, 16. — (8) *Collaudatio*. Ps XXXI, 1. — (9) *Domini*. Ps. CXXXVII. 5. — (10) *Trahat*. Exod. XXXII, 20. — (11) *Veni*. Apoc XXII, 17.

lapsum non senserunt. — Lamentum, qui a peccatis per pœnitentiæ lamentum resurgunt.—Væ, qui peccant et non pœnitent. Et hoc est quod alibi dicitur, quod alii moriuntur in Ægypto, etc.

Cantare debemus pure, id est in fide, quia « sine fide impossibile est placere Deo [1]. » — Recto opere, quia « fides sine operibus mortua est [2]. » — Pura intentione, quia « si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus lucidum erit [3]. » Et hic est purus cantus.

Canticum est vetustatis; canticum vetus est in miseria sæculi. Istud cantant qui charitatem non habent. — Novitatis; canticum novum est in gaudio spei : hoc cantant qui habent charitatem, licet dormiant.—Jubilationis; canticum jubilationis est in visione Dei. De primo dictum est : « Super flumina Babylonis [4], etc. » De secundo dicitur : « Cantate Domino canticum novum. » De tertio dictum est : « Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob in vociferatione [5]. » Primum est in pœnitentia; secundum est in innocentia; tertium in gloria. Primum canticum cantatur post transitum maris Rubri, quasi in ripa maris; secundum, post longos deserti circuitus, quasi in ripa Jordanis; tertium, post universum laborem, in terra sancta promissionis.

Canticum de incarnatione dicitur novum. propter Christum noviter incarnatum; unde : « Novum facit Dominus super terram : mulier circumdabit virum [6] » gremio uteri sui. — Propter novum mandatum de dilectione inimicorum; unde : « Audistis quia dictum est antiquis : Odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros [7], etc. » Item : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem [8]. » — Propter hominem innovatum; unde : « Renovamini spiritu mentis vestræ [9]. » — Propter præcepta; unde : « Audistis quia dictum est antiquis : Odio habebis inimicum, etc. » — Propter promissa; unde : « Beati pauperes spiritu, etc [10]. » In veteri testamento temporalia, in novo spiritualia promittuntur.

Canticum novum dicitur novum testamentum, propter signa; unde : « Innova signa, et immuta mirabilia [11]. » — Propter affectum, unde : « Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis [12]. » — In novitate [13] materiæ novum fuit, quia virgo peperit; unde : « Novum faciet Dominus, etc. » — Quantum ad doctrinam; unde Athenienses de Paulo dixerunt : « Quis est iste seminiverbius, novorum dæmonum prædicator [14]? » —Quantum ad nova opera; unde Veritas : « Si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent [15]. » —Quantum ad inferorum descensionem et captivorum redemtionem; unde Zacharias : « Tu autem in sanguine testamenti eduxisti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua [16]. » — Quantum ad resurrectionem et ascensionem; unde Apostolus : « Ipse initiavit nobis viam novam, secundum velamen, id est carnem [17]. » — Et quantum ad adventum ad judicium; unde : « Ecce creo cœlos novos et terram novam [18]. »

Cantica Evangelii sunt tria : et ideo quia sunt evangelica, stando cantantur.

Primum est *Magnificat;* quod licet primum sit editum a beata Maria, quum Elizabeth salutasset eam, secundo canitur, scilicet in sexta hora, hoc est ad vesperas; ideo quod legitur ibi : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ [19], » id est Ecclesiæ et ipsius Mariæ : quod factum est in sexta ætate, quia tunc respexit Deus genus humanum. Et agit de incarnatione ibi : « Suscepit Israel, etc., » et ideo cantatur in sexto officio.

Secundum, *Benedictus*, quia licet sit se-

(1) *Deo.* Hebr. XI, 6. — (2) *Est.* Jacob. I, 20, 26. — (3) *Erit.* Matt. VI, 22. —(4) *Babylonis.* Ps. CXXXVI, 1.—(5) *Vociferatione.* Ps. XXXII, 3.—(6) *Virum.* Jerem. XIII, 22. — (7) *Vestros.* Matt. V, 44.—(8) *Invicem.* Joan. XV. 17. — (9) *Vestræ.* Ephes. IV, 23. — (10) *Spiritu.* Ephes. IV, 2. — (11) *Mirabilia.* Eccli. XXXVI, 6. —(12) *Veritatis.* Ephes. IV, 24.—(13) *Novitate.* Quæ sequuntur usque ad *Cantica evangelii*, desunt in cod. Solesmensi.—(14) *Prædicator.* Act. XVII, 18. — (15) *Haberent.* Joan. XV, 24. — (16) *Aqua.* Zach. IX, 11.—(17) *Carnem.* Hebr X, 20.—(18) *Novam.* Is. LXV, 17. — (19) *Suæ.* Luc. I, 48.

cundo editum a Zacharia, ejus nato filio, primo cantatur, quia agit de resurrectione ibi : « Et erexit cornu salutis nobis [1], etc. » Et loquitur ad puerum qui fuit aurora so-
5 lis : et ideo cantatur in Laudibus, in quibus similiter agitur de resurrectione, ut : «Deus regnavit, etc. » Et quia mane surrexit Christus, ideo cantatur diluculo.

Tertium *Nunc dimittis*, et ideo in septimo
10 officio cantatur, quia septima ætas est quiescentium, ubi erit pax; et quia de hac pace agitur in hoc cantico, cantatur in septimo officio.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

15 Canticum est vox cantantis in lætitia. Canticum psalmi est quum id quod organum modulatur, vox postea cantantis eloquitur. Psalmus vero cantici, quod humana prælo-quitur, vox autem organi modulantis imi-
20 tatur. Canticum de æternis fit; mentem exhilarat; pigros excitat; devotos incitat; concordiam reparat.

Canticum
- Gratiæ fidei et charitatis.
- Lætitiæ de nova gratia novi testamenti.
- Laus creatoris.

Psallere est organum sumere, quod psal-
25 terium dicitur, et pulsu manuum vocibus concordare; vel psalmos cantare.

Psallere
- Opere Deo servire.
- Opere et verbo Deum laudare.
- Superiora contemplari.
- Deum bonis operibus laudare.

Jubilus est quum tanta lætitia corde concipitur quanta sermonis efficacia non expletur, quod nec abscondi potest, nec sermonibus aperiri; et tamen quibusdam motibus promitur, quamvis nullis proprietatibus exprimatur.

Jubilus
- Gaudium ineffabile.
- Spirituale gaudium.

FULCOIUS.

Utrumque, de Nuptiis Christi et Ecclesiæ,

Incipit :

Bella superna canam, rem nolo dicere vanam :
Dicam quo pacto, Rex ætheris, hoste subacto,
Ut regnum caperes, tamquam Patris unicus hæres,
Obsideas mundum, superando vota, secundum [2];
Quo læsus lædis, quo cæsus vulnere cædis;
Perfossis costis, quid ad ultima dixerit hostis.
Per validum scutum solvent tibi regna tributum,
Et merito dextra dominaberis intus et extra;
Illos jure premes, quos multo sanguine demes.
Fugit membra vigor tua : sit tibi debita virgo [3].
Gaudia tædarum non linquam, Christe, tuarum,
Unicus ut nupsit, vel qualiter unica nupsit,
Ut cœli soboles coeant et terrea proles :
Hac decuit cura reparari regna futura.

XXXIX.

÷ 1. CITHARA, pectus devotum, in quo tamquam nervi sunt virtutes, hoc est spiritualia bona. In psalmo : « Exsurge, psalterium et cithara [4], » id est opera cum fide.

30 ÷ 2. Et in malam partem. In Isaia : « Cithara, et lyra, et tympanum, et vinum in conviviis vestris [5]. »

XL.

÷ CHORDÆ, virtutes in corde sanctorum extentæ. In psalmo : « In chordis et organo [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

35 EUCHERIUS, ed. II, col. 768 D ad XXXIX, 1.

RABANUS. Cithara, recta operatio, ut : « Confitemini Domino in cithara [7]. » — Vita activa; ut : « Psalterium jucundum cum ci-

(1) *Nobis*. Luc. I, 69. — (2) *Secundum*, an pro *secundo adventu?* — (3) *Virgo*. Sensus et rhythmus deficiunt. Defuit quoque codex alius, quo medela aliunde afferretur. — (4) *Cithara*. Ps. LVI, 9. — (5) *Vestris*. Is. V, 12. — (6) *Organo*. Ps. CL, 5. — (7) *Cithara*. Ps. XXXII, 2.

thara [1]. »—Mortificatio carnis, ut : « Psallite Domino in cithara [2]. » — Lætitia, ut : « Versa est in luctum cithara mea [3]. » — Suavitas consolationis, ut : « Psallebat David in cithara [4]. »

Alanus [5]. *Cithara quot modis dicitur.*— Proprie dicitur quoddam organicum instrumentum. — Tempus tribulationis, unde in psalmo : « Confitebor tibi in cithara, Deus meus [6], » id est in tempore adversitatis. — Cithara, servitium pro terrenis; psalterium, pro æternis; unde in psalmo : « Laudate eum in psalterio et cithara [7], » id est, in mentis devotione et carnis mortificatione. —Exsultatio; unde Job : « Versa est, etc. » — Compassio; unde Isaias : « Venter meus ad Moab ut cithara clamabit [8]. »—Significat Filium Dei, qui fuit cithara moriendo, quia cithara resonat ab inferiore parte; psalterium, resurgendo, quia psalterium resonat a superiori; gloria, ascendendo; unde in psalmo : « Exsurge, gloria mea; exsurge, psalterium et cithara : exsurgam diluculo. » Christus est gloria Dei, gloria sui, gloria angeli, gloria hominis. etc. Et ita Christus fuit gloria Patris secundum divinam naturam; psalterium, secundum animam; cithara, secundum carnem humanam. Psalterium a superiore resonat, decem chordas habet; totum ad animam Christi pertinet : ipsa a superioribus insonuit, quia tantummodo cœlestibus intenta fuit. Christi status quasi decem chordas sibi consonas habuit. Prima et superior chorda fuit animæ ad Filium Dei unio; secunda, immunitas a peccato; tertia, impossibilitas peccandi; quarta, plenitudo sciendi; quinta, contemplatio cœlestium; sexta, aspernatio terrestrium; septima, fervor charitatis; octava, desiderium nostræ salutis; nona, carnis et animæ societas; decima, Christi passibilitas.

Similiter, secundum carnem humanam, Christus fuit cithara. Cithara resonat ab inferiori, in cithara est lignum, chordæ uni ligno inhærentes, ab eodem ligno procedentes. Similiter humana Christi caro ab inferiori parte insonuit, quia multorum defectuum strepitus sentit. In illa lignum fuit carnis substantia. Chordæ, varia defectus circumstantia. Una chorda fuit fames; alia, sitis; alia, passio; alia, compassio; alia, mors; alia, corporis et animæ solutio. Istæ chordæ sibi consonæ fuerunt, quia omnes in defectu concordes; omnes in calamitate conformes; omnes a carne, quasi a ligno, processerunt; omnes uniformiter carni adhæserunt.

Petrus Capuanus ad litt. iii, art. 24.

Cithara

Suprema.	*Media.*
Laudatio divina.	Prosperitas.
Exempla sanctorum.	Mortificatio.

Infima, cithara illicitæ voluptatis et voluptuosæ delectationis.

Anonymus Clarevallensis.

Cithara.		*Chordæ.*	
Mortificatio carnis.	Lætitia consolationis.	Præcepta decem legis.	Caro, a corruptione libera.
Vita activa.	Suavitas.		

Petrus de Riga.

Aurora, in I Reg. v. 290-312.

Per sonitum citharæ quam tangebat David, ater
 Spiritus exibat, rexque serenus erat.
Non erat in cithara vis tanta, sed in cruce Christi
 Dulcisona, cujus illa figura fuit.
Ligno cum nervis extensis passio Christi
 In cruce signatur, dæmonis arma terens...
Regius inde furor sic arsit, ut in David hastam
 Dirigeret; citharam dum regit ille manu.
Declinante David, non audiit hasta Saulem :
 Sed solus paries saucius inde fuit.
Quid sibi vult quod, quum regem vesania torquet,
 Per citharam mulcet hunc citharista puer?
Rege Saule potest Judæa superba notari,
 Est humilis Christi vera figura David.
Christum blasphemans dum Judæus furit, illum,
 Tamquam per citharam, dulce loquendo fovet.
Est citharæ cantus Evangelii sonus : illa
 Regem demulcet; hoc mala corda movet.
Dum citharista canit, rex hastam mittit; at ictum
 Suscepit paries, nil patiente David.
Sic dum dulce loquens Christus citharizat Hebræis,
 Huic inferre necem quærit Hebræa manus.
Sed dum vivus abit ad gentes, non nisi solam
 Duritiam voti sauciat hasta mali.

(1) *Cithara.* Ps. LX, 22. — (2) *Cithara:* Ps. XCVII, 5.— (3) *Mea.* Is. XXXVIII, 831. — (4) *Cithara.* I Reg. XVI, 23. — (5) *Alanus.* Libenter redeo ad Alanum ex *incunabulis*, ut aiunt, redivivum. Redivivo lector, ni fallor, applaudet libenter. — (6) *Meus.* Ps. XLII, 4. — (7) *Cithara.* CL, 3. — (8) *Clamabit.* Is. XVI, 11.

XLI.

÷ 1. ORGANUM, homo, sive corpus Dominicum. In psalmo : « Laudate eum in chordis et organo [1]. »

÷ 2. Et in aliam partem, de vana impiorum lætitia. In Job : « Tenent tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi [2]. »

XLII.

5 ÷ 1. TYMPANUM, corpus attenuatum jejunio. In psalmis : « Laudate eum in tympano et choro [3]. »

÷ 2. Et in aliam partem : « Tenent tympanum, etc. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 31; ed. II, col. 768
10 ad XLI, 1; XLII, 1.

RABANUS. Organum, lætitia mentis, ut : « Organum meum in vocem flentium [4]. » — Prædicatores, ut : « In salicibus suspendimus organa nostra [5]. »

15 Tympanum, afflictio carnis, ut : « Laudate e. i. t. »—Operatio bona, ut : « Sumite psalmum, et date tympanum [6]. »

PETRUS CANTOR. Virgines dicuntur tympanistriæ, propter carnis afflictionem; quia
20 tympanum fit de corio animalis extento inter duo ligna : ita virginea caro, inter spem et timorem.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIX, art 18. Tympanum ad litteram est instrumentum
25 musicale, quod fit de corio mortui animalis desiccato et extento in ligno; pulsatur de manu, ut sonum reddat. Est autem tympanum redemtionis, caro Christi in cruce; tympanum glorificationis, caro mutata a
30 præsenti pœnalitate, vel lætitia sanctorum de pœna reproborum; tympanum mortificationis, caro mortificata in præsenti; tympanum temporalis sustentationis, temporalia quæ debentur prædicatoribus a quibus
35 recipiunt spiritualia; tympanum illicitæ delectationis, voluptas superflua, qua aliqui delectantur hujusmodi musicis instrumentis.

Primum fuit pulsatum in fine veteris testamenti, quando ipse Dominus peccata pertulit in corpore suo super lignum; secundus pulsabitur in fine vitæ præsentis, quando in citharis et tympanis Deus expugnabit impios. Tertium pulsatur in vita præsenti, quando sancti mortificant corpora sua, in medio juvencularum tympanistriarum. Quartum pulsatur quotidie, quando sumitur psalterium a majoribus, et a minoribus datur tympanum. Quintum pulsatur in illo voluptuoso convivio, de quo inquit Isaias : « Cithara, lyra, tympanum, tibia et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non aspicitis [7]. »

Possunt autem et proprietates tympani, superius positæ, etiam spiritualibus tympanis assignari. Nam et in tympano redemtionis nostræ possunt inveniri. Tympanum enim fit de corio mortui animalis, et caro Christi mortua fuit in cruce. » Est aries qui immolatus est ab Abraham super aram. Tympanum fit de corio exsiccato : et caro Christi exsiccata fuit in passione. Psalmus : « Exaruit velut testa virtus mea, et in pulverem mortis deduxerunt me [8]. » Et hæc

(1) *Organo.* Ps. XL, 5. — (2) *Organi.* Job XXI, 12. — (3) *Choro.* Ps. CL, 4. — (4) *Flentium.* Job XXX, 31. — (5) *Nostra.* Ps. CXXXVI, 2. — (6) *Tympanum.* Ps. LXXX, 3. — (7) *Aspicitis.* Is. V, 12. (8) *Me.* Ps. XXI,

est cucurbita vel hædera, quæ quidem umbraculum fecerat Jonæ; sed arefacta est, ut Ninive salvaretur; quia oportuit ut cucurbita carnis Christi aresceret, ad hoc ut mundus salutis remedium inveniret. Fit quoque tympanum de corio extento in ligno : et corium carnis Christi extentum fuit in ligno crucis. Actus : « Quem vos interemistis, suspendentes in ligno [1]. » Et hic est David in cithara, qui dum in ipsa psalleret, malignorum spirituum impetus frænabatur; quia et David noster vere manu forti dum in cithara crucis psallebat, malignos spiritus per eam refrænavit, quando manu inermi et etiam cruci affixa, quasi tangens citharam, debellavit aereas potestates. Tympanum etiam ad hoc ut sonum reddat, manu pulsatur. Et tympanum carnis Christi pulsatum fuit manibus crucifigentium, et sonum reddidit salutis et redemtionis nostræ. Sonitum salutis reddidit, quando audivit latro illum salutiferum sonum : « Hodie mecum eris in paradiso [2]. » Et quando clamans voce magna, Jesus ait : « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum [3]. Et hæc dicens, exspiravit. »

Tympanum quoque glorificationis nostræ fiet de corio et de pelle mortui animalis. Paulus : « Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi [4]. » Fiet hoc tympanum de corio arido et exsiccato a vigore vitæ præsentis. Ezechiel : « Vaticinare de istis ossibus. Et dixi : Ossa arida, ecce ego intromittam in vos spiritum, et vivetis [5]. » Fiet quoque tympanum istum de corio extento, extento, inquam, in ligno illo vitæ, de quo dicitur in Apocalypsi : « Vincenti dabo edere de ligno vitæ [6]; » vel in ligno crucis, quia Christus per crucis lignum fuit primum extentus, postmodum exaltatus gloria immortalitatis; nam, quia et obediens fuit Patri usque ad mortem crucis, propter quod et Pater exaltavit illum gloria immortalitatis, et per ejus resurrectionem nos etiam resurgemus. Pulsabitur et hoc tympanum manu divinæ potentiæ, quæ mortuorum corpora suscitabit, ad hoc ut sonum laudis reddant in æternitate, quando ipse Dominus, « in jussu et in voce archangeli, et in novissima tuba, descendet de cœlo, et mortui resurgent [7]... »

Anonymus Clarevallensis. Organum fistulas habet in modum turris ordinatas, concorditer sonantes; flatu follium sonat [8]; linguis ligneis ab interiore parte construitur, quas disciplinaliter magistrorum digiti reprimunt, et grandissonam quam suavissimam cantilenam faciunt.

Organum.

Lætitia mentis.	Virtutes, et bona opera.
Prædicatores.	
Suavitas adulationum.	Concordia charitatis.

Tympanum.

Afflictio cordis.	Carnalis lætitia.
Operatio bona.	Mortificatio carnis.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod. v. 947-952.

Post maris egressum, laudes gratesque canebat,
Tympana populsans illa Maria vetus.
Post lavacrum Christi, quum nos aqua sancta piavit,
Pro nobis jubilat Virgo Maria Deo;
Quæ bene pulsavit quasi tympana, cujus in ore
Laus fuit et jubilus, et caro labe carens.

XLIII.

÷ 1. Chorus, concordia charitatis. In psalmo : « Laudate eum in tympano et choro [9]. »

÷ 2. Et in aliam partem. In Jeremia : « Versus est in luctum chorus noster, et organum meum in vocem flentium [10]. »

(1) *Ligno.* Act. v, 30. — (2) *Paradiso.* Luc. xxiii, 43. — (3) *Meum.* Luc. xxiii, 46. — (4) *Primi.* I Thessal. iv, 15. — (5) *Vivetis.* Ezech. xxxvii, 4. — (6) *Vitæ.* Apoc. ii, 7. — (7) *Resurgent.* I Cor. xv, 52. — (8) *Sonat.* Huc usque similia apud Hug. S. V. t. ii, p. 472. — (9) *Choro.* Ps. cl, 4. — (10) *Flentium* Thren. v, 15.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 31 ; ed. II, col. 768 ad 1.

RABANUS. Chorus, concordia [*ut supra*]. —Congregatio electorum, ut : « Quid videbis in Sunamite, nisi choros castrorum [1] ? »

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 9. Cantus fit in choro per contemplationem. Psalmus : « Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena [2] ? » — Per laudem. Psalmus : « Cantabo, et psalmum dicam Domino [3]. »—Per delectationem. Psalmus : « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ [4]. » — Per exspectationis securitatem. Psalmus : « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine [5]; » judicium enim cantant, qui illud cum gaudio et securitate exspectant. Bene autem cantare, est corde et opere Deum laudare.

Cantus qui fit per contemplationem, relevat laborem ex sollicitudine temporalium. Psalmus : « Quis mihi dabit pennas, sicut columbæ ? et volabo, et requiescam. [6] » Nonne sic cantabat Joannes, quando supra pectus Domini in cœna recubuit? Cantus qui fit per laudem, tollit tædium de exspectatione. Psalmus : « Quare tristis es, anima mea? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi [7] » — Cantus qui fit per delectationem, removet tristitiam de transgressione. Nonne hoc canticum cantabat Paulus, quum dicebat : « Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est [8] ?» — Cantus qui fit per exspectationis securitatem, affert lætitiam et exsultationem. Epistola canonica : « Filioli, nondum apparuit quem exspectavimus : quum autem apparuerit, similes ei erimus [9]. »

Debet autem cantus esse affectuosus, ut scilicet mens consonet voci. Debet esse fructuosus, scilicet ut ædificet alios. Debet etiam esse gratiosus, scilicet ut placeat coram Deo.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Chorus.

Prædicatio evangelica.	Conspiratio in malum.
Vocum concordia.	Concordia morum et charitatis.
Concordans laus sanctorum.	

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 995-1001.

Militiæ poterit chorus in Sunamite videri,
Si plebs illa gravis, quæ nunc est nescia veri,
Contra perversos Christi defendit honorem,
Jussa loquendo Dei, fideique tenendo rigorem.
Porro per Ecclesiam quia convertentur Hebræi,
Alloquitur sponsam sponsus cum laude trophæi.

XLIV.

÷ 1. TUBA DEI [10], vox manifesta. In Apostolo : « In jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei, descendet de cœlo [11]. »

÷ 2. Vocis exaltatio [12] in prædicatione divina, sive exsultatio in laude Dei [13]. In psalmo : « In tubis abietum et voce tubæ corneæ [14]. » Et in Amos : « Si cecinerit tuba in civitate, et populus non expavescit [15]. »

÷ 3. *Tubæ*, reprobi, vel diabolus.

÷ 4. *Tubæ duæ*, veteris et novi Testamenti prædicatio. In libro Numeri : « Fac tibi duas tubas argenteas, ad evocandam synagogam [16]. »

(1) *Castrorum*. Cant. VI, 12. — (2) *Aliena*. Ps. CXXXVI, 4. — (3) *Domino*. Ps. XXVI, 6. — (4) *Meæ*. Ps. CXVIII, 54. — (5) *Domine*. Ps. C, 1. — (6) *Requiescam*. Ps. LIV, 7.—(7) *Illi*. Ps. XLI, 12.—(8) *Est*. Galat. VI, 14. — (9) *Erimus*. I Joan. III, 2. — (10) *Dei*. Cf. t. II, p. 21. Distinctione illa concluditur cap. I in B. G. — (11) *Cœlo*. I Thess. IV, 15. — (12) *Exsultatio* D, E. — (13) *In laudem Dei* E. — (14) *Corneæ* Ps. XCVII, 16. — (15) *Expavescit*. Amos III, 6. — (16) *Synagogam*. Levit. XXIII, 24.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 4 et 13; ed. II, 738 B et 758 D, ad 1.

RABANUS. Tuba, sonus prædicationis, ut : « Canite in tuba [1]. » — Vox potestatis sæcularis, ut : « Non reputat tuba sonare clamorem [2]. » — Favor humanus, ut : « Noli tuba canere ante te [3]. » — Duo præcepta charitatis, ut : « Fac tibi, etc. » — Prædicationes, ut : « In sinistris lampades, in dextris tubas [4]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIX, art. 910. Tuba ænea, argentea, cornea, ferrea. Tuba ænea dicitur aperta vox Dei, sacra Scriptura, sonora et constans prædicatio : æs namque sonorum est metallum, juxta illud Pauli : « Æs sonans et cymbalum tinniens [5]. » — Tuba argentea, sancti prædicatores, dum et splendent argento eloquentiæ. Genesis : « Scyphum meum argenteum pone in ore sacci [6]. » Numerus : « Fac tibi duas tubas argenteas et ductiles, » quæ scilicet producuntur et proficiunt tunsionibus persequutionum. — Tuba cornea sunt sancti, qui affectus carnis superant; qui, licet in carne, tamen supra carnem vivunt, sicut cornu adhæret, et tamen eam excedit, et sic firmum est et capax vocis : utrisque his tubis aures Dei delectantur. Psalmus : « In tubis ductilibus et voce tubæ corneæ. » — Tuba ferrea dicitur terror futuri examinis, inflexibilitas divinæ justitiæ. Amos : « Morietur in sonitu Moab, in clangorem tubæ [7]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR., lib. V, *de Tuba*.

I. *Cœlica, angelorum : « Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ* [8]. »

II. *Ecclesiastica, doctorum : « Buccinate in neomenia tuba* [9]. »

III. *Sophistica, simulatorum : « Quum facis eleemosynam, noli tuba canere.* »

Crede trium tres esse tubas, quas ferre feruntur
Angelus et doctor et justitiæ simulator.

Tuba significat sublimes prædicatores : harum tubarum strepitu muri Jericho corruerunt, et philosophorum maculosa dogmata, mundanæ sapientiæ argumentis firmata, vires amiserunt. Tuba et prædicationem virtuosam, id est efficacem et affluentem, significat; unde est illud : « Buccinate i. n. t., » id est in tempore gratiæ, quæ designatur per novilunium, quia tunc nova facta sunt omnia, sonante prædicatione vehementi et valida.

Tuba significat jactantiam ; unde : « Quum facis, etc. » Simile invenitur in Isaia, de jejunio : sic namque scriptum est : « Nolite jejunare sicut usque in hanc diem, ut audiatur in excelso clamor vester [10], » id est, ut jejunium vestrum per jactantiam declametur.

Tuba etiam significat vocem ministerio emissam angelorum ; unde est illud : « Ascendens in jubilo, etc. » Ascendente enim in cœlum Redemtore nostro, insonuit jubilus apostolorum et tuba angelorum.

Tuba etiam significat signum evidens, quodcumque illud erit, quod in adventu judicis fiet; unde Apostolus : « Canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti [11]. » Est igitur tuba cœlica, etc.

In clara nube, me, peccati sine nube,
Voce tonante tubæ, surgere, Christe, jube.
Auxiliare, pia genitrix et virgo Maria,
Virgo fecunda, genitrix, plus æthere munda.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Tuba.

Prædicatio.	Duo præcepta charitatis.
Favor hominum.	

PETRUS et ÆGIDIUS.

Aurora, in Josue, v. 65-74.

Non vi turbarum Jericho ruit, immo tubarum ;
Arcu Judæi plus valet arca Dei.
Dejecit Jericho septenus circulus arcæ ;
Ætas huic mundo septima finis erit.
Quum cecinere tubæ, fuit urbs perpessa ruinam,
Præterit et mundus iste, canente tuba.
• Plebs hebræa tubis Jericho circumtonat urbem,
• Inde ruit murus, sicque triumphat eam.
• Non armis, sed verborum virtute sacrorum,
Vincit amatores urbis in orbe fides.

(1) *Tuba*. Joel I, 15. — (2) *Clamorem*. Job XXXIX, 24. — (3) *Te*. Matt. VI, 2. — (4) *Tubas*. Jud. VII, 18. — (5) *Tinniens*. I Cor. XIII, 1. — (6) *Sacci*. Genes, XLIV, 1. — (7) *Tubæ*. Amos II, 2. — (8) *Tubæ*. P. XLVI, 6. — (9) *Tuba*. Ps. LXXX, 4. — (10) *Vester*. Is. LVIII, 4. — (11) *Incorrupti*. I Cor. XV, 5.

XLV.

÷ Cymbala, labia Dominum confitentia, vel dilectio Dei et proximi. In psalterio : « Laudate eum in cymbalis bene sonantibus [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 31; col. 768 d, 769 a ad xlv.

Rabanus. Cymbalum, loquacitas, ut : « Aut cymbalum tinniens. » — Prædicatio Antichristi, ut : « Væ terræ, cymbalo alarum [2] ! » — Sermo charitatis, ut : « Laudate eum in cymbalis. »

Petrus Capuanus ad litt. iii, art. 25. Cymbala dicuntur duo testamenta, vel dilectio Dei et proximi, vel labia nostra Deum laudantia. Psalmus : « Laudate eum, etc. » — Cymbalum tinniens est qui non operatur secundum quod prædicat. — Cymbalum vero duarum alarum dicitur Antichristus. Isaias: « Væ terræ cymbalo alarum ! »

Cymbala autem ad litteram semper sunt combinata ænea, quotquot sunt, et se invicem tangunt, ut sonent : quæ bene competunt duobus testamentis; nam et ipsa sunt combinata. Ezechiel conspexit rotam in medio rotæ. Sunt et duo testamenta ænea, per sonoritatem et durabilitatem. Nonne ænea et sonora esse dicebat Dominus Deus Jesus hæc cymbala, vel duo testamenta, quum dicebat : « Omnis scriba doctus in regno cœlorum profert de thesauro suo nova et vetera [3] ? » Mutuo etiam se tangunt duo testamenta, ut sonent : alæ autem alteræ cherubini se invicem tangebant [4]. Nonne se invicem tangebant, ut sonarent, et sonus veræ doctrinæ darent, quum Dominus dicebat : « Audistis quia dictum est antiquis, etc. ? » Tetigit novum vetus, et sic sonum dedit veræ doctrinæ.

Anonymus Clarevallensis.

Cymbala, labia Deum sonantia; unde : « Laudate eum in c. b. s. »

— Diversa charismatum dona; unde : « Porro cantores Heman et Idithum in cymbalis concrepabant. »

— Falsa fama; unde : « Factus sum velut æs sonans, a. c. t. »

Cymbalum.

Loquacitas.	Prædicatio Antichristi.
Sermo charitatis.	

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1449, 1452.

Quod totum cingit altare notatur in ære,
Semper in ecclesiis nos jubilare Deo.
Vel notat æs resonans campanas, sive magistros :
Hæ sonitu populos, hi ratione movent.

XLVI.

÷ 1. Lyræ, exsultatio sanctorum. In Paralipomenon : « In lyris et nabliis [5]. »
÷ 2. In malam partem, in Amos : « Et canticum lyræ tuæ non audiam [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Anonymus Clarevallensis. Lyra, Ecclesia vel Scriptura, ut : « Ludebant coram Deo in cytharis et lyris et tympanis. » — Concordia malorum, vel lætitia luxurian-

(1) *Sonantibus.* Ps. cl, 5. — (2) *Alarum.* Is. xviii, 1. — (3) *Vetera.* Matt. xiii, 51. — (4) *Tangebant.* III Reg. vi, 27. — (5) *Nabliis.* I Paral. xv, 15. — (6) *Audiam.* Amos. v, 23.

tium, ut : « Cithara, et lyra, et tympana. »

Petrus Cantor. Jubilus est mentis exsultatio, quæ nec taceri potest, nec præ sui magnitudine plene potest exprimi. In jubilatione [1] tria concurrunt : intellectus; unde : « Psallite sapienter [2]. » Vox; unde : « Psallite Domino in cithara, in voce psalmi [3]. » Opus; unde : « Intellectus bonus facientibus [4]. » Jubilus exprimit in principio dictionis, infirmitatem nostram, ut : « Tamquam sponsus », et illud Jeremiæ : « A, a, a, Domine, puer ego sum, nescio loqui [5]. » — In medio orationis, imperfectionem laudis, ut in versiculo « Vespertina oratio. » Unde magis approbanda est consuetudo Ecclesiarum, in quibus tales versiculi sub imperfecta oratione proferuntur, quam earum, in quibus perfecta profertur oratio. De hac imperfectione dictum est : « Imperfectum meum viderunt oculi tui [6]. » — In fine orationis, desiderii magnitudinem, sicut et antiqui Patres primum desiderabant adventum, dicentes in Isaia : « Utinam disrumperes cœlos, et descenderes [7] ! « sic et nos secundum. Sed secundum quosdam significat gaudium eorum qui sunt in patria, quia adhuc exspectant corporum glorificationem. Inde est quod in die resurrectionis non jubilamus, quia Christi plenam in corpore et anima resurrectionem celebramus. Similiter nec in laudibus quæ in memoriam Dominicæ resurrectionis cantantur, quia Dominus ea hora resurrexit; finitis vero matutinis laudibus, jubilatur, scilicet post *Laudate Dominum de cœlis*, et *Benedictus*, quia nondum plenam habent glorificationem illi qui sunt in patria, quia in anima tantum. Sed in completorio, nulla fit jubilatio, quia consummatam significat lætitiam sanctorum, qui in corpore et anima resurgentes, nihil amplius desiderabunt; sed perfecte ac plene Dominum laudabunt.

Petrus Capuanus ad litt. IX, art. 6. Jubilus prædicationis, exsultationis et laudationis. Jubilus prædicationis est communis ex natura cordis et oris. Job : « Donec impleatur risu os tuum, et labia tua jubilo [8]. » Jubilus exsultationis est gaudium quod nec omnino potest exprimi, nec omnino taceri. Psalmus : « Ascendit Deus in jubilo [9], » quando scilicet intuebantur eum euntem in cœlum. Jubilus laudis est lætitia vocis, sententia verbis expressa, productio scilicet quædam cantandi, quæ solet fieri super aliquam dictionem vel syllabam. Primus jubilus est in verbis, secundus in corde, tertius in voce. Primus, ad aliorum utilitatem; secundus, ad propriam jucunditatem; tertius ad divinæ laudis immensitatem. Primus in activa, secundus in contemplativa, tertius in utraque. Iste autem tertius quandoque fit in principio dictionis, etc.

Mauricius. *Distinctiones super litt.* I, c. 86. *Jubilus*

In terra	*In via*
Cordis. Oris. Operis.	Ascensio Christi, de qua jubilant angeli, — Sancti Patres, — Apostoli, — Ipse Christus.
In patria	
Bonorum lætantium in cœlo.	

Laurentius.

Hypomnesticon, in lib. VII.

Nam velut ad citharam tria sunt adhibenda,
Ars, manus atque fidis, res tamen una sonat;
Ars dictat, tangitque manus; sed nec manus urgens,
Nec sonat ars dictans, chordaque sola sonet :
Solaque sic Proles fit homo, licet hoc operentur
Insimul et Proles, Spiritus atque Pater.

(1) *Jubilus*. Ab argumento nolim hæc tibi videantur nimis recedere; cum cithara enim et lyra jubilus apud veteres eliciebatur. Cæterum hic, uti fere semper, adeo in Cantore abundat bonæ frugis doctrina, ut ejusdem post vestigia Petrus de Mora, Mauritius, cæterique certatim messem fecerint. — (2) *Sapienter*. Ps. XLVI, 8. — (3) *Psalmi*. Ps. XCVII, 5. — (4) *Facientibus*. Ps. CX, 10. — (5) *Loqui*. Jerem. I, 6. — (6) *Tui*. Ps. CXXXVIII, 16. — (7) *Descenderes*. Is. LXIV, 1. — (8) *Jubilo*. Job VIII, 21. — (9) *Jubilo*. Ps. XLVI, 6.

XLVII.

÷ 1. Vestimentum, Ecclesiæ fides, sive virtutum varietas, vel nationum diversitas. In psalmo : « Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato [1], circumamicta varietate [2]. » Et in Isaia : « Consurge, induere fortitudine tua, Sion; induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas sancta [3]. »

÷ 2. Caro hominis. In Salomone : « Omni tempore sint vestimenta tua candida [4], » id est, nulla pollutione luxuriæ sordida.

÷ 3. Simulatio hypocritarum. In Evangelio : « Venient ad vos in vestibus ovium, intus autem sunt lupi rapaces [5]. »

4. *Vestimentum Christi,* caro [6] : « Ecce vir vestibus lineis [7] [*vid.* t. II, p. 37]. »

10 5. Electi [8] : « Circumda tibi decorem, et induere speciosis [9] [*ib.*]. »

÷ 6. *Vestimentum sanctorum,* opera justitiæ, sive fideles Christi. In Apostolo : « Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis [10]. » Et in psalmo : « Sacerdotes tui, Domine, induantur justitia [11]. »

÷ 7. *Vestimentum impiorum,* opera iniquitatis. In psalmo : « Induantur, sicut 15 diploide, confusione sua [12]. »

÷ 8. *Vestis nuptialis,* fides, vel, ut quidam volunt, charitas. In Evangelio : « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem [13] ? »

÷ 9. *Vestimentum lineum,* virtus animæ, sive munditia charitatis. In Levitico : « Vestietur sacerdos vestimentis lineis et femoralibus [14]. »

20 ÷ 10. *Vestimenta sacerdotis,* opera justitiæ. In psalmo : « Sacerdotes tui, Domine, induantur justitia. »

÷ 11. Plebs fidelium. In Levitico : « Caput suum non discooperiet, et vestimenta sua non scindet [15]. »

XLVIII.

÷ 1. Stola, indumentum baptismi, vel fides. In Evangelio : « Cito proferte sto-25 lam primam, et induite eum [16]. »

2. Caro Christi [*vid. supra* t. II, p. 39].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Adrianus, Εἰσαγωγὴ Α', ιϐ'. Β', κϛ'.

Eucherius, ed. I, p. 15; ed. II, col. 759 C 30 ad XLVII, 8; XLVIII, 1.

Rabanus [*vid. supra,* t. II, p. 38].

Petrus Cantor. Vestimentum novum, opus bonum; vetus, peccatum. Qui autem quodlibet bonum opus et peccatum in quo 35 manet conjungit, totum amittit, et major etiam scissura fit, quia melius erat ei viam justitiæ non agnovisse, quam post agnitam, retrorsum converti ab eo sancto mandato quod traditum erat illi.

Vestis lanea, dicitur simplicitas. — Linea subtilitas; unde in lege dicitur : « Non indues vestem lana et lino contextam [17]. » Vestis quæ ex lana et lino conficitur, linum interius celat, in superficie lanam demonstrat. Vestem ergo ex lana et lino contex-

(1) *Deaurato solus* G. — (2) *Varietate.* Ps. XLIV, 3. — (3) *Sancta.* Is. LII, 1. — (4) *Candida.* Eccle. IX, 8. — (5) *Rapaces.* Matt. VII, 15. — (6) *Corpus assumtum* B-G. *Caro assumta* alias, cf. t. II, p. 37, not. 10.— (7) *Lineis.* Ezech. IX, 9. — (8) *Electi omnes, ut in Job* B-G. Al. *Item vestimentum Christi, populi fideles.* — (9) *Speciosis.* Job XLV, 5. — (10) *Induistis.* Galat. III, 27.— (11) *Justitia.* Ps. CXXXI, 9.—(12) *Sua.* Ps. XXXIV, 20. — (13) *Nuptialem.* Matt. XII, 12. — (14) *Femoralibus.* Exod. XXIX, 5. — (15) *Scindet.* Levit. X, 6. — (16) *Eum.* Luc. XV, 22. — (17) *Contextam.* Deuteron. XXII, 11.

tam induit, qui sub loquutione blanda subtilitatem celat malitiæ.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. v, *de Veste*. Vestis Ecclesiæ, id est munimentum, Christus est; vestis Christi est Ecclesia.

Vestis est

Cultus vitæ exterior.	Opera bona.
Virtutes.	Impassibilitas et immortalitas.
Pellis et caro.	
Corpus.	*Vestimenta Christi*, sacramenta.
Corporis membra.	

Vestis sanctæ animæ est justitia, sine qua nulla Deo placet oblatio. — Vestis regalis videtur esse patientia, per quam homo sui possessor efficitur; unde : « In patientia vestra possidebitis animas vestras [1]. » Concordat illud poeticum [2]. »

Tunc omnia jure tenebis,
Quum poteris rex esse tui.

—Vestis virginalis videtur esse verecundia, juxta illud poeticum :

Pulchra verecundus texerat ora rubor.

— Vestis nuptialis est charitas, quæ dignos nos facit perpetuo regis æterni convivio.— Vestis Ecclesiæ est ipsa tribulatio, quæ hominem plerumque tuetur a vitiis, sicut vestis ab inclementia aeris; unde est illud psalmistæ : « Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus [3].» Per abyssum profunda tribulatio designatur, quæ sanctam Ecclesiam, dum purgat et humiliat, a vitiis conservat et virtutibus sublimat. Unde est illud in Genesi : « Multiplicatæ sunt aquæ super terram, et levaverunt arcam in sublime a terra [4]. » Tribulationes nos docent terrena despicere et amare cœlestia.—Vestes Esau, quibus Rebecca induit Jacob, sunt sacra Dei eloquia, quondam Judæorum populo credita, quibus mater gratia ornavit populum vocatum ex gentibus. — Vestis alba, in qua Dominus illusus est ab Herode, est innocentia, quæ a mundi amatoribus fatuitas reputatur; unde Job : « Deridetur justi simplicitas [5]. Ægyptii abominantur oves [6]. » — Vestis stragulata [*vide infra*, p. 158].— Vestes sunt instituta morum, quæ nobis ab Ægyptiis, id est mundi sapientibus, licet mutuari. — Vestis virilis est gestus maturus et gravis. —Vestis muliebris est gestus lascivus et levis.—Vestis Joseph polymita, id est pluribus guttis distincta, significat carnem Christi proprii sanguinis respersam guttis; unde de Domino beatus Joannes in Apocalypsi, circa finem sic loquitur : « Et erat indutus veste aspersa sanguine, et nomen ejus Verbum Dei [7]. » — Vestis ex lana et lino contexta, fallacem significat vitam duplicium, quam sacra damnat Scriptura, dicens : «Non indues, etc. » Hac veste contra divinum præceptum falsi fratres induuntur, qui « loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum [8]. » Contra talium fallaciam nos Cato instruit, dicens :

Fac ut devites sub falso corpore mites,
Nec credas undam placidam non esse profundam.
Simplicitas veri fama est; fraus, ficta loquendi.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Vestimenta.

Humanitas Christi.	Bona exempla.
Ordo fidelium.	Dona gratiæ.
Viri sancti.	Munditia.
Martyres.	Sententiæ Scripturæ.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1520-1531.

Sancta fuit vestis Aaron, vitamque probatam
Signat, quæ sanctos innocuosque facit.
Hanc vestem texit inter duo ligna sacerdos,
Quum mores gemino format amore suos.

(1) *Vestras*. Luc. xxi, 19. — (2) *Poeticum*. Claudian. *Honor. cons.* iv, 261. — (3) *Ejus*. Ps. ciii, 6. — (4) *Terra*. Genes. vii, 10. — (5) *Simplicitas*. Job xii, 4. — (6) *Oves*. Genes. xlvi, 34. In vulg. *pastores ovium*. — (7) *Dei*. Apoc. xix, 13. « Et nota, addit Noster ibidem, quod in hac dictione *polymita*, accentus est super *mi* syllabam, non super *li*, sicut quidam imperiti contendunt, qui consuetudinem suam rationi præferre non verentur. Super hoc exstant versus quos hic ponere libet, quia licet triti sunt in scholis, non tamen ita in claustris :

Est mihi crede Μίτος Filum, sed Fabula Μῦθος;
A Μίτος Hexamitum, de Μῦθος Mythologia.
Sed tamen evita, ne te fallat *Calamita*
Et Μίτος guttam sonat; hinc vestis *Polymita*.

Hæc ille, e Græcismo, opinor, Everardi Bethuniensis. Quæ græcis litteris exhibemus, ea codex latinis et depravatis. — (8) *Eorum*. Ps. xxvii, 3.

Fila sacræ vestis sunt pax, pietas et honestas,
Spes, doctrina, fides, virgineusque pudor.
Non hac veste fuit quidam conviva coruscus,
Quem spernens misit regia cœna foras.

Aaron et nati vestes texuntur, ut horum
Quisque sacerdotum posset honore frui.
Nam modo presbyteri, seu summi, sive minores,
Conficiunt Christi corpus, idemque sacrant.

XLIX.

÷ 1. Linum, fides Ecclesiæ, sive carnis munditia[1], vel spiritualis in sacris Scripturis intellectus, sicut in Salomone pro Ecclesia dicitur : « Quæsivit lanam et linum, et operata est[2]. »

÷ 2. Et in aliam partem, ab occulta malitia. In Levitico : « Non indues vestimentum ex lana et lino contextum. »

L, LI.

÷ 1. Lana, fides Ecclesiæ, ubi et supra : « Quæsivit lanam. »

÷ 2. Et in aliam partem, propter falsam simplicitatem : « Veniunt ad vos in vestibus ovium[3]. »

÷ 3. Vellus, populus Judæorum. In psalmo : « Et descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia[4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 21, 23; ed. ii, col. 761 a, ad xlix et li.

Rabanus. Linum, populus gentilis, ut : « Linum fumigans non exstinguet[5]. » — Subtilitas, ut : «Non indues, etc.» — Spiritualis intellectus, ut : « Quæsivit lanam et linum. »

Lana, simplicitas, ut : « Non indues, etc. » — Virgo Maria, ut : « Ponam hoc vellus lanæ in area[6]. » — Bona actio, ut : « Quæsivit l. » — Mansueti, ut : « Qui dat nivem, sicut lanam[7]. » — Subsidia temporalia, ut : « Lanis operiebamini, gregem autem meum non pascebatis[8]. »

Petrus Capuanus ad litt. xi, art. 37.

Lana

Suavis.	*Munda.*
Sustentatio temporalis.	Verbum Dei.
Bona opera.	Caro Virginis.

Lana immunda, fictio et duplicitas.

Lana verbi Dei consistit in figuris, in præceptis, in prohibitionibus, in consiliis. Hæc lana crevit, quando veteri testamento additum est novum. Tonsa vero fuit, quando ablata sunt cæremonialia. Ex hac lana contexta est vestis qua Ecclesia induitur contra frigus hæreticorum. — Lana carnis virgineæ fuit in utero Virginis. Hæc lana crevit in vellus, quum assumta est a Verbo. Psalmus : « Descendet sicut pluvia in vellus. » Forcipes ad tondendam hanc lanam attulit Gabriel, scilicet obumbrationem Spiritus sancti, qua exstinctus est in ea fomes, et virtus Altissimi quæ supervenit in ea. Abluta autem fuit munditia virginali ab omni humore noxio, siccata calore et fervore fidei, quando consensit. Evangelium : « Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum[9], » etc. [Cf., t. ii, p. 39.]

Idem, ibid., art. 40.

(1) *Sive carnis munditia* deest in B, C, D. — (2) *Est.* Prov. xxxi, 13. — (3) *Ovium.* Matt. vii, 15. — (4) *Stillicidia.* Ps. lxxi, 16. — (5) *Exstinguet.* Matt. xii, 20. — (6) *Area.* Jud. vi, 37. — (7) *Lanam.* Ps. cxlvii, 16. — (8) *Pascebatis.* Ezech. xxxiv, 3. — (9) *Tuum.* Luc. i, 38.

Linum

Deitatis.	Castitatis.	Dolositatis.

Linum deitatis est divinitas Christi. Parabolæ : « Quæsivit lanam et linum, et operata est, » consuendo scilicet has duas naturas in vestem nostram.— Linum castitatis est integritas carnis, vel castitas ipsa. Exodus : « Filiis Aaron parabis lineas vestes [1]. » — Linum dolositatis, subtilis et fraudulens malitia. Apocalypsis : « Operiat se byssino splendenti et candido [2]. » Et etiam ornatus verborum. Evangelium : « Induebatur purpura et bysso [3]. »

IDEM ad litt. XX, art. 135.

Vellus { *Cœleste*, caro Virginis. *Aerium*, Ecclesia gentium. *Terrestre*, Judæa remanens arida.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Lino*. Lini semen terram in qua seminatur, desiccat et reddit infecundam ; unde doctissimus poetarum ait in Georgicis [4]. »

Urit enim campum lini seges, urit avenæ,
Urunt lethæo perfusa papavera somno.

Linum igitur, quia terræ tollit pinguedinem, fraudulentiam significat ; non omnem tamen, sed argutam, quia in unum non possunt simul et semel habitare falsitas et charitas, quæ congaudet veritati. Unde Dominus per sanctum Moysen unumquemque nostrum calliditatem vitare jubet, dicens : « Non indues vestem ex lana linoque contextam ; » lanam exterius ostendit, linum interius celat. Talis est vita simulatoris et callidi, qui exterius prætendit simplicitatem, interius tegit et tenet dolositatem. De quali corde quidam ait :

Quum cor vulpinum vellus prætendit ovinum,
Sub tali pelle non est vulpis sine felle.

Linum igitur significat subtilitatem, quæ bene utentibus est salubris et fructuosa, male utentibus, noxia. Bona fuit et est forti mulieri, in cujus laudibus dicit Salomon : « Quæsivit lanam, etc. » Fortis namque hæc mulier sancta est Ecclesia ; fortis patiendo, et mulier pariendo, quæ in sacris Scripturis « quæsivit lanam et linum, » id est simplicem doctrinam et subtilem ; « et operata est consilio manuum suarum, » quia inde formam vivendi docuit filios suos, juxta interpretationem fortium operariorum suorum, quales fuerunt Augustinus, Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Gregorius, et alii non pauci. Noxia vero est subtilitas male utentibus, de qualibus ait Isaias : « Confundentur omnes qui operantur linum, pectentes et texentes subtilia [5]. » De hæreticis dictum est, qui artificiosa et mendosa componunt dogmata, quibus quasi quibusdam retibus implicantur incauti.

Linum, quia de terra oritur, et magno labore nativum deponit colorem, significat castitatem, quæ, nisi paucissimis qui eunuchi nati sunt, sine magno labore non provenit :

Tres sunt eunuchi : primus sic nascitur ; alter
Truncatur, cœlebs est ; tertius, ut mereatur.
Si potes, is esto ; si non, vel corde modesto
Servi factori, qui dat majora minori.

Unde beatus Augustinus quodam loco, ait : Inter omnia martyria christianorum sola sunt duriora prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, et rara victoria [6]. Et, ut de spinis rosas colligam, multi repulsam Junoni et Palladi, pomum aureum Veneri censent tribuendum : æstimatur enim summum bonum esse voluptatem. De judicio Paridis injusto quidam scholasticus ait :

Judicat haud vere, sed judicio Paris uno [7],
Et Veneri misere cedit cum Pallade Juno.

Quid linum significet, habemus ex eo quod legimus in Exodo, quod linum et hordeum læsa sunt, eo quod hordeum esset urens, et linum germinaret folliculos. Porro moraliter, id est juxta sensum moralem,

(1) *Vestes*. Exod. XXVIII, 40.—(2) *Candido*. Apoc. XIX, 8. — (3) *Bysso*. Luc. XVI, 19. — (4) *Georgicis*. Lib. I, v. 77. —(5) *Subtilia*. Is. XIX, 19.—(6) *Victoria*. August. *Opp*. t. V. app. Serm. CCXIII, n. 2. — (7) *Paris uno*. Est qui legat *Parisino*, etsi barbara vox adjectiva, e *Paride*.

linum germinans folliculos est castitas germinans superbiam, quæ quidem cito læditur, quia plerumque superbiam cordis sequitur contumelia.

5 Linum significat sacerdotalem dignitatem; in veteri testamento præcepit Dominus per Moysen, ut sacerdotes in templo vel in tabernaculo ministrantes, vestibus lineis uterentur; unde de clementia nostri Redem-10 toris loquens Isaias, inter cætera sic ait : « Calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non exstinguet. » Per calamum significatur gentium populus, ad omnem ventum tentationis diabolicæ se 15 flectens; per linum fumigans, populus Judæorum a custodia mandatorum Dei, propter traditionem hominum, languescens, et ideo fumosam, id est erroneam, doctrinam emittens. Moraliter, calamus quassatus est 20 infirmus in opere; linum fumigans, infirmus in fide.

De lana. Lana significat simplicitatem; unde : « Non indues, etc. » — Significat tractabilitatem; unde : « Dominus dat ni-25 vem, sicut lanam, » id est, ii qui tractari non poterant, tractantur. — Lana, quia vermes nutrit, carnis significat corruptibilitatem; unde Isaias de reprobis : « Sicut vestimentum, sic comedet eos ver-30 mis; et sicut lanam, sic comedet eos tinea [1]. » De lana tinea nascitur, et lanam comedit : et libido de carne nascitur, et carnem corrumpit. — Lana alba significat castitatem corporis, vel gloriam immortalitatis; 35 unde in Apocalypsi legimus, « quod capilli Filii hominis erant quasi lana alba, et quasi nix [2]. » Perfecti namque lanæ albæ comparantur in munditia corporis, et nivi in munditia cordis. Unaquæque necessaria est; unde quidam ait :

Res est jucunda, res cara Deo, caro munda :
Tu quoque cor munda, si vis vitare profunda.

— Lana, quia ex ea varia vestimentorum genera fiunt, quibus homines ornantur, reverentiam significat et honorem. Unde ad pastores mercenarios Dominus loquitur exprobrando per Ezechielem : « Lac comedebatis, et lanis operiebamini, » id est, ex reverentia vobis ab illis impensa honorabamini; « gregem autem non pascebatis, » nec prædicationis verbo, nec bonæ operationis exemplo.—Lana significat simulatam sanctitatem; unde in Osee loquitur : « Mulier fornicaria, » id est anima hæreticorum erronea doctrina seducta, « vadam post amatores meos, qui dant mihi lanam meam et linum meum [3]. » Lana significat ibi simulatam charitatem; linum, simulatam castitatem.

Anonymus Clarevallensis.

Vellus.

Uterus virginalis.	Libri veteris testa-
Virtutum opera.	menti.

Laurentius.

Hypomnesticon, in lib. vii.

Virginis et proles in velleris imbre notatur :
Vellus namque madens est ea Virgo parens.
Nam licet hoc et eam premat caro, non tamen illud;
Nec peregrina premit passio carnis eam.
Adjice fructiferam typicæ nucis, adjice virgam :
Summum Virgo ducem dat, velut illa nucem.
Et primum quasi terra virum, vir protulit Evam :
Christum Virgo dabit, Christus et Ecclesiam.

LII.

÷ 1. Coccus, charitatis ardor, vel cruciatus mentis [5]. In Exodo, idem quod supra.

÷ 2. Et in malam partem. In Ezechiel : « Vidit viros vestitos hyacinthino [6]. »

LIII.

40 ÷ 1. Byssus, castitatis vel continentiæ candor. In Exodo, idem quod supra.

÷ 2. Et in aliam partem. In Evangelio : « Erat quidam dives qui induebatur purpura et bysso [7]. »

(1) *Tinea.* Is. li, 8. — (2) *Nix.* Apoc. i, 14. — (3) *Meum.* Osee ii, 5. — (4) *Vellere.* Genes. xxx, 32. — (5) *Crucis mentio.* Eucher. mendose. — (6) *Hyacinthino.* Ezech. xxiii, 6. — (7) *Bysso.* Luc. xvi, 19.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 29; ed. II, col. 766 D, 767 A, ad LII, 1, LIII, 1.

RABANUS. Coccus, ardor charitatis, ut: « Coccum bis tinctum [1]. » — Passio Christi, ut : « In manu et aure ligavit coccinum [2]. »

Byssus, justitia, ut : « Byssinum enim sunt justificationes sanctorum [3]. » — Carnis afflictio, ut : « Coccum bis tinctum et byssum retortam. » — Virginitas, ut : « Byssus et purpura indumentum ejus [4]. » — Decus virtutum, ut : « Tentoria de bysso retorta [5]. » — Cultus exterior, ut : « Induebatur purpura et bysso. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. II, art. 16. Byssus castitatis, sanctitatis et superstitiosæ loquacitatis. Primus [6] est continentia; secundus est conversatio sancta; tertius est inutilis ornatus et venustas verborum, quo philosophi præcipue utebantur.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Bysso*. Est genus vestimenti linei, subtile, candidum; et significat castitatem, quia sicut linum magno labore deponit nativum colorem, ita homo magno labore castitatis acquirit candorem. — Item byssus significat justificationes sanctorum, per quæcumque sancta exercitia, vel animæ vel corporis, conquisita; unde in Apocalypsi scriptum est : « Byssinum significat j. s. » — Byssus cultum vitæ exteriorem significat, quem habent et hypocritæ, qui sunt ornati « ut similitudo templi [7], » quia non sunt Dei templum, sed similitudinem ejus habent. — Item byssus significat temperantiam; unde in Exodo offeruntur, inter cætera, hyacinthus, purpura, coccus et byssus, per quæ quatuor totidem virtutes cardinales designantur : per hyacinthum signatur prudentia, per quam Dei cognitionem habemus; per purpuram, justitiam; per coccum, fortitudo, martyrum; per byssum quæ de terra oritur, quæ est media elementorum, sicut in sphæra mundus evidenter agnoscitur, significatur temperantia, quæ est media virtutum.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Coccus.

Charitas.	Sanguis martyrum.
Passio Christi.	Consuetudo peccandi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1263-1276.

Coccus bis tinctus, byssusque retorta, hyacinthus,
Purpura cortinis mixta fuere decem.
Designantur in his aer, tellus, aqua, cœlum,
Ut Josephi testis scripta vetusta [9] sonant.
Byssus signat humum, quia nascitur inde; hyacinthus,
Aera : nam concors est in utroque color;
Purpura signat aquam, quia pisci nubit aquoso;
Coccus se confert, teste rubore, polo.
Ornatur filis byssi cortina retortis,
Dum perversa redit plebs sociata bonis.
Sacri fontis aquam cortinæ purpura signat,
Quæ lotis aperit regna beata Dei.
Si divina doces, splendet cortina hyacintho,
Et quasi suspensus [10] aere surgit, homo.

LIV.

∴ PURPURA, martyrii species, per cruorem; unde dicitur : Væ illis qui quasi ex regia dignitate terræ, hoc est carni imperant, et vitiis non resistunt [11]. In Exodo : « Omnis qui percipit corde, afferet initia Domino, aurum, argentum et æramentum, hyacinthum, purpuram, coccum et byssum [12]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 29; ed. II, col. 766 D.

RABANUS. Purpura, passio Christi, ut : « Comæ capitis tui sicut purpura [13]. » — Fulgor castitatis, ut : « Æs, hyacinthum et purpuram. » — Superbia, ut : « Induebatur purpura et bysso [14]. »

(1) *Tinctum*. Exod. XXV, 4. — (2) *Coccinum*. Genes. XXXVIII, 27. — (3) *Sanctorum*. Apoc. XIX, 8. — (4) *Ejus*. Prov. XXXI, 22. — (5) *Retorta*. Ex. XXVII, 9. — (6) *Primus*. Ita auctor constanter aliique veteres non pauci. — (7) *Templi*. Ps. CXLIII, 12. — (8) *Sonant*. In *Ant. Judaic.* l. III, c. 7, n. 7. — (9) *Venusta*, alias. — (10) *Et quia suspensus*, al. — (11) *Resistunt*. Nihil textu sacro simile. — (12) *Byssum*. Exod. XXV, 2, 3, 4; aliter Vulg. — (13) *Purpura*. Cant. VII, 5. — (14) *Bysso*. Luc. XVI, 19.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. IV, *de Purpura*. Purpura sanguinem Christi significat, vel carnem ipsius, sanguine purpuratam. Et recte. Ipse enim est rex verus, 5 qui nullo suorum eget, et omnes illo. Ipse verus rex,

Qui cœlum terramque regit per sæcula [1].

De hac regis purpura ait doctor sanctus, in hymno de sancta cruce [2] :

10 Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura.

Purpura significat martyres vel martyrium; unde in laudibus fortis mulieris, quæ Ecclesiam significat, ait Salomon, immo 15 Spiritus sanctus per Salomonem : « Byssus et purpura indumentum ejus. » Unde quidam [3] :

Nunc est Ecclesiæ byssus, nunc purpura vestis,
Quæ per bella, rosas; per pacem lilia gignit.

20 Mulier igitur fortis recte dicitur Ecclesia, quia viro suo, id est Christo, non solum est necessarie, sed et voluntarie subdita, et a mundi immunditiis invicta. Vel mulier, quia pariens; fortis, quia patiens. 25 Mulier, propter fecunditatem prolis; fortis, propter sufferentiam laboris. Mulier, quia filios parit in dolore, sed et fortis, quia in viri perseverat amore. Mulier, propter filios et cum filiis infirma; sed fortis contra adversarios et firma.

Purpura videtur posse designare quorumdam prælatorum Ecclesiæ fastum et tumorem, quia, more principum terrenorum, subditis suis incutiunt sine culpa terrorem. Hi enim mihi videntur designari per divitem illum qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide; et his illud adjiciebat malum, quod pauperi Lazaro non miserebatur : et ideo sepultus est in inferno. Sunt enim hodie non pauci, qui nomine et honore ornantur pastorali, et in officio sacerdotali, quod signatur per byssum, gloriantur fastu regali, qui designatur per purpuram, et satisfacere curant voluptati carnali, quæ designatur per epulationem splendidam, et non compatiuntur infirmo fratri spirituali, qui figuratur per Lazarum. Et ideo post hanc vitam morti subduntur æternali.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1415-1422.

Isti [4] sunt cœli, testante colore hyacinthi,
Quos memorat cœlos esse propheta David.
Isti purpura sunt, quia vestit purpura reges;
Dumque regunt populum, regia jura tenent.
Isti sunt gemino coccus bis tinctus amore,
Quos bene tinxit amor fratris, amorque Dei.
Isti sunt byssus, cui fila retorta fuere,
Fortes in Christo spe, pietate, fide.

LV.

÷ 1. BALTEUS, accinctus virtutum, sive circumspectio mentis [6]. In Deuterono- 30 mio : « Habebis paxillum in balteum [7], » id est, stimulum compunctionis.

2. Et in aliam partem. In Job : « Balteum regum dissolvet, et præcinget fune renes eorum [8]. »

LVI.

CINGULUM, spiritualis operis amictus. In psalmo : « Præcinxisti me lætitia [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

35 GREGORIUS M. Balteus, cingulum castitatis, ut in Job : « Balteum regum ipse dissolvet, etc. » Sæpe enim contingit, ut hi qui se in continentia regere videbantur,

(1) *Sæcula.* Sedulius *in Carm. pasch.* et *in Missis B. M. V.* ad *introitum.* — (2) *Cruce.* Fortunatus, in hymn. ad laud. temp. Passionis. — (3) *Quidam.* Similia, non eadem tamen, ex *Aurora*, descripsimus in t. II, p. 417. — (4) *Isti.* Apostoli scilicet; cf. infra p. 192 —(5) *David*, in Ps. XVIII, 1. — (6) *Accinctura virtutum* B, C. *Accinctio* D. *Sive inspectio* B, D. *Sive circumspectio* C.— (7) *Balteum.* Deut. XXIII, 13. — (8) *Eorum.* Job XII, 18. — (9) *Lætitia.* Ps. XXIX, 12. *Circumdedisti me* Vulg.

propter superbiam castitatis balteo spoliantur, et renes eorum funibus peccatorum præcinguntur.

Rabanus. Balteus, continentia, ut : « Balteum r. d. » — Mortificatio carnis, ut : « Dedit Jonathas David omnia, usque ad balteum [1]. » — Unitas fidei, ut Joab : « Dedissem decem siclos et balteum unum [2]. » — Animus noster, ut : « Posuit cruorem prælii in balteum [3]. »

Cingulum, vigor justitiæ, ut : « Cingulum tradidit Chananæo [4]. ».

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 113. Balteus tertium vestimentum, quo, ne circa pedes sacerdotis deflueret, tunica cingebatur, actionis bonæ designat expeditionem. Vel accingitur balteo munditiæ, ne vento elationis aditum pandat, ne charitatem frigere faciat, ne hyacinthina præsumtionis bona opera impediat.

Cingulum, quo alba stringitur, repressio est jactantiæ et vanitatis, ne per jactantiam castitatis meritum perdatur.

Idem, ad litt. xxii, art. 3.

Zona

Dignitatis.	Decor virtutum.
Charitatis.	Dilectio Dei in nos.
Castitatis	Sive continentiæ.
Cupiditatis	Tenacitas avaritiæ.

Distinctionum monasticarum, lib. v, *de Zona*. Zona proprie cingulum hominis dicitur. Translative tamen dicuntur zonæ quinque plagæ cœli; unde est illud Virgilianum in Georgicis [5] :

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum una corusco
Semper sole rubens, et torrida semper ab igne;
Quam circum extremæ dextra lævaque feruntur
Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris :
Has inter mediamque duæ mortalibus ægris
Munere concessæ divum.

Et paulo post :

Totidemque plagæ tellure premuntur.

— Zona in sacra scriptura multa significat : Est enim zona charitatis, de qua legitur in Apocalypsi, ubi refertur quod angelus apparuit sancto Joanni, « qui præcinctus erat ad mamillas zona aurea [6]. » — Est zona castitatis : hæc est zona pellicea, quæ erat circa lumbos Joannis Baptistæ, [7] et circa lumbos Eliæ. — Est zona absconsionis, in qua discipuli Christi æs habere perhibentur. — Est zona humilitatis, qua Christus præcinxit se, ut lavaret pedes discipulorum suorum. — Est zona justitiæ, quæ commemoratur in illa prophetia Isaiæ, de Christo : « Erit justitia c. l. e. » — Est zona mortalitatis; unde : « Non glorietur accinctus æque ut discinctus [8]. » — Est zona fortitudinis; unde est illud Psalmistæ de Christo : « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime [9]. » Et in laudibus fortis mulieris scriptum est, in Proverbiis : « Accinxit fortitudine lumbos suos [10]. » — Est zona simulatæ religionis; unde Isaias de hypocritis : « Erit eis pro suavi odore fætor, et pro zona funiculus [11], » id est, pro bona opinione, ex sanctitatis simulatione fætor, et defectio ex iniquitatis manifestatione; et pro ornatu falso et phantastico, verus et severus cruciatus. Zona etiam dicitur peccandi assiduitas, vel consummata iniquitas, quæ miserum peccatorem totum ambit et ligat; unde est illud Psalmistæ de Juda proditore, vel alio peccatore, qui venit in profundum malorum : « Fiat ei sicut vestimentum quo operitur, et sicut zona qua semper præcingitur [12]. » A qua nos defendet sancta Trinitas, unus Deus, super omnia benedictus in sæcula. Amen. *Expliciunt Distinctiones monasticæ et morales.*

Anonymus Clarevallensis. Cingulum ornatur auro, argento, lapide pretioso; signum est honoris.

Cingulum, corona vitæ æternæ; unde : « Præcinget se, et faciet illos discumbere [13]. » — Decor virtutum; unde : « Cin-

(1) *Balteum*. I Reg. xviii, 4. — (2) *Unum*. II Reg. xviii, 11. — (3) *Balteum*. III Reg. ii, 5. — (4) *Chananæo*. Prov. xxxi, 24. — (5) *Georgicis*. i, v. 233-238. — (6) *Aurea*. Apoc. i, 13. — (7) *Baptistæ*. Marc. i, 6. — (8) *Distinctus*. III Reg. xx, 11. — (9) *Potentissime*. Ps. xliv, 4. — (10) *Suos*. Prov. xxxi, 17. — (11) *Funiculus*. Is. iii, 24. — (12) *Præcingitur*. Ps. cviii, 19. — (13) *Discumbere*. Joan. xiii, 14.

gulum fecerunt de bysso retorta, hyacintho [1], etc. » — Castitas; unde : « Sint lumbi vestri præcincti [2]. » — Fides; unde : « Petrus tunica succinxit se [3]. » — Justitia; unde : « Erit justitia cingulum lumborum ejus [4]. » — Virtus; unde : « Præcinxit me virtute. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1620-1623.

Balteus ex bysso tunicam constringit, honeste
Factus, plumatum qui sapiebat opus.
Balteus est carnis macies, candorque pudicus,
More levis plumæ, quæ cor ad alta levant.

LVII.

÷ CHLAMYS, laudis ornatus. In Salomone : « Chlamydem fecit viro suo [5], » id est vestimentum, quod tamquam de duobus testamentis confectum est.

LVIII.

÷ 1. POLYMITUM, varia virtutum charismata. In Ezechiel : « Unxi te oleo, et vestivi te discoloribus [6]. »

÷ 2. Et in aliam partem : « Negotiatores tui » hoc est Tyrii, « multifariam involucris hyacinthi et polymitorum, gazarum pretiosarum [7]. »

LIX.

÷ STRAGULUM, virtutum diversitas, vel gentium in Ecclesia varietas. In Salomone : « Stragulatam vestem fecit sibi; byssus et purpura indumentum ejus. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 26; ed. II, col. 764 A.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. 113. Vestimentum exterius multiplex. Vestimentum enim exterius est habitus religionis. Evangelium : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium [8]. » — Vestimenta exteriora sunt corpora nostra. Evangelium : « Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via [9]. » Sapientia : « Omni tempore vestimenta tua sint candida [10]. » — Vestis quoque exterior, Judæa. Job : « Scidit vestimenta sua [11]. » — Vestimenta exteriora, opera bona. Apocalypsis : « Qui vicerit sic, induetur vestimentis albis [12], etc. » — Vestimenta exteriora ipsi sancti, qui sunt ornamenta ejus. Evangelium : « Vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix [13]. » — Vestimenta exteriora sunt sacramenta ecclesiastica. Psalmus : « Diviserunt sibi vestimenta mea [14]. » — Vestimentum etiam exterius, sancta Ecclesia, vel diversitas nationum. Psalmus : « Astitit regina in vestitu deaurato, circumdata varietate [15]. »

Vestimentum superius [*vide* t. II, p. 38].

Vestimentum

Interius.	*Inferius.*
Charitas.	Fallacia duplicitatis.
Unitas ecclesiastica.	Opera impiorum.
Intelligentia verbi Dei.	Conversatio prava.
Virtutes.	Hæreses.
Gloria Dei.	Regnum et sacerdotium Judæorum.
Justificatio.	Persequutio.
Perseverantia.	

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. V, *de Veste*. Vestis stragulata fortis mulieris est

(1) *Hyacintho*. Exod. XXXIX, 29. — (2) *Præcincti*. Luc. XII, 35. — (3) *Se*. Joan. XXI, 7. — (4) *Ejus*. Is. XI, 5. — (5) *Suo*. Prov. XXXI, 28, ubi LXX : *duplicia pallia fecit viro suo*. Vulg. de viro tacet, et legit *stragulatam vestem*. — (6) *Discoloribus*. Ezech. XVI, 10. — (7) *Pretiosarum*. Ezech. XXVII, 24. — (8) *Ovium*. Matt. VII, 15. — (9) *Via*. Matt. XXI, 8. — (10) *Candida*. Eccle. IX, 8. — (11) *Sua*. Job I, 20. — (12) *Albis*. Apoc. III, 5. — (13) *Nix*. Matt. XVII, 2. — (14) *Mea*. Ps. XXI, 19. — (15) *Varietate*. Ps. XLIV, 10.

vita sanctorum, varietate virtutum decora, in qua patientia rubet ut rosa, castitas candet ut lilium, humilitas pallet ut viola [1].

Lib. I, *de Austro* [2]. Auster ventus calidus et penetrativus in Scripturis sacris sæpe ponitur in designatione Spiritus sancti, ut: « Nonne vestimenta tua calida sunt, quum perflata fuerit terra austro [3]? » Sententia hæc spiritualiter intellecta valet prælatis et doctoribus Ecclesiæ ad humilitatem conservandam. Commonefacit enim eos conversionem vel conversationem discipulorum suorum, non suæ industriæ, sed gratiæ sancti Spiritus esse ascribendam. Dicitur ergo doctori: « Nonne vestimenta, etc. » Vestimenta doctorum sunt eorum boni discipuli, qui sunt ornamenta ipsorum. Nam ex discipulis comprobatur magister, et gloria patris est filius sapiens. Hæc vestimenta calida sunt, flante austro, quia dilectione Dei et proximi accenduntur, inspirante Spiritu sancto; et apertius significat auster Spiritum sanctum, in quadam sequentia de gloriosa Virgine virginum composita, scilicet in hoc versu:

Florens hortus, austro flante,
Porta clausa, post et ante
Via viris invia.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ
lib. III, v. 50-57.

Spelæo David latuit, fugiendo Saulem
Quem si vellet, ibi potuisset perdere David:
Ergo scidit partem chlamydis, sed vivere sinit.
Nostra carne suam Deus occultat deitatem:
Hinc a Judæis est purus homo reputatus,
Invidia quorum crucifigitur et tumulatur.
Nam quum possit eos non vult occidere Christus,
Sed chlamydem scidit, quia regibus hos mutilavit.

LX.

÷ 1. ORNAMENTA, virtutum varietas, vel diversæ charismatum gratiæ. In Ezechiele: « Indui te subtilibus, et ornavi te ornamentis [4]. »

÷ 2. Et in aliam partem, ob hæreticorum pravitatem. In Salomone: « Ecce mulier in ornamento meretricio [5]. »

LXI.

÷ 1. INAURIS, obedientia, sive intellectus in Scripturis rectus. In Exodo: « Viri cum mulieribus præbuerunt armillas et inaures, annulos et dextralia [6]. »

÷ 2. Et in malam partem, ob formationem vituli conflatilis. In Exodo: « Tollite inaures aureas de uxorum et filiarum vestrarum auribus, et afferte ad me [7]. » Et in libro Judicum, dixit Gedeon ad populum: « Date mihi inaures ex præda vestra [8]. » Inaures enim aureas Ismaelitæ, id est obedientes, sibi habere consueverunt. Et post pauca: « Fornicatusque est omnis Israel in eo. »

LXII.

1. TORQUES, prædicationis decus. In Ezechiel: « Dedi armillas in manibus tuis, et torquem circa collum tuum [9]. »

2. Et in malam partem, in libro Judicum: « Præter torques aureas camelorum [10]. »

LXIII.

÷ ARMILLÆ, decus operis, vel virtus. In Exodo: « Viri cum mulieribus præbuerunt armillas. »

(1) *Viola*. Vide plura *de veste*, supra, p. 151. — (2) *Austro*. Cf. t. II, p. 79. — (3) *Austro*. Job XXXVII, 17. — (4) *Ornamentis*. Ezech. XVI, 11. *Ornamento* E. Statim sequitur in G. *In Salomone: ecce*. — (5) *Meretricio*. Prov. VII, 10. *Meretricio, ob hæreticam pravitatem* G. — (6) *Dextralia*. Exod. XXXV, 22. — (7) *Me*. Exod. XXXII, 2. — (8) *Vestra*. Jud. VIII, 24. — (9) *Tuum*. Ezech. XVI, 12. — (10) *Camelorum*. Jud. VIII, 27.

LXIV.

÷ Dextralia, recta operatio, ubi et supra.

LXV.

÷ Discriminalia, discretio boni et mali, ubi et supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Armilla, insigne bonæ operationis, qua Rebeccæ manus per Abrahæ servum ornatur, quum ex doctrina divini sermonis, quælibet fidelis anima bonæ actionis efficacia decoratur.

Rabanus. Armilla, misericordia divina, ut : « Armilla perforabis auriculas ejus [1]. » — Justificatio, ut : « Cognosce cujus est annulus et armilla [2]. » — Opera præpositorum, ut : « Armillas et inaures. » — Actiones decalogi, ut : « Armillas, pondus siclorum decem [3]. » — Fortitudo Dei, ut armilla, qua perforatur auris diaboli [4].

Dextralia, operum bonorum ornamenta.

Petrus Capuanus ad litt. i, art. 31. Armilla ad litteram est ornamentum brachiorum, vel manuum. Est autem armilla Dei, et armilla justi. Armilla Dei est misericordia ejus nos protegens. Job : « Numquid armilla p. a. e. » Nam in misericordia Dei tollitur potentia diaboli, ne nobis noceat. Armilla justi duplex est, scilicet fides. Genesis : « Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit : Annulum (signaculum secretorum), et armillam, et baculum (rectitudinem operum) [5]. » Armilla etiam justi sunt bona opera. Isaias : « In die illa auferet Dominus armillas et mitras [6]. » Armilla Dei est ad munimentum ; armilla justi prima, ad ornatum mentis ; secunda, ad ornatum corporis. Has recepit Rebecca in dotem ab Eliezer servo Abraham, quia et Ecclesia gentium a cœtu apostolorum ornamenta bonorum operum accepit in dotem.

Idem ad litt. ix, art. 5. Inaures obedientiæ, intelligentiæ, sacræ Scripturæ, et idololatriæ. Inauris obedientiæ dicitur humilis obedientia audiendi. Sapientia : « Inauris aurea et margarita fulgens [7]. » — Inaures intelligentiæ, auditus et intellectus doctrinæ. Genesis : « Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus [8]. » Isaias : « In die illa auferet Dominus inaures et annulos. » — Inaures Scripturæ, ipsa sacra Scriptura spiritualiter intellecta. Exodus : « Tollite, etc. » Abstulit ergo eis inaures aureas, quia eis spiritualem intelligentiam Scripturæ non dimisit. — Inaures idololatriæ dicuntur ornamenta seu cultus idolorum, vel avaritia, quæ est idolorum servitus. Genesis : « Dederunt ei inaures quæ erant in auribus ; at ille infodit eas sub terebintho [9]. »

Idem ad litt. xiv, art. 3.

Ornatus	
Cœli, sol, luna et cætera luminaria.	Ecclesiæ, sancti.
Animæ, virtutes.	Diaboli, fallaciæ hæreticorum, et vitia.

Idem ad litt. xix, art. 12. Torques ad litteram ornamentum est colli. Est autem torques intelligentiæ, operationis bonæ, et voluptatis illicitæ. Torques intelligentiæ est verus intellectus in verbo prædicatoris, et sapientia cœlestis. Isaias : « In die illa auferet Dominus lunulas et torques. » — Torques operationis bonæ est operatio bona, et torques in collo est perfecta et rotunda operatio in prædicatione. Genesis : « Vestivit

(1) *Ejus.* Job. xl, 21. — (2) *Armilla.* Genes. xxxviii, 25. — (3) *Decem.* Genes. xxiv, 2. — (4) *Diaboli maxilla* alias. Respicit ad Job xl, 21. — (5) *Operum.* Genes. xxxviii, 18. — (6) *Mitras.* Is. iii, 19. — (7) *Fulgens.* Prov. xxv, 12. — (8) *Ejus.* Genes. xxiv, 47. — (9) *Terebintho.* Genes. xxxv, 4.

cum stola byssina et collo torquem auream circumposuit [1]. » De torque voluptatis illicitæ, Daniel : « Quicumque leget scripturam hanc, torquem auream habebit in collo. Si ergo vales scripturam legere, et interpretationem indicare mihi, purpura vestieris, et torquem auream circa collum tuum habebis [2]. » Sed quia illicitus erat ornatus iste et voluptas, statim respondit Daniel : « Munera tua sint tibi, et dona tuæ domus alteri da. » Prima torque animus ornatur, qui intellectu Scripturæ et cæteris virtutibus decoratur. Secunda ornatur homo justus. Hæ sunt inaures et armillæ quas Eliezer, servus Abrahæ, protulit et dedit Rebeccæ. Et hæ duæ torques necessariæ sunt ad ornatum cujuslibet doctoris, ut scilicet consonet vita doctrinæ, et sit factor verbi et non auditor tantum, secundum quod Jesus erat potens in opere et sermone.

Anonymus Clarevallensis. Inauris, obedientia, ut : « Inaurem auream unam [3]. » —Decor humiliter arguentis, ut : « Inauris aurea, etc. » — Doctrina, ut : «Ornabitur inaure sua et monili [4]. »

Torques, sapientia, vel intellectus, ut : « Dedi armillas, etc. » — Eloquentia, ut : « Tulit David arma aurea et torques quas habebant servi Adadezer [5]. » — Perfectio opinionis, ut : « Addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo [6]. »

Armillæ.

Misericordia divina. Opera præpositorum. Justificatio. *Dextralia*, opera.

Discriminalia, opera discretionis, ut : « Quidquid et infra præbuerint, armillas et annulos et discriminalia. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 2033-2046.

Fortiter astringens fortes armilla lacertos,
 Fortis doctoris forte figurat opus.
Si verbo Domini quis obedit, præbet inaurem,
 Implens devoto corde quod aure capit.
Annulus arcani signat signacula verbi :
 Non debemus enim cuique profunda loqui,
Ornamenta manus dextræ, dextralia, dextros
 Insinuant actus, nulla sinistra notant.
Vas auri mens est sapiens ; spes summa, hyacinthus;
 Justitiæ virtus, purpura ; coccus, amor.
Byssus, munda caro ; capræque pili, quibus asper
 Texitur ornatus, aspera vita patrum.
Hoc domus Ecclesiæ fulgore coruscat, et instar
 Pavonis, vario picta colore micat.

LXIV.

1. Annulus, fidei signaculum : « Date annulum in manu ejus [7]. »

÷ 2. Annulus, obsignatio sacræ legis. Non enim omnibus patet mystica et occulta sacræ Scripturæ intelligentia. In Apocalypsi : « Vidi librum in dextra sedentis, signatum sigillis septem [8]. » Et alibi : « Clausi signatique sunt sermones [9]. »

LXV.

Circulus, circumspectio, vel circuitus in Scripturis [10] : « Numquid pones circulum in naribus ejus [11] ? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 26; ed. ii, col. 764 a ad lxiv, 1.

Gregorius M. Annulus, signum fidei, vel pignus nuptiarum Ecclesiæ : quod bene in

(1) *Circumposuit.* Genes. xli, 42. — (2) *Habebis.* Dan. v, 7. — (3) *Unam.* Job. xlii, 11. — (4) *Monili* Osee. ii, 13. — (5) *Adadezer.* II Reg. viii, 7. — (6) *Tuo.* Prov. i, 19. — (7) *Ejus.* Luc. xv, 22. — (8) *Septem.* Apoc. v, 2. — (9) *Sermones.* Apoc. xx, 3. — (10) *Circumspectio sanctorum, adversus insidias diaboli divinitus inspirata* B-G. — (11) *Ejus.* Job. xl, 21.

manu ponitur, ut et fides clarescat ex opere, et opera ex fide formentur.

RABANUS. Annulus, signaculum fidei, ut : « Date annulum, etc. » — Evangelistæ, ut : « Per quatuor arcæ angulos, quatuor annuli erant [1]. » — Præmia æterna, ut : « Fundes in vectibus annulos aureos [2]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Annulo*. Annuli usum primus Prometheus legitur adinvenisse, qui et ipsum ex ferro fieri instituit, volens per hujusmodi annulum naturalem figurari amorem; quia, sicut ferro pene omnia domantur, ita quæcumque rationali vel sensibili vegetantur anima, naturali amore ducuntur[3]. Idem etiam instituit ipsum annulum in illo poni digito, in quem deprehendit venam cordis descendere, quem nos medicum appellare consuevimus; per hoc a Platonicis dissentiens, qui dicunt animam principalem sedem habere in cerebro, et nobiscum sentiens, qui eam principalem sedem habere dicimus in corde, et ibidem nasci amoris affectum. Postea vero idem vir acutissimus, videns quosdam sapientiæ studiosos, suis cognatis vitiosis honestos homines extraneos ob amorem honestatis præferre, perpendit esse et alium quemdam amorem, qui etiam vinceret naturalem; propter quod idem Prometheus instituit lapidem quem adamantem vocant, qui ferro non cedit, in ipso annulo ferreo debere inseri, ut in cordibus hominum utrumque amorem, notaret debere esse, sed alterum quem nos spiritualem dicimus, prævalere.

Annulus significat fidem; unde sponsa a sponso suo annulum accipit, quem conservare tenetur; per quod notatur fidem integram inter eos debere manere. Et filius prodigus reversus ad patrem, annulum in manu jussus est accipere, ut fides per opera clarescat, et opera per fidem firmentur.

Annulus significat doctrinam evangelicam, quæ perfecta est et sine angulo erroris; unde quatuor annulis aureis arcæ testamenti vectes aurei semper inhærere videbantur, quia quatuor evangeliorum doctrinæ pastores animarum et omnes sancti prædicatores, per lectionem et meditationem, sicut dicit beatus Gregorius in *Pastorali*, jugiter debent inhærere.

Per annulum significatur perfecta custodia [4], etc.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Annulus.

Signaculum fidei. Evangelium.
Præmia æterna.

PETRUS et ÆGIDIUS.

Aurora, in Exod., v. 1291-1344.

Ex auro circli decies sunt quinque parati,
Per quos velorum copula facta fuit.
Circlis auratis decies sunt quinque notati
Libri quos implent aurea verba Dei.
Quot circli, tot sunt libri : nova lex habet octo,
Lex antiqua tenet cum quater octodecim.
* Istius tandem libri sunt et duodeni
* Antiquæ legis, si numerando legis :
* Quinque Mosis, Josue, Judex, Paralipomenon, Job,
* Bis bini Regum, Ruth, David et Salomon,
* Ezechiel, Daniel, Isaias, Jeremias,
* Esdras, Philo, Sirach, plena vigore Judith,
* Hester amœna genis, Tobias, et Machabæi.
* Scripta prophetarum sunt duodena simul.
* Nempe Nehemiæ dedit hospitium liber Esdræ;
* Et Ruth judicibus hospita facta subest;
* Scriptorisque sui Baruch librum Jeremias
* Post libri recipit posteriora sui.
* Hinc Evangelii scriptores quatuor augent
* Librorum numerum, continuantque suos.
* Post, Apocalypsis, Paulique volumen, et Actus
* In numerum veniunt, canonicusque liber.
His libris veluti circlis Synagoga ligatur
Ecclesiæ, plebi plebs, gregibusque greges.

LXVI.

÷ SPECULA, præcepta divina, sive exemplum præcedentium patrum : « Fecit et labrum æreum, cum base una [5], de speculis mulierum [6], » hoc est sanctarum animarum.

(1) *Erant*. Exod. XXVII, 4. — (2) *Aureos*. Exod. XXVI, 29. — (3) *Dicuntur* cod. — (4) *Custodia*. Eo loco adducit I Reg. V, 12; VI, 5 sqq. cum multo commentario et tenui rei symbolicæ incremento. — (5) *Una*. Ita codd. *Cum basi sua* Vulg. — (6) *Mulierum*. Exod. XXXVIII, 8.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius, Rabanus [*Cf.* t. II, p. 339, 340].

Petrus Capuanus ad litt. XVIII, art. 23. Speculum Dei, speculum animi et speculum mundi. Speculum Dei est fides. Paulus : « Videmus nunc per speculum [1]. » — Speculum animi, exempla sanctorum. Exodus : « Facies et labium, etc. » Quod etiam legitur factum « de speculis mulierum, » id est exemplis sanctorum. — Speculum mundi est sacra Scriptura. Epistola canonica : « Si quis auditor est verbi et non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se, et abiit, et statim oblitus est qualis fuerit [2]. »

In speculo autem quatuor principaliter considerantur, scilicet : lignum, vitrum quod ipsi ligno insidet, intuitus, et imago quæ in ipso vitro conspicitur, non quidem res ipsa, sed ipsius imago.—Ergo et in speculo fidei lignum potest intelligi crux Christi, quam principaliter credere debemus. Hæc sunt illa duo ligna quæ colligebat vidua Sareptana. Nam sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita et Filium hominis exaltari oportebat in ligno. — Vitrum lucidum, quia ligno insidet, est aqua baptismi, quæ ex ligno crucis dulcorata est, et sanguine in cruce fuso est rubricata, quando unus militum lancea latus ejus aperuit, et exivit sanguis et aqua. Hoc est mare vitreum in Apocalypsi simile crystallo. Nonne valde lucidum est hoc vitrum, et aqua clara, quando adeo omnes maculas abluit? quia qui crediderit et baptizatus fuerit, Christum et novum hominem induit in baptismo. — Intuitus est motus fidei, quo movemur ad credendum. Evangelium : « Philippe, qui videt me, videt et Patrem [3]. » Nonne hic est intuitus ille quo morsi a serpentibus ignitis aspiciebant in serpentem æneum, et sanabantur?—Imago autem rei, et non res ipsa quæ apparet in speculo, est imaginatio qua modo videmus Deum. Ipsam enim rem et substantiam ejus modo videre non possumus; juxta quod ipse ait Moysi : « Non videbit me homo, et vivet [4]; » sed per quamdam imaginationem ipsum etiam nunc fide conspicimus. Nonne per imaginationem quamdam, et non per ipsam substantiam rei, videbat Abraham Deum, quando tres vidit, et unum adoravit?

Sed et in speculum Scripturæ sacræ, lignum cui insidet vitrum potest intelligi littera. Nonne hæc sunt ligna setim, unde facta est mensa propositionis? —Vitrum pellucidum potest intelligi spiritualis intelligentia, quæ lucem sapientiæ in se habet. Hic est splendor illius stellæ quam viderunt magi, quando venerunt adorare Dominum. — Intuitus, quo quis intuetur in hoc speculo, est intellectus perspicacitas. Nonne hoc intuitu aspexit Daniel in parietem, quando scripturam illam : Mane, Thecel, Phares, et oculis aspexit, et intellectu plenius comprehendit, atque exposuit? — Imago autem qua homo aspicit in hoc speculo, et non ipsa res, est figura et spes mundana et transitoria, de qua potius agitur in sacra Scriptura, quam de ipsa substantia mundi. Paulus : « Præterit enim figura hujus mundi [5]. » Nonne species mundi erat quæ transibat, quando jurabat angelus, in Apocalypsi, per Viventem in sæcula sæculorum, quia tempus amplius non erit?

Specula etiam quandoque dicuntur favores sæculares. Isaias : « In die illa auferet Dominus periscelides, inaures, annulos, et acus et specula [6], » id est sæculares favores.

Idem ad litt. XX, art. 175. Vitrum [7] purum est et mundum, lucidum et perspi-

(1) *Speculum* I Cor. XIII, 12.—(2) *Fuerit*. Jacob. I, 23. — (3) *Patrem*. Joan. XIV, 9. — (4) *Vivet*. Exod XXXIII, 20. — (5) *Mundi*. I Cor. VII, 31. — (6) *Specula*. Is. III, 23.—(7) *Vitrum*. Pauci, ne excepto quidem Vincentio Bellovacensi, qui præter omnem spem de vitro silet, uberius quam Capuanus ille hac de re disseruit. Unde eumdem ibi tam de speculo quam de vitro dicentem, simul et consulto adduximus, uti etiam alias de Crystallo. Cf. quæ in II, p. 339, ad *Crystallum*.

cuum, et parvum etiam radio visibili et radio solis. Est ergo vitrum duplex : vitrum scilicet Ecclesiæ militantis, et vitrum Ecclesiæ triumphantis. Propter primam proprietatem, scilicet qua vitrum purum est et mundum, dicitur vitrum Ecclesiæ militantis baptismus, propter puritatem; quæ etiam est necessaria in baptismo. Propter secundam proprietatem vitri, scilicet quia vitrum lucidum est, splendidum ac perspicuum, vitrum Ecclesiæ triumphantis erunt corpora glorificata, propter splendorem et perspicuitatem quam habebunt.

In vitro autem, sive in speculo, apparet imago : ergo et in primo vitro apparet imago, id est conformitas Christi quam suscipimus in baptismo. Sed et in vitro secundo, id est triumphantis Ecclesiæ, scilicet corporibus glorificatis, apparet nihilominus imago, id est conformitas Christi, sive glorificatio quæ jam præcessit in Christo. Paulus : « Salvatorem exspectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ [1]. »

Vitrum quoque ad litteram purum visui est, etiam radio solis, sicut apparet in fenestra vitrea. Unde et secundum hoc, vitro comparatur Virgo Maria, per quam integram perdurantem, lux suprema et vera mundo illuxit : juxta quod de ea dictum est : Ut solis radius intrat innoxius fenestram vitream, sic Dei Filius, immo subtilius, aulam virgineam; quando erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, et hoc « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, [2] » et per vitream humilitatis Mariæ illapsa est Spiritus sancti gratia. — Per vitream intellectus, lux sapientiæ cor illustrat; per vitream timoris Domini, gratia spiritus sancti illuminat mentem nostram.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Speculum. { Fides.
Exemplum bonum.
Favor sæcularis.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1823-1826.

Præcipit hic ex ære labrum fieri Deus, in quo
Aaron cum pueris se lavet ejus aquis.
Labrum baptismum notat, in quo quisque fidelis
Mersus et ablutus, crimine mundus abit.

LXVII.

1. CALCEAMENTUM, mysterium incarnationis : « Cujus non sum dignus recumbens solvere corrigiam calceamenti [3]. »

÷ 2. *Calceamenta*, præparatio pacis. In Apostolo : « Calceati pedes in præparatione evangelii pacis [4]. » ÷ In Ezechiel : « Calceavi te hyacinthino [5], » id est spe regni cœlestis.

÷ 3. Sunt et calceamenta exempla præcedentium patrum. In Exodo : « Et calceamenta habebitis in pedibus vestris [6]. »

÷ 4. Calceamenta, opera mortalitatis, vel exempla pravorum hominum. In Evangelio : « Neque peram, neque calceamenta [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 21 ; ed. II, col. 759 A, ad 1.

RABANUS. Calceamentum, humanitas Christi, ut : « In Idumæam extendam calceamenta [8], » id est gentilitati revelabo incarnationem meam. — Prædicatio, ut : « Fer-

(1) *Suæ.* Phil. III, 21. — (2) *Nobis.* Joan. I, 14. — (3) *Calceamenti.* Marc. I, VII. Cf. t. II, p. 43, not. 6-9. — (4) *Pacis.* Ephes. VI, 16. — (5) *Hyacinthino.* Ezech. XVI, 10.—(6) *Vestris.* Exod. XII, 11. — (7) *Calceamenta.* Luc. X, 4. — (8) *Calceamenta.* Ps. LIX, 10. Satis constanter codd. habent : *Calciamenta, calciati.*

rum et æs calceamentum ejus [1]. » — Operatio, ut : « Posuit Abner terrorem prælii in calceamento suo [2]. » — Actio mortifera, ut : « Solve calceamentum de pedibus [3]. » — Externa bona, ut : « Et calceamenta h. i. p. v. » — Externa mala, ut : « Nolite portare calceamenta. » — Mortificatio membrorum, ut : « Quam pulchri ingressus tui in calceamentis [4] ! »

PETRUS CANTOR [*vide tom.* II, *p.* 43, 44].

PETRUS CAPUANUS [*ibid.*, p. 44].

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Calceamento*. Calceamentum significat mortificationem voluptatum carnis; unde filius prodigus, qui vivendo luxuriose cum meretricibus omnem substantiam suam prodegerat, inter cætera quæ accepit, quum reversus esset ad patrem, pedes jussus est calceari, ut per castigationem corporis mutarentur affectus cordis. — Calceamentum significat vinculum culpæ mortalis; unde dicitur Moysi : « Solve calceamentum de pedibus tuis. » Non enim dignus vel visionem magnam videre, vel in loco sancto stare, qui in mortali peccato est ligatus, quia sanctorum est sancta cognoscere, et mundorum munda contingere. — Calceamentum significat charitatem, quæ contra venenum serpentis, id est malitiam diaboli, nostros munit affectus. Unde eis qui agnum paschalem esurierant, præceptum est ut renes accingerent, calceamenta haberent in pedibus, et baculos tenerent in manibus; quia justum est et necessarium, ut qui ad sacrosanctum Domini corpus accedunt, habeant in corpore castitatem; in affectibus, charitatem; in operibus, rectitudinem. — Calceamentum significat Domini incarnationem, juxta illud sancti Joannis Baptistæ : « Non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, » id est, incarnationis ejus exponere mysterium. — Calceamentum significat doctrinam evangelicam, quæ nobis repræsentat formam operum Christi, sicut calceamentum formam habet pedis. De hoc calceamento dicit ipse per prophetam : « In Idumæam, etc., » id est in gentilitatem, terrena tantum sapientem, et terrenis deditam, extendam doctrinam evangelicam. Extendam, id est abundanter tribuam, vel patenter exponam. — Calceamentum significat antiquorum patrum exempla, quibus operum nostrorum gressus munire debemus; unde est illud de sponsæ laudibus in Canticis : « Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! » hoc est : o Ecclesia, filia principis, id est Christi, non solum creatione, sed et morum mutatione (vel : o tu, fidelis anima, quæ eadem es ratione illius filia, qui est flos florum et dux morum), « pulchri sunt gressus tui in calceamentis, » id est, honestæ et honorabiles sunt actiones tuæ in antiquorum patrum exemplis.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Calceamentum.

Humanitas Christi.	Externa bona.
Prædicatio.	— mala.
Actio mortifera.	Mortificatio.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 13-16.

Depositis caligis, Moyses Domino propiavit :
Immunis cunctis vitiis, te, Christe, videbit.
Depositis caligis, ardere rubum nec aduri
Moyses conspexit : mundo tu corde videris.

LXVIII.

: TAPETIA, variæ philosophorum et hæreticorum sectæ [5], sicut in Salomone de hæretica pravitate dicitur : « Intexui lectum meum funibus, » id est vinculis peccatorum, « et stravi tapetibus ex Ægypto pictis [6]. »

(1) *Ejus.* Deuter. XXXIII, 25. — (2) *Suo.* III Reg. II, 5. — (3) *Pedibus.* Exod. III, 5. — (4) *Calceamentis.* Cant. VII, 1. — (5) *Varia..... secta* E. G. — (6) *Pictis.* Prov. VII, 16.

LXIX.

÷ Pulvilli, hoc est cervicalia capitis, adulatio sacerdotum, peccatoribus adhibita. In Ezechiel : « Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Pulvillus, mollities adulatoriæ laudis, ut ibi : « Væ qui consuitis pulvillos sub omni cubito manus. » Quod quidem illi faciunt, qui ad magnificanda opera peccatorum, laudes undique suavis adulationis congerunt.

Petrus Capuanus ad litt. xix, art. 96. Tapetia ad litteram sunt substratoria [2] quædam, variis coloribus et quasi quadam picturatione depicta. Quæ quandoque intelliguntur ad litteram, quandoque dicuntur figmenta hæreticorum, coloribus rhetoricis et variis dialecticorum tendiculis quasi picturata. Proverbium : « Intexui, etc. » Ad litteram tamen hoc proponit meretrix lascivo juveni, ut et oculorum tentet illecebras, quibus aspectu nefando irretitis, facilius penetret ad seducenda mentis arcana. Ait autem : « Tapetibus pictis ex Ægypto, » quæ erat terra gentilium, quia a gentibus initium habuit hujus ornatus verborum.

Solent autem tapetia fieri ex lana, et variis coloribus depingi, et tandem ad usum hominum substerni; quæ et in figmentis hæreticorum inveniuntur. Ipsa enim eorum figmenta quasi materiam habent laneam, dum in principio quasi lanam religionis prætendunt in habitu, ut prætextu honestatis facilius homines trahant. Evangelium : « Attendite a falsis prophetis [3], etc. » Prætendunt enim, ut dictum est, lanam in habitu, pallorem in vultu. Evang. : « Exterminant enim facies suas [4]. » Abstinentiam in gustu. Paulus : « Prohibentium nubere [5], abstinere a cibis. » Et hoc quasi religio est, quasi esca superposita hamo et aculeo falsitatis, per quod facilius penetrant et seducunt. Paulus : « Subintrant domos viduarum [6], etc. » Coloribus quoque rhetoricis et variis ornatibus quasi rationum adornant figmenta sua. Sapientia : « Circulus aureus in naribus suis, pulchra mulier et fatua [7]. » Tapetia etiam ad usum hominum substernuntur. Hujus autem substratoria, quasi munditiam conservant in hominibus, ut scilicet homines mundiores sint a pulvere, et hujusmodi inquinamentis : et ipsi confingunt figmenta sua et doctrinam illos qui eam suscipiunt conservare a pulvere peccatorum, et omnibus inquinamentis vitiorum. Unde et dicunt in psalmo : « Transmigra in montem sicut passer [8]. » Quasi : transi ad nos qui sumus mons in eminenti positi, et tunc eris sicut passer solutus a vitiis. Dicunt enim : Quidquid libet, liceat tibi in vita tua, quia nec potes agere, nisi male in vita; dummodo in fine suscipias doctrinam nostram, securus eris.

Anonymus Clarevallensis. Tapetia sive tapeta ordiuntur, texuntur, multos habent colores, varios flores, diversas figuras intertextas; lecta ornant.

Tapetia ornatus verborum philosophorum et hæreticorum, ut : « Dedan institores tui in tapetibus ad sedendum [9]. »

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar., lib. ii, v. 696-709.

Funibus intextus lectus, pictoque tapete
 Mollior, ut mecum deliciando cubes.
Funes, jussa Dei; pulchri pictura tapetis
 Ornatum linguæ pulchraque verba notat.
Sic ligat incautos vitiorum fune magister,
 Quando perversos ad sua vota trahit.

(1) *Manus.* Ezech. xiii, 18. — (2) *Subtractoria*, et alias *substractoria* cod. Item infra, alias legitur *Puncturatione.* — (3) *Prophetis.* Matt. vii, 15. — (4) *Suas.* Matt. vi, 16. — (5) *Nubere.* I Tim. iv, 3. — (6) *Viduarum.* I Tim. v, 13. — (7) *Fatua.* Prov. xi, 22. — (8) *Passer.* Ps. x, 2. — (9) *Dedan.* Ezech. xxvii, 20.

Vel peccatorum funes sunt retia, quorum
Decipiunt sanctos fraude doloque viros.
Unde David : « Funes me complexere malorum,
Et pedibus laqueos composuere meis. »

Dulces illecebras pulchra pictura tapetis,
Quæ capiunt oculos, significare potest.
Hunc hæresis lectum sternit et adultera, stultum
Ad se perfidia luxuriave trahens.

APPENDIX AD CAPUT X.

VETERES IN CANTICA CANTICORUM COMMENTATORES [1],

Ἀνέκδοτοι, VEL QUORUM VIX FRAGMENTA SUPERSUNT, ASTERISCO NOTANTUR.

SÆC. II.

* S. Theophilus, Antiochen.

SÆC. III.

* S. Hippolytus, Portuensis.
Origenes [2].
* S. Victorinus, Petabionensis.

SÆC. IV.

* S. Rheticius [3], Augustodunensis.
* S. Methodius, Tyrus.
* S. Athanasius, Alexandrinus.
* S. Hilarius, Pictaviensis.
* Triphyllius, Cyprius.
* Eusebius, Cæsariensis.
S. Epiphanius, Cyprius.
* Diodorus [4], Tarsensis.

SÆC. V.

S. Gregorius, Nyssenus.
* Julianus Eclanensis.
* Theodorus [5] Mopsuestenus.
* Theodorus [6], Amaseæ.
* Polychronius, Apamææ.
* Paulus Orosius.
* S. Cyrillus [7], Alexandrinus.
Theodoretus, Cyrensis.
Philo, Carpathius.
* S. Nilus.

SÆC. VI.

Procopius, Gazæus.
Cosmas, Indicopleustes.
* Cassiodorus.
Hesychius.

SÆC. VII.

S. Isidorus, Hispalensis.
Aponius.
* Aprigius.
* S. Maximus, CP.
* Eulalius, græcus.

SÆC. VIII.

Venerabilis Beda.
Ambrosius Autpertus.
Justus [8], Orgelitanus.

SÆC. IX.

Alcuinus [9].
Angelomus.
* Berengaudus.
* Lutpertus, Hirsaugiensis.
Willerannus.
Haymo, Halberstadiensis.
* Abraham Beth-Raban, Syrus.
* Isaac, Lingonensis.

(1) *Commentatores.* Nullus est e sacris liber, qui ampliorem dederit allegorias metendi campum; inde nullus qui plures quam aurea canticorum Cantica et insigniores nactus sit interpretes: e re igitur nostra est horum interpretum indicem annectere capiti x, ubi multa de Christo et Ecclesia, sub nominibus viri et mulieris, sponsi et sponsæ, fratris et sororis, etc., τυπικῶς exponuntur. Sed volumen volumini esset addendum, ut de singulis interpretibus notitia qualiscumque adornaretur. Remittimus diligentiores lectores ad *Bibliothecam sacram* Jac. Lelong, et ad cæteros rei patristicæ et exegeticæ historicos. Vix pauca hic illic perfunctorie notare animus est. Consulto omisimus interpretes sæculo XV recentiores et omnis ætatis anonymos qui nominatos auctores forsan numero superarent. — (2) *Origenes.* Pene inter deperditos annumerandus; primus enim liber et octo posteriores græce et latine perierunt. — (3) *Rheticius.* Vide unum quod superest fragmentum in *Spicil.* t. I, p. 170. — (4) *Diodorus.* Cf. Maii, *Coll. nova vett. Scr.* t. VII, p. 158. — (5) *Theodorus.* Cf. ejusd. *Biblioth. nov.* t. VI, p. 122. — (6) *Theodorus.* Cf. *ib.* t. VI, p. 118. — (7) *Cyrillus.* Cf. *ib.* t. II, p. 478. — (8) *Justus.* Occurrit apud Jac. Lelong, p. 1115, nescio quis Justus Argentinensis, et apud Notkerum (Pez. *Thes.*, I, p. 4) Justus Lugdunensis: utrumque valde suspicor aut in rerum natura non stare, aut eumdem plane esse cum Orgelitano. — (9) *Alcuinus*, idem quoque ac Albuinus in CC. juxta nonnullos cod.

SÆC. X.

Remigius, Antissiodorensis,
Michael Psellus, senior.
*Theodoricus S. Albani.
5 *Marinus, mon. S. Maximini Trevirensis.

SÆC. XI.

*Abdalla Abulpharagius.
*Michael Psellus, junior.
10 *Lutgerus, Luneburgensis.
*Gillebertus, Westmonaster.
*Gregorius Olympiadas.
*Meginhardus, Herbipolens.
*Marbodus, Redonensis.
15 *Reinhardus, Reinhusianus.
Robertus de Tumbalenia.

Cistercienses XII et XIII s.

S. Bernardus.
*Galfridus, Antissiodorens.
20 Galfridus, abbas Altæ-Cumbæ.
Gilbertus de Oylandia.
Alanus ab Insulis.
Thomas, Cisterciensis.
25 *Guillelmus, Melrosensis.
*Joannes de Forda.
*Jacobus Anglicus.
*Henricus de S. Cruce.
Joannes Halgrinus, Abbavillæus.
30 Aelredus, Rievallensis.
Guillelmus, abbas S. Theodorici.

SÆC. XII.

35 S. Anselmus, Cantuariensis.
*Andreas, Paphlagoniensis.
Honorius, Augustodunens.
*Anselmus, Laudunensis.
S. Bruno, Astensis.
40 *Rumpertus, Limburgensis.
Rupertus, Tuitensis.
*Robertus, Græcoladiensis.
*Irimbertus, Admontensis.
*Robertus, Herefordiensis.
*Luitbertus.
*Hugo a S. Victore.
Richardus a S. Victore.
*Adamus a S. Victore.
*Theodericus S. Albani.
*Radulfus, Fontanellensis.
*Galfredus, de Peronna.
*Philippus Harvengius.
*Neophytus, græcus.
*Petrus de Riga.
*Guillelmus Parvus.
Wolbero.
*Paulinus.
*Robertus Scriba.
*Bartholomæus de Bragantiis.
*Landericus de Vallanio.
*Udardus.

SÆC. XIII.

*Stephanus Langhton.
*Guillelmus, Alvernus.
*Guillelmus, Burgensis.
Radulfus Niger.
B. Albertus Magnus.
S. Thomas Aquinas.
*S. Bonaventura.
*Guillelmus Boderishinens.
Thomas, S. Andreæ Vercellensis.
*Guillelmus Northampton.
*Simon Langhton.
*Guillelmus Messelechus.
Lucas, abb. montis S. Cornelii.
S. Petrus de Tarentasia.
*Simon, Afflighemensis.
*Bernardus de Trillia.
*Alexander Neckam.
*Alexander, Halensis.
*Joannes Peckam.
*Vardan, Armenus.
*Gregorius, Cosroæ filius.
*Joannes de Whetamstede.

SÆC. XIV.

*Henricus Lexinton.
*Adamus Whodamensis.
*Henricus de Aquila.
*Ægidius de Columna.
*Henricus de Frimaria.
*Henricus, Lincolniensis.
*Simon Hetton.
*Hermannus de Schildis.
*Radulfus Higdenus.
Robertus Holkoth.
*Thomas Jorsius.
*Richardus Maydeston.
*Nicolaus Germanus.
*Matthæus Cantacuzenus.
*Bartholomæus Parvus.
*Petrus de Bruniquella.
*Philippus Ottenburgensis.
*Richardus Hampolus.
*Gerardus Serina.
Thomas Wallensis.
*Robertus de Monstrolio.
*Petrus de Tumbalia.
*Joannes de Vineta.
*Joannes Wicleffus.
*Matthæus Cantacuzenus.
*Gregorius de Bridelington.

SÆC. XV.

*Petrus de Alliaco.
*Guillelmus Absellius.
*Philippus Alberti.
Joannes Gersonius.
*Henricus de Hassia.
*Hermannus de Tarvisio.
*Nicolaus Kenton.
*Leonardus Giffonensis.
*Matthæus Polonus.
*Michael de Insula.
*Arnoldus Oliverius.
*Bernardus de Rossergio.
*Alanus de Rupe.
*Joannes Russellius.
*Joannes de Verdiaco.
*Joannes Wurotham.
*Jacobus Perez de Valencia.

CAPUT XI.

DE VARIIS ÆDIFICATIONUM VOCABULIS [1].

I.

1. Civitas [2], Ecclesia : « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas [3]. » ÷ « Mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni [4]. Ædificabitur civitas Domino a turre Hananeel [5]. »

5 2. Anima : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei [6]. » ÷ « Plui super civitatem unam, et super alteram non plui [7]. »

3. Patria cœlestis : « Non habemus hic manentem civitatem [8]. »

4. Babylonia, respublica diaboli [9] : « Quis deducet me in civitatem munitam [10] ? »

10 ÷ 5. Scriptura [11] : « Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem [12]. »

6. *Civitates,* ecclesiæ, vel animæ [13] : « Et ædificabuntur civitates Judæ [14]. » ÷ « De civitatibus fecerunt viros gemere [15]. Et ædificabuntur deserta a sæculo [16]. »

7. Corpora reproborum [17] : « Et civitates eorum destruxisti [18]. Et civitates 15 eorum succendit ignis [19]. »

÷ 8. Congregationes pravorum : « Habitat in civitatibus desolatis et in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ [20]. »

÷ 9. Fides, spes, charitas. In Deuteronomio : « Urbes magnæ et ad cœlum usque munitæ [21]. »

20 ## VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 30; ed. ii, col. 767 d ad 1, 2.

Gregorius M. Civitatis nomine patria cœlestis exprimitur, ut de Sapientia legitur : 25 « Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis. » Christus enim, sapientia Dei, infirmos habere prædicatores abjectosque voluit, qui fideles populos ad spiritualis patriæ ædificia superna colligerent. — Sancta Ecclesia; unde Jeremias : « Ædificabitur, inquit, civitas Domino a turre Hananeel usque ad portam anguli, et exibit ultra normam mensuræ. » Hananeel gratia Dei interpretatur. In angulo autem duplex paries jungitur. Civitas ergo Domini, id est sancta Ecclesia, a turre Hananeel usque ad portam anguli ædificatur, quia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans, usque ad ingres-

(1) *Ædificiorum* E. Titulus deest in D, G, in codd. B-G articuli, paucis exceptis, ita cap x sequuntur, ut primi ponantur art. 75-120, quos excipiunt art. 1-65; sed in A multo pauciores quam in B-G. — (2) *Civitas Dei, Ecclesia, vel anima. In Psalmo : Fluminis* B-G. — (3) *Civitas.* Ps. cxxi, 3. — (4) *Magni.* Ps. xlvii, 3. — (5) *Hananeel.* II Esdr. iii, 1. — (6) *Dei.* Ps. lxv, 5. — (7) *Plui.* Amos iv, 7. — (8) *Civitatem.* Cant. iii, 3. — (9) *Babylonia, id est respublica, in Canticis canticorum, idem quod supra.* Et paulo infra : *Civitas, infernus, de quo in psalmo : quis* B-G. — (10) *Munitam.* Ps. cvii, 11. — (11) *Canon veteris testamenti* B-G. — (12) *Civitatem.* Hebr. xiii, 14. (13) *Judæi. Ecclesiæ Christi vel animæ fidelium. In psalmo* B-G. — (14) *Judæ.* Ps. lxviii, 36. — (15) *Gemere.* Job xxiv, 12. — (16) *Sæculo.* Is. lxi, 4. — (17) *Corda vel corpora impiorum* B-G. — (18) *Destruxisti.* Ps. ix, 7. — (19) *Ignis.* Matt. xxii, 7. — (20) *Redactæ* Job xv, 28. — (21) *Munitæ.* Deuter. i, 28.

sum utriusque populi extenditur, et exit ultra normam mensuræ, quia illos quoque interim capit, quos numerus cœlestis mensuræ non recipit. — Anima humana, ut ibi : « Pluam super civitatem, etc. » Pars una compluta est, et pars quæ non compluta est, aruit. Quum enim verba sanctæ prædicationis alia mens suscipit, alia repellit, super unam Dominus civitatem pluit, et super alteram non pluit; quum vero quis ab uno vitio emendatur, in altero delinquit; una eademque civitas ex parte compluitur, ex parte siccatur.—Civitates, fideles Ecclesiæ, ut in Job : « De civitatibus fecerunt viros gemere. » Hæretici namque, perversis hujus mundi potentibus adhærentes, dum bonorum concordia persequuntur, quasi de civitatibus viros gemere faciunt. — Pravorum congregationes, sicut per Eliphaz de pravo divite dicitur : « Habitat in civitatibus desolatis, etc. » Civitates desolatæ sunt conversationes pravæ; domus desertæ, iniquæ cogitationes; quæ, desertæ a Domino, in tumulos rediguntur, quoniam, dum pravi quique confusis sibi actionibus conjunguntur, ostendunt procul dubio quod a statu vitæ deciderunt.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 1, p. 547.

RABANUS. Civitas, patria cœlestis, ut : « Jerusalem q. æ. u. c. » — Ecclesia, ut : « Surgam, et circuibo civitatem [1]. » — Virgo Maria, ut : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei [2]. » — Humana conversatio, ut : « Contemnit multitudinem civitatis [3]. » — Anima sancta, ut : « Non potest civitas abscondi [4]. » — Gentilitas, ut : « Fluminis impetus lætificat c. d. » — Populus judaicus, ut : « Quomodo facta est meretrix civitas fidelis [5] ? » — Mundus, ut : « Civitatem fortium ascendet sapiens [6]. » — Cor viri sancti, ut : « In civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum redegi [7]. » — Corpus hominis, ut : « Civitatem illorum destruxit. » — Fideles Ecclesiæ, ut : « De civitate viros gemere fecerunt. » — Cogitationes pravæ, ut : « Habitat in c. d. »

PETRUS CANTOR. Civitas est malorum; unde Osee : « Ego Deus, et civitatem non ingrediar [8]. » — Bonorum; unde : « Jerusalem quæ, etc. » — Beatorum; unde Apostolus : « Exspectamus futuram Jerusalem, cujus civitatis conditor est Deus et artifex [9]. »

Civitas malorum cœpit a Cain, quia peccatum celavit; unde : « Numquid ego custos fratris mei sum [10] ? » — Quia desperavit; unde : « Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear [11]. » — Quia in obstinatione permansit, et quia factus est vagus super terram.

Civitates refugii sunt quinque; primum enim refugium est pœnitentia carnis; secundum, afflictio vitæ; tertium est pro nostris et alienis peccatis conteri; quartum, pro Christo pati martyrium; quintum, ad cœleste desiderium contemplatione suspendi. Hæc Apostolus exhibet, ubi, se carnalem reputans et venumdatum sub peccato, « Omnia, inquit, sustineo propter eum, ut ipsi salutem consequantur [12]. » Et quum asserit se paratum alligari in Jerusalem : « Non facio, inquit, animam meam pretiosiorem quam me ipsum. » Ultimum manifeste declarat, quum accensus superno desideriorum : « Cupio dissolvi, inquit, et esse cum Christo [13]. » Quia ergo hic non habemus manentem civitatem, sed futuram inquirimus, fugiamus ad civitatem refugii, ut per eam redeamus ad illam civitatem cujus mansio est in gloriosa et æterna beatitudine, et interminabili jucunditate.

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 55. Civitas materialis, spiritualis, infernalis, cœlestis.

Civitas Dei sita est et disposita ad similitudinem materialis civitatis [15]. Habet enim in circuitu suo montes, habet defensorem. Ha-

(1) *Civitatem.* Cant. III, 2. — (2) *Dei.* Ps. LXXXVI, 3. — (3) *Civitatis.* Job XXXIX, 11. — (4) *Abscondi.* Matt. v, 14. — (5) *Fidelis.* Is. I, 21. — (6) *Sapiens.* Prov. XXI, 22. — (7) *Redegi.* Ps. LXXII, 20. — (8) *Ingrediar.* Osee XI, 9. — (9) *Artifex.* Hebr. XI, 10. — (10) *Sum.* Genes. IV, 9. — (11) *Merear.* Ib. 13. — (12) *Consequantur.* II Tim. II, 10. — (13) *Christo.* Phil. I, 23. — (15) *Civitatis.* Vix tenues damus lineas

bet fossatum, murum et antemurale, scilicet Salvatorem. Muri hujus civitatis constructi sunt ex vivis lapidibus. Hi lapides connectuntur cœmento charitatis ; unde arca hæc linita erat bitumine isto intus et extra. Fundamenta horum murorum fuerunt apostoli, et eorum fundamentum immobile fuit Christus. Habet etiam turres in sui ambitu. Habet arma. Habet vigiles, et hi habent tubas vel cornua, quibus insonant de nocte. Habet custodes, et unum singularem custodem, id est Deum. Habet arcem. Habet fontes, et unum singularem fontem, scilicet charitatem. Habet flumina ad aquanda pecora, quatuor flumina Evangeliorum ; et unicum flumen singulare, Spiritum sanctum. Habet domus, habet vicos et plateas. Habet molendina, et clibanum ; clibanus etiam intelligitur ipsa tribulatio. Habet panes. Habet balnea et lavacra. Habet ignem. Habet cives fortissimos et pulcherrimas mulieres. Habet portas. Habet hortos. Habet pascua ad alenda pecora. Habet animalia diversi generis. Habet vineas, et ideo vinum. Habet segetes in campis, et ideo panem. Habet sylvas et nemora, et de his adducuntur ligna in usum civitatis. Sita autem est hæc civitas supra mare, et ideo habet copiam piscium ; unde rete Petri in Evangelio rumpebatur, quia plenum erat magnis piscibus. Habet et copiam carnium tam animalium ; Actus : « Macta et manduca [1] ; » quam volatilium. Evangelium : « Considerate volatilia cœli [2], etc. »

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. I, *de Civitate*. Civitatis nomine designatur cœlestis patria ; unde : « Non habemus h. m. c. » — Præsens Ecclesia ; unde : « Civitas parva, et pauci in ea viri [3]. » Ecclesia enim respectu incredulorum est parva, licet per se considerata sit magna. « Et pauci in ea sunt viri, » id est viriliter agentes, quia multi sunt in ea infirmi et imbecilles, pauci virtuosi et fortes ; multi carnales, pauci spirituales : quod figuratum est per arcam Noe, quæ in inferioribus fuit ampla, in superioribus angusta. Unde Petrus de Riga [4] :

Amplior est pecudum ; volucrum pars strictior : ecce
Impietas regnat plurima, rara fides.

— Civitas dicta est beata Dei genitrix et virgo Maria ; unde : « Gloriosa, etc. » Et in sequentia :

Tu civitas regis justitiæ,
Tu mater es misericordiæ.

— Civitas mundus dicitur ; unde : « Civitatem fortium ascendet sapiens [5] ; » id est, Christus superabit mundum ; quod se fecisse ipse docuit, loquens ad discipulos : « Confidite, ego vici mundum [6]. » — Civitas, congregatio hæreticorum ; unde : « Ego Dominus, et non mutor, et civitatem non ingredior. » — Civitas, infernus ; unde : « Quis deducet, etc. » Desiderio desideravit Christus liberare suos de inferno.

Civitas.

Corpus.	Homo justus.
Gentilitas.	— incredulus.
Plebs judaica.	

PETRUS EPISCOPUS [7].

Bennoni.

Incipit liber Esdræ. Prologus.

Ut fuit edictum, post annos septuaginta,
Qui captivati fuerant, sunt inde regressi ;
Tunc accurate templum Domini renovatur
Sic et temporibus completis omnibus illis,
Quæ repetit septem revolutio certa dierum,
Nos ad Jerusalem sanctam transibimus omnes
De misera vita tenebrosi carceris hujus.

rerum omnium quæ in codice adumbrantur : locus enim deest, et pleraque infra sigillatim explicantur : nihil tamen præter loca Scripturæ omisimus. — (1) *Manduca*. Act. x, 13. — (2) *Cœli*. Matt. vi, 26. — (3) *Viri*. Eccle. ix, 14. — (4) *Riga*. Ex *Aurora*, in Genes. v. 890, 891. — (5) *Sapiens*. Prov. xxi, 22. — (6) *Mundum*. Joan. xvi, 33. — (7) PETRUS EPISCOPUS. Ego quidem tam mihi quam lectori paulo ante pollicebar fore ut inde nullum novum commentatorem tanto illi corpori Melitoniano, totque interpretum agmini adsciscerem : sed ecce, dum Petri de Riga codices Parisienses evolvo, ad manus venit inexspectatus ille Petrus episcopus, cujus nomen et opus quibusnam in ambiguis acrostichi lusibus latuerint, erit alius dicendi locus. Accedat tantum novi operis titulus, quem auctor ipse, præ cæteris incomtus et insuavis, in sequenti lemmate, manu forsan sua, sua certe elegantia, præfixit :

Si meruit titulum vel libri nomen habere
Istud opus, BENNONI *liber incipit* intituletur

Ibid. § II. *Quod rex Babylonis diaboli typum gerit.*

Humani generis notat hostem rex Babylonis,
Qui de Jerusalem plures trahit in Babylonem :
5 Sed miserans Dominus quando vult retrahit illos,
Ad primum cultum divinum restituendo.
Hæreticos signant, qui tunc cum rege fuere,
Nam rapuere prius de nostris plurima vasa,
Legem Evangelii, baptismum, psalteriumve,
Et nomen Christi, se Christicolas perhibentes.

§ III. *De reditu populi in Jerusalem.*

Quum redeunt ad Jerusalem, quæ est visio pacis,
Errore abjecto, caligine tersa oculorum,
Integra vasa ferunt velut in melius renovanda.

II.

1. Murus, Christus [1] : « Ego murus in circuitu ejus [2]. » ÷ « Et ecce murus forinsecus in circuitu domus undique [3]. »

10 2. Scriptura [4] : « Ut ædificentur muri Jerusalem [5]. » ÷ « Ecce in manibus meis descripsi te ; muri tui coram oculis meis semper [6]. »

÷ 3. Fortes in Ecclesia : « Non ascendistis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel [7]. »

÷ 4. Munitio fidei, vel disciplinæ : « Quasi rupto muro et aperta janua, ir-
15 ruerunt super me [8]. »

÷ 5. Obstaculum peccati, vel impedimentum benefaciendi : « Et in Deo meo transgrediar murum [9]. »

÷ 6. Duritia peccatorum, ubi et supra [10].

÷ 7. Exclusio hominum a paradiso. Qui murus, sicut per inobedientiam
20 primi hominis humano generi positus est, ita per obedientiam Salvatoris reseratur. In psalmo : « In Deo meo t. m. »

III.

Antemurale, patriarchæ, vel prophetæ : « Ponetur in ea murus et antemurale [11]. »

IV.

1. Maceria, structura operum, vel munimentum disciplinæ, vel protectio Dei,
25 vel custodia angelorum : « Destruam maceriam ejus [12]. Ut quid dejecisti maceriam ejus [13]? Tamquam parieti inclinato et maceriæ depulsæ [14]. »

2. Difficultas perficiendi malum : « Ego sepiam viam tuam spinis, et sepiam eam maceria [15]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

30 Eucherius, ed. i, p. 30; ed. ii, col. 768 a ad ii, 2, 5 ; b ad iv.

Gregorius M. Murus, munitio disciplinæ; unde Job : « Quasi rupto muro, etc. » Quasi

(1) *Dominus et Salvator. In Zacharia* B-G. — (2) *Ejus.* Zachar. ii, 5. — (3) *Undique.* Ezech. xl, 5. — (4) *Munimenta Scripturæ divinæ, vel prophetæ, aut sancti. In psalmo* B-G. — (5) *Jerusalem.* Ps. l, 20. — (6) *Semper.* Is. xlix, 16. — (7) *Israel.* Ezech. xiii, 5. — (8) *Me.* Job xxx, 14. — (9) *Murum.* Ps. xvii, 30. — (10) *Supra.* In codd. B-G, respicitur ad Is. ii, 15.—(11) *Antemurale.* Is. xxvi, 1.— (12) *Ejus.* Is. v, 5.— (13) *Ejus.* Ps. lxxix, 13. — (14) *Depulsæ.* Ps. lxi, 4. — (15) *Maceria.* Osee ii, 6.

enim rupto muro, hostis ingreditur, quum malignorum spirituum vel hominum suasione disciplinæ firmitas dissipatur. — Vel per murum fidem intellige, quæ, si in aliorum corde destruitur, continuo persequutoribus irruendi undique aditus aperitur. — Murus, Christus, ut in Ezechiel : « Ecce, inquit, murus forinsecus i. e. d. » Murus enim nobis intus est Deus; murus foris est Deus-Homo. — Bonæ munitionis obstaculum ; unde propheta : « Et in Deo, etc. » Murum namque in Deo transgredimur, quum quæque nobis adversantia ejus vel amore vincimus, vel virtute calcamus.

Antemurale, ordo propheticus, ut ibi : « Ponetur in ea, etc. »

Maceria, munitio disciplinæ, ut ibi de vinea viri stulti : « Et maceria lapidum destructa erat et disciplina patrum ab ejus corde dissoluta perierat [1]. » — Difficultas perficiendi propositum, ut ibi : « Sepiam viam tuam, etc., » id est, desideriis pravis, quæ opere complere decreveras, obicem difficultatis opponam.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 3, p. 550, 551, 552.

RABANUS. Murus, Christus, ut : « Salvator ponetur in ea murus et antemurale. » — Ecclesia, ut : « Ego murus i. e. e. » — Adversitas, ut : « In Deo m. t. m. » — Disciplina, ut : « Rupto muro, i. s. m. » — Ecclesiæ, ut : « Tulerunt pallium meum custodes murorum [2]. » — Virtutes, ut : « Princeps coquorum destruxit muros Jerusalem [3]. » — Princeps mundi, ut : « Muri Jericho in tubis corruerunt [4]. »

Maceria, disciplina cordis, ut : « Maceriam e. d. » — Latus Christi, ut : « In caverna maceriæ. » — Regnum judaicum, ut : « Ut quid d. m. e. » — Fides et operatio, ut : « Inter duas macerias, quibus vineæ cingebantur [5]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XII, art. 44. Murus, vel maceria exterior duplex, scilicet sancti. Apocalypsis : « Lapides pretiosi omnes muri tui [6]. » Etiam murus exterior, munimenta Ecclesiæ vel protectio divina, sacramenta et cætera Ecclesiæ munimenta. Machabæi : « Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine [7]. » Munimentum etiam silentii murus exterior intelligitur. Salomon : « Sicut murus patens, absque murorum ambitu, ita vir qui non potest cohibere in loquendo spiritum suum [8]. »

Murus

Interior.	*Superior.*
Fides.	Ecclesia.
Anima justi.	Christus.

Inferior.

Murus obsistentium vitiorum.	Qui alium in peccato defendit, ut hæretici et philosophi, qui alios muniunt sua falsa doctrina.

Christus dicitur quælibet eorum quæ sunt in muro : dicitur enim fundamentum, lapis, cæmentum charitatis, porta, fenestra, turris, propugnaculum [*Vide in sequentibus*].

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Muro*. Murus Ecclesiæ, id est tutamen et defensio, Christus est; unde : « Custodit te Dominus; Dominus protectio tua [9]. » — Murus est charitas perfecta, quæ foras mittit timorem initialem, quod perfectio charitatis mittit imperfectionem timoris. Et nota, lector, quod perfectam hic voco charitatem illam quæ confirmata est, sicut fuit charitas Pauli, quem nulla impugnatio poterat separare a charitate Christi. Talis charitas vere est murus, quem nullus solvit assultus; unde : « Muro tuo inexpugnabili, etc. » — Muri sunt defensores Ecclesiæ ; unde : « Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes [10], » id est angelos. — Vel muri sanctæ Ecclesiæ, sunt fideles doctrinæ super quas Dominus constituit custodes orthodoxos doctores. — Muri animæ virtutes sunt. De

(1) *Perierat.* Prov. XXIV, 31. — (2) *Murorum.* Cant. V, 7. — (3) *Jerusalem.* Jerem. LII, 14. — (4) *Corruerunt.* Jos. VI, 20. — (5) *Cingebantur.* Numer. XXII, 25. — (6) *Tui.* Potius refer ad Ezech. XXVIII, 13, aut Tob. XIII, 21. — (7) *Domine.* Nihil simile in alterutro Machabæorum ; sed in offic. Dom. Octobris, ubi legitur historia Machabæorum. Videsis etiam antiph. sabb. ante Dom. III Nov. et R 3 ejusd. Dom. in Brev. rom. — (8) *Suum.* Prov. XXV, 28. — (9) *Tua.* Ps. CXX, 5. — (10) *Custodes.* Is. LXII, 6.

hujusmodi muris terribilis est valde, secundum moralem sensum, in libris Regum, illa sententia quæ refert, quod Nabuzardan archimagirus, id est princeps coquorum, destruxit muros Jerusalem, quia venter, cui magna cura coci serviunt, fidelis animæ perdit virtutes. Beata Ægyptiaca deflevit, dicens [1] :

Quam male, nam memini, placuit mihi copia vini,
Quam male captatur cibus, unde libido juvatur!

— Murus malæ consuetudinis significat obstaculum; unde : « In Deo m. t. m. » — Muri significant hæresiarchas, vel malos principes Synagogæ; unde : « Tota die circumdabit eam super muros ejus iniquitas [2]. »

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 1209-1210.

Spiritus a Christo datus Ecclesiam quasi murum
Efficit, et validum nullisque minis ruiturum.

II. *Propugnacula argentea*, v. 1211-1214.

Hæc sunt eloquio miracula juncta nitenti,
Quem Petrus et fratres docuere vigore potenti.
Nam sonus Ecclesiæ per partes quatuor orbis
Exiit, estque salus diversis reddita morbis.

III. *Ego murus*, 1221-1224.

Ubera seu turrim sua dicitur hæc habuisse,
Quæ fortes legitur altosque viros aluisse.
Nam postquam datus est quasi spiritus istis,
Nutrivit validos doctosque patres ope Christi.

V.

1. TURRIS, Christus [3] : « Turris fortissima nomen Domini [4]. »

2. Virgo Maria, vel Ecclesia [5] : « Et tu sicut turris gregis perfecti, nebulosa filia Sion [6]. »

3. Scriptura [7] : « Collum tuum sicut turris David [8]. »

4. Superba corda [9] : « Dies Domini super omnem murum et super turrim omnem excelsam [10]. » In Isaia : « Quum ceciderint turres [11]. »

÷ 5. Vita perfectionis : « Quis ex vobis volens turrim ædificare [12]? »

÷ 6. Altitudo gratiæ : « Ædificabitur civitas a turre Hananeel [13]. »

7. *Turres*, Apostoli, vel perfecti quique : « Et abundantia in turribus tuis [14]. »

VI.

÷ PROPUGNACULA, testimonia Scripturarum, sive exempla præcedentium patrum, ubi et supra : « Sicut turris David quæ ædificata est cum propugnaculis suis. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 30; ed. II; col. 768 A ad 7.

GREGORIUS M. Turris nomine altitudo designatur, sicut per Jeremiam dicitur : « Ædificabitur, etc. » Civitas Domini a turre Hananeel usque ad portam anguli ædificari perhibetur, quia sancta Ecclesia a celsitudine supernæ gratiæ inchoans, usque ad ingressum, susceptionemque construitur utrorumque populorum, judaici videlicet

(1) *Dicens*. Hildebert. *Vita S. Mar.*, v. 381.—(2) *Iniquitas*. Ps. LIV, 11.—(3) *Salvator. In Salomone* B-G. —(4) *Domini*. Prov. XVIII, 10.—(5) *Turris, Ecclesia. In Michæa* B-G. *Et turris gregis* D, E.— (6) *Sion*. Mich. IV, 8. Addunt B-G. *Filia Sion, id est divinis sacramentis obumbrata. Quidam autem hanc turrim Virginem Mariam intelligunt.*—(7) *Scriptura divina, in Canticis canticorum* B-G. — (8) *David*. Cant. IV, 4. — (9) *Corda reproborum, duplicitatis malitia constructa. In Sophonia* B-G. *Superbia Zabuli, in Isaia*, ib. — (10) *Excelsam*. Sophon. forte intuetur I, 16. Versio omnino nova. — (11) *Turres*. Is. XXX; 21. — (12) *Ædificare*. Luc. XIV, 28. — (13) *Hananeel*. Jerem. XXXI, 38. — (14) *Tuis*. Ps. CXXI, 7.

atque gentilis : « Et erit ultra normam mensuræ, » quia usque ad eos tenditur, qui normam justitiæ transeuntes, intra mensuræ cœlestis numerum non sunt.—Turris nomine circumspectio designatur, sicut a sponso dicitur : « Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano [1]. » Quid per nasum nisi provida sanctorum discretio designatur? Recte ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur, quia sanctorum provida discretio, dum sollicite circumquaque conspicit, in altum posita, priusquam veniat culpa, deprehendit.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 5, p. 554.

Rabanus. Turris, robur prædicationis, ut : « Collum tuum sicut turris eburnea. » —Humilitas, ut : « Quis ex vobis v. t. æ. » —Superbia, ut : « Turris, cujus culmen pertingat ad cœlum [2]. »

Petrus Capuanus ad litt. xix, art. 101.

Turris

Mundi.	*Cœli.*	*Tartari.*
Ecclesia.	Deus.	Elati.
Apostoli.	Virgo Maria.	Arrogantes.
Prælati.	Scriptura.	Diabolus.

Turris autem ad litteram construitur lapidibus et cæmento, erigitur in altum, et disponitur vel ad munimentum castri seu civitatis, vel ad speculandum remota; ipsa etiam munitur propugnaculis. Similiter autem et turris Ecclesiæ constituitur ex vivis lapidibus. Isaias : « Sternam per ordinem lapides pretiosos [3]. » Et ex cæmento charitatis, quo ipsi lapides conglutinantur et colliguntur, « in quo omnis ædificatio constructa crescit [4]. » Turris erigitur in altum, et sancta Ecclesia, per eminentem conversationem, in altum erigitur, etiam usque ad cœlum. Statuitur autem hæc turris ad munimenta castri hujus mundi. Hoc enim castrum per sanctam Ecclesiam mutatur, ut possit quisque recursum habere ad hanc turrem, ne ab hostibus conculcetur. Hæc turris firmum munimentum est confugientibus ad ipsam : si quidem qui in arca, id est in Ecclesia non inveniuntur, pereunt in diluvio hujus mundi. Disponitur hæc turris ad speculandum hostes a remotis. Isaias : « Vivit Dominus, cujus ignis in Sion [5]. » Sion enim interpretatur specula, a qua scilicet hostes longius speculantur. Super hanc turrim stant speculatores illi de quibus legitur in Canticis : « Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem [6]. » Hæc turris munita est propugnaculis, id est exemplis Christi, ne valeat expugnari.

Sed et Scripturæ sacræ turris constructa est ex lapidibus, id est auctoritatibus et diversis sententiis Patrum; quæ pariter ex cæmento expositionis hos lapides conglutinante construitur; sustollitur in altum, in locis profundioris doctrinæ; et usque ad cœlum, quia etiam cacumen ejus tangit ad cœlum. Disponitur autem aliquando ad munimentum civitatis illius, quæ sita est in montibus sanctis, id est Ecclesiæ; munit enim sacra Scriptura Ecclesiam, instruendo qualiter resistat hostibus. — Aliquando ad speculandum hostes a remoto. In hanc turrim ad speculandum ascendit Paulus, quando raptus est usque ad tertium cœlum. Hæc etiam turris munita est propugnaculis, ex quibus pugnatur, id est eloquentiæ munimentis et argumentis.

Sed et turris illa cœlestis, id est Virgo Maria, constructa est ex lapidibus etiam politis, id est sanctis personis quæ ponuntur in genealogia ipsius. In hac tamen constructione quidam positi fuerunt lapides rudes et impoliti, ut gentiles; quidam etiam turpes et scabrosi, ut peccatores : sed ex cæmento generationis lapides ipsi vel personæ conjunguntur et connectuntur. A Deo erecta est hæc turris, et ascendit in altum, ut in utero suo susciperet unigenitum Dei Verbum manens in sinu Patris. Posita est

(1) *Libano.* Cant. vii, 4. — (2) *Cœlum.* Genes. xi, 4. — (3) *Pretiosos.* Is. liv, 11. — (4) *Crescit.* Coloss. ii, 19. — (5) *Sion.* Is. xxxi, 9. — (6) *Civitatem.* Cant. iii, 3.

in medio civitatis Dei, de qua dicta sunt gloriosa, ad munimentum contra hostes fidei nostræ, juxta illud usitatum, quod de ea legitur : Cunctas hæreses sola interemisti [1]. Posita est ad speculandum remota, de quibus dicunt : « Quis ostendit nobis bona [2] ? » Per doctrinam namque filii sui cœlestia contemplamur. Hæc turris munita est propugnaculis virtutum, quibus ipsa fuit undique plene referta et plene munita.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Turris.

Robur prædicationis.	Superbia hujus
Humilitas.	mundi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 510-521.

Turris David collum tuum, quæ ædificatur propugnaculis.

Extendens collum procul aspicit, ut venientes
Hostes præcaveat, signatque viros sapientes,
Qui contra Satanam quærunt munimen habere,
Insidiasque student illius et arma cavere.
Doctores igitur per collum jure notantur;
Ne veniant hostes meditando procul speculantur.
Sunt turris, quia summa petunt, cœlos penetrantes,
Nil præter Christum variis in rebus amantes.
Hæc turris David est, qui natus de patre Jesse
Creditur, et manibus fortis rex dicitur esse.
Ille notat Christum, sine quo labor est sine messe
Linguæ doctoris, si Christum sentit abesse.

VII.

÷ SUBURBANA, populus, sub observantia legis vivens, in Levitico [3].

VIII.

1. VILLA [4], vilis conversatio et ignobilis vita : « Et misit illum in villam, ut pasceret porcos [5]. »

÷ 2. Terrenus labor : « Abierunt alius in villam suam [6] ... »

3. *Villæ*, plebes christianæ [7] : « Veni, dilecte mi; egrediamur in agros, commoremur in villis [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Villa, massa impiorum, ut : « Misit eum, etc. » — Dominium superbiæ, ut : « Villam emi, et ideo non possum venire [9]. » —Gentiles, ut : « Commoremur in villis. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. 140. Villa vitæ, et villa mortis. Villa vitæ, sancta Ecclesia. Hæc est villa quæ dicitur pulcherrima, quod interpretatur Capharnaum [10]. Evangelium : « Quanta audivimus in Capharnaum, fac et hic in patria tua [11].» Villa mortis est villa paganorum, hæreticorum et sæcularium. Evangelium : « Invenerunt quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa : hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus [12]. » Hanc villam mundialis conversationis [13] emit, qui vitam dissolutam in mundanis exercet, et dominandi potestatem affectat.

Ergo prima villa, id est sancta Ecclesia, est modo extra urbem illius supernæ et triumphantis Jerusalem. Paulus : « Supe-

(1) *Interemisti.* Brev. Rom. in festis B. M. V. ant. ad Matut. III Noct. — (2) *Bona.* Ps. IV, 6. — (3) *Levitico.* XXV, 34. — (4) *Mundialis conversatio et vita dissoluta. In Evangelio* B-G. — (5) *Porcos.* Luc. XV, 15. — (6) *Suam.* Matt. XXII, 5. — (7) *Plebes fidelium. In Canticis canticorum* B-G. — (8) *Villis.* Cant. VII, 11. — (9) *Venire.* Luc. XIV, 18. —(10) *Capharnaum.* Nos quidem omnino fugit hujusmodi interpretatio, a vero non parum aliena; rectius enim : *Villa consolationis.* — (11) *Tua.* Luc. IV, 23. — (12) *Ejus.* Marc. XV, 21. — (13) *Conversationis.* Hæc legebat Capuanus in Melitoniano textu codicum B-G.

rior autem Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra [1]. » Secunda villa est vita sæcularis extra urbem sanctæ Ecclesiæ et civitatem. Psalmus : « Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam [2]. »

Villani autem dicuntur a villa. In prima ergo villa manentes sunt exsules villani et peregrini ab illa civitate superna. Genesis : « Dies peregrinationis meæ pauci et mali [3]. » Paulus : « Quia peregrini et hospites sumus in hoc mundo [4]. » In secunda villa manentes villani sunt peregrini et exsules a sanctæ Ecclesiæ civitate. Primi ergo villani et exsules suspirare debent ad supernam patriam, si quidem quum videamus eum qui tantum per annum exsul fuit a propria patria, ad illam suspirare, quanto suspirio anhelandum est ad illam supernam patriam nostram, a qua tot annorum millibus exsulamus, scilicet ex quo protoplastos nostros expulit Deus de paradiso, et collocavit ante eum cherubim et flammeum gladium atque versatilem? Secundi villani et exsules ad civitatem sanctæ Ecclesiæ debent anhelare, sicut ad hanc anhelabat prodigus ille qui ait in villa : « Surgam, et ibo ad patrem [5]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Villa.

Massa impiorum. Gentiles.
Curæ mundi.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 1109-1115.

Exit cum sponsa mundanum sponsus in arvum,
Quum Deus immensus faciens se corpore parvum,
Ecclesiam sibi desponsans in ventre puellæ,
Fit mundo lumen, genitum de lumine stellæ.
Qui manet in villis, dum gentes salvat in illis,
Et lucem fidei dat eis lux ipsa diei.
Condidit ecclesias et eas defendere cœpit :
Conspicit attente si præstet vinea flores,
Dum studet Ecclesia primos contemnere mores.
Prospicit in fructus, si florum germina crescunt,
Dum teneræ mentes aliqua virtute nitescunt.
Attendit flores si punica mala dedere,
Dum videt exemplis perfectos quosque nitere.

IX.

1. DOMUS, corpus Christi [6] : « Sapientia ædificavit sibi domum [7]. » ÷ In psalmo : « In domo Domini ivimus cum consensu [8]. »

2. Ecclesia : ÷ « Domus mea domus orationis est [9]. » ÷ In psalmo : « In domo Domini i. c. c. »

3. Corda et corpora fidelium [10] : « Et sumentes de sanguine agni, ponetis super utrumque postem et in superliminaribus domorum [11], in quibus edetis illum [12]. » ÷ « Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam [13]. »

4. Corda et corpora reproborum [14] : « Orientur in domibus eorum spinæ et urticæ, et replebuntur domus eorum draconibus [15]. »

÷ 5. Habitatio cœlestis [16] : « In domo Patris mei mansiones multæ sunt [17]. Scimus autem quoniam si terrestris domus nostra dissolvatur [18]. Passer invenit sibi domum [19]. Domus autem quum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque per-

(1) *Nostra.* Galat. IV, 26. — (2) *Eam.* Ps. CXXVI, 1. — (3) *Mali.* Genes. XLVII, 9. — (4) *Mundo.* Hebr. XI, 13. — (5) *Patrem.* Luc. XV, 17. — (6) *Caro Salvatoris assumta, vel sancta Ecclesia. In Salomone* B-G. — (7) *Domum.* Prov. IX, 1. — (8) *Consensu.* Ps. LIV, 15. *Ambulavimus c. c.* G. — (9) *Est.* Matt. XXI, 13. — (10) *Corda fidelium, vel corpora, in Exodo: Ponetis de sanguine* B-G. — (11) *Domo* B-E. *Domus* G, lege *domorum*, Grabio notante. — (12) *Illum.* Exod. XII, 7. — (13) *Tuam.* Marc. II, 11. — (14) *Corda reproborum. In Isaia : Orietur i. d. e. s. id est solitudo sæculi* B-G. Hæc legunt paulo infra, extra locum, una cum dist. 12. — (15) *Draconibus.* Is. XIII, 21. — (16) *Habitaculum cœleste: passer* id infra, quod huc retulimus. — (17) *Sunt.* Joan. XIV, 2. — (18) *Dissolvatur.* II Cor. V, 1. — (19) *Domum.* Ps. LXXXIII, 4.

fectis ædificata est; et malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, quum ædificaretur [1]. »

÷ 6. Conscientia : « Ingredere, et includere in medio domus tuæ [2]. »

÷ 7. Fabrica virtutum : « Diligenter exerce agrum tuum, ut postea ædifices domum tuam [3]. »

÷ 8. *Domus diaboli*, conventus omnium malorum. In Salomone : « Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 34 ; ed. ii, col. 768 b ad 2, 6.

Gregorius M. Domus, cœlestis Ecclesia, ut ibi : « Domus autem quæ ædificatur, lapidibus dolatis et politis ædificata est [5]. » —Corpus Christi, ut ibi : « Sapientia ædificavit s. d. »—Conscientia, ut in Ezechiele : « Ingredere, etc. » Jubetur enim propheta ut domum de campo redeat, quatenus ex his quæ dicit, qualis et ipse sit, intra conscientiam agnoscat; unde et alibi dicitur : « Tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. » Et alibi de muliere forti : « Consideravit semitas domus suæ, et panem otiosa non comedit [6]. » Semitas domus suæ anima sancta considerat, quæ cunctas conscientiæ suæ cogitationes subtiliter investigat : « Panem otiosa non comedit, » quæ quod de sacro eloquio intelligendo percipit, coram Deo operibus ostendit.—Cœleste habitaculum, ut ibi : « Passer invenit sibi domum. » — Fabrica virtutum, ut ibi : « Diligenter exerce, etc. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 6, p. 555.

Rabanus. Domus, patria cœlestis, ut : « Inhabitant in domo Domini [7]. » — Ecclesia, ut : « Domum tuam decet sanctitudo [8]. » — Mens, ut : « Dilexi decorem domus tuæ [9]. » — Humanitas Christi, ut : « Sapientia ædificavit s. d. »—Mundus, ut : « Vasa in domo non descendat tollere [10]. » — Familia, ut : « Loqueris de domo servi tui [11]. »—Delectatio favoris, ut : « Innitetur super domum suam, et non stabit [12]. » — Populus Judæorum, ut : « Revertar in domum meam [13]. »—Gentilitas, ut : « Domus Jacob de populo barbaro [14]. » — Protectio Salvatoris, ut : « Herodii domus dux est eorum [15]. » — Anima prava, ut : « Domus exasperans est [16]. » — Mors carnis, ut : « Ubi constituta est domus omni viventi [17]. »—Diversi ordines, ut : « Deus in domibus ejus cognoscetur [18]. »—Conscientiæ bonæ, ut : « Replevit domos tuas argento [19]. » — Cogitationes pravæ, ut : « In domibus deserti, quæ in tumulos sunt redactæ [20]. » — Corpora humana, ut : « Qui habitant domos luteas [21]. »—[Cor hominis], ut : « Consideravit semitas domus suæ. »—Fabrica virtutum, ut : « Ædifica tibi domum in Jerusalem [22]. »

Petrus Cantor. Domus est spiritualis ; unde Apostolus : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos [23]. »—Materialis, unde : « Domus mea d. o. e. »— Cœlestis, de qua Jesus : « In domo patris mei m. m. s. » Prima est quasi consistorium, in qua sancti se dijudicant; secunda, quasi refectorium, ubi bonis operibus sancti se reficiunt; ter-

(1) *Ædificaretur.* III Reg. vi, 2.—(2) *Tuæ.* Ezech. iii, 24. — (3) *Tuam.* Prov. xxiv, 27. — (4) *Aliena.* Prov. v, 10. —(5) *Est.* III Reg. vi, 7.—(6) *Comedit.* Prov. xxxi, 27.—(7) *Domini.* Ps. xxii, 16.—(8) *Sanctitudo.* Ps. xcii, 5.—(9) *Tuæ.* Ps. xxv, 8.—(10) *Tollere.* Matt. xxiv, 17.—(11) *Tui.* Ps. xlvii, 4.—(12) *Stabit.* Job viii, 15.—(13) *Meam.* Luc. xi, 24.—(14) *Barbaro.* Ps. cxiii, 1.—(15) *Eorum.* Ps. ciii, 17.—(16) *Est.* Ezech. ii, 5.—(17) *Viventi.* Job xxx, 23.—(18) *Cognoscetur.* Ps. xlvii, 4.—(19) *Argento.* Job iii, 15. —(20) *Redactæ.* Job xv, 28.—(21) *Luteas.* Job iv, 19.—(22) *Jerusalem.* III Reg. ii, 36.—(23) *Vos.* I Cor. iii, 17.

tia, quasi dormitorium, in quo, serenata conscientia, sancti quiescunt. Prima dicitur templum Dei; secunda, domus Dei; tertia, æternæ visionis.

Domus est sacra Scriptura; unde : « In domo Domini i. c. c. »— Beatitudo æterna, ut : « Domine dilexi d. d. t. »—Item : « Domum tuam, d. d. s. » — Præsens Ecclesia; unde : « Domus mea d. o., etc. » Decor hujus domus sunt sancti. Vel ita : Domine, dilexi me tibi facere decoram domum et locum in quo gloriose habitas. — Triumphans Ecclesia; unde : « Introibo in domum tuam, Domine [1]. » — Christus; unde : « Herodii domus d. e. c. » —Homo sanctus; unde : « Anima justi sedes est sapientiæ [2]. » — Item : « Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum et trementem sermones meos?» Item : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos. » Unde Augustinus, *de verbis Domini* [3] : Ipsum corpus tuum templum est Spiritus sancti. Vide ergo quid facies de templo Dei. Si eligeres in Ecclesia facere adulterium inter ipsos parietes, quid te esset scelestius?

Domus Dei dicitur conscientia, unde : « Distribuite domus ejus, ut enarretis in progenie altera [4]. » — Animus hominis de hac domo legitur : « Sapientia æ. s. d. » — Animo dictum est : « Dispone domui tuæ, etc. [5], » ut Isaias Ezechiæ regi Juda. Per virtutes animus disponit domui suæ; quæ et ipsæ disponendæ sunt, ne supra mundum silvescant.

Domus animæ est ipse homo; animum voco rationem, cui tamquam patrifamilias carnis et animæ nostræ tradita est custodia. De hac domo Salomon : Tria sunt quæ non sinunt hominem quiescere in domo sua : fumus, stillicidium, et mala uxor [6]; id est, peccatum ignorantiæ, peccatum suggestionis, peccatum propriæ concupiscentiæ; sed ibi « iniquitatem meditatus est in cubili suo. » Sic exponitur : fumus sunt peccata quæ ex carnis concupiscentia nata mentem obtenebrant; stillicidium, peccata quæ aliunde profluunt; mala conjux, sapientia carnis, quæ inimica est Deo, vel mala conscientia quæ rationi repugnat. Si quem ergo sua vel aliena inquietaverunt vitia, confugiat ad cubile. Ibi, si bonam reperiet conjugem, quiescet; si malam, amplius turbabitur. Bona conjux, sive bona uxor, sapientia Dei est.

Domus hominis est caro propria; unde Job : « Qui habitatis in domibus luteis. » — Manufacta et visibilis; unde villicus : « Quum amotus fuero a villicatione mea, recipient me in domos suas [7]. »

Domus dæmonis est mundus; unde : « Ecce nunc princeps hujus mundi [8], etc. » — Cor hominis perversi; unde : « Revertar, etc. »—Filii diffidentiæ, vasa iniquitatis, ubi supra.

PETRUS CAPUANUS ad litt. IV, art. 40.

Domus Dei.

Anima justi.	Ecclesia militans.
Ecclesia materialis.	— triumphans.

Domus hominis, materialis.

— *dæmonis*, cor impii.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. I, *de Domo*.

Domus

Dei.	*Hominis.*
Templum.	Conscientia.
Sacra Scriptura.	Corpus.
Fidelis anima.	*Diaboli.*
Militans Ecclesia.	
Triumphans Ecclesia.	Malorum congregatio.
Beata Virgo Maria.	
Humanitas Christi.	Malus homo et reprobi.
Habitatio religiosorum.	Infernus.
Æterna sanctorum beatitudo.	Sæcularis conversatio.

(1) *Domine.* Ps. V, 8. — (2) *Sapientiæ.* Prov. XIV, 33? — (3) *Domini.* Cf. Aug. *Opp.* t. V, p. 878, *Serm* CLXI. — (4) *Altera.* Ps. XLVII, 14.— (5) *Tuæ.* IV Reg. XX, 1.—(6) *Uxor.* E vulgaribus forte proverbiis; deest enim illud in Proverbiis sacris, nec concordat cum XIX, 13.—(7) *Suas.* Luc. XVI, 4.—(8) *Mundi.* Joan. XIV, 30.

— Domus Dei dicitur beata Virgo Maria, in qua Deus homo corporaliter habitavit; unde :

Domus pudici pectoris
5 Templum repente fit Dei;
Intacta, nesciens virum,
Verbum concepit filium.

— Domus etiam Dei dicitur habitatio religiosorum; unde quidam de quodam mo-
10 nasterio ait :

Leno ferre pedem talem non debet in ædem,
Hac habitare domo debet honestus homo.

— Domus hominis, conscientia ejus; unde : « Tolle grabatum, etc., » id est, at-
15 tolle a fossis vitiorum corpus tuum, et vade in conscientiam tuam; ut de cætero intra te habites, qui hactenus extra te vagabaris. Non videtur intra se habitasse, qui de se ipso ait :

Domus mea totus mundus;
Semper ero vagabundus.

Felix qui potest Deo ex summa finaliter dicere : « Domine, dilexi decorem domus tuæ. » Iste enim nec mundum, nec ea quæ in mundo sunt diligere probatur, quia

Alterius vires subtrahit alter amor.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 2674-2681.

Est domus Ecclesia justorum, nescia labem,
Cujus stat semper inviolata fides.
Hæc est in pelago mundi partim peregrinans,
Partim cum Christo cœlica regna tenens.
Hæc supra petram Christum fundata manebit,
Sancto stans opere catholicaque fide.
Hæc pulchros flores plantat Salomonis in horto,
Mittens electos ad tua regna, Deus.

X.

20 COENACULUM, altitudo meritorum [1] : « Et ipse vobis ostendet cœnaculum magnum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 30; ed. II, col. 768 B, *verbo tenus.*

25 PETRUS CANTOR. Ecclesia distinguitur in auditorium, in cœnaculum, in thalamum; quia prius debet homo discutere peccata sua et ventilare, antequam accedat ad mensam Domini, sicut ait Apostolus : « Probet
30 autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat [3]. » Et sic probatus ad mensam Domini potest accedere, et deinde, serenata conscientia, in thalamo cordis sui quiescere.

35 ANTONIUS DE RAMPIGOLLIS, in *Figuris biblicis*, c. IX, Beatitudo, art. 2. « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ [4]. » *Nota.* Aliquis magnus volens magnum convivium præparare, solet quatuor considerare : pri-
40 mum, tempus aptum; secundum, locum amœnum; tertium, cibum optimum, vinum et potum; quartum, ut convivio stet suum tempus, ne qui de longe veniunt, sua uti lætitia prohibeantur. Hæc omnia inquiruntur ad convivium cœleste, quod Filius Dei, rex regum et Dominus dominantium, voluit servare.

Figura. Hester, etc. Assuerus, rex magnus, qui regnavit ab Indis usque ad Æthiopiam, super centum et viginti octo provincias, fecit convivium magnum, in domo mirabili quæ columnis marmoreis et argenteis sustentabatur [5], et habebat gemmas diversicolores, ad modum siderum, in tecto concamerato, et lectulos aureos et argenteos; et erant ibi mensæ mirabiles, et habebantur ibi cibaria optima et vinum nobilissimum; et duravit convivium septuaginta dies [6].

Moraliter. Per hunc regem nota Christum,

(1) *Vel scientiæ. In Evangelio* B-G.—(2) *Magnum.* Luc. XXII, 2. — (3) *Bibat.* I Cor. XI, 28. — (4) *Tuæ.* Ps. XXXV, 9. — (5) *Sustentabatur.* Nonnulla describuntur e fabulosis Alexandri gestis, quæ et liberius sua fecit, adornavitque Petrus de Riga, in versiculis inde sequentibus. — (6) *Dies. Centum et octoginta dies.* Esth. I, 4. Ibi idem Petrus, qui infra, legebat : *centum et septuaginta.*

qui regnat a mari usque ad mare, cujus regni non erit finis. Hic servavit hæc quatuor ut supra : primo, tempus aptum, in quo sumus, videlicet tempus gratiæ, quod nobis in hac vita concessit, et super hanc vitam non habebimus. Secundo, locum aptum; unde Baruch : « Deus Israel, quam ingens est domus tua [1] ! » Tertio, quod provideatur de cibo optimo; immo ipse nobis duodecim fercula præparata ministrabit, videlicet sanitatem sine languore, securitatem sine timore, requiem sine labore, notitiam sine errore, pacem sine rancore, juventutem sine senectute, gaudium sine mœrore, vitam sine morte, claritatem, impassibilitatem, agilitatem, subtilitatem. Quarto, quod convivium æternæ beatitudinis non stat ad septuaginta dies, ut convivium regis Assueri, sed sine fine, quia æternum.

Unde Augustinus, in *Soliloquio* [2] : Ubi erit æterna refectio, perpetua dilectio, jucunda possessio, omnium desideriorum impletio et æterna fruitio.

Anonymus Clarevallensis. Cœnaculum, diversitas meritorum vel habitantium fidelium; unde : « Cœnacula et tristega facies [3]. » — Requies animarum, ut : « Per cochleam ascendebant in cœnaculum [4]. » — Eminentia virtutis et contemplationis, ut : « Ipse ostendet vobis c. g. s. » — Scriptura sacra, ut : « Manserunt discipuli, post ascensionem Domini, in cœnaculo [5]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Esther, v. 1-68.

Donec ad Æthiopum terras veniatur ab Indis,
Rege sub Assuero subdita terra fuit.
Huic soli regi regio centena ministrans,
Prona jacens, humilis sub pede regis erat.
Susis in urbe thronum posuit, quæ quaslibet urbes
Non est æquales passa fuisse sibi.
Tertius annus erat regni, quum larga paravit
Prandia rex ducibus principibusque suis.
Præstitit hoc septem decies centumque diebus,
In regis celebri sidereaque domo.
Quam festiva fuit domus hæc, si consulis *Actus Regis Alexandri*, scire legendo potes.
Robur præbebat argentea massa columnis,
Quas manus artificis sculpserat arte nova.
Tectum fulgebat, instar cœli cameratum,
Cum cœlo certans pene decore pari...
Postquam sumserunt regalia fercula finem,
Convivas alios regia mensa vocat.
Rex jubet ut populus, qui Susis in urbe moratur,
Conveniat, senis festa diebus agat.
Extra septa domus exstabat porticus, horto
Proxima florigero, deliciisque dato.
Rex jubet hæc omni populo præclara parari
Fercula, pincernas stare, novare scyphos.
Plurima conviviis ex horto gratia fluxit,
Condibatque cibos hortus odore suo.
In specie pascens oculos, nares in odore,
In gustu, fauces; nobilis hortus erat.
Quælibet arbor ibi confert tria : fit medicina
Morbis, fit fessis umbra, fit esca fami.
Non aliquam sterilem prudens natura reliquit,
Non illic arbor vivere virgo potest.
In medio splendens stat vinea, nobilis auro,
Argento, gemmis, ignea, clara, nitens.
Materies inerat argentea vitibus ejus,
Aurea palmitibus, quam superabat opus.
Distincti vario gemmarum sidere botri,
Pene videbantur gignere velle merum.
Illic fulgebant tentoria picta; columnæ,
Argentum; funes purpura, byssus erant.
Lectos insignit nitor argenti, rubor auri,
Seque smaragdi miscet utrique color.
Convivas ridere facit, quæ ridet in auro
Gutta, sopore meri dulcis, odora nimis.
Quorum materies ibi non erat aurea, servi
Exsilium faciunt omnia vasa pati.
Convivas mulcet in odore, sapore, colore,
Dedignans species bacchicus ille liquor.
Non aliquis potum speciebus adulterat ullis,
Non Tethidi Bacchum caupo maritat ibi.
Ut potum sumat non est conviva coactus,
Ad libitum sumit pocula quisque suum [6].

XI.

1. Tabernaculum, Christi corpus [7] : « In solo posuit tabernaculum suum [8]. »
2. Ecclesia, vel anima peregrinans in terra [9] : — « Et adducent eum ad ostium

(1) *Tua.* Bar. III, 24. — (2) *Soliloquio.* Cf. Opp. t. VI, p. 894. — (3) *Facies.* Genes. VI, 16. — (4) *Cœnaculum.* III Reg. VI, 8. — (5) *Cœnaculo.* Act. I, 13. — (6) *Suum.* Cf. Barthii *Adversarior.* lib. XXXI, c. 13. — (7) *Tabernaculum Dei, corpus Salvatoris. In psalmo* B-G. — (8) *Suum.* Ps. XVIII, 6. — (9) *Tabernaculum Dei, sancta Ecclesia, sive anima fidelis, in peregrinationibus mundi hujus degens. In psalmo* B-G.

tabernaculi [1]. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis [2]. » Ponam tabernaculum meum in medio eorum [3]. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra et mensa et propositio panum [4]. ÷ In psalmo : « Quoniam ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei [5]. »
5 Et in Apostolo : « Tabernaculum quod fixit Dominus, et non homo [6]. » De hoc tabernaculo in Exodo Dominum Moysi loquutum fuisse narratur : « Facies mihi sanctificationem, et inde videbor vobis [7]. »

÷ 3. Virgo Maria : « Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo [8]. »

÷ 4. Patria cœlestis : « Post velamentum autem tabernaculi, sancta sancto-
10 rum [9]. » Secundum quod dicitur : « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo [10] ?»

÷ 5. Scriptura [11] : « Ingresso Moyse tabernaculum fœderis, descendebat columna, et stabat nubis ad ostium, loquebaturque cum Moyse, cernentibus universis quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. »

÷ 6. Corporea habitatio : « Loquente Domino ad Moysen, unusquisque in ta-
15 bernaculi sui foribus stabat, et adorabat. »

÷ 7. Corpora : « Deus destruet te, et evellet te de tabernaculo tuo [12]. »

÷ 8. Habitaculum mentis : « Quis mihi tribuat, ut sim sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando secreto Deus erat in tabernaculo meo [13] ! »

÷ 9. Cogitationes : « Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter
20 accipiunt [14]. »

÷ 10. Ædificatio terrenæ felicitatis : « Abundant tabernacula prædonum, et ipsi audacter provocant Deum [15]. Tabernaculum impiorum non subsistet [16]. Propterea Deus destruet te, etc. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

25 Eucherius, ed. i, p. 28 ad 1, 3; ed. ii, col. 766 b ad 1, 3, 4.

Gregorius M. Tabernaculi nomine habitaculum mentis designatur, sicut per beatum Job dicitur : «Quis mihi tribuat, etc. »
30 Quid enim in hoc loco tabernaculum, nisi habitaculum mentis accipimus? Per omne namque quod cogitando agimus, in consilio cordis habitamus. Quisquis autem mandata Dei tacitus cogitat, secreto illi Deus est in
35 tabernaculo. Tabernaculorum nomine cogitationes designantur, sicut per Eliphaz dicitur : « Ignis devorabit tabernacula eorum, etc. » Ignis tabernacula devorat, quum æstus avaritiæ cogitationes devastat. — Tabernaculi nomine ædificatio terrenæ felicitatis designatur, sicut per Baldad dicitur : « Tabernaculum i. n. s. » Bene ergo ita dicitur, quia vitæ fugientis amatores, dum studiose se in præsentibus construunt, repente ad æterna rapiuntur incendia.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 7, p. 556.

Rabanus. Tabernaculum, patria cœlestis, ut : « Domine, quis h. i. t. » — Humanitas Christi, ut : « In sole posuit t. s. » — Virgo Maria, ut : « Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus [17]. » — Ecclesia, ut : « Ecce tabernaculum d. c. h. » — Corpus nostrum, ut : «Quamdiu sum in hoc tabernaculo [18]. »

(1) *Tabernaculi.* Levit. iv, 4. — (2) *Eis.* Apoc. xxi, 3. — (3) *Eorum.* Exod. xxix, 44, 45. — (4) *Panum.* Hebr. ix, 2. — (5) *Dei.* Ps. xli, 5. — (6) *Homo.* Hebr. viii, 2. — (7) *Vobis.* An respectu ad Exod. xxv, 8, 22 ? — (8) *Meo.* Eccli. xxiv, 12. — (9) *Sanctorum.* Hebr. ix, 3. — (10) *Tuo.* Ps. xiv, 1. — (11) *Scriptura.* Deficientem textum supplevimus in hac dist. et seq. juxta Capuanum Exod. xxxiii, 9, 10, 11. — (12) *Tuo.* Ps. li, 7. — (13) *Meo.* Job xxxix, 16. — (14) *Accipiunt.* Job xv, 34. — (15) *Deum.* Job xii, 6. — (16) *Subsistet.* Job viii, 22. — (17) *Altissimus.* Ps. xlv, 5. — (18) *Tabernaculo.* II Petr. i, 13.

— Mens nostra, ut : « Secreto Deus erat in tabernaculo meo. » — Conversatio mala, ut : « Longe facies a tabernaculo tuo iniquitatem [1]. » — Caro impii, ut : « Affligetur relictus in tabernaculo suo [2]. » — Felicitas terrena, ut : « Tabernaculum i. n. s. » — Angeli, ut : « Quam dilecta tabernacula tua [3] ! » — Antiqui sancti, ut : « Quam pulchra tabernacula Jacob [4] ! » — Gentiles, ut : Tabernacula eorum in terra salsuginis [5]. » — Crimina, ut : « In tabernaculis eorum non sit qui inhabitet [6]. »

Petrus Cantor. Militans Ecclesia ideo dicitur tabernaculum, quia sicut tabernaculum militantium est et peregrinantium, ita et Ecclesia, in qua exsistentes, in via peregrinamur. Unde : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est [7] ! » Viatores enim sumus; unde : « Non habemus hic manentem civitatem [8], etc. Militia est vita hominis super terram [9]. » Et Dominus ad Moysen : « Fac tibi tabernaculum, ad instar quod vidisti in monte [10]. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 105.

Tabernaculum

Materiale.	*Spirituale.*
Mundus.	Militans Ecclesia.
Corpus humanum.	Mens humana.
Sancti.	Sacra Scriptura.
Cœleste.	*Infernale.*
Triumphans Ecclesia.	Superflua terrenorum congregatio.
Caro Christi, vel dispensatio incarnationis.	Corpora reproborum.
Protectio divina.	Æterna supplicia.

Distinctionum monasticar. lib. iv, *de Tabernaculo*. Tabernaculi nomine cœlum designatur, ut ibi : « Christus assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum [11], etc. » — Tabernacula dicuntur cœlestes mansiones, ut ibi : « Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula [12]. » — Tabernaculum est Ecclesia militans, ut ibi : « Tabernaculum factum est primum. » Et dicitur Sancta, quia sancta est militans Ecclesia, licet non sit omnino absque culpa. — Secundum tabernaculum est Ecclesia triumphans, et vocatur Sancta sanctorum, quia in Ecclesia triumphante nihil est pollutum. — Tabernaculum dicitur cor hominis, id est ipsa conscientia; unde : « Vox exsultationis et salutis in tabernaculis justorum [13], » quia « secura mens, quasi juge convivium [14]. » — Tabernaculum dicitur corpus humanum; unde beatus Petrus : « Certus sum quia velox est depositio tabernaculi mei [15]. » Et ipsum sacrosanctum corpus Christi, in quo ipse contra diabolum pugnavit, cumque moriendo devicit, tabernaculi nomine designatum est; unde est illud propheticum de resurrectione Dominica : « Suscitabo tabernaculum David quod cecidit [16]. » In morte enim Christi, cecidit Christus, cecidit diabolus. Sed Christus tantum secundum carnem, mortem gustando; diabolus vero, potestatem suam in perpetuum perdendo; unde scriptum est : « Fortis impegit in fortem, ambo pariter ceciderunt [17]. » — Tabernacula, quia habitacula sunt fundamenta non habentia in terra, sed paxillis terræ infirmiter hærentia, significant conversiones et vitas sanctorum, qui terrenis utuntur ex necessitate, sed in cœlis habitant desiderio et amore; unde est illud in Levitico : « Omnis qui de genere est Israel, habitavit in tabernaculis [18]. »

Anonymus Claravallensis.

Tabernaculum.

Virgo Maria.	Felicitas terrena.
Mens nostra.	Angeli.
Conversatio nostra terrena.	Antiqui sancti.
	Crimina.

(1) *Iniquitatem.* Job xxii, 23. — (2) *Suo.* Job xx, 26. — (3) *Tua.* Ps. lxxxiii, 2. — (4) *Jacob.* Num. xxiv, 5. — (5) *Salsuginis.* Job xxxix, 9. — (6) *Inhabitet.* Ps. lxviii, 26. — (7) *Est.* Ps. cxix, 5. — (8) *Civitatem.* Hebr. xiii, 14. — (9) *Terram.* Job vii, 1. — (10) *Monte.* Exod. xxv, 40. — (11) *Tabernaculum.* Hebr. ix, 11. — (12) *Tabernacula.* Luc. xvi, 9. — (13) *Justorum.* Ps. cxvii, 15. — (14) *Convivium.* Prov. xv, 15. — (15) *Mei.* II Petr. i, 14. — (16) *Cecidit.* Amos ix, 11. — (17) *Ceciderunt.* Jer. xlvi, 12. — (18) *Habitavit in tabernaculis.* Levitic. c. xxiii, v. 42.

LAURENTIUS.

Hypomnestison, in lib. IV.

Sed res ipsa sacram mihi fœderis applicat ædem,
Applicat ut replicem quid sit, ubi, quid agat.
5 Ecclesiam domus ista notat; desertaque, mundum:
In mundo labor est, quo peregrina meat.
Ad patriam via; mundus ei via, plena laboris,
Et via qua timor est, qua flagrat atque dolet.
Hinc patrium petit ipsa solum, petit inclyta cœlum:
Pax ibi, cantus ibi, lux ibi, dulcor ibi.
Sed sit dura licet via, multa viatica, multum
Roboris hic in ea quisque fidelis habet.
Christi namque caro, Christi cruor, omnia Christi
Sacramenta juvant atque tuentur eos.
His cibus, arma, salus est Christi caro, chrisma, lavacrum.
Hæc alit, hæc munit, hæc quoque curat eos.

XII.

1. TEMPLUM, corpus Christi [1]: « Solvite templum hoc, et in triduo resuscitabo
10 illud [2]. » ÷ Unde et Samson, destructo templo, plures moriendo occidit [3].

2. Corda vel corpora [4]: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos [5]. » ÷ « Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus [6]. Nescitis quia membra vestra templum Dei sunt [7]? »

÷ 3. Ecclesia præsens: « Tu, Domine universorum, qui nullam habes indi-
15 gentiam [8]. Vox de templo, vox Domini reddentis retributionem [9]. »

4. Fidelis populus, ut supra: « Et altare ante faciem templi [10]. » Altare, mens; templum, populus.

÷ 5. Anima justi: « Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant replebant templum [11]. »

20 ÷ 6. Templa idolorum, corda vel corpora reproborum.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 29; ed. II, col. 767 B ad 1, 3.

GREGORIUS M. Templi nomine anima
25 justi designatur; sicut Isaias, quum se Dominum vidisse fatetur, dicens: « Anno quo mortuus est Ozias, vidi, etc. » Quando Ozias, rex superbus ac præsumtor, moritur, Dominus videtur; quia, quum mundi hujus
30 elatio a desiderio mentis occiditur, tunc mens gloria Domini contemplatur. Sedet Dominus super solium excelsum et elevatum, id est super cœlestem gloriam et angelicam creaturam, quæ solidata et confirmata
35 dicitur cæmento divinæ confirmationis. Replent et templum ea quæ sub ipso sunt, quia et mens, quum in contemplatione profecerit, non jam quod ipse, sed quod sub ipso est, contemplatur. — Corpus Christi, ut ibi: « Solvite templum hoc, etc. » — Fidelis populus, sicut per Ezechielem dicitur: « Altare ante faciem templi. » Bene fidelis populus dicitur, ut ait Apostolus: « Templum Dei sanctum est, quod estis vos. » Altare ante faciem templi est, quum multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt positi. Qui æterni judicii memores, semet ipsos quotidie Deo sacrificium in lamento compunctionis mactant.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 8, p. 560.

RABANUS. Templum, patria cœlestis, ut: « Sanctum est templum tuum mirabile in

(1) *Corpus Salvatoris assumtum. In Evangelio* B-G. — (2) *Illud.* Joan. II, 19. — (3) *Occidit.* Jud. XVI, 30. — (4) *Templum in civitate, fidelis in Ecclesia. In Apostolo* B-G. — (5) *Vos.* I Cor. X, 13. — (6) *Deus.* I Cor. III, 17. — (7) *Sunt.* I Cor. VI. 19. — (8) *Indigentiam.* Pontific. Rom. in *Consecrat. Ecclesiæ.* — (9) *Retributionem.* Is. LXVI, 6. — (10) *Templi.* Ezech. XL, 47. — (11) *Templum.* Is. VIII, 1.

æquitate [1]. » — Corpus Christi, ut : « Solvite t. h. » — Virgo Maria, ut : « Dominus in templo sancto suo [2]. » — Ecclesia, ut : « In templo ejus omnes dicent gloriam [3]. » — Corpus nostrum, ut : « Nescitis, etc. » — Mens devota, ut : « Si quis templum d. v. » — Viri sancti, ut : « Templum Dei sanctum est, q. e. v. » — Capacitas intellectus angelici et humani, ut : « Et ea quæ sub ipso e. r. t. »

Petrus Capuanus ad litt. xix, art. 106.

Templum

Medium.	*Supremum.*
Ecclesia.	Corpus Christi.
Sanctorum corpora.	Virgo Maria.
Anima sancta.	*Infimum*, quod construxit Salomon.

In ædificatione autem templi Salomon tenet figuram Christi; templum vero, figuram Ecclesiæ, juxta quod quidam licet poetice, recte tamen et vere, dixit :

Rex Salomon fecit templum,
Cujus instar et exemplum
Christus et Ecclesia.

Salomon namque ædificavit templum, et Christus Ecclesiam. In ædificatione templi fuerunt artifices latomi et lignorum cæsores : in ædificatione vero Ecclesiæ sunt artifices prædicatores et apostoli. Triplicem materiam posuit Salomon in constructione templi, scilicet lapides, ligna et aurum. Lapides significant fidei firmitatem; ligna designant spei sublimitatem; aurum insinuat charitatis fulgorem Super hanc triplicem materiam principaliter consurgit ædificium Ecclesiæ : nam « sine fide impossibile est placere Deo [4]. » Et : « Fides sine operibus [charitatis] mortua est [5]. » Quarto anno regni Salomonis cœpit templum ædificari; quia post prædicationem quatuor Evangeliorum per quatuor partes mundi cœpit Ecclesia ex Judæis et gentibus adunari. Misit Hiram, rex Tyri, Salomoni ligna cedrina, de Libano præcisa, et abiegna, quæ in domo Domini ponerentur. Tyrus tunc erat gentilium; Libanus interpretatur candidatio : quia scilicet conversa gentilitas misit ad Dominum viros claros et candidos, sed securi increpationis de monte superbiæ dejectos et humiliatos, qui ad normam evangelicæ veritatis instituti, in ædificio Ecclesiæ, quisque pro suo merito vel tempore, collocarentur. Misit etiam artifices, id est philosophos, ad veram sapientiam conversos, qui populis regendis gratia eruditionis præponerentur. Tales fuerunt temporibus Apostolorum Dionysius Areopagita, magister in Areopago, et Cyprianus, egregius doctor et martyrum fortissimus. Misit quoque aurum, viros scilicet sapientia et ingenio claros : talis fuit Basilius, doctor magnus. Pro his exspectat Hiram, scilicet Ecclesia, dona gratiæ cœlestis, scilicet triticum verbi Dei. Tria tabulata tres ordines designant in sancta Ecclesia, scilicet conjugatorum, continentium et virginum. Nihil erat in templo quod auro non tegeretur, quia nihil est in Ecclesia, quod charitate non decoretur. Deaurata erat porticus, quia patres veteris testamenti per charitatem Deo placuerunt, angelis hospitio receptis. Deauratum ipsum templum, quia « charitas diffusa est in cordibus nostris [6]. » Deaurata est domus interior, et cœnacula auro tecta, quia et in cœlesti patria regnat charitas. Variæ cælaturæ variæ sunt virtutes Ecclesiæ. Mare æneum significat baptismum, qui primo proponitur intrantibus in Ecclesiam, quia hoc est primum et quasi fundamentum omnium sacramentorum. Mensa aurea est sacra Scriptura, spirituali intelligentia clara. Diversa vasa templi sunt animæ repletæ variis donis Spiritus sancti. Quod in Tyro ligna vel lapides præparabantur, et sine sonitu malleorum et ferramentorum in templo postmodum ponebantur, designat quod in mundo post tribulationem ad justitiam reformamur ; et postmodum in cœlesti patria secundum merita tranquille præmiis remuneremur. Salomon templum

(1) *Æquitate*. Ps. lxv, 6. — (2) *Suo*. Ps. x, 5. — (3) *Gloriam*. Ps. xxviii, 9. — (4) *Deo*. Hebr. xi, 6. — (5) *Mortua est*. Jacob. ii, 20. — (6) *Nostris*. Rom. v, 5.

septem annis ædificavit, et octavo, perfecit et dedicavit; quia Christus sanctam Ecclesiam in præsenti sæculo, quod septem dierum circulo volvitur, constituit et congregat atque justificat, et post resurrectionem, completo numero, in octava ætate, octava benedictione glorificat.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Templo*.

Templum.

Corpus Christi.	Sacra Scriptura.
Virgo Maria [1].	Ecclesia militans [2].
Cœlum.	Corpus justi.

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in lib. Reg., § XXX.

Construxit templum Salomon, et Christus hoc ipsum :
Ast domus ipsa Dei est in cœlis ædificata,
Sed non de lapide vel ligno materiali,
Immo de sanctis, cunctisque fidelibus ejus.
Quum fieret domus hæc Salomonis materialis,
Facta est de petris perfectius ante dolatis;
Non fuit auditum ferrum, nec malleus ullus :
Sic ex marmoribus perfectius ante politis
Cœlestis domus est præter sonitum ædificata;
Non sonus est in ea doctoris sive magistri,
Nec ferrum linguæ, nec doctrinæ sonat illic.
Est amplum, longum, latum : dimensio triplex
Tres sunt virtutes quibus hæc constructio surgit.
Interius ligni decoratur tegmine templum :
Mysterium crucis hoc templum illustrasse videtur,
Sub qua protecti servantur ab hoste fideles.
Quum sacrabatur domus hæc, replevit eamdem
Gloria summa Dei, satis ostendens manifeste
Quod templum atque domos ejus præsentia replet,
Diligit, et visit, salvat, regit atque gubernat,
Quæ fiunt et consecrantur in ejus honore,
Vel Christi adventum signavit gloria dicta,
Qui veniens orbem fidei splendore replevit.

XIII.

1. FUNDAMENTUM, Christus [3] : « Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est [4]. »

2. Fides, vel prædicatio : ÷ « Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea [5]. Ut sapiens architectus, per gratiam quæ data est mihi, fundamentum in ea pono [6]. »

3. Apostoli, vel sancti : ÷ « Fundamenta ejus in montibus sanctis [7]. Jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, superædificati super fundamentum apostolorum [8]. Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ [9]? Maledictus qui reædificat ruinas Jericho. In primogenito suo fundamenta illius jaciat [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

DAMASUS, *Decret.*, p. 790.

EUCHERIUS, ed. I, p. 30; ed. II, col. 768 B ad I, 1.

ISIDORUS, *Etymol.* lib. VII, c. 2, n. 41.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 9, p. 363.

RABANUS. Fundamentum, Christus, ut : « Fundamentum aliud, etc. » — Fides, ut : « Exinanite, etc. » — Occulta diaboli, ut : « Denudasti fundamenta usque ad collum [11]. » — Apostoli, ut : « Fundamenta e. i. m. s. » — Prædicatores, ut : « Ubi eras q. p. f. t. » — Elationes superborum, ut : « Montium fundamenta comburet [12]. » — Delectationes

(1) *Maria.* Pauca bonæ frugis, brevitatis causa, tantum excerpantur ex hac dist. : « *Adorabo ad templum sanctum tuum,* id est illam gloriosam Virginem in qua habitare dignatus es, non ei *latriam* exhibendo, sed *duliam*, in timore tuo casto, filiali et reverentiali. Adorabo *ad illum* quæ est templum tuum, id est *per illam* te adorabo, et illam propter te, qui es sanctus sanctorum, plusquam alios sanctorum venerabor. Te, inquam, per illam adorabo, id est, per illam adjutus, tibi qui Deus meus es, latriam veraciter exhibebo. » Hæc meminerint scriptoris nostri concives hodierni quos nimium insanire facit adeo decantata illa et ethnica sanctorum, ut aiunt, apud nos *adoratio,* et æqui boni faciant hujusmodi verba veterum candide prolata, tandemque non ita recenter invectam distinctionem *duliæ* et *latriæ*, vel apud Anglos, esse fateantur. — (2) *Militans.* Eosdem ibi, quos supra Capuanus, versus recitat. — (3) *Christus, vel fides, sive apostolorum prædicatio. In Apostolo* B-G. — (4) *Est.* I Cor. III, 11. — (5) *Ea.* Ps. CXXXVI, 7. — (6) *Pono.* I Cor. III, 10. — (7) *Sanctis.* Ps. LXXXVI, 1. — (8) *Apostolorum.* Eph. II, 19, 20. — (9) *Terræ.* Job XXXVIII, 4. — (10) *Jaciat.* Jos. VI, 26. — (11) *Collum.* Habac. III, 13. — (12) *Comburet.* Deuter. XXXII, 22.

terrenæ, ut : « Fluvius subvertet fundamentum eorum [1]. » — Principes, ut : « Fundamenta montium conturbata sunt [2]. »

Petrus Cantor. Fundamentum est pœnitentiæ; ab isto incepit Jesus, et Joannes prædicare, unde : « Pœnitentiam agite [3]. » —Fidei; fides enim dicitur fundamentum omnium aliarum virtutum.—Baptismatum, pluraliter, quia triplex est, in aqua, in sanguine, in pœnitentia. — Impositionis manuum. — Fidei resurrectionis.— Adventus Domini ad judicium. Et ipse Christus dicitur fundamentum, et apostoli fundamenta. Christus; unde Apostolus : Fundamentum positum est a Christo Jesu, qui solus est fundamentum.—Apostolus, unde ipse ait : « Ut sapiens architectus, etc. »—Quæ etiam fundamenta non sunt contraria, quia Christus fundamentum posuit in se ipso, sacramenta salutis, in quibus fides est, operando; Apostolus vero fundamentum ponebat, auditorum fidem inserendo.

Petrus Capuanus ad litt. iv, art. 69. Fundamentum supremum, Christus, vel fides ejus seu Trinitatis.—Medium dicuntur apostoli. — Infimum malorum et superborum, dæmones et vitia.

Distinctionum monasticar. lib. ii, *de Fundamento*. Fundamentum Ecclesiæ principale Christus est. — Secundarium, patriarchæ, prophetæ et apostoli.—Spirituale, fides; unde : « Exinanite, etc. » Vox est inimicorum Ecclesiæ sese invicem cohortantium, ut omnes virtutes Ecclesiæ, seu fidelis animæ, et ipsam fidem destruant. — Præcepta Domini; unde : « Fundamenta æterna supra petram solidam; et mandata Dei, in corde mulieris sanctæ [4]. » — Charitas, unde : « In charitate radicati et fundati [5]. » — Et nota quod fides fundamentum spiritualis ædificii dicitur, propter inchoationem; charitas vero, propter confirmationem [6].

Anonymus Clarevallensis.

Fundamentum.

Christus.	Elationes superborum.
Fides.	Delectationes terrenæ.
Apostoli.	
Prædicatores.	

Hermannus Werdinensis.

Hortus deliciar. lib. i, v. 1046-1055.

Ecclesiam firmando tuam, mundique reatum
 Natum, summe Pater, ut luat ire jubes.
Dicitur esse tua Christus sapientia, per quem
 Firmiter Ecclesiæ stat solidata fides.
Corda beatorum divini luminis ardor
 Non urens lustrat, ut timeant et ament.
Doctores sancti signantur nomine cœli,
 Quos sacer irradiat Spiritus igne sacro.
Hos cœlos stabiles fecit prudentia Christi,
 Discipulis firma nam petra Christus erat.

XIV.

1. Paries, humanitas Christi [7] : « Tamquam parieti inclinato et maceriæ impulsæ [8]. Ecce stat post parietem nostrum [9]. »

2. Structura [10] bonorum operum, ubi et supra.

3. Simulatio hypocritarum [11] : « Ipsi ædificabant parietem; illi autem liniebant eum luto absque paleis. »

XV.

: Pictura *in pariete*, cogitationes pravæ in corde hominis. In Ezechiele : « Ecce omnia idola domus Israel depicta erant in pariete [12].

(1) *Eorum*. Job xxii, 16. — (2) *Sunt*. Ps. xvii, 8. — (3) *Agite*. Matt. iii, 2. — (4) *Sanctæ*. Eccli. xxvi, 24. — (5) *Fundati*. Ephes. iii, 17.—(6) *Confirmationem*. Inde auctor se refert ad ea quæ exstant in t. ii, p. 222, col. 2. — (7) *Corpus Salvatoris assumtum, in psalmo* B-G. — (8) *Impulsæ*. Ps. lxi, 4. — (9) *Nostrum*. Cant. ii, 9. — (10) *In structura*. B G. — (11) *Et duritia peccatorum* A, addita hæc sententia Gregoriana : *Peccata nostra separant inter nos et Deum*. — (12) *Pariete*. Ezech. viii, 10.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 31; ed. ii, col. 768 c ad 2.

Gregorius M. Paries, natura humanitatis nostræ; unde sponsa de sponso dicit in Cantico : « Et ipse stat post parietem nostrum; » quasi enim post parietem stetit, qui intra assumtæ humanitatis naturam divinitatem suam nobis occultavit. — Peccati durities, ut ibi : « Ille ædificabat parietem, etc. » Parietem namque ædificare, est obstacula peccati construere, quæ utique illi liniunt qui peccantibus adulantur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 10, p. 504.

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Paries, humanitas Christi : « Et ipse s. p. p. » — Corda peccatorum : « Fili hominis, fode parietem [1]. » — Obstinatio : « Ædificabat parietem r. a. l. » — Peccata : « Convertit se Ezechias ad parietem [2]. »

Picturæ, diversitates virtutum, ut : « Picturas varias quasi prominentes [3]. »

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 66. Paries supremus, corpus Christi. — Medii sunt duo parietes Ecclesiæ, id est duo populi, Judaicus et gentilis. Paries *Infimus*.

Peccatum, interpositum inter nos et Deum.	paries dealbatus.
Inimicitiæ, inter Judæos et gentiles.	Hæreticus, paries singularis.
Hypocrita, qui est	Structura malorum operum.
	Duritia subditorum.

Petrus de Riga.

Aurora, in Cantic., v. 246-259.

Post murum nostrum stetit incarnata Sophia,
Quum carnem sumsit de Virgine matre Maria,
In qua delituit deitas, quam ferre nequiret
Omnis homo, si posse suum monstrare veniret.
Qui per cancellos aut ostia spargit ocellos,
Partim spectatur, partim latitando moratur :
Sic Christus signis rutilans per opus deitatis,
Et carnis pœnas tolerans per opus pietatis,
Aspexit per cancellos, supere faciendo
Signa, patratis et in his Deus esse patendo,
Post murumque stetit, ut homo sese ipse gerendo,
Esuriem patiendo sitimque, dehinc moriendo.
Aspexit per cancellos, per signa patere
Ut deitas voluit, ut homo per probra latere.

XVI.

1. Tectum, corpus [4] : « Quod in aure auditis, prædicate super tecta [5]. »

2. Intentio cœlestis operationis [6] : « Et qui in tecto est, non descendat tollere de domo sua quidquam [7]. »

3. Obscuritas Scripturæ sacræ [8] : ÷ « Et ascenderunt super tectum, per tegulas [9]. Fiant sicut fenum tectorum [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Tectum, cœlum, ut : « Sicut passer solitarius in tecto [11]. » — Subtilitas Scripturæ, ut : « Nudaverunt tectum, ubi erat Jesus. » — Caro nostra, ut : « Et qui in tecto, non descendat. »

Petrus Capuanus ad litt. xviii, art. 108. Tectum æthereum, cœlum empyreum. Psalmus : « Sicut passer, etc. » — Aereum, conversatio alta et vita contemplativa. In Evangelio et in tecto dicitur esse, qui jam

(1) *Parietem.* Ezech. viii, 8. — (2) *Parietem.* Is. xxxviii, 2. — (3) *Prominentes.* III Reg. vi, 29. — (4) *Corpus hominis. In Evangelio* B-G. — (5) *Tecta.* Matt. x, 27. — (6) *Id est vita contemplativa. In Evangelio* B-G. — (7) *Aliquid tollere in domo sua* B-D. *De domo sua* G. Matt. xxiv, 17. — (8) *Velamen legis et obscuritas sanctarum Scripturarum*, nec plura in hac distinct. apud B-G. — (9) *Tegulas.* Luc. v, 19. — (10) *Tectorum.* Ps. cxxviii, 6. — (11) *Tecto.* Ps. ci, 8

excessit sæcularem conversationem.—Mundanum, prædicatio manifesta. Evangelium : « Quæ auditis, etc. » — Tartareum duplex : scilicet conviciorum et inquietudinis. In 5 Sapientia, tecta perstillantia et litigiosa mulier comparantur. Et superbia. Psalmus : « Fiant s. f. t. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Tecto*. Tectum est gloriosissimus ille locus 10 in quo Dominus noster Jesus Christus corporaliter habitat; unde est illius illa vox in psalmo : Vigilavit Dominus in resurrectione, qui dormierat in passione, et factus est sicut passer in ascensione. Solitarius 15 vero factus fuit in tecto, id est singulariter in sublimi mansione. — Tectum significat sacræ Scripturæ mysticum intellectum [*vide infra, in p.* II]. — Tectum significat quod in manifesto est; unde est illud Dominicum : 20 « Quod in aure, etc.; » id est, quod didicistis in secreto, docete in publico.—Tectum corpus nostrum significat; unde quilibet nostrum debet dicere Domino : « Domine, non sum dignus ut intres sub tectum 25 meum [1]. » Sed istud non est dicendum, penitus a perceptione Dominici corporis abstinendo, sed nos humiliando. — Tectum sublimitas est contemplationis; unde istud : « Qui in tecto, etc.; » quia qui in otio est 30 vitæ contemplativæ, nullius terreni commodi causa descendere debet ad laborem vitæ activæ.

ALANUS. Moraliter inde dicitur quod in spirituali ædificio historia fundamentum jacit, allegoria parietem erigit, tropologia tectum consummat.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Tectum. { Cœlum. / Subtilitas Scripturæ. / Caro nostra.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Esther, v. 15-32.

Tectum fulgebat instar cœli cameratum,
  Cum cœlo certans pene decore pari.
Illic ardebant imitantes sidera gemmæ :
  Lux inerat gemmis, sidereusque nitor.
In septem gemmis errantia sidera septem
  Illic aspiceres cursibus ire vagis.
Solem chrysolithus, lunam complexa smaragdus;
  Jaspis, Mercurium; topaziusque, Jovem.
Marti nubit onyx; Venus est conjuncta beryllo;
  Magnes Saturnum luget adesse senem.
Porro gemmarum bis sex sculptura figuris,
  Bis sex signorum par similisque fuit :
Vervex, bos, gemini, cancer, leo, virgo, statera,
  In septem gemmis signa tot illa nitent.
Scorpius, arcitenens, capricornus, fusor aquarum,
  Pisces in geminis, quinque vigendo nitent.
Sic duodena cohors gemmarum, cum duodeno
  Ordine signorum, ludit honore pari.

XVII.

1. PAVIMENTUM, humilitas auditorum [2] : « Et eduxit me ad atrium exterius, et ecce ante gazophylacia pavimentum stratum lapide in atrio per circuitum [3]. »

2. Humiliatio et afflictio animæ. In psalmo : « Adhæsit pavimento anima mea [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 31; ed. II, col. 768 E ad 2.

GREGORIUS M. Pavimentum, humilitas auditorum, ut ibi : « Eduxit me, etc. » Habent enim gazophylacia, id est doctores, pavimentum per circuitum, quia eis adhæret et subjacet humilitas auditorum. — Sollicitudo terrenitatis, vel cura carnis in de-

(1) *Meum*. Matt. VIII, 8.—(2) *Fidelium, doctrinam sanctorum patienter suscipientium. In Ezechiele : Et ante* B-G.— (3) *Circuitum*. Ezech. XL, 17.—(4) *Mea*. Ps. CXVIII, 25.

sideriis, quæ est mors animæ; a qua morte se resuscitari orat qui dicit : « Adhæsit p. a. m. »

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. 5 XIII, c. 22, p. 591.

RABANUS. Pavimentum, caro nostra, ut : « Adhæsit p. a. m. » — Cor humile, ut : « Texit pavimentum tabulis abiegnis [1]. » — Auditor, ut : « Ante gazophylacia, etc. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Pavimentum. { Caro nostra. Cor humile. Auditor. }

Sic tere figmentum, sicut teritur pavimentum.
Luceat, ornetur, poliatur, et hinc solidetur.

XVIII.

÷ 1. ATRIUM, latitudo regni cœlestis : « Et porta atrii interioris contra portam 10 aquilonis et orientalem [2]. »

÷ 2. Latitudo vitæ præsentis : « Portam quoque quæ respiciebat viam aquilonis atrii exterioris, mensus est tam in longitudine quam in latitudine [3]. »

÷ 3. Charitas : « Et fecit frontes per sexaginta cubitos, et ad frontem atrium portæ undique per circuitum [4]. »

15 ÷ 4. Contemplatio : « Et mensus est latitudinem a facie portæ inferioris usque ad frontem atrii extrinsecus, centum cubitos ad orientem et aquilonem [5]. »

÷ 5. Latitudo æternæ vitæ : « Introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

20 GREGORIUS M. Atrii nomine æternæ vitæ latitudo designatur, ut ibi : « Introite portas ejus, etc. » Ad atria enim per portas tenditur, quia per confessionis ostium ad æternæ solemnitatis latitudinem pervenitur. 25 —Atrii nomine latitudo vitæ præsentis exprimitur, ut in Ezechiele : « Portam quæ respiciebat viam, etc. » Exterius quippe atrium est vita præsens, quæ in longitudine et latitudine mensuratur, quia peccator 30 ductus ad fidem, et in longitudinem spei tenditur, et in charitatis latitudinem ampliatur. — Atrium, latitudo charitatis; atrium namque ante frontem ædificii non est aliud quam in perfectione operis latitudo 35 charitatis. — Contemplatio, ut ibi : « Mensus est, etc. » Quia Redemtor noster quotidie per doctores, in mensura perfectionis, metitur vitam fidelium, vel in spe boni operis per fidem, vel in sanctis desideriis per contemplationem.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 21, p. 587.

RABANUS. Atrium, sancta Ecclesia, ut : « Adorate Dominum in atrio sancto ejus [7]. » —Mundus, ut : « Quum fortis armatus custodit atrium suum [8]. » — Amplitudo fidelium, ut : « Mensus est atrium longum centum cubitorum [9]. » — Circuitus sæcularis, ut : « Petrus in atrio sacerdotis [10]. » — Plebs infidelis, ut : « Atrium quod foris est templum, ejice foras [11]. » — Prophetæ et apostoli, ut : « Introite atria ejus in confessione [12]. » — Præcepta charitatis, ut : « In atriis domus Dei nostri [13]. » — Cœli secreta, ut : « Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini [14]. »

PETRUS CANTOR. Atria Domini frequen-

(1) *Abiegnis.* III Reg. VI, 15. — (2) *Orientalem.* Ezech. XL, 23. — (3) *Latitudine.* Ib. 20. — (4) *Circuitum.* Ib. 14. — (5) *Aquilonem.* Ib. 19. — (6) *Hymnis.* Ps. XCIX, 4. — (7) *Ejus.* Ps. XXVIII, 2. — (8) *Suum.* Luc. XI, 21. — (9) *Cubitorum.* Ezech. XL, 47. — (10) *Sacerdotis.* Matt. XXVI, 69. — (11) *Foras.* Apoc. XI, 2. — (12) *Confessione.* Ps. XCV, 8. — (13) *Nostri.* Ps. CXXXIII, 14. — (14) *Domini.* Ps. LXXXIII, 3.

tantur, propter laudem; unde : « Laudans invocabo Dominum [1]. » — Propter orationem; unde : « Introibo in domum tuam [2]. » — Propter instructionem; unde in libro Sapientiæ : « Appropiate ad me, indocti, et congregate vos in domum disciplinæ [3]. » — Propter sacramenti perceptionem; unde : « Constituite diem solemnem in condensis [4]. »

Petrus Capuanus ad litt. i, art. 77. Atria cœlestis Jerusalem, fideles, vel præsens Ecclesia. — Atria terrestris Sion, ingressus virtutis. — Atria Babyloniæ infernalis, latitudo voluptatum, vel circuitus sæculi.—Atrium diaboli, mundus [5].

Distinctionum monasticar. lib. i, *de Atrio*.

Atria sunt octo, sex tantum congrua docto.

Atrium dicitur Ecclesia triumphans, propter perfectæ libertatis latitudinem : « Quæ enim sursum est Jerusalem, libera est [6]. » De hoc atrio ait psalmista Deo : « Melior est dies una in atriis tuis super millia [7]. » — Ecclesia militans, propter peregrinationem, quia quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino [8]. » De hoc atrio scriptum est : « Adorate Dominum, etc. »— Atrium Caiphæ est sæcularis circuitus; ignis accensus in hoc atrio est cupiditas temporalium; ministri, dæmones; mulier, voluptas carnis. Qui cum istis moratur, et si non verbis, tamen factis plerumque Deum negat.—Atrium quandoque dicitur vita activa, propter discursum localem; quandoque vita contemplativa, propter latitudinem mentalem. De utroque atrio quidam in rhythmo quodam satis curialiter ait :

Atrium exterius vita est activa
In quo sacrificia sunt figurativa.
Atrium interius est contemplativa;
Demolitur pinguia, macerat lasciva.

—Atrii nomine designantur apostoli, propter introductionem; quia per eos introducimur in regnum Dei; unde est illud psalmistæ : « Tollite hostias, etc. » Hostias tollere, est corda et corpora divinis obsequiis præparare. Et ponitur tollere pro extollere, simplex pro composito, ut in illo versu Lucani [9] :

Tollite jam pridem victricia, tollite signa.

In atria Dei introire, est per fidem et bonam operationem ab apostolis confirmari. —Atrium reprobos significat, qui per viam latam et spatiosam incedunt, quæ ducit ad mortem. De hoc atrio dictum est : « Atrium quod extra templum est, ne metiaris [10]; » quia damnandi coram Deo nullius quantitatis sunt, quia nec sunt. Unde Isaias : « Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei [11]. »—Vel per hoc atrium specialiter designati sunt hæretici propter exclusionem; unde de hoc atrio dictum est sancto Joanni : « Atrium quod extra templum est, ejice foras; » id est, hæreticos qui cum fidelibus non credunt communiter, separa ab eis corporaliter. — Per atrium designatur tota collectio malorum, propter amplitudinem, quorum quidam futuri boni. De hoc atrio ait Dominus in Evangelio : « Quum fortis, etc. » — Per atrium dicitur a quibusdam non indocte designari plena scientia deitatis, propter comprehensionem; unde de Christo qui simul fuit viator et comprehensor, ait psalmista : « Beatus quem elegisti et assumsisti! habitabit in atriis tuis. » Est epilogus igitur :

Atrium

Libertatis.	Contemplationis.
Peregrinationis.	Exclusionis.
Introductionis.	Vagationis.
Administrationis.	Comprehensionis.

Petrus de Riga.

Aurora, in Exod., v. 1407-1416.

Facies in introitu tabernaculi tentorium.

Quum reges fieri jubeant tentoria, summus
Rex unum fieri jussit honore novo.

(1) *Dominum*. Ps. xvii, 4. — (2) *Tuam*. Ps. v, 8. — (3) *Disciplinæ*. Eccli. li, 31. — (4) *Condensis*. Ps. cxvii, 27. — (5) *Mundus*. Quæ omnia Capuanus concludit, repetendo pene ad verbum eadem quæ supra in Cantore. — (6) *Est*. Galat. iv, 26. — (7) *Millia*. Ps. lxxxiii, 11. — (8) *Domino*. II Cor. v, 6. — (9) *Lucani*. In *Pharsal*. — (10) *Metiaris*. Apoc. xi, 2. — (11) *Ei*. Is. xl, 15.

Cocco vel bysso, seu murice, sive hyacintho,
Ædis in ingressu tenditur illud opus.
Summus apostolici chorus ordinis inde notatur,
Solvere qui populum, sive ligare potest.
Ædis in ingressu stant: nam conceditur illis
Intranti populo pandere claustra poli.
Isti sunt cœli, testante colore hyacinthi,
Quos memorat cœlos esse propheta David [1], etc.

XIX.

∻ Vestibulum, humilitas: « Fenestræ autem ejus et vestibulum et sculpturæ erant secundum mensuram portæ quæ respiciebat ad orientem [2]. » Per fenestras, contemplatio; per vestibulum, humilitas; per sculpturam, opera bona.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Vestibulum, humilitas, sicut per Ezechielem dicitur de porta quæ respiciebat ad aquilonem: « Fenestræ ejus, etc. » Per orientem itaque hi, qui in innocentia qua per conversionem nati sunt, perstiterunt; per aquilonem vero hi, qui in peccatis lapsi sunt, designantur. Per portam quoque cœlestis aditus designatur; per fenestras, contemplatio; per vestibulum humilitas; per sculpturam, bona operatio. Porta ad aquilonem ea omnia habere perhibetur, quæ porta ad orientem: fenestras contemplationis, vestibulum humilitatis, sculpturam bonæ operationis. Omnes namque hi qui in conversione nati sunt, portam habent ad orientem; omnes qui in peccatis lapsi sunt, portam habent ad aquilonem; sed si ad pœnitentiam convertuntur, ad amorem cœlestis patriæ recalescunt. — Fides, sicut per Ezechielem dicitur: « Septem gradibus erat ascensus ejus, » scilicet portæ, « Et vestibulum ante eam. » Septem quippe gradibus ad portam ascenditur, quia per sancti Spiritus septiformem gratiam aditus nobis regni cœlestis aperitur. Vestibulum quoque ante gradus et portam est, quia prius ad fidem venimus, et postmodum per spiritualium donorum [ostium], cœlestis vitæ aditum intramus.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 20, p. 584.

Rabanus. Vestibulum, vita æterna, ut: « Vestibulum portæ erat intrinsecus [3]. »

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 143.

Vestibulum

Figuræ.	Angustiæ.
Pœnitentiæ.	Delectationis voluptuosæ.

Vestibulum figuræ fuit vestibulum templi et vestibulum tabernaculi. Vestibulum ante ostium templi, sicut etiam ostensum est in visione Ezechielis, fuit lex ante Christum, qui solus est ostium Ecclesiæ. Per vestibulum siquidem intrabatur in templum; per legem venitur ad Christum. In hoc, sicut in vestibulo templi fuerunt quasi duæ columnæ, Abraham et David. Vestibulum tabernaculi est fides; sicut enim per vestibulum intrabatur in tabernaculum, ita per fidem in Ecclesiam. In hoc vestibulo fidei fuerunt columnæ multæ dispositæ, quas enumerat Paulus in epistola ad Hebræos circa exempla fidei, et tandem concludit de omnibus: « Hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt [4]. » — De vestibulo pœnitentiæ inquit Joel: « Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes [5]. » In hoc vestibulo licet multæ sint columnæ dispositæ, tres tamen specialiter ad majorem evidentiam disponuntur, scilicet David, Matthæus et Paulus. Psalmi David, Evangelium Matthæi, epistolæ Pauli plus cæteris Scripturis in Ecclesia Dei frequentantur, ut scilicet a quantislibet omnis tollatur desperatio peccatoribus, quum audierint David adulterum et ho-

(1) *David.* Vide supra p. 156. — (2) *Orientem.* Ezch. xl, 22. — (3) *Intrinsecus.* Ib. 9. — (4) *Inventi sunt.* Hebr. xi, 39.— (5) *Plorabunt sacerdotes.* Joel ii, 17.

micidam, Matthæum telonarium, Paulum Ecclesiæ persequutorem, tantam propter misericordiam, veniam consequutos, ut eorum scripta in Ecclesia Dei tantam obtineant auctoritatem. In hoc etiam vestibulo eminens columna fuit latro ille, qui tam amare pœnituit in cruce, ut audierit : « Hodie mecum eris in Paradiso [1], » et Magdalena, quando per pœnitentiam et fletum dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum. — De vestibulo angustiæ Jeremias : « Præcepit ergo rex Sedechias ut traderetur Jeremias in vestibulo carceris [2]. » — De vestibulo delectationis voluptuosæ Hester : « Qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur [3]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1423-1428.

Facies in introitu tabernaculi quinque columnas.

Quinque libros Moysi signantes quinque columnæ
 Surgunt ex auro, quæ capitella gerunt;
Et quia præcedunt sensuque nitent, aliorum
 Hi quasi librorum sunt spiritale caput.
Æs resonando bases harum creat; inde notemus
 Semper in Ecclesia verba sonare Dei.

XX.

1. PORTA, Christus [4] : « Ecce porta Domini; justi intrabunt per eam [5]. »

2. Uterus Virginis [6] : « Vidi portam in domo Domini clausam [7]. »

3. Scriptura [8], vel opera justitiæ : « Elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ [9]. »

4. Corda [10], vel aditus mentis : « Possidebit semen tuum [11] portas inimicorum suorum [12]. »

÷ 5. Ecclesia : « Aperite mihi portas justitiæ [13]. »

÷ 6. Prædicatores : « Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, et fundabo te in sapphiris, et ponam jaspidem propugnacula tua, et portas in lapides sculptos [14]. »

÷ 7. Dies judicii : « Et conterentur in porta, et non erit qui eripiat [15]. »

÷ 8. Bona actio : « Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi [16]. »

÷ 9. Exitus ab hac vita : « Stabat autem in porta [17]. Non confundetur, quum loquetur inimicis suis in porta [18]. »

÷ 10. Ignorantia boni et concupiscentia mali : « Omnem escam abominata est anima eorum, et appropinquaverunt usque ad portas mortis [19]. Ego dixi : In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi [20]. »

÷ 11. Vita delicata : « Intrate per angustam portam [21]. »

÷ 12. Vita religiosa, vel paupertas voluntaria, ut supra.

÷ 13. Pravi doctores : « Portas vultus ejus quis aperiet [22]? »

(1) *Paradiso.* Luc. XXIII, 43. — (2) *Carceris.* Jerem. XXXII, 8. — (3) *Servabantur.* Esth. II, 11. — (4) *Christus, vel fides. In psalmo* B-G. *Hæc porta* E. *Introibunt in eam* D, E. Hanc ῥῆσιν laudat Routh. *Reliq. sacr.* t. I, 216. — (5) *Eam.* Ps. CXVII, 20. — (6) *Virginis Mariæ, sive canon veteris testamenti. In Ezechiele* B-G. — (7) *Clausam.* Ezech. XLIV, 2. — (8) *Scripturæ sacræ, Apostoli, sive opera* B-G. T. *divinæ, vel apostoli* E. — (9) *Gloriæ.* Ps. XXIII, 9. — (10) *Corda hominum, sive aditus mentis a zabulo dudum obsitæ* [*a diabolo d. obessæ* D, E], *postea a Christo possessæ* B-E. *In Genes.* B-G *sive auditus* G. — (11) *Tuum, id est Christus* B, C, E, G. *Possidebit sanctus, id est Christus.* — (12) *Suorum.* Genes. XXII, 17. — (13) *Justitiæ.* Ps. CXVII, 19. — (14) *Sculptos.* Is. LIV, 12. — (15) *Eripiat.* Job V, 4. — (16) *Mihi.* Job XXIX, 7. — (17) *Porta.* Ezech. XL, 3. — (18) *Porta.* Ps. CXXVI, 5. — (19) *Mortis.* Ps. CVI, 18. — (20) *Inferi.* Is. XXXVIII, 10. — (21) *Portam.* Matt. VII, 13. — (22) *Aperiet.* Job XLI, 5.

÷ 14. Actiones pravæ, vel bonæ : « Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion [1]. »

÷ 15. *Portæ*, adversæ potestates tenebrarum : « Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis [2] ? »

5 ÷ 16. *Portæ inferni*, hæretici, vel opera iniquitatis. De quibus portis in Evangelio Dominus pro Ecclesia dicit : « Portæ inferni non prævalebunt adversus eam [3]. »

XXI.

1. Ostium, Christus : « Ego sum ostium : per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur [4]. » ÷ Et in psalmo : « Dominus custodiet introi-
10 tum tuum et exitum tuum usque in sæculum [5]. »

2. Desideria carnis [6] : « Tu autem quum orabis, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio super te, ora patrem tuum in abscondito [7]. »

3. Introitus [8] ad fidem vel religionem, vel inchoatio boni operis : « Et adducet eum ad ostium tabernaculi [9]. »

15 ÷ 4. Fides, seu visio Dei : « Et mensus est ostium contra ostium [10]. »

÷ 5. Initium cognitionis divinæ : « Elias operuit vultum suum pallio, et ingressus, stetit in ostio speluncæ [11]. »

÷ 6. Intellectus : « Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum [12]. »

20 ÷ 7. Exitus : « Quum egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs; aspiciebat terga ejus, et stabat unusquisque in ostio papilionis sui [13]. »

÷ 8. Discretum silentium : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis [14]. »

25 ÷ 9. Prædicatores : « Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat, quasi de vulva procedens [15] ? »

÷ 10. Claustra timoris divini : « Quis conclusit, ut supra. »

÷ 11. Virtutes : « Et posui ostia et vectes, et dixi : Huc usque venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos [16]. »

30 VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, *Carm.* vi, v. 2.
Sylvius, *de Nominibus Christi*, v. 6.
Nicetas, *Serm.* iii, p. 331.
Eucher., ed. I, p. 30; II, c. 768 b ad xx, 3; xxi, 3.
Gregorius M. Porta, Christus, sicut de

(1) *Sion.* Ps. ix, 15. — (2) *Mortis.* Job xxxviii, 17. —(3) *Eam.* Matt. xvi, 18.—(4) *Egredietur.* Joan. x, 9. *Egredietur* E, G. Addunt B-G. *Introitus, ingressus per fidem in Ecclesiam; egressus, per dissolutionem carnis ad contemplationem divinam* [*a contemplatione* D, E]. *In Evangelio : Et ingredietur, et regredietur* [*egredietur* E, G] *et pascua inveniet. In psalmo : Dominus* B-G. — (5) *Sæculum.* Ps. cxx, 8.— (6) *Cogitatio mentis, sive aditus* [*Auditus* E] *cordis. In Evangelio* B-G. — (7) *Abscondito.* Matt. vi, 6. *Clauso ostio, ora* E, G. — (8) *Ostium tabernaculi, præsens vita, sive introitus ad fidem, vel inchoatio bonorum operum. In Levitico* B-G. — (9) *Adducent* E, *tabernaculi, et ponet manum super caput hostiæ suæ* B-G. Levit. iv, 4. — (10) *Ostium.* Ezech. xl, 13. — (11) *Speluncæ.* III Reg. xix, 13. — (12) *Portarum.* Ezech. xl, 38. — (13) *Sui.* Exod. xxxiii, 8. — (14) *Labiis meis.* Ps. cxl, 3. — (15) *De vulva procedens.* Job xxxviii, 8.—(16) *Fluctus tuos.* Job xxxviii, 10.

sequacibus Judæorum per Eliphaz dicitur : « Conterentur in porta, etc. » Filii quippe hujus stulti populi, qui ante incarnationem Christi, corruerunt in porta, conterentur, dum in ipsa redemtionis præsentia, a divinitatis obsequio repulsi, ceciderunt. — Porta quidquid nobis aditum vel damnationis aperit, vel salutis. — Dies judicii, ut quod supra dictum est de reprobis : « Conterentur in porta, etc. » — Dies mortis, ut ibi : « Non confundetur i. p. » In hac porta ab inimicis obloquentibus non confundimur, si non habemus pro quo insultationes diabolicas vereamur.—Porta, actio bona; unde Job : « Quando procedebam ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi. » Porta enim civitatis bona actio dicitur, per quam ad conventum cœlestis regni exitur. — Doctores Ecclesiæ, cui dicitur per prophetam : « Ponam in jaspidem propugnacula tua, et portas tuas in lapides sculptos. » Sancti enim doctores, quia quod loquentes asserunt, viventes ostendunt, recte sculpti lapides memorantur.—Portæ, iniqui doctores, sicut de Leviathan ad beatum Job dicitur : « Portas vultus ejus quis aperiet? » Quasi dicat Dominus : nisi ego, qui magistros errorum perspicua cognitione manifesto. — Actiones bonæ, seu pravæ, ut ibi : « Qui exaltas me, etc. » — Potestates adversæ; unde Dominus ad Job : « Numquid apertæ tibi sunt portæ mortis? » Has autem portas Dominus aperuit, quando descendens ad inferos, eorum fortitudinem superavit. — Vel pravorum cogitationes mentes intellige, quæ se Deo aperiunt, quum reatus suos humiliter confitentur.

Ostium, Christus; unde ipse ait : « Ego s. o. » — Fides, seu visio Dei, ut ibi : « Mensus e. o. c. o., » quia per ostium fidei aperitur aditus visionis Dei. — Divinæ cognitionis initium, sicut de Elia dicitur : « Ingressus stetit i. o. s. » In ostio speluncæ stare, est, represso cordis nostri obstaculo, ad cognitionem veritatis exire. — Intellectus, ut ibi : « Et per singula gazophylacia, etc.; » id est intellectus in doctrina prædicantium. — Ostium papilionis, exitus carnis, in quo interim infirmus quilibet stat, ut vel inde vocem Moysis æterna gaudia prædicantis audiat. — Desideria carnis, ut ibi : « Intra in cubicula tua, claude ostia tua. » Cubicula ingredimur, et ostia claudimus, quum in secreto mentis positi, illicita desideria coercemus. — Sancti prædicatores, ut ibi : « Quis conclusit, etc. » Ostiis mare concluditur, quum prædicatores sancti persequentium tumoribus opponuntur. Vel ibidem, per ostia claustra divini timoris intellige. — Virtutes, ut ibi : « Posui vectes et ostia. » Quum enim electus quisque tentanti vitio virtute renititur, quasi mare intra ostia retinetur.

Fores, prima nascentis cogitationis initia, ut ibi : « Statim in foribus peccatum aderit. » Tunc enim pro foribus peccatum adest, quum ipsa cogitationum nostrarum initia suboriens culpa jam obsidet. Sed nos dominamur illius, si rationis imperio in meliora convertimus id, quod culpabiliter aggredi tractabamus.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 11, 13, 14, p. 566, 573.

Isidorus, *Etymol.* lib. vii, c. 2, n. 38.

Rabanus. Porta, Christus, ut : « Longe fient filii ejus a salute, conterentur in porta. » — Maria virgo, ut : « Porta hæc clausa erit, et non aperietur. » — Fides, ut : « Loquetur inimicis suis in porta. » — Opus justitiæ, ut : « Quando procedebam ad portam civitatis. » — Exitus vitæ, ut : « Oculos habuit ad portam [1]. » — Prædicator, ut : « Et portas tuas in lapides sculptos. » — Virtutes morales, ut : « Aperite m. p. j. » — Opera mala, ut : « Qui exaltas me d. p. m. » — Sensus quinque, ut : « Nolite inferre onera vestra per portas [2]. » — Consuetudo prava, ut : « Et contrivit portas æreas [3]. » — Doctrinæ hæreticorum, ut : « Portæ inferi n. p. a. e. » — Doctores iniqui, ut : « Portas v. e. q. a. » — Ultimum judicium, ut : « Nobilis in portis vir ejus [4]. »

(1) *Portam.* Ezech. xi, 1. — (2) *Portas.* II Esdr. xvii, 19. — (3) *Æreas.* Ps. cvi, 16. — (4) *Ejus.* Prov. xxxi, 23.

Ostium, Christus, ut : « Ego s. o. » — Foramen in latere Christi, ut : « Ostium lateris medii [1]. » — Ecclesia, ut : « Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis [2]. » 5 — Contemplatio, ut : « In visione Dei, juxta ostium interius. » — Os nostrum, ut : « Tacui, nec egressus sum ostium [3]. » — Intelligentia verbi, ut : « Jam ostium clausum est, et pueri mecum sunt [4]. » — Cor 10 auditorum, ut : « Ecce ego sto ad ostium, et pulso [5]. » — Prædicatores, ut : « Posui vectem et ostia. » — Dilectio Dei et proximi, ut : « Duo ostia de lignis abiegnis [6]. » — Desideria carnis, ut : « Quia non conclusit 15 ostia ventris [7]. » — Spiritus maligni, ut : « Ostia tenebrosa vidisti [8]. » — Cognitionis Dei initium, ut : « Stetit in ostio speluncæ. » — Exitus carnis, ut : « In ostio papilionis stabant. » — Virtutes, ut : « Posui vectes 20 et ostium. »

NOTKER. *Sequent.* XXXVII, v. 9.
PETRUS CANTOR.

Portæ.

Christus.	Doctrina Scripturæ sacræ.
25 Prophetæ.	Optima studia.
Apostoli.	

Porta { Contritionis. / Confessionis. / Bonæ operationis.

Portæ hominis sunt quinque sensus, quarum duæ principales sunt visus et auditus; 30 unde Sophonias : « A prima porta erit clamor [9], » a visu scilicet, quum mali, audito verbo aspero : « Surgite, mortui ! » exeuntes de sepulcris, viderint se esse damnatos. « Et a secunda, ululatus, » ab auditu, 35 audito scilicet verbo asperrimo : « Ite, maledicti ! »

Portæ inferi. { Hæretici, et eorum doctrina. / Mortis pravæ cupiditates. / Peccata, minæ, blanditiæ.

Portæ sunt in quibus est mors, ut dæmones et hæretici; — quæ sunt mors, ut vitia; — 40 per quas intrat mors, ut quinque sensus.

Portæ IX *in utraque Jerusalem.*

Vetus.	Equorum.
Fontis patriarcharum.	Sterquilinii.
Nebulosa.	Scutariorum.
Clausa.	Piscium.
	Vallis [10].

PETRUS CAPUANUS ad litt. XV, art. 67.

Cœli

Porta.	*Ostium.*
Ecclesia sancta.......	Christus.
Angeli regni.........	Gladius versatilis.
Virgo Maria..........	Sigillum virginale.
Judicium futurum..	Sententia finalis.

Ecclesiæ portæ.

Doctores ac præcipue	*Ostium.*
XII apostoli.........	Littera doctrinæ.
Sacramenta ecclesiastica.................	Fides.
Operatio bona.........	Charitas.
Virtutes................	Humilitas.

Portæ inferi.

Hæretici.	Sensus corporis.
Vitia et peccata.	Janua inferni.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Porta.*

Præceptum porta, si vis pateat tibi porta
Ducens ad vitam, vestemque Joseph polymitam.

Porta Christus est, sicut et ostium et via. Nam sine eo, id est nisi per eum, nemo venit ad Patrem, id est æternæ patriæ hæreditatem. De hac est illud propheticum, ex voce Ecclesiæ conversæ degentibus, seu cujuslibet animæ noviter conversæ ad Dominum : « Aperite, etc., » id est, exponite mihi sacramenta et mysteria sacræ Scripturæ, quæ sunt portæ justitiæ, quia per eas dinoscitur vera justitia; « et ingressus in eas » per spiritualem intellectum, « confitebor Domino, » id est, laudabo Dominum. « Hæc porta Domini, » id est Dominus Jesus Christus, et

(1) *Medii.* III Reg. VI, 8.—(2) *Cedrinis.* Cant. VIII, 9. — (3) *Ostium.* Job XXXI, 34. — (4) *Sunt.* Luc. XI, 7. —(5) *Pulso.* Apoc. III, 20.—(6) *Abiegnis.* III Reg. VI, 34. — (7) *Ventris.* Job III, 10. — (8) *Vidisti.* Job XXXVIII, 17. — (9) *Clamor.* Sophon. I, 10. — (10) *Vallis.* Placuit sane, dum bella sacra per occidentem fervèrent, hujus modi expositio, quam alias certe edemus.

« justi intrabunt in eam, » quia soli justi audituri sunt : « Venite, benedicti Patris mei [1]. »

Porta est gloriosa Dei genitrix et immaculata Virgo Maria, de qua dicit Dominus per Ezechielem : « Porta hæc, etc. » Porta clausa est beata Maria Virgo : porta, quia mater; clausa, quia virgo; porta clausa, quia mater et virgo. Porta, inquam, est, quia Christum peperit; clausa est, quia virum nescivit; porta igitur clausa, quia puerpera et pura, fecunda et integra. Mirarisne, lector, portam clausam? Magis mirare viam inviam. Unde est illud in sequentia :

Florens hortus, austro flante,
Porta clausa post et ante,
Via viris invia.

De hac porta dicitur, immo ipsi dicitur [2] :

Tu regis alti janua,
Et porta lucis fulgida.

Et iterum :

Paradisi porta,
Per quam lux est orta,
Natum tuum ora
Ut nos solvat a peccatis, etc.

De hac porta ait quidam eleganter, dicens :

Porta salutis, ave, per te patet exitus a væ.
Venit ab Eva væ; quod quia tollis, ave!

Et alius quidam :

Nos, o porta Dei, nostræ portus requiei,
Nostræ stella spei, rutilans aurora diei,
De luna fidei duc ad solem speciei,
Ut sit visa Dei nostræ facies faciei.

Portæ filiæ Sion sunt virtutes, sicut portæ mortis sunt vitia. — Inferi sunt hæretici, seu mali prælati et principes, per quos sequaces eorum intrant in infernum. Non soli tales pereunt, quia

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Portæ apostoli sunt, quorum linguæ claves cœli factæ sunt, quia per eorum verba et exempla patet nobis ingressus regni cœlestis. De his portis scriptum est in Apocalypsi, ubi beatus Joannes dicit vidisse se civitatem, «cujus erant portæ duodecim [3].» — Mors etiam porta est bonis ad regnum, malis ad supplicium : hæc est enim porta ferrea, quæ ducit ad civitatem, id est stabilem mansionem, sive consolativam, sive cruciativam [4]. — Item portæ Sion sunt timor bene humilians et amor bene exaltans; portæ mortis, timor malus et amor malus. Verba sunt magistri Petri Remensis [5].

IBIDEM, *de Ostio.*

Ostium [6].

Christus.	Bona exempla [7].
Sacra Scriptura.	Os nostrum.
Liberum arbitrium.	Intelligentia verbi divini.
Fides.	
Oris custodia.	

HERMANNUS WERDINENSIS.

I. *Hortus deliciar.*, lib. I, v. 390-399.

Turbarum capita, portas urbisque replendo,
Libera vox clamat, verba salutis habens.
Turbarum capita mundi dicit esse potentes,
Sublimes mundi quos honor esse facit.
Ad tales Christus clamat : Purgate reatum,
Festinat judex cœlicus, estque prope.
Est prope compunctis quum dignatur miseris,
Ostia quum pulsat, ut luat acta malus.
Ergo cave, gladium qui sumis materialem,
Ne gladio verbi te secet ira Dei.

II. *Ibid.*, v. 400-408.

Urbs est Ecclesia, variæ collectio gentis;
Hujus discipulos dicimus esse fores.
Ergo fores in eis Christus, quia prædicat, omnes
In se credentes ad sua regna trahens.
Vel dic esse fores has majores Synagogæ,
Quas lustrat, fidei justitiæque jubar.
Sic age qui gladium sumsisti spiritualem,
Ne gladio pereas qui stat in ore Dei.

(1) *Mei.* Matt. XXV, 34. — (2) *Dicitur.* Brev. Rom. ad laud. in off. de B. M. V. — (3) *Duodecim.* Apoc. XXI, 12. — (4) *Cruciativam.* Abit auctor in fusiorem expositionem Exod. XXXII, 26, nec a *Glossa ordinaria* recedit. — (5) *Petrus* ille Remensis idem videtur cum *Cantore* nostro, qui interdum hoc nomine insignitur. — (6) *Ostium.* Quæ omisimus, ea sunt fere verba sacra jam satis expressa in eodem hoc artic. — (7) *Exempla.* Multa ibi congesta de cedrinis tabulis et odoribus; hæc vide in tom. præcedenti ad *Cedrum.* Obiter invehitur Noster in hypocritas; ita tales, inquit, ita delectant

Ut lippum pictæ tabulæ, fomenta podagrum,
Auriculas citharæ collecta sorde dolentes

Sed ego, juxta Ismenium, mihi et meis canori (cod. *canosi*) aures sunt surdæ cæterorum. » Satis non videbam quid sibi vellet locus iste luxatissimus, nec ullo quem sciam consimili loco illustratus.

XXII.

÷ 1. LIMINA, patres antiqui : « Et mensus est limen portæ juxta vestibulum portæ intrinsecus calamo uno [1]. »

÷ 2. Scriptura, vel unusquisque prædicator : « Ipsa quoque duo limina habet interius et exterius [2]. »

XXIII.

5 ÷ SUPERLIMINARE [mentis intentio], quæ proeminet actioni, vel frons corporis : « Et sument de sanguine agni, et ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum in quibus comedent illum [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

GREGORIUS M. Limen, patres novi testa- 10 menti, ut ibi : « Et mensus est, etc. » Calamus autem sex cubitis et palmo tenditur, quia videlicet, in doctrina Patrum, et summa perfectæ operationis, et initium supernæ contemplationis invenitur.

15 Superliminare, mentis intentio, quæ, quasi portæ [superliminare], supereminet actioni; unde per Moysen dicitur : « Sument de sanguine agni, etc. » Sic et qui fronti signum crucis imprimit, superlimi- 20 nare suum agni sanguine munit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 12, p. 570, 571.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Limen, cœtus patrum veteris testamenti, ut : « Mensus est, etc. » — Fides, ut : « Manus Dagon abscissæ sunt super limen [4]. »

Superliminare, intentio cordis, ut : « In superliminaribus domorum. »

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in Exod., § XVI.

Israelitarum illiniuntur sanguine postes,
Ne angelus ille malus credentes lædere possit;
Imprimiturque crucis signum sub fronte fideli,
Ne interitu æterno damnentur justi ut iniqui.
Non abs re pueri frons tingitur : absque pudore
Confiteatur eum quem Judæi cruciarunt;
Pectus, ut absque fide ne credat debita credi;
Unguntur scapulæ, ut Jesus actus imitetur.

XXIV.

1. FENESTRÆ, sensus [5] : « Intravit mors per fenestras [6]. »

25 2. Affectus : « Et ipse stat post parietem, respiciens per fenestras [7], prospiciens per cancellos [8]. »

3. Cogitatio, vel mentis intentio [9] : « Vox cantantis in fenestra; corvus in superliminaribus ejus [10]. »

÷ 4. Prælati : « Terra usque ad fenestras, et fenestræ clausæ [11]. »

30 ÷ 5. Mentes contemplativæ : « Et fecit fenestras obliquas in thalamis [12]. »

(1) *Uno.* Ezech. XL, 6. — (2) *Exterius.* Non legitur in Vulg. — (3) *Illum.* Exod. XII, 7. — (4) *Limen.* I Reg. V, 4. — (5) *Fenestræ, visus, auditus, odoratus, et cæteri sensus carnis* B-G. — (6) *Fenestras.* Jerem. IX, 21.—(7) *Auditus fidei, vel cordis intellectus, in Cantico canticorum : Ecce* B-G. — (8) *Cancellos.* Cant. II, 9.—(9) *Cogitatio cordis, vel ipsa mentis intentio. In Sophonia* B-G. — (10) *Ejus.* Sophon. V, 14. — (11) *Clausæ.* Ezech. XLI, 16. — (12) *Thalamis.* Ezech. XL, 16.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 31; ed. II, col. 768 c, ad 2.

GREGORIUS M. Fenestræ, prælati Ecclesiæ; unde Ezechiel: « Terra usque ad fenestras, et fenestræ clausæ, » quia nimirum, quum terrena cogitatio in sacerdotibus crescit, fenestræ lumen non fundunt, quia ipsi sacerdotes ab officio prædicationis obmutescunt. — Sensus corporis; unde Jeremias: « Ascendit mors per fenestras nostras. » E contra de justis dicitur quod sunt « sicut columbæ ad fenestras suas [1]; » qui per exteriores sensus corporis non respiciunt intentionem rapacitatis, sed simplicitatem piæ considerationis. — Mentes contemplativæ; unde Ezechiel: « Fecit, inquit, fenestras in thalamis obliquis. » In fenestris autem obliquis pars exterior quæ lumen recipit, angusta est, pars vero interior dilatatur; quia nimirum mentes contemplativæ, quamvis parum aliquid de vero lumine videant in semet ipsis, tamen magna amplitudine dilatantur.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XIII, c. 15, p. 577.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Cor hominis, ut: « Appendit Raab funem in fenestra [2]. » — Fides, ut: « Aperi fenestram orientalem [3]. » — Miracula Christi, ut: « Prospiciens per fenestras [4]. » — Doctores Ecclesiæ, ut: « Fecit Salomon fenestras in templo [5]. » — Internæ cogitationes, ut: « Daniel orabat, apertis fenestris [6]. » — Internæ contemplationes, ut: « Fecit fenestras obliquas in thalamo. » — Sensus corporis, ut: « Quasi columbæ ad fenestras suas. »

PETRUS CAPUANUS ad litter. VI, art. 64. Fenestra salvans duplex: scilicet ipse Christus, qui est fenestra arcæ, vel etiam mundi hujus; et fenestra lateris ejus. Raab, quæ est gentilis Ecclesia, per funem coccineum de fenestra pendentem, salvatur, id est, per hoc quod credit sanguinem fluxisse de fenestra lateris ejus. — Fenestra illuminans duplex est, scilicet, apostoli. Canticum: « Et ipse stat, etc. » Per hos namque aspexit et aspicit ipse Deus mundum. Fenestræ etiam illuminantes dicuntur prædicatores. — Fenestra illuminata dicitur anima. Et fenestra obliquata mente potest intelligi anima cauta, quæ scilicet lumen recipit, forem excludit. Regum: « Fecitque in templo fenestras obliquas. » — Fenestræ obscurantes sunt quinque sensus nostri, per quos obscuritas et mors intrat in animam nostram.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genes., v. 916-923.

Tradit Judæi scriptura quod ad latus arcæ
  Crystallina fuit facta fenestra decens.
Hic socer exprimit cruor ejus cujus apertum
  Dura fenestravit militis hasta latus.
Discute crystalli vires: parit illa micantes
  Scintillas soli subdita, rore madens.
Sic Patri, vero soli, dum Christus obedit,
  Illustrat mundum sanguinis imbre sui.

II. In Josue, v. 80-91.

Quum totam Jericho rapiat subversio, cocco
  Tuta, nihil damni pertulit una Raab:
Quum totum mundum rapiant incendia, soli
  Ecclesiæ Christi sanguine vita datur.
Funis coccineus hærens, pendensque fenestræ,
  Servat ab hoste Raab, resque genusque suum:
Ecclesiam salvat roseus cruor in cruce fusus,
  Quem mundo lateris sacra fenestra pluit.
Sive fenestra potest oris confessio dici,
  Qua vivi Christi morte redemtus homo.
Extra tecta Raab nemo mortem fugit: extra
  Ecclesiam nulli vita salusque datur.

(1) *Suas*. Is. LX, 8. — (2) *Fenestra*. Jos. II, 21. — (3) *Orientalem*. IV Reg. XIII, 17. — (4) *Fenestras*. II Reg. VI, 16. — (5) *Templo*. III Reg. VI, 4. — (6) *Fenestris*. Dan. VI, 10.

XXV.

÷ 1. Gradus [1], spiritualis ascensus. In psalmorum titulo : « Canticum graduum. »

÷ 2. *Gradus eburnei*, antiquorum patrum exempla. In psalmo : « A gradibus eburneis, ex quibus te delectabunt [2]. »

5 ### VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Gressus, cogitationum motus, ut ibi : « Oculi ejus super eos, omnes gressus eorum considerat [3]. »

Rabanus. Gradus, profectus hominis, 10 ut : « Populus stabat in gressu suo [4]. » — Virtutes spirituales, ut : « Per singulos gradus pronuntiabo eam [5]. » — Dona Spiritus sancti, ut : « In septem gradibus ascensus portæ [6]. »

15 Petrus Capuanus. Gradus intelliguntur spirituales ascensus. Sed leguntur gradus in templo, gradus in Salomonis throno, gradus in psalmo. In templo leguntur fuisse quindecim; in throno Salomonis fuerunt sex; 20 in psalmo, sicut in templo, quindecim. In templo fuerunt gradus virtutum; in throno, gradus bonorum operum; in psalmo, gradus scientiæ et cognitionum. Post quindecim namque gradus intratur in templum, quia 25 per ascensum virtutum intratur ad gloriam. Psalmus : « Ascensiones in corde suo disposuit [7]. » In throno fuerunt sex gradus; ad thronum enim Dei qui desiderat ascendere, oportet eum per sex gradus, id est per opera 30 misericordiæ, illuc ascendere. Illa autem sunt quæ enumerantur in Evangelio : « Esurivi, et dedistis mihi manducare [8], etc. » Senarius namque qui perfectus est numerus, perfectionem denotat operum. Quindecim 35 gradus numerantur in psalmo, quibus ascensis itaque et finitis, cantatur alleluia, quia post cognitionem utriusque testamenti vera laus potest Domino decantari. Quindenarius namque constat principaliter ex octonario 40 et septenario : septenarius autem ad vetus testamentum, octonarius ad novum, certis ex causis, merito referuntur; unde et Salomon ait : « Da partes septem, nec non et octo [9], » id est, vive secundum doctrinam utriusque testamenti.

Petrus de Riga.

Aurora, in iv Reg., v. 314-347.

Hoc in regis Achab horologio fuit actum,
 Perque gradus denos umbra reversa fuit...
Porro figurarum Christi vetus umbra per illos
 Descendisse gradus fertur ad ima soli :
Christus, justitiæ sol, ascendisse per ipsos,
 Postquam surrexit, fertur ad astra poli.
Quum Deus alloquitur Jacob, velut angelus illic
 Descendens Deus est : fit prior iste gradus.
Post hoc descendit Deus, exstitit in patriarchis,
 Illos multiplicans : sit gradus ille sequens.
Quam Moysi tribuit, Deus est in lege loquutus :
 Dicitur et merito tertius iste gradus.
In Josue quartus, per quem perduxit Hebræos,
 Et divisit eis debita regna Deus.
Est in Judicibus quintus, summus quia judex
 Judicium per eos, consiliumque dabat.
Post in Regibus est sextus, quia rexit Hebræos
 Ipse per hos reges, regia jura docens.
Septimus in vobis, sancti justique prophetæ,
 Per quos prædictus fulsit in orbe Deus.
Est in præsulibus octavus; namque sacerdos
 Ipse sacerdotes pontificesque dedit.
Quum Deus assumens carnem descendit in alvum
 Virgineam, nonus dicitur esse gradus.
Post tormenta crucis, faciens ad tartara Christus
 Descensum, decimum monstrat adesse gradum.
Sic quasi per legis umbram veniendo per istos,
 Huc descendisti, Christe benigne, gradus.
Ac iterum sicut sol justitiæ per eosdem
 Ut surrexisti, scandis ad alta poli.
Sic umbram veterem veri fulgore serenans,
 Oris clave tui clausa patere facis.

(1) *Gradus*. Dist. deest in E. — (2) *Delectabunt*. Ps. xliv, 9. Ita codd. B-D ex ant. vers. *Delectaverunt* E. — (3) *Considerat*. Job xxxiv, 21. — (4) *Suo*. Nehem. viii, 7. — (5) *Eam*. Job xxxi, 37. — (6) *Portæ*. Ezech. xl, 6. — (7) *Disposuit*. Ps. lxxxiii, 6. — (8) *Manducare*. Matt. xxv, 35. — (9) *Octo*. Eccle. xi, 2.

XXVI.

÷ 1. SERÆ, repagula divinorum præceptorum adversus impios. In psalmo : « Quoniam confortavit seras portarum tuarum [1]. »

2. *Seræ*, columnæ interjectæ [*vid. infra*].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

5 PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 67. Sera ad litteram firmatur ostium, ut tuta sit domus, nec pateat aditus extraneis vel hostibus, neve intrinsecus foris exeat amicus. Sunt autem seræ Ecclesiæ, et seræ ani-10 mæ. Seræ Ecclesiæ sunt repagula et obstacula contra hostes. Psalmus : « Quoniam, etc. » Hæ seræ præcipue erunt confractæ, quando fatuis virginibus claudetur janua. His etiam seris confortatis, de intrinsecus 15 foras non exibit amicus. Nonne hunc exitum amicorum fieri non posse asseruit Abraham, quum ait : « Chaos magnum firmatum est inter nos et vos [2]? » — Seræ fidelis animæ sunt obstacula aurium contra verba perniciosa, ne illa scilicet audiamus, et intrent animam nostram ; et etiam cæterorum sensuum clausura, ne mors intret per fenestras sensuum nostrorum. Ecclesiasticus : « Ori tuo fac ostia, et seras auribus tuis [3]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangel., v. 2759-2764.

Virginibus fatuis signantur corpore casto,
  Sed non corde, quibus gloria vana placet ;
Quæ non intus habent oleum pietatis, amoris,
  Exemplive boni, sed cor inane gerunt :
Tales non audit cœlestis janua ; pulsant
  Sero seras ; sterili cum prece vota serunt.

XXVII.

÷ 1. CLAVIS, adapertio spiritualis. In Evangelio : « Accepistis clavem scientiæ ; 20 ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis [4]. »

÷ 2. Item claves justitiæ, misericordiæ pietatisque virtutes. In Evangelio : « Tibi dabo claves regni cœlorum [5]. »

÷ 3. Clavis, apertio sacrarum [6] Scripturarum, vel potestas ligandi atque solvendi, seu jus [7] introducendi ad vitam, sive excludendi ad mortem : sicut per 25 Isaiam de Salvatore dicitur : « Dabo clavem domus David super humeros ejus, et aperiet, et non est qui claudat [8]. » Et in Apocalypsi : « Habeo claves mortis et inferorum [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 25, 27 ; ed. II, col. 30 763 A, ad 2, 3.

ALANUS [10] *bis*. Clavis proprie dicitur instrumentum illud ferreum quo aperitur arca, habens ex una parte annulum, quo mediante dependet ad zonam cum corrigia, et ex alia parte brachia, quibus comprehendit seram. — Scientia ; unde in Evangelio : « Væ vobis, scribæ et pharisæi, qui habetis clavem scientiæ, nec intratis, nec alios in-

(1) *Tuarum*. Ps. CXLVII, 13. — (2) *Vos*. Luc. XVI, 26. — (3) *Tuis*. Eccli. XXVIII, 28. — (4) *Prohibuistis*. Luc. XI, 52. — (5) *Cœlorum*. Matt. XVI, 19. — (6) *Sanctarum* E. — (7) *Hujus* D. — (8) *Claudat*. XXII, 22. — (9) *Inferorum*. Apoc. I, 8. — (10) ALANUS. Clavis Melitonianæ editori parcere lector velit, dum huic articulo adornando liberius indulgens, Doctorem *Universalem* jam rite dimissum, rursus in scenam profero.

trare permittitis. » — Potestas ligandi et solvendi, et discernendi inter lepram et lepram, et inter peccatum et peccatum; unde Christus ait Petro et ejus sequacibus : « Tibi, » et tuis vicariis, « dabo claves regni cœlorum. » — Christus; unde in Apocalypsi : « Hæc dicit Sanctus et Verus qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit [1]. » Clavis David ideo dicitur Christus, quia a David linea propaginem ducit; quia librum David variis obscuritatibus signatum aperuit; quia in David materialiter gesta, in se spiritualiter complevit; quia humanam naturam, in David peccato clausam, in se per gratiam aperuit; quia Virginem clausit, quum de utero ipsius prodiit; quia librum septem signaculis involutum, quem clauserat, reseravit, dum in forma hominis septem nostræ patravit sacramenta redemtionis; quia qui januam cœli clauserat, solus aperuit; quia ligatos vinculo peccati, quum confitentur, absolvit; quia se librum claudit sapientibus, et revelat humilibus; quia corda hominum claudit et aperit. Aperit etenim corda ad intelligentiam fidei; aperit ora ad prædicationem verbi Dei; aperit intellectus Scripturarum; aperit naturas rerum; aperit sensum ad cognitionem; aperit affectum ad dilectionem; aperit linguas doctorum ad docendum; aperit corda populorum ad credendum; aperit intellectum ad Scripturarum cognitionem; aperit os ad earum prædicationem; aperit corda audientium ad fidei susceptionem.

Petrus Capuanus, ad litt. iii, art. 58. Clavis cœlestis regni. Evangelium : « Et tibi dabo c. r. c. » — Clavis doctrinæ, reseratio scilicet Scripturarum. Evangelium : « Væ vobis, scribæ et pharisæi, etc. » — Clavis redemtionis nostræ ipse Christus. Apocalypsis : « Hæc dicit qui tenet clavem David. »

Prima clavi aperit vel claudit prælatus; secunda, prædicator; tertia, solus Christus. Per primam occluditur aditus diabolo; per secundam, aditus errori et falsitati; per tertiam, aditus inferno.

Hæc clavis redemtionis nostræ facta est e carne Virginis, unde assumsit primitias massæ nostræ. Nonne caro Virginis fuit materia hujus clavis, quando in semine Abrahæ benedictæ sunt gentes? Nonne in fornace uteri virginalis fuit fabricata hæc clavis manu Spiritus sancti, quando, quum quæsivisset Virgo de modo hanc clavem fabricandi, respondit Gabriel : « Spiritus sanctus superveniet in te [2]? » Ignis accensus ad fabricandam hanc clavem, fuit ardor vel vehementia dilectionis divinæ. Paulus : « Adeo dilexit Deus mundum, ut Filium suum unigenitum daret [3]. » Nonne in hunc ignem multum flavit umbraculum Spiritus sancti, quando in Virgine superveniens, omnem in eo fomitem exstinxit, et rubiginem removit, ita quod Filius Dei ingressus est ejus uterum sine macula? Mallei quibus producta est hæc clavis, fuerunt tunsiones persequutionum et tribulationum. Incus super quam fuit tunsa et producta, ipsa crux. Psalmus : « Dinumeraverunt ossa mea [4], » et numerabilia fecerunt, extendendo in cruce. Forcipes quibus tenebatur, fuerunt duo testamenta, quæ Christum annuntiabant. Lima qua depurgata fuit hæc clavis ab omni etiam pœnalitate, fuit gloria immortalitatis, quando Christus resurgens a mortuis, jam non moritur. Stylus hujus clavis terminatus ad annulum, fuit ejus humanitas. In symbolo [5] : Minor Patre secundum humanitatem. Annulus huic stylo vel lineæ conjunctus, fuit divinitas, quæ caret principio et fine. Nonne ipse erat A et Ω, primus et novissimus, principium et finis? Hac clave apertæ sunt portæ abyssi ferreæ, quando contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit. Hac clave reseratæ sunt januæ cœli, quando ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem. Hac clave amota est romphæa a paradiso deliciarum, quando, postquam introivit semel in sancta, æterna redemtione inventa, ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ.

Anonymus Clarevallensis. Clavis dicta

(1) *Claudit.* Apoc. iii, 7. — (2) *Te.* Luc. i, 35. — (3) *Daret.* Joan. iii, 16. Æstu orationis abreptus, Paulum pro Joanne Capuanus scripsit. — (4) *Mea.* Ps. xxi, 18. — (5) *Symbolo*, Athanasii utique.

quod claudat et aperiat; modica est, magnam evolvit seram; interrasilis; ostium aperit et claudit; in modico loco continetur; in bursa includitur, vel ad zonam portatur; sub sigillo custoditur; strepitum facit quum aperit; pretiosa custodit; bene noto et domestico traditur; vilis et abjecta, sed magna operatur.

Clavis.

Christus.	Inclusio cordis impii.
Apertio sacræ Scripturæ.	Potestas doctorum.

FULCOIUS.

SPIRITUS. *De reseratione inferni*, in lib. VI.

Rex leo, rex agnus surgit: cæditur agnus;
Spiritus exivit, modicum caro pace quievit.
Mors fugit ante Deum, nec curat victa trophæum;
Instat rex fortis; confringit et ostia mortis.
Omnia sole micant, nec habent quid tartara dicant,
Quum manes erebi terebrantur lumine phœbi:
Tartareus victus tremit in sua regna tyrannus.
Vincula torpescunt; ubi pax est, cuncta quiescunt.
Et velut antiquus dolet hostis, gaudet amicus,
Vocibus exsultant sancti, tenebræque resultant:
« Exspectate, venis, nec post stata tempora fallis,
« Spes desperatis, solatio sola ligatis.
« Christe, quod ardebant, tu quod lamenta petebant,
« Succurris pœnis perplexis atque catenis.
« Pande sepulcra, leo; duc tecum, digna trophæo,
« Quam desponsasti, Sion, quam morte parasti.
« Vivus in æternum, denudas, victor, avernum.
« Orna jam sedem spoliis, rex ætheris, ædem.
« Surge, caro, jam diva caro, cum numine charo,
« Scande poli jam templa, caro, cum fœdere claro.
« Te sacer ipse pater, te cogit, et æthera confert,
« Quo super ire jubes, tibi cedent sidera, nubes, etc.

XXVIII.

1. COLUMNÆ, angelicæ virtutes vel prædicatores [1]: « Petrus et Jacobus et Joannes qui videbantur columnæ esse [2]. » ÷ « Columnæ cœli contremiscunt et pavent ad nutum ejus [3]. »

÷ 2. Fortes contra diaboli tentationes: « Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei [4]. »

÷ 3. Evangelistæ: « Facies columnas quatuor, et bases earum vesties argento [5]. »

÷ 4. Virtutes, ut supra.

XXIX.

1. BASES COLUMNARUM, prophetæ [6], ÷ Virtutes sanctorum vel intentiones, ut supra [7].

÷ 2. Doctores: « Super quo bases illius solidatæ sunt [8]? »

÷ 3. Scripturæ: « Crura illius, columnæ marmoreæ [9]. »

XXX.

÷ CAPUT COLUMNARUM, Christus. In Apostolo: « Caput viri Christus [10]. »

XXXI.

÷ SERÆ, columnæ interjectæ, concordia prædicationis [11]. In Exodo.

(1) *Columnæ tabernaculi, doctores Ecclesiæ. In Apostolo: Jacobus et Joannes et Cephas* B-G. — (2) *Esse.* Galat. II, 9. — (3) *Ejus.* Job XXVI, 11. — (4) *Mei.* Apoc. III, 12. — (5) *Argento.* Exod. XXXVI, 36. — (6) *Libri legis et prophetarum* B-G. (7) *Supra.* Exod. *ib. passim.* — (8) *Sunt.* Job XXXVIII, 6. — (9) *Marmoreæ.* Cant. V, 15. Forsan extra locum exsulat illa distinctio, referenda, ut videtur, ad art. præcedentem. Eodem tamen in loco est apud Rabanum. — (10) *Christus.* I Cor. XI, 3. — (11) *Peregrinationis* B-G. Ad quem Exodi locum respiciatur, non liquet. Nihil habet Vulgata de hujusmodi *seris*, aut columnis interjectis.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 31; ed. ii, col. ad xxiv, 2.

Gregorius M. Columnæ, sancti evangelistæ, sicut ad Moysen dicitur : « Facies columnas, etc. » Bases argento vestitæ quatuor columnas tabernaculi sustinent, quia prædicatores Ecclesiæ, divino eloquio decorati, quatuor evangelistarum dicta et verbis et operibus repræsentant.

Bases, prophetæ, quia, dum temporis ordine apostolos Christi, in sacri ædificii constructione, præveniunt, quasi bases sub columnis constituuntur. —Intentiones animæ, quia vita interior virtutibus, quasi columnis, innititur ; virtutes vero in intentionibus, quasi columnæ in basibus, collocantur.

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, lib. xiii, c. 16, 17, p. 579, 580.

Rabanus. Columnæ, divinitas Christi, ut : « Præcessit eos in columna ignis [1]. » —Humanitas Christi, ut : « In columna nubis per diem [2]. » — Humilis prædicatio Christi, ut : « In columna nubis loquebatur ad eos [3]. — Angeli, ut : « Columnæ cœli contremiscent. » — Apostoli, ut : « Jacobus, etc. » — Prædicatores, ut : « Facies duodecim columnas cum totidem basibus [4]. » — Actiones Christi, ut : « Crura illius columnæ marmoreæ. » —Scripturæ sacræ, ut : « Columnas fecit argenteas [5]. » — Rectitudo fidei et vitæ, ut : « Statuit duas columnas [6]. — Virtutes mentis, ut : « Ego confirmavi columnas ejus [7]. » — Principes Judæorum, ut : « Columnæ terræ concutientur [8]. » — Vir sanctus, ut : « Qui vicerit, faciam eum columnam in templo meo. »

Bases, consilia diversa, ut : « Crura ejus, s. c. m. — Apostoli, ut : « Super quo b. t. s. s. » — Prædicatores Evangelii, ut : « Facies columnas, et bases ejus vesties argento. » — Patres veteris testamenti, ut : « Tabulæ basibus argenteis imponentur [9]. »

Capitella, duo testamenta, ut : « Duo capitella super capita columnarum [10]. »

Petrus Cantor. Columnæ comparatur Christus, propter fortitudinem ; unde : « Quum fortis armatus custodierit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Si autem fortior eo supervenerit, vasa sua diripiet [11]. » — Propter decorem ; unde : « Speciosus forma præ filiis hominum [12]. » — Propter altitudinem ; unde : « Qui de terra est, de terra loquitur, et qui de cœlo venit, super omnes est [13]. » —Propter directionem ; ut : « Et omnia quæcumque faciet, semper prosperabuntur [14]. » Et in Salomone : « Recta est via ejus, et callis ejus directior [15]. »

Petrus Capuanus, ad litt. iii, art. 60.

Columnæ

Cœli.	*Terræ.*
Christus.	Ecclesia.
Dona Spiritus sancti.	Apostoli.
Angeli.	Doctores.

Christus autem dicitur columna nubis per diem, et ignis per noctem ; nubis, propter humanitatem, ignis propter divinitatem. Nam de ejus humanitate dicitur in Isaia : « Dominus ascendit super nubem levem [16] ; » et de divinitate in Paulo : « Deus noster ignis consumens est [17]. » Hæc columna præcedebat populum Israel tendentem ad terram promissionis, quia et christianum populum, tendentem ad terram hæreditatis æternæ, Christus sua passione præcessit.

Circa columnam autem tria considerantur, scilicet basis supposita, stylus erectus,

(1) *Ignis.* Exod. xiii, 21. — (2) *Diem.* Ib. 11. — (3) *Eos.* Ps. xcviii, 7. — (4) *Basibus.* Exod. xxvii, 10. — (5) *Argenteas.* Cant. iii, 10. — (6) *Columnas.* III Reg. vii, 21. — (7) *Ejus.* Ps. lxxiv, 4. — (8) *Concutientur.* Job ix, 6. — (9) *Imponentur.* Eccli. xxvi, 23.—(10) *Columnarum.* III Reg. vii, 16.—(11) *Diripiet.* Luc. li, 21. — (12) *Hominum.* Ps. xliv, 3. — (13) *Est.* Joan. iii, 31. — (14) *Prosperabuntur.* Ps. i, 4. — (15) *Directior.* An potius Is. xxvi, 27? — (16) *Levem.* Is. xix, 1. — (17) *Est.* Hebr. xii, 29.

epistylium supremum. Hæc tria circa columnam nostram immobilem possumus invenire. Basis namque ad pedem columnæ ipsius efficitur, hæc est caro ipsius Christi. 5 Ipsa namque caro quasi basis et scabellum ejus exstitit. Psalmus : « Adorate scabellum pedum ejus [1]. » Epistylium, quod est caput columnæ, intelligitur divinitas in Christo, quæ fuit caput humanitatis. Canticum : 10 « Caput dilecti mei, sicut aurum optimum [2]. » Stylus autem rectus intelligitur anima Christi. Sicut enim in stylo columnæ junguntur basis et epistylium, sic in anima Christi, et per eam, juncta est divinitas 15 carni; neque poterat carni divinitas uniri, nisi mediante anima rationali. De hoc stylo dicitur in symbolo nostræ fidei : Ex anima rationali et humana carne subsistens. In ipsa autem columna quatuor principaliter 20 attenduntur : scilicet, rectitudo, firmitas, planities sive politio, et rotunditas. Hæc autem in columna nostra immobili, si diligenter attendimus, possumus invenire, etc.

Anonymus Clarevallensis. Columnæ pro 25 longitudine et rotunditate vocatæ, in quibus totius fabricæ pondus erigitur. Columna capitellum habet et basim; ædificium sustinet; fortis est, alta, directa, gracilis, rigida, decora, plana, polita, sculpta, depicta; de diverso genere lapidum et pretioso fit.

Columna.

Divinitas Christi.	Scripturæ sacræ.
Humanitas.	Virtutes mentis.
Angeli.	Vir sanctus.
Prædicatores.	

Petrus Episcopus.

Bennoni, in Exod., § xxxix.

Scriptores Evangelii sunt rite columnæ :
Quatuor hos monstrant petra fidei solidatos;
Hæ sunt de argento luce eloquii radiantes.
Sunt bases harum dicti ratione prophetæ,
Structuram Ecclesiæ qui a longo tempore portant.
Hoc supra fundamentum Ecclesiam ædificarunt,
Atque fidem firmaverunt Evangeliorum.
Esse columnarum caput auri, credimus illum
Quem caput esse viri declarat epistola Pauli.
Conjunctim binæ bases tabulis subiguntur,
Dum de incarnato concordavere prophetæ,
Ecclesiam solidant qui post venere magistri.

XXXII.

Cortinæ tabernaculi, multitudo fidelium, fidei funibus atque Scripturarum præceptis suspensa.

XXXIII.

Ansulæ cortinarum, *hyacinthinæ*, cœlestia præcepta, ubi et supra.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Cortina, vir sanctus, ut : « Longitudo 30 cortinæ habebat triginta cubitos [3]. »

Anonymus Clarevallensis. Cortina de diversis filis intexitur, variis floribus insignitur, historias continet, templum vel domum ornat.

35 Cortinæ, fidelium mentes; unde : « Facies decem cortinas de bysso retorta et hyacintho [4]. »

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in Exod., v. 1255-1290.

Dena tabernaculum cortina decore venustat
  Ecclesiam regio dena nitere facit.
Namque tot acquirunt regi regum regiones
  Discipuli, quorum rugiit orbe sonus.
Intextus lapidum multorum stamine, sanctam
  Ecclesiam paries construit, ornat, agit.
Sic et cortinis, multiplicis agmine fili
  Dispositis, ædes illa parata fuit

(1) *Ejus.* Ps. xcviii, 15. — (2) *Optimum.* Cant. v, 11. — (3) *Cubitos.* Exod. xxvi, 2. — (4) *Hyacintho.* Ib. 1.

Mutuus hinc nexus cortinas quinque maritat,
Quinque manent aliæ sub ratione pari.
Pars hæc Judæos, gentes pars illa figurat,
Hos tamen aut illas copulat una fides.
5 Ansarum legitur index color esse hyacinthi,
Cortinasque ligant, associantque sibi.
Pax, doctrina, fides, pietas, affectus et omnis
Cætera virtutum pompa notatur eis.
Harum virtutum species est æqua hyacintho,
Nam fluit e summis sedibus omne bonum.
Virtutum populus virtutibus his, velut ansis,
Fit sibi connexus, vinctus amore pio.

XXXIV.

÷ Saga *cilicina undecim*, peccatorum forma, in Ecclesia; quinquaginta circulis [appensa?], id est sub specie pœnitentiæ [1], ubi et supra.

XXXV.

1. Circulus, circumspectio [2]: « Numquid pones circulum in naribus suis [3]? »
10 ÷ 2. *Circuli aurei,* spiritualis intelligentiæ in Scripturis circuitus [4]. In Exodo: « Circulos aureos præparabit [5]. »

÷ 3. *Quatuor circuli aurei*, in quibus arca portabatur, quatuor Evangeliorum libri, quibus Ecclesia per quatuor mundi partes prædicatur. In Exodo.

XXXVI.

÷ Vectes, de lignis imputribilibus, circulis intromissi, fortes prædicatores, 15 mente incorrupti, evangelicæ prædicationi semper intenti.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Saga, rectores Ecclesiæ, ut: « Saga undecim de pilis caprarum [6]. »

Petrus Capuanus ad litt. xx, art. 144. Vectis defensionis, Christus. Job: « Posui 20 vectem et ostium [7]. » — Vectes portationis, sunt prædicatores. Exodus: « Facies quoque vectes de lignis setim, et operies eos auro [8]. » His vectibus portabatur arca testamenti, id est Christus, ad corda audito- 25 rum per prædicationem. Hi vectes semper inerant quatuor annulis, quia prædicatores semper inesse debent quatuor Evangeliorum libris, per lectionem scilicet et meditationem. —Vectes percussionis sunt peccata et 30 tentationes diaboli, quibus incessanter percutimur et interdum quassamur. — Vectis occisionis, diabolus, qui eos quos seducit, occidit. Job: « Super Leviathan, serpentem vectem [9], » quia scilicet in malitia est induratus.

Anonymus Clarevallensis. Saga, prælati Ecclesiæ.

Circulus, flos castitatis, vel ornatus divini eloquii; unde: « Circulus a. r. n. s. » — Adjutorium occultum divini judicii; unde: « Numquid pones, etc. » — Perfectio vitæ æternæ, unde: « Fuerunt quinque vectes positi in circulis aureis [10]. » — Perfectio genuinæ charitatis; unde: « Erunt ex utroque latere altaris, ad portandum [11], etc. »

(1) *Sub spe pœnitentiæ* B-G. Totus is locus vitiosus in codd. — (2) *Circuminspectio sanctorum adversus insidias diaboli, divinitus inspirata. In Job* B-G. *Circumspectio* E. — (3) *Suis.* Job xl, 21. — (4) *Intelligentiæ* deest in loco 2. Illa enim distinctio, quæ desideratur in E, bis in cæteris repetitur: quin articulus totus quatuor in locis varie dispertitur. — (5) *Facies* B C. Exod. xxv, 12. — (6) *Caprarum.* Exod. xxvi, 7. — (7) *Ostium.* Job xxxviii, 10. — (8) *Auro.* Exod. xxv, 13. — (9) *Vectem.* Is. xxvii, 1. — (10) *Aureis.* Exod. xxvii, 7. — (11) *Portandum.* Exod. xxvii, 7.

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Exod., v. 1157-1164.

Quatuor ex auro circli sunt bis duo libri,
Qui nostræ legis aurea scripta tenent.
5 Vectes hærentes circlis, arcamque ferentes,
Doctores signant, perspicuosque viros.
Qui Domini scriptis hærent, gestantque per orbem,
Sanctorum vitam verba serendo Dei.
Ligna setim vectes formant, et eos tegit aurum,
10 Ut doctor fortis sit, sapiensque simul.

II. *Ibid*. VI. 1469-1472.

Bis bini circli fiunt ex ære: Joannes,
Marce, Matthæe, Luca, vos notat illud opus.

III. *Ibid*. VI. 1315-1322.

Legifer hinc Moyses undena parat saga, tecti
Causa: peccatrix turba notatur eis.
Perfectum numerum quia deserit ordo sagorum,
Hunc qui perfectus respuit esse notat.
Rident cortinæ vario splendore colorum,
Sed saga tristia sunt, aspera, plena pilis.
Sic et perfectos virtutum pompa serenat,
Sed rea plebs gravis est, hispida, plena malis.
Cortinas vincunt numero saga: nempe maligni
Excedunt numero divitiisque bonos.

XXXVII.

÷ VITTA *aurea*, futura beatitudo; *funis argenteus*, vita præsens: ista deficiens, illa succedens. In Salomone: « Antequam rumpatur funis argenteus, et recurrat 15 vitta aurea [1]. »

XXXVIII.

÷ 1. FUNIS, fides Trinitatis. In Salomone: « Funiculus triplex non rumpitur [2]. »

÷ 2. *Funes*, populi fortes, in Trinitatis fide contexti. In psalmo: « Funes ceciderunt mihi in præclaris [3]. »

÷ 3. Prolongatio peccatorum. In Isaia: « Væ qui trahitis iniquitates in funi-20 bus vanitatis [4]. »

XXXIX.

CATENULÆ, testimonia Scripturarum invicem se continentia.

XL.

÷ ARMILLÆ, circumplectens genus humanum misericordia divina; per quam misericordiam non sinet perire quos prædestinavit ad vitam. In Job: « Et armilla perforabis maxillam ejus [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

25 GREGORIUS M. Armilla, præpositorum valde laborantium opera; unde: « Præbuerunt armillas [6]. » — Circumplectens nos divina misericordia; unde per beatum Job de Leviathan dicitur: « Aut armilla perforabit maxillam ejus? » Maxillam enim Levia-30 than perforat, dum nobis, post perpetrata quæ prohibuit, adhuc pœnitentiæ remedium ostendit.

RABANUS. Vitta, prædicatio, ut: « Sicut vitta coccinea, labia tua [7]. » — Spes cœli, ut: « Ligabisque eam vitta hyacinthina [8]. » — Divina præcepta, ut: « Ponentes in eis vittas hyacinthinas [9]. »

(1) *Aurea*. Eccle. XII, 6. — (2) *Rumpitur*. Eccle. IV, 12. — (3) *Præclaris*. Ps. XV, 6. — (4) *Vanitatis*. Is. V, 18. *Iniquitatem* E. *Funiculis* D, E. — (5) *Ejus*. Job XL, 21. — (6) *Armillas*. Exod. XXXV, 22. — (7) *Tua*. Cant. IV, 3. — (8) *Hyacinthina*. Exod. XXVIII, 37. — (9) *Hyacinthinas*. Numer. XV, 38.

Armilla, divina misericordia, opera præpositorum [*ut supra*].

PETRUS CAPUANUS ad litt. I, art. 31. Armilla ad litteram est ornamentum brachiorum vel manuum. Est autem armilla Dei misericordia ejus, nos protegens. Job : « Et armilla p. m. e. » Nam in misericordia Dei tollitur potentia diaboli, ne nobis noceat. Est armilla justi duplex, scilicet fides et bona opera. Isaias : « In die illa auferat Deus armillas et mitras [1], etc. »

Ad litt. XX, art. 19. Vitta ad litteram dicitur quæ constringit capillos, ne defluant, et eos capiti astringit. Vitta aurea dicitur plenitudo charitatis, etiam cogitationes nostras circa caput nostrum, id est circa Deum, constringit. Ecclesiastes : « Antequam, etc. » — Vitta coccinea sunt prædicatores, quia passionem Christi annuntiant. Sicut enim vitta constringit capillos, ne defluant, sic prædicatio mentes fluxas. — Vitta linea ad litteram est qua operiuntur humeri, et constringuntur ne huc et illuc diffluant : hæc est gravitas mentis et discretio, quæ animum, ne per varia se diffundat, constringit. Isaias : « In die illa auferet Dominus vittas et theristra. » Prima vitta, id est charitatis plenitudo, constringit capillos cogitationum, ut adhæreant capiti, id est Deo. Secunda vitta, id est prædicatores, restringit capillos cogitationum ne diffluant ad illicita. Tertia vitta, scilicet gravitas mentis atque discretio, constringit cor ne vagetur per vana et inutilia.

IDEM ad litt. VI, art. 45.

Funes culpæ.	*Funiculus gratiæ triplex.*
Connexio peccatorum.	Fides.
Illicitæ delectationes.	Spes.
Deceptiones.	Charitas.

Potest et in malo accipi funiculus triplex, id est, in peccati delectatione, consensu et operatione. — De funibus vindictæ sive gehennæ dicitur in Evangelio, quod Dominus, facto flagello de funiculis, ejecit vendentes et ementes templo [2], vel in præsenti ad correptionem, vel in futuro ad damnationem. — De funibus gloriæ psalmus : « Funes ceciderunt mihi in præclaris. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1603-1608.

In medio tunicæ capitale ligat sibi præsul,
Ut capitis sensus non sinat ire vagos.
Ne tunicæ leviter possit ruptura minari,
Illius in gyro textilis ora micat.
A grege ne præsul se disrumpat, sed honestos
Mores ad finem protrahat, ista monent.

XLI.

÷ 1. SANCTA SANCTORUM [3], cœlestis illa patria, et interiora regni cœlorum.

÷ 2. Mysteria quæque Dei, vel regna cœlorum [4]. In Apostolo : « Non enim in manufactis sanctis Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum velum, ut appareat nunc vultui Dei [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 29; ed. II, col. 767 C.

ANTONIUS DE RAMPIGOLLIS in *Figuris Biblic.*, c. 55, *Sacerdotes*, art. 2.

« Sacerdos intrat semel in sancta [6]. »

Spiritualiter : Sacerdos Dei debet pretiosis vestimentis ornari, scilicet scientia et virtutibus, quia, secundum Gregorium, sicut vestes ornant corpus exterius, ita virtutes ornant animam interius. Debet igitur quilibet sacerdos has vestes servare mundas :

(1) *Mitras*. Is. III, 19. — (2) *Templo*. Joan. II, 15. — (3) *Sanctorum*. Distinctio prior inseritur in B-G post art. XXXIV; posterior infra post art. LXXV. Non desunt ibidem alia similiter posita peregrinis in locis. — (4) *Mysteria quoque d. v. regnum* E. — (5) *Dei*, Hebr. IX, 24. *Manufactis Jesus* E. *In ipsum cœlum* D, E. *Vultus Dei* D. *Appareat vultui* G. — (6) *Sancta*. Hebr. IX, 25.

tunc potest cœleste gaudium jucunde intrare.

Figura. Exod. XXIX, ubi legimus quod sacerdos, quando volebat intrare sancta-
5 sanctorum semel in anno, induebatur bysso usque ad pedes, habebat in capite laminam auream [1]. Portabat autem in pectore rationale, quod erat duodecim lapidibus pretiosis per quatuor partes distinctum; et
10 humerale, super caput, quod erat tripartitum, ut eo fortius esset. Et tunc apparuit ei Dominus in sancto sanctorum, semel in anno.

Moraliter. Per byssum albam et candi-
15 dam nota candorem castitatis, quam sacerdos Domini debet habere usque ad pedes, id est usque ad finem vitæ suæ. Per rationale circa cor, nota munditiam cordis. Unde Matthæus : « Beati mundo corde,
20 quoniam ipsi Deum videbunt [2]. » In fronte debet habere sacerdos laminam auream, id est verecundiam, per quam honestas servatur. Debet etiam habere humerale duplex; scilicet prædicationem populi et confessio-
25 nem peccatorum. Et tunc semel, id est in termino vitæ suæ, si hæc servaverit, potest intrare sancta sanctorum, ubi Deum videbit facie ad faciem. — Quia igitur sacerdos angelus Domini est, secundum Malachiam,
30 « Labia sacerdotum custodiunt scientiam [3] ; inde Chrysostomus [4], de *Dignitate sacerdotali*, lib. III : Sacerdos Dei, aspice tuam dignitatem : agis in terra, sed officium tuum cœlestibus negotiis continetur. Item Beda presbyter [5] : O dignitas sacerdotalis! nescio si aliqua sit talis. Nam in eorum manibus, ut in utero Virginis, incarnatur Dei Filius.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Sanctuarium habebat altare thymiamatis, velum in introitu, quinque columnas, mensam, candelabrum; omnibus sacerdotibus patebat. Sancta-sanctorum habuit arcam fœderis, velum in introitu, quatuor columnas; soli pontifici semel in anno patebat, aureum habenti thuribulum.

Sanctuarium, Ecclesia, ut : « Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra [6]. » —Secretum divinæ dispositionis, ut : « Donec intrem in sanctuarium Dei [7]. » — Cœlestis patria, ut : « Sanctuarium tuum quod firmaverunt manus tuæ [8].

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in Exod., § LVI.

Quod semel intrabat sanctorum in sancta sacerdos,
Significare diem cognoscitur illius anni,
Quo Christus passus Dominus, verusque sacerdos,
Intrans ad Patrem, victor cœlos penetravit;
Quatenus humano generi leniret eumdem,
Orans pro cunctis vere credentibus in se.

XLII.

Duo CHERUBIM, duo testamenta, legis et gratiæ [9].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 24; ed. II, col. 762 A.

35 RABANUS. Cherubim, angelus sanctus, ut : « Cherub duas facies habebat [10]. » — Duo testamenta, ut : « Duo Cherubim vertebant vultus [11]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Plenitudo scientiæ; unde in psalmo : « Ascendit super Cherubim [12]. » — Scientia Dei referti, quia super illos sedet Deus [13]. — Charitas, quia charitas est plenitudo scientiæ; sine qua meritoria non est scientia, vel perfecta.

(1) *Auream*. Auctor qui concilio Constantiensi affuit, nec forte Germanis se voluit haberi hospitem, ipse, ut videtur, infra textum addidit teutonice : Eine gulden lannen, quod hodiedum erit : *Gold-Lahn*. — (2) *Videbunt*. Matt. v, 8. — (3) *Scientiam*. Malach. II, 7. — (4) *Chrysostomus*. T. I, *Opp.* p. 267 B. — (5) *Presbyter*. In orat. ante missam, quæ Augustino vulgo tribuitur. — (6) *Terra*. Ps. LXXIII, 7. — (7) *Dei*. Ps. LXXII, 17. — (8) *Tuæ*. Exod. XV, 17. — (9) *Et gratiæ* deest in B-D. — — (10) *Habebat*. Ezech. X, 21. — (11) *Vultus*. Exod. XXV, 18. — (12) *Cherubim*. Ps. XVII, 11. — (13) *Deus*. Ps. LXXIX, 2.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1175-1182.

Mutuo respiciunt ibi se Cherubim duo : mundo
Ductilis ex auro factus uterque nitet.
Dicitur esse Cherub perfecta scientia; legem
Exprimit hic veterem, denotat ille novam.
Dum fabricas aurum, labor est ut ductile fiat :
Sic nec eris sapiens absque labore gravi.
Ille vel ille Cherub, respectum mutuo figens,
Est sibi concordans lex nova lexque vetus.

XLIII.

5 ARCA TESTAMENTI, Ecclesia. In psalmo : « Exsurge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 28; ed. II, col. 766 B.

10 GREGORIUS M. Arca, Redemtor noster, ut in lege, ubi altare aureum ante arcam fieri præcipitur. Quid est enim ante arcam altare aureum fieri, nisi sanctorum corda, coram Redemtore nostro, sacri amoris desi-15 derio collocari? — Præsens Ecclesia : « Fac tibi arcam de lignis lævigatis [2]. »

RABANUS. Arca, corpus Christi, ut : « Arcam de lignis setim. » — Ecclesia, ut : « Surge, Domine, etc. » — Doctor, ut : 20 « Percussit Dominus Ozam, eo quod tetigisset arcam [3]. » —Mens sancta, ut : « Fac tibi a. d. l. l. »

PETRUS CANTOR. Arca liberationis, sicut arca Noe, de qua dictum : « Facies, etc. » 25 Hæc arca facta est a Deo Patre in incarnatione, « de lignis lævigatis, » per peccati immunitatem; « de lignis politis, » per virtutum splendorem; « de lignis bituminatis, » per gratiæ plenitudinem; de lignis etiam 30 compaginatis, per Verbi unionem. Polita est in diluvio, in nativitate. Columba recepta est in baptismate. Fenestra aperta est in latere arcæ, in passione. Ostium crystallinum [4] clausit Dominus a foris, in resurrectione. 35 Cœnacula et tristega facta sunt in ea, in ascensione. Columba emissa est, in Spiritus sancti emissione, scilicet in pentecoste. Animalia munda et immunda in ea salvata sunt per prædicationem apostolorum, in Judæorum et gentium angulari lapide. Requiescet super montes Armeniæ, in mundi consummatione. — Arca significationis, ut ad Moysen dictum est : « Facies, etc. » In hac arca [*infra* p. 212]. Hæc arca Christum significat. Hæc arca circum Jericho per septem dies portatur, dum Christus, usque in finem sæculi, quod septem diebus circumvolvitur, prædicatur. Hujus arcæ vectores sunt apostoli, omnes sancti prædicatores. — Arca gazophylacii, in qua servabatur pecunia, ad sarta tecta templi resarcienda necessaria. In hac ergo arca reservamus thesaurum quem habemus in Christo, « in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, » quantum ad divinitatem, « et scientiæ [5] » quantum ad humanitatem, « reconditi. » — Salvationis, scilicet Christus, « in quo sunt omnes, etc. » — Sanctificationis, scilicet Ecclesia; unde : « Surge, Domine, etc.

PETRUS CAPUANUS, ad litt. I, art. 63.

Arca

Liberationis.	Sanctificationis.
Significationis.	Salvationis.

In prima arca architectus fuit Noe; in secunda, Moyses; in tertia, Petrus; in quarta, Spiritus sanctus. Prima fuit in aquis diluvii; secunda, in aquis contradictionis; tertia, in aquis persequutionis; quarta, in aquis baptismi. In prima servati sunt homines; in secunda, sacramenta

(1) *Tuæ*. Ps. CXXXI, 8. — (2) *Lævigatis*. Genes. VI, 14. — (3) *Arcam*. II Reg. VI, 6. — (4) *Crystallinum*. De hac Judæorum traditione vide Petrum de Riga, supra, p. 199. — (5) *Scientiæ*. Coloss. II, 3.

Ecclesiæ; in tertia, salvantur martyres, quia non est locus veri martyrii extra Ecclesiam; in quarta, charismata donorum.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM lib. I, *de Arca*.

Marcus, non marca, monachi servetur in arca:
Non venit a luce lucrum postponere Lucæ.

Arcas duas ex præcepto Dei fuisse fabricatas in veteri legimus testamento, unam quæ dicitur arca Noe; alteram, quæ appellatur arca testamenti. Per arcam Noe præsens Ecclesia convenienter figuratur, quæ permixtos habet bonos cum malis. Per illam vero arcam quæ dicitur testamenti, quæ erat intra sancta sanctorum, triumphans Ecclesia recte signatur; de qua, ut mihi videtur, dicit in Apocalypsi beatus Joannes evangelista : « Apertum est templum Domini in cœlo, et visa est arca testamenti « Domini in templo ejus[1]. » Invenitur tamen et militans Ecclesia per arcam designata; unde Gregorius in libro *Pastorale*, cap. XXIII: Quid per arcam[2], nisi sancta Ecclesia, etc. — Per hanc etiam arcam erudita boni pastoris anima figuratur, ibid. cap. XVIII : Miscenda est lenitas cum severitate, etc. — Per hanc arcam significatur quandoque sola Ecclesia electorum, ut ibi : « Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. » De hac arca ait Petrus Riga[3] :

De justis qui sunt stabiles, viventque per ævum,
Construit Ecclesiam vera Sophia Patris.

— Per hanc arcam designatur sacratissima Dei genitrix et Virgo Maria, de qua sanctus Ambrosius ait in quodam hymno[4] :

Beata mater, munere
Cujus supernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.

Hæc arca intrinsecus est deaurata, quia hæc Virgo sancta est et fuit corpore et spiritu. Aurum exterius, virginitas corporis; aurum interius, virginitas cordis. In hac arca erat urna aurea, habens manna; in hac Virgine, corpus Christi, unitum deitati. — Per hanc etiam arcam cujuslibet sancti hominis anima figuratur, quia in omni sancta anima hominis adulti sunt illa tria quæ per manna et virgam et tabellas designantur, quæ sanctus David a Domino petit dicens : « Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. » — Magister Hugo, in libro qui inscribitur *Arca sapientiæ*, quatuor arcas designat, id est, arcam Noe, arcam Ecclesiæ, arcam sapientiæ, arcam Matris gratiæ, quam, ut mihi videtur, accommodatius appellasset arcam justitiæ. Primam fecit, etc. Huc usque verba magistri Hugonis[5]. Per arcam Noe, quæ ostium habuit in latere, figuratur corpus Christi, quod ipse sumsit ex Virgine, quod in cruce pendens, vulneratum est in latere, quod significat ostium in latere arcæ. De qua ait quidam nostri temporis :

Corporis arca patet, ne te mare sorbeat, intra :
Ne pereas extra, non est latus absque fenestra.

— Arca dicitur cor humanum; unde sanctus Gregorius[6] : Ante Dei oculos numquam est manus vacua a munere, si arca cordis repleta fuerit bona voluntate. — Arca testamenti significat sacram Scripturam, quam illi ponunt juxta idolum Dagon, qui scientia pollent et vita polluuntur. — Item per arcam Noe significatur conscientia perfecte pœnitentis. Nam quot et quales sunt in arca mansionum distinctiones, tot in anima pœnitenti promotiones. In arca prima, id est infima, mansio est stercoraria : hæc est in anima peccatorum cum pœnitentia recordatio. Secunda apothecaria; hæc est Scripturarum vel mandatorum Dei meditatio. Tertia bestiaria : hæc est morum carnalium supportatio. Quarta pecoraria : hæc est carnis edomatio. Quinta aviaria : hæc est rerum spiritualium contemplatio. Cur eam sic appellem, hæc est ratio : « Homo nascitur ad laborem, et avis ad volatum. »

(1) *Ejus*. Apoc. XI, 19. — (2) *Arcam*. T. II, *Opp.* col. 55 D, et infra 25 C, nunc part. II, c. 6 et 11. — (3) *Riga*. Exstant in *Aurora*, ad Genes. v. 892 et 895. — (4) *Hymno*. Ad matut. in off. B. M. V. in Sabb. — (5) *Hugonis*. Vide *Opp.* t. II, p. 502, col. 2. — (6) *Gregorius*. Vide *Opp.* t. III, col. 144 E.

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in Exod., § XXXVIII.

Arcam ligna setim statuunt; aurum tegit illam,
Intra sanctorum sancta locata fuit.
Arca sacram notat Ecclesiam, quæ regnat in astris,
Intra sanctorum gaudia summa manens.
Durant ligna setim, putredo non nocet illis :
Sic sancti durant et sine fine manent.
Arca nitens auro tegitur, quia splendor inaurat
Sanctos, et tegit hos summa Sophia Patris.

XLIV.

÷ PROPITIATORIUM super arca, Christus in capite Ecclesiæ. In epistola Joannis : « Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, justum ; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Propitiatorium, Christus, ut : « Facies propitiatorium de auro purissimo [2]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Propitiatorium, caro Christi, vel ipse Christus [*ubi supra*].

PETRUS EPISCOPUS

Bennoni, in Exod., § XXXVIII.

De propitiatorio.

Jam vero per positum [3] testamenti super arcam
Exprimitur Christus, interveniens mediator.
Hoc arcæ suprapositum Christum caput esse
Indicat Ecclesiæ : cui a dextris atque sinistris
Consistunt Cherubim; Cherubimque, scientia plena.
Hic amor est geminus, per quem Deus insinuatur,
Quo sine nemo potest ad eum properare videndum.
Vel duo sunt Cherubim duo testamenta vocata,
Quæ Christi sacramenta occultant et obumbrant.
Vultibus hi versis sunt sese respicientes,
Quum convertuntur in sensum spiritualem.
Tunc bene concordant, quum spectant alterutrum se.
Hoc utrinque tegunt et dictum oraculum obumbrant:
Sic ænigmatibus obscuris atque figuris
Testamenta duo velant Christum Ecclesiamque.

XLV.

÷ URNA AUREA, caro Salvatoris, munda perpetua divinitatis dulcedine. In Exodo.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PETRUS CANTOR. In arca recondita erant urna aurea habens manna, tabulæ testamenti, virga Aaron ; et liber Deuteronomii reconditus est in latere arcæ. In urna aurea, Christi humanitatem ; in manna, ipsius divinitatem ; in tabulis, utriusque legis conjunctionem ; in virga Aaron, sacerdotalem et regiam potestatem ; in libro Deuteronomii, secundæ legis, id est novæ, intelligimus in Christo consummationem.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XIX, art. 105, *Tabernaculum. De his quæ erant in arca.* In arca erat urna aurea, habens manna, id est, anima Christi continens plenam sapientiam, qua reficiuntur etiam angeli. Psalmus : « Panem angelorum manducavit homo [4]. » Virga designat sacerdotalem potestatem Christi ; tabulæ, quod ipse Christus est dator legis. Insuper est propitiatorium, Christi, qui pro nobis propitiatur. Paulus : « Et ipse est propitiatio pro peccatis [5]. » Duo Cherubim, omnes ordines cœli, qui in eo consistunt, qui invicem dilectione connexi sunt; qui et propitiatorium obumbrant, per quod notantur esse ejus ministri.

(1) *Nostris.* I Joan. II, 2. — (2) *Purissimo.* Exod. XXV, 17. — (3) *Propitiatorium* in glossa interlineari. Idem infra ad hoc : *arcæ suprapositum.* — (4) *Homo.* Ps. LXXVII, 25. — (5) *Peccatis.* I Joan. II, 2.

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in Exod., § XXXIX.

Virga, duæ tabulæ, vas concluduntur in arca :
Respectu vario designant hæc tria Christum.
5 Virga sacerdotem, regem quoque denotat ipsum;
Illius urna animam afflatam manna deitatis;
Conscius ex tabulis fit secreti ipse paterni [1].
* Sive per hanc arcam signatur Virgo beata,
* Cui bene conveniunt quæ de arca commemorantur.
10 * Continet arca urnam; sed Christum, Virginis alvus.
* Urna tenet manna, Virgoque tenet deitatem;
* Est deitas in carne latens manna quod in urna.
* Urna caro Christi, sine peccato tamen illi
* Consimilis, quod figmentum notat urnæ,
* Quæ per materiam terrena, sed aurea tota.
* Non urnam solam Moyses conclusit in arca :
* Immo cum tabulis virgam deposuit illic.
* Nec solum Virgo Christum suscepit in alvo,
* In qua cum Christo Patrem Flamenque recepit,
* Tres in Maria; tria in arca clausa fuerunt.
* Hoc quod sit verum, tali ratione probatur :
* Virga potestatem quæ Patri ascribitur edit;
* Quæve datur Nato sapientia, nota per aurum est;
* Spiritui sancto bonitas, quæ significatur
* Per tabulas, in monte, Dei digito variatas.
* O Virgo felix, omni dignissima laude,
* Quæ Salvatorem, qui te fecit, genuisti,
Virgo manes semper, quia virgo *post*, *in* et *ante*.

XLV.

÷ MENSA, Dominus Jesus Christus, qui est refectio electorum, sive unitas fidei.
15 In psalmo : « Parasti in conspectu meo mensam [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 25; ed. II, col. 763 A.

RABANUS. Mensa, vetus testamentum, ut :
20 « Catelli edunt de mensa dominorum suorum [3]. » — Altare, ut : « Ad mensam magnam sedisti [4]. » — Sacra Scriptura, ut : « Parasti in c. m. m. » — Gloria cœlestis, ut : « Edatis et bibatis super mensam
25 meam [5]. »

PETRUS CANTOR. Mensa est triplex : Prima Moysis, in deserto, quæ dicitur mensa propitiationis, de qua dictum est : « Facies et mensam de lignis setim [6]. » Ad
30 hanc sedent Judæi, quibus dictum est : « Sedistis ad mensam meam, et non estis saturati; bibistis vinum meum, et non estis inebriati [7]. » — Secunda Christi, in Ecclesia, quæ dicitur mensa sacramentalis,
35 scilicet Eucharistia, de qua Apostolus : « Non potestis communicare mensæ Christi et mensæ dæmoniorum [8]. » Ad hanc sedent viatores; unde et Eucharistia dicitur viaticum. De hac dicitur : « Edent pauperes, » id est contemtores mundi, « et saturabuntur [9]. » — Tertia totius Trinitatis in cœlo, quæ dicitur mensa æternæ refectionis, id est vita æterna, de qua Veritas dicit : « Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam, in regno meo. » Ad hanc sedent comprehensores.

Mensa est perditionis, id est dæmoniorum; ut in Exodo : « Sedit populus manducare et bibere [10]. » — Operationis bonæ; unde : « Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei [11]. » — Pœnitentiæ; unde : « Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte [12]. » — Contemplationis, scilicet sacra Scriptura; unde dictum est : « Parasti, etc. » Quatuor mensæ pedes sunt quatuor modi intelligendi. Duodecim panes, duodecim apostoli. Patenæ aureæ, cum panibus superpositæ, significant perfectionem æternam, quæ prædicatione apostolorum acquiritur. Pugillus thuris bonam operationem significat.

(1) *Paterni*. Qui asterisco notantur versus, eos in margine codicis ab auctore ipso additos fuisse æstimo : eadem certe manus ubique, eademque vena. — (2) *Mensam*. Ps. XXII, 5. — (3) *Suorum*. Marc. VII, 28. — (4) *Sedisti*. Eccli. XXXI, 12. — (5) *Meam*. Luc. XXII, 30. — (6) *Setim*. Exod. XXV, 23. — (7) *Inebriati*. Agg. I, 6. — (8) *Dæmoniorum*. I Cor. X, 21. — (9) *Saturabuntur*. Ps. XXI, 27. — (10) *Bibere*. Exod. XXXII, 6. — (11) *Mei*. Joan. IV, 34. — (12) *Nocte*. Ps. XLI, 4.

Mensam paravit Deus patiendo : caro enim ejus ante passionem cruda erat et incsibilis; post vero in cruce, tamquam in sartagine, cocta fuit et esibilis. — Ordinando, ut sub specie panis caro, et sub specie vini sanguis sumatur. — Potestatem presbyteris conferendo : soli enim presbyteri corpus Christi conficiunt.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XII, art. 21.

In mensa

Scripturæ,	*Eucharistiæ*,
Cibus solidus, loca difficiliora;	Cibus, caro Christi.
Potus, faciliora.	Potus, sanguis ejus.
Dapifer, Spiritus S.	Dapifer, sacerdos.
Ministri, angeli.	Ministri, diaconi.
Fercula, diversæ sententiæ.	Fercula, gratiæ et virtutes quæ percipiuntur in sacramento.
Vasa, littera.	

Mensa est æternæ refectionis.

Mensa dæmoniorum, id est perfida doctrina hæreticorum.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. II, *de Mensa*. Mensam mihi ad manum opportune occurrisse congratulor : est enim tempus adversitatis. Scriptum est autem in libro psalmorum : « Parasti i. c. m. mensam adversus eos qui tribulant me. » Sed hæc suis in locis plenius exponentur. Est igitur

Mensa

Historica.	Allegorica.
Tropologica.	Anagogica.

Mensa historica est mensa materialis, quæ in priori tabernaculo juxta ostium posita erat, super quam ponebantur panes propositionis. Hæc significabat veterem legem, super quam nobis proponitur doctrina apostolorum, qui eamdem legem spiritualiter intellexerunt, prædicando exposuerunt, observaverunt, et observare alios docuerunt. Hæc est mensa de qua mulier Cananæa dixit : « Catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. » Gentiles namque ad fidem conversi, qui catelli dicuntur, quia filii sunt dominorum patrum, non crustas litteræ legalis edunt, id est asperos sensus et aridos, sed intelligentiæ spirituales micas, id est sensus subtiles et delicatos.

Mensa tropologica est sacra Scriptura, de qua ita Psalmista : « Parasti, etc.; » id est, intelligentiæ meæ aperuisti sacram Scripturam, qua spiritus meus et delectabiliter reficiatur et efficaciter solidetur adversus dæmones et pravos homines, qui crudeliter persequuntur. Scutum enim forte est contra persequutorum tela Scripturæ sacræ tam lectio quam meditatio; unde : « Beatus homo quem tu erudieris, Domine, et de lege tua docueris eum, ut mitiges ei a diebus malis [1]. » Et iterum : « Tribulatio et angustia invenerunt me; mandata tua meditatio mea est [2]. » Et : « Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea [3]. »

Mensa allegorica est communicatio corporis Christi, de qua Apostolus : « Non potestis, etc. » Et alius : « Ad mensam magnam sedisti? scito quod talia te oportet præparare; » id est, ad talia præparatum esse, ut videlicet, si necesse sit, paratus sis et promtus mori pro Christo, sicut et ipse pro te mortuus est, juxta illud Psalmistæ : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo [4]. »

Per Domini verbum depello quidquid acerbum :
Hoc me solatur, munit, cibat, auxiliatur.

Porro væ homini illi, semel et iterum, cui Dominus dicit : « Ecce manus tradentis me mecum est in mensa. »

Mensa anagogica est, ut æstimo, visionis Dei inæstimabilis et interminabilis refectio. De hac mensa ait Dominus discipulis suis : « Sicut disposuit, etc. »

(1) *Malis*. Ps. XCIII, 13. — (2) *Est*. Ps. CXVIII, 143. — (3) *Mea*. Ib. 92. — (4) *Invocabo*. Ps. CXV, 13.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 81-86.

Alternis dapibus, bone Rex, me pasce: ministrent
Dulcoris gustum fercula rara mihi.
5 Gustavi mandata Dei, quæ sunt bona valde;
Fercula det rursum pulchra Sophia mihi.

Ibid, v. 1036-1045.

Cœlestis victus animas dulcedine pascens,
Scripturam sacram mystica mensa notat.
Vini mixtura carni deitas sociata est,
Quæ potum vitæ deliciasque dedit.
Miscuit hoc vinum, binæ quum dogmata legis
Efficit esse paris, mysteriando ligans.
Hanc mensam ponit sapientia, spirituali
Infirmos animos dogmate quando cibat.
Si nequeat capere mens arcanum deitatis,
Firma fides nobis sumta Dei caro sit.
Amen.

XLVII.

÷ CANDELABRUM, corpus Domini, vel sancta Ecclesia, aut divina Scriptura. In
10 Zacharia: « Vidi a dextris altaris candelabra duo ardentia [1]. »

XLVIII.

÷ 1. LUCERNA, Christus: « Lucerna pedibus meis Verbum tuum [2]. »

÷ 2. Prædicationis claritas: « Aut quæ mulier habens drachmam unam, non accendit lucernam [3]? »

÷ 3. Ecclesiæ fides, vel opera justitiæ. In Salomone: « Propterea non
15 exstinguetur lucerna ejus per totam noctem [4]. »

÷ 4. *Septem lucernæ*, candelabro superpositæ, septiforme Ecclesiæ sacramentum, vel fides [5].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 25; ed. II, col. 765
20 A, ad XLVII.

GREGORIUS M. Lucerna Christus, in quo testa carnis et lumen cernitur deitatis; unde in Evangelio mulier accendit lucernam, ut reperiat drachmam. — Claritas præ-
25 dicationum, quæ tum sub modio ponitur, quando lucris temporalibus applicatur; super candelabrum vero ponitur, quum studio corporali cura prædicationis antefertur. [*Vide t.* II, *p.* 182.]

30 RABANUS. Lucerna, Christus, ut: « Non ponitur lucerna sub modio [6]. » — Amicus sponsi, ut: « Paravi lucernam Christo meo [7]. » — Justitia sanctorum, ut: « Non exstinguetur i. n. l. e. » — Opus bonum,
35 ut: « Lucerna semper ardebit in tabernaculo [8]. » — Gratia Dei, ut: « Splendebat super caput meum lucerna ejus [9]. » — Scriptura sacra, ut: « Quasi lucerna lucens in caliginoso loco [10]. » — Sermo prædicationis, ut: « Lucerna pedibus m. v. t. » — Bona vitæ, ubi: « Non accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio. » — Interna conversatio, ut: « Lucerna Domini spiraculum hominis [11]. » — Gloria reproborum, ubi: « Lucerna impiorum non exstinguetur [12]. » — Bona Spiritus sancti: ut. « Lucernas septem pones in tabernaculo [13]. » — Viri sancti, ubi: « Lucernæ lucentes in tabernaculo [14]. » — Claritas bonorum operum, ubi: « Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris [15]. »

PETRUS CANTOR. [Tom. II, p. 182.]

(1) *Ardentia*. Zach. IV, 2. Alit. Vulg. — (2) *Tuum*. Ps. CXVIII, 105. — (3) *Lucernam*. Luc. XV, 8. — (4) *Noctem*. Eccli. XXXI, 18. — (5) *Septiformis Ecclesiæ sacramentum, vel fides, in Exodo* G. — (6) *Modio*. Marc. IV, 21. — (7) *Meo*. Ps. CXXXI, 17. — (8) *Tabernaculo*. Exod. XXVII, 20. — (9) *Ejus*. Job XXIX, 3. — (10) *Loco*. II Petr. I, 19. — (11) *Hominis*. Prov. XX, 27. — (12) *Exstinguetur*. Job XXIV, 20. — (13) *Tabernaculo*. Exod. XXV, 37. — (14) *Tabernaculo*. Levit. XXIV, 2. — (15) *Vestris*. Luc. XII, 35.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XI, art. 23.

Lucerna vel lampas

Exterior.	*Interior.*
Prædicatores.	Gratia Dei.
Operatio bona.	Intentio pura.

Superior.	*Inferior.*
Christus.	Gloria mundana.
Verbum Dei.	Hæretici.
Joannes.	Opus sine charitate.

Accedunt in medium quatuor illi fabri, quos ostendit Dominus Zachariæ prophetæ, ut nobis lucernam istam superiorem, id est Christum, componant atque disponant, scilicet quatuor evangelistæ. Itaque apponat Matthæus testam, qui ejus carnem describit de regia tribu, inquiens : « Genuit Joseph, virum Mariæ, de qua natus est Jesus qui vocatur Christus [1]. » Oleum apponat Marcus, qui de ejus misericordia inquit : « Misereor super turbam, quia jam triduo exspectant me, nec habent quod manducent [2]. » Lychnum apponat Lucas, qui de hujus anima ait : « Clamans voce magna, ait : In manus tuas commendo spiritum meum [3]. » Ignem apponat Joannes, qui de igne divinitatis suæ inquit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Lucerna.* Lucerna lumen habet in testa, et ideo significat Christum, qui Deus est et homo. Lumen enim quod desursum est, significat deitatem; testa, quæ de terra est, significat carnem. — Lucerna appellatus est a Domino beatus Joannes Baptista, loquente eo in Joannis laudibus ad Judæos ita : « Ille erat lucerna ardens et lucens [4]. » Arsit namque Joannes desiderio regni cœlestis; luxit vero exemplo boni operis et verbo doctrinæ salutaris. Vel arsit per æmulationem, luxit per bonam operationem et sacri sermonis prædicationem. Omnis namque sanctus prædicator lucerna est, et geminam ex se populis exhibet lucernam : aliam verbi, aliam exempli. De quibus duabus lucernis quidam ait :

Prima lucerna patet sermone, secunda coruscat
Exemplo : quod ait lingua, fatetur opus.

— Lucernæ dictæ sunt apostoli, de quibus Dominus ait in Evangelio : « Nemo accendit, etc. » Dominus namque non ideo fecit apostolos verbis sacris profluos, et charitate fervidos, ut sanctitatem et scientiam sibi a Deo datam sub modio et sub cura terrenorum absconderent, sed ut plebem subjectam Ecclesiæ verbo et exemplo erudirent. Et nota quod omnis prælatus lucerna esse debet, et maxime episcopus; unde Petrus Riga [5] :

Igne lucerna micans tria dat : splendet, calet, urit.
Hæc tria præsul habet sub ratione trium.
Vita splendorem demonstrat; amore, calorem;
Et quum peccantes arguit, urit eos.

— Lucerna dicitur vetus testamentum; quasi enim testa ejus est asperitas litteralis; lumen vero, ejus sensus spiritualis. De hac lucerna scriptum est in Apocalypsi quod « Jerusalem non egebit lucerna, neque lumine solis [6], » quia Ecclesia triumphans non egebit doctrina veteris vel novæ legis. Et nota quod est

Lucerna

Fidei et pietatis.	Voti et intentionis.
Exempli et operis.	Scrutinii et investigationis.
Verbi et eruditionis.	

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1227-1252.

Post mensam positam, candelabrum peto, sursum
Erigo, desuper hæc lumina clara loco.
Intra multa Dei candelabra, ductile factum
Ex auro mundo clarius istud erat.
Hinc hastile rigens, calamosque scyphosque, simulque
Sphæras, ac demum lilia juncta legis.

(1) *Christus.* Matt. I, 16. — (2) *Manducent.* Marc. II, 36. — (3) *Meum.* Luc. XXIII, 46. — (4) *Lucens.* Joan. V, 35. — (5) *Riga.* Sed hæc ubi laterent in *Aurora,* liquido non videbam. — (6) *Solis.* Apoc. XXI, 23.

Lucis in hoc opere signatur luminis auctor,
Cereus Ecclesiæ, Christus ubique micans.
Christi majestas mundo signatur in auro,
Qui fuit in mundo mundus et absque nota.
5 Hastilis firmus rigor Ecclesiam notat istam,
Quæ stat in adversis firma rigore suo.
Designant calami scribentes digna magistros,
Per quos exivit dulcis in orbe sonus.
Designare scias cyathos [1] qui vina requirunt,
10 Subjectas mentes quæ sacra verba bibunt.

Sphaerula quam volvens agitas, est lingua magistri.
Quam rotat et volvit doctor ubique bonus.
Lilia designant æternæ pascua vitæ,
Quæ semper viridis germina veris habent.
Illos septenis signari credo lucernis,
Quos quicumque sacri Pneumatis implet amor.
Qui sunt lux mundi, non sunt tamen hi sine fumo:
Nam sine peccato vivere nullus habet.
Doctorum linguæ sunt emunctoria, per quas
Fulgorem recipit lapsa lucerna suum.

XLIX.

÷ 1. Paxillus, Dominus Jesus Christus, in corde discipulorum defixus, sicut in Isaia de eo dicitur : « Figam illum in domo fideli [2]. »

÷ 2. Compunctionis stimulus. In Deuteronomio : « Habebis locum extra castra, ad quem egredieris, gerens paxillum in balteo [3]. »

15 ÷ 3. *Paxilli ærei*, in tabernaculo, patriarcharum et prophetarum obtinent sacramentum.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Paxillus, Christus, ut : « Figam illum i. d. f. » — Compunctio, ut : « Ha-20 bebis locum, etc. »

Petrus Capuanus, ad litt. xv, art. 60. Paxilli exteriores dicuntur sancti Patres, qui Ecclesiam firmam tenent. Exodus : « Tam paxillos ejus quam atrii ex ære fa-25 cies [4]. » — Paxillus interior, cordis compunctio. Deuteronomium : « Gerens paxillum in balteo, » scilicet compunctionem; hoc filii Israel abscondunt stercora sua. — Paxillus superior dicitur ipse Christus. Isaias : « Paxillus, qui fixus est in loco fideli. » Ab hoc dependent omnia bona nostra. — Paxillus, perseverantia in sapientia. Sapientia : « Qui requiescat juxta domum illius, et in parietibus ejus figens palum [5]. »

Petrus de Riga.

Aurora, in Deuter., v. 64-67.

Tecum paxillum gere; terram perfode; ventris
Purgamenta tege : lex vetus ista jubet.
Instar paxilli, fodiens compunctio mentem,
Velat quod fœde mens meditata fuit.

L.

30 ÷ 1. Altare *aureum*, ipsa divinitas, vel altitudo fidei. In Exodo : « Non ascendes per gradus ad altare meum [6]. » Et in psalmo : « Tunc imponent super altare tuum vitulos [7]. »

÷ 2. Corpus Salvatoris assumtum. In Exodo : « Altare de terra facies mihi [8]. »

÷ 3. Sancta Ecclesia. In Deuteronomio : « Quum transieritis Jordanem, ædi-35 ficate altare de lapidibus, quos ferrum non tetigit [9], » id est de sanctis fidelibus, quos nulla schismata hæresium aut contaminatio peccati maculavit.

(1) *Designare potes calathos* al. — (2) *Fidelium defixus* D. *In corda fidelium* G. *Fideli*. Is. xxii, 23. — (3) *Balteo*. Deuter. xxiii, 13. *Egredieris ad requisita naturæ* D, G. *Ad exquisita n.* E. — (4) *Facies*. Exod. xxvii, 19. — (5) *Palum*. Eccli. xiv, 25. — (6) *Meum*. Exod. xx, 26. — (7) *Vitulos*. Ps. l, 21. — (8) *Mihi*. Exod. xx, 24. *Facietis* E. — (9) *Tetigit*. Deuter. xxvii, 5.

÷ 4. Pascua Scripturarum. In psalmo : « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine [1]. »

÷ 5. Altare, corda sanctorum. In Levitico : « Ignis autem in altari semper ardebit [2], » id est ardor charitatis.

÷ 6. *Altare æreum* [3], corda carnalium, in quo altari carnes in holocaustum cremabantur [4].

÷ 7. *Cornua altaris,* altitudo cœlestis patriæ. In psalmo : « Constituite diem solemnem in confrequentationibus, usque ad cornu altaris [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 29; ed. II, col. 767 B ad 1.

RABANUS. Altare, divinitas, ut : « Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris. » — Caro Christi, ut : « Repulit altare suum [6]. » — Humanitas verbi, ut : « Altare de terra facies. » — Lignum crucis, ut : « Isaac posuit in altare [7]. » — Mentis arcanum, ut : « Circumdabo altare tuum diluculo [8]. » — Fides, ut : « Imponam super altare tuum vitulos [9]. » — Vita sanctorum, ut : « Ædificavit Noe altare Domino [10]. » — Devotio cordis, ut : « Si offers munus tuum ad altare [11]. » — Cœli secretum, ut : « Introibo ad altare Dei [12]. »

PETRUS CANTOR. Per altare intelligitur mens hominis; unde in lege præceptum fuit fieri altare quadrangulum et concavum; ideo quadrangulum, quia mens humana quatuor principalibus virtutibus muniri debet. Eadem quoque debet esse concava, ad recipiendum verbum Dei atque ignem dilectionis : tumor enim infusa impellit.

PETRUS CAPUANUS ad litt. I, art. 74. Altare, id in quo offerimus, sive corpus. Exodus : « Altare de terra facietis mihi. » —Super quod offerimus, scilicet fides. Psalmus : « Passer invenit sibi domum et turtur nidum ubi reponat pullos suos [13]; altaria tua, Domine virtutum. » —Id quod offerimus, bona conscientia. Psalmus : « Introibo ad altare Dei. » — Id quod comedimus, Eucharistia. Paulus : « Habemus altare, de quo non habent potestatem edere qui tabernaculo deserviunt [14]. » — Propter quod offerimus, beatitudo æterna. Psalmus : « Imponent super altare tuum vitulos. »

Per primum in quo offerimus, corpus Christi figuratur. Per secundum, arca Noe in fluctibus sæculi gubernatur. Per tertium, piscis super prunas assatur. Per quartum, simila Domino consecratur. Per quintum, manna de cœlo in deserto hujus sæculi manducatur. Per sextum, in terra promissionis intratur.

INCIPIUNT DISTINCTIONES MONASTICÆ. Altare aliud anagogicum, aliud allegoricum, aliud tropologicum, aliud historicum [15].

Est igitur altare anagogicum, vel cœlestis Jerusalem, vel ipse Deus; unde : « Introibo a. a. d. »

Allegoricum quinquepertitum est; scilicet corpus Christi, crux Christi, fides

(1) *Domine.* Ps. XXV, 6. — (2) *Ardebit.* Levit. VI, 12.—(3) *Aureum* B, C, E.—(4) *Cremabant, qui opera carnalium deplorant* E. — (5) *Altaris.* Ps. CXVII, 27. —(6) *Suum.* Thren. II, 17.— (7) *Altare.* Genes. XXII, 9. — (8) *Diluculo.* Ps. XXV, 6. — (9) *Vitulos.* Ps. L, 21.— (10) *Domino.* Genes. VIII, 20. — (11) *Altare.* Matt. V, 23. —(12) *Dei.* Ps. XLII, 4.—(13) *Suos.* Ps. LXXXIII, 4.—(14) *Deserviunt.* I Cor. IX, 13.— (15) *Historicum.* Ut a limine suo totus prodeat auctor ille, ecce tibi notulam ab ipso in textu satis incommode positam : « Nota quod hæc vox ἀνὰ per se tria significat :

Fertur ἀνὰ rectum, sursum, *re* semper adhærens.

Est enim ἀνὰ rectum; unde Ἀναλογία, id est recta divisio. Est et ἀνὰ, *re* inseparabilis præpositio; unde Analytica [Ἀνάλυσις?], id est resolutio : Λύσις enim solutio interpretatur; et Ἀνάστασις, id est, resurrectio. Est et ἀνὰ *sursum*; unde Ἀναγωγὴ, id est sursum ductio, etc. Est igitur intellectus sacræ Scripturæ anagogicus, ille qui sursum ducit animum ad cœlestia. » Hactenus ille, latinis litteris græca satis probe referens.

christiana, sacra Scriptura, ministri altaris. — Corpus Christi, ut ibi : « Altare de terra facietis mihi. » Christo enim altare de terra facere, est eum credere corpus sumsisse de 5 beata Virgine Maria.—Crux Christi ; unde :

Ara crucis , tumulique calix , lapidisque patena ,
Sindonis officium candida byssus habet.

— Fides christiana; unde ibi : « Imponent super altare tuum , etc. » Vitulos ponere, 10 est innocentiam novæ vitæ fidei conjungere. — Sacra Scriptura; unde : « Non plantabis lucum, neque omnem arborem juxta altare Domini Dei tui [1]. » Quia non debemus in expositione sacræ Scripturæ sectari eloquen- 15 tiæ compositionem, sed doctrinæ veritatem. Ministri altaris; unde : « Vos qui transituri estis Jordanem, etc., « id est, ordinate ministros altaris, de fidelibus quorum integritatem criminalis culpa non momordit.

20 Altare tropologicum, id est morale, est fidelis hominis conscientia; unde : « Lavabo inter innocentes manus meas, » id est, ita lavabo opera mea per veram et plenam pœnitentiam, quod cum innocentibus de- 25 putabor. Et postea « circumdabo altare tuum, » id est ex omni parte custodiam conscientiam meam , ne aliquis pateat aditus inimico; unde omni custodia serva cor tuum. Nam minor nobis sollicitudo in con- 30 servandis quàm in conquirendis debet esse virtutibus. Unde posuit Dominus hominem in paradiso , ut operaretur et custodiret illum :

Non minor est virtus quam quærere , parta tueri.

—De altari historico ait Dominus in Evangelio : « Si offers munus tuum ad altare, etc. » Est igitur

Altare

Id in quo offertur.		Materiale.
Id quod	—	Corpus Christi.
Id cui	—	Deus.
Id a quo	—	Sacerdos.
Id per quod	—	Fides.
Id propter quod	—	Vita æterna.

Anonymus Clarevallensis.

Altare.

Humanitas Verbi.	Fides.
Divinitas Christi.	Cœli secretum.
Lignum crucis.	Devotio cordis.
Vita sanctorum.	[*Ubi supra.*]

Petrus de Rigâ.

Aurora, in Exod., v. 1437-1442.

Christi signatur altaris nomine sponsa :
Se Christo mactans, quisque fit ara Dei.
De lignis altare setim contexitur : inde
Collige quod justis vita perennis erit.
Quadra fit altaris species , quia quatuor orbis
Partibus Ecclesiæ stat solidata fides.

LI.

1. Vasa, fideles [2]. ÷ Unde præceptum est de Levitis ut ab anno vigesimo quinto tabernaculo serviant, sed a quinquagesimo custodes vasorum fiant [3]. ÷ In Apostolo : « In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia [4]. »

35 ÷ 2. Sancti prædicatores : « Vas electionis mihi est iste [5]. »

÷ 3. Indisciplinatus homo : « Vas quod non habebit operculum , nec ligaturam desuper, immundum erit [6]. »

÷ 4. Patres electi : « Non commutabuntur pro ea vasa auri excelsa et eminentia [7]. »

40 ÷ 5. Intelligentiæ nostræ capacitas : « Omne vas aureum in donaria Domini separatum est [8]. »

(1) *Tui.* Deuter. xvi, 21.—(2) *Vasa in tabernaculo, fideles in Ecclesia* B-G. — (3) *Fiant.* Numer. iii, 8. — (4) *Fictilia.* II Tim. ii, 20. — (5) *Iste.* Act. ix, 15. — (6) *Erit.* Num. xix, 15. — (7) *Eminentia.* Job xxviii, 17. Aliter distinguitur in Vulg. —(8) *Est.* Exod. xxxv, 22.

÷ 6. Conscientia : « Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis [1]. »
÷ 7. Corda [*Cætera desunt*].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 26; ed. II, col. 763 c, ad 1.

GREGORIUS M. Vas, indisciplinatus, sicut ad Moysen dicitur : « Vas quod non habebit operculum, etc. » Tegmen namque operculi vel ligatura est censura disciplinæ. — Capacitas nostræ intelligentiæ, sicut per Moysen dicitur : « Omne vas aureum in donaria Domini separatum est. » Quasi dicat : intelligentia divinitatis tanto ab inferiorum amore disjungitur, quantum ad sola quæ amanda sunt, sublevatur. — Vasa, sancti Patres, sicut per beatum Job de sapientia dicitur : « Non commutabuntur pro ea, etc. » Sapientia Dei, apparens in carne, a carnali conversatione nos redemit; unde Christus Dei Filius non unus esse prophetarum, sed unus prophetarum Dominus creditur. — Vasorum nomine, fidelium animæ designantur, sicut per Moysen de levitis dicitur : « Levitæ ab anno vigesimo quinto tabernaculo serviant, et quinquagenario custodes vasorum fiant. » Quasi diceret : qui adhuc impugnantium vitiorum certamina per consensum delectationis tolerant, aliorum curam suscipere non præsumant; quum vero bella tentationum subegerint, animarum custodiam sortiantur. — Vasorum nomine, nostræ conscientiæ, ut in Evangelio, de decem virginibus legitur : « Simile est regnum cœlorum decem virginibus. » Et infra : « Prudentes acceperunt oleum in vasis suis. » Prudentes oleum habent in vasis, quando nitorem gloriæ intra conscientiam retinent, Paulo attestante, qui ait : « Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ [2]. » — Vasorum nomine corpora nostra, sicut per Paulum dicitur : « Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus [3]. »

RABANUS. Vas, intelligentia divinitatis, ut : « Omne vas, etc. » — Approbatio Dei, ut : « Vas electionis e. m. i. » — Corpus nostrum, ut : « Sciat unusquisque vas suum possidere [4]. » — Angeli, ut : « Omnium vasorum in cultum ejus [5]. » — Prophetæ, ut : « Nec commutabuntur vasa auri. » — — Hæretici : « In eo paravit vasa mortis [6]. » — Corpora nostra, ut : « Fuerunt vasa puerorum sancta [7]. » — Corda nostra, ut : « Prudentes virgines, etc. » — Homines, ut : « Mitte oleum in omnia vasa [8]. » — Reprobi, ut : « In vasis papyri super aquas [9]. »

PETRUS CANTOR. Est vas electionis; unde Dominus ad Paulum : « Vade, etc. » — Probationis, quando ad ignem persequutionis non frangitur, sed solidatur; unde : « Vasa figuli probat ignis [10]. » — Fragilitatis; unde : « Habemus, etc. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. 145.

Vas

Aureum.	*Dei.*
Christus.	Uterus Virginis.
Sapientes.	Animæ sanctæ.

Argenteum.	*Cœli.*
Paulus.	Cœlestis patria.
Prædicatores.	Luminaria cœli.

Æreum.	*Mortis.*
Sancti perseverantes.	Occisionis sententia.
Personæ ecclesiasticæ.	Vindicta Dei.
	Hæretici.

Fictile.	*Perditum.*
Corpora.	Qui peribit usibus Domini.
Uxor.	Reprobi.
Minores.	

(1) *Suis.* Matt. XXV, 4. — (2) *Nostræ.* I Cor. I, 12. — (3) *Fictilibus.* II Cor. IV, 7. — (4) *Possidere.* I Thessal. IV, 4. — (5) *Ejus.* Exod. XXV, 9. — (6) *Mortis.* Ps. VII, 14. — (7) *Sancta.* I Reg. XXI, 5. — (8) *Vasa.* IV Reg. IV, 4. — (9) *Aquas.* Is. XVIII, 2. — (10) *Ignis.* Eccli. XXVII, 6.

Vas terreum.	*Perditum.*
Cor fatuum. Peccatores.	Garruli, sine operculo discretionis.

Distinctionum monasticar. lib. v, *de Vase*. Vas quandoque dicitur solum corpus humanum; unde est illud Apostoli commendantis valide virtutem castitatis : « Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut sciat unusquisque, etc. » — Vas dicitur conscientia; unde : « Prudentes virgines, etc. » Hanc sententiam prope exponit Macrobius, dicens [1] : Virtutis fructum sapiens in conscientia ponit; imperfectus, in gloria. — Mens hominis, seu memoria, ut ibi : « Cor stulti quasi vas confractum, omnem sapientiam non timebit [2]. » — Totus homo; sed electi dicuntur vasa gloriæ, reprobi vasa contumeliæ. Sunt vasa Scripturæ, sacræ scilicet sententiæ; unde : « Nam et ego confitebor tibi, in vasis psalmi, veritatem tuam, Deus [3]. » — Sunt vasa gloriæ, sancti scilicet glorificati. — Vasorum nomine arma vel alia quælibet instrumenta appellantur. Unde in Ezechiele, ubi in editione vulgata de sex viris dicitur, qui percusserunt civitatem Jerusalem, quod « unusquisque habebat vas interfectionis in manu sua [4], » LXX interpretes « securim » posuerunt. — Vasa vocantur a physicis venæ humani corporis. Sunt itaque vasa gratiæ, contumeliæ, conscientiæ, Scripturæ, gloriæ.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ liber ii, v. 123-127.

Ille facit mensas, phialas, cilicinaque saga,
Thuribulum, cathedras, arcam, septemque lucernas :
Ecclesiæ Christus Scripturæ pabula [5] præstat,
Sanctorumque preces[6], et dogmata[7] recta priorum,
Diversosque gradus, et munera [8] Pneumatis almi.

LII.

Mortariola, tribulatio martyrum [9]. In Exodo.

LIII.

1. Sartago, zelus, vel compassio [10] : « Et tu, fili mi, pone sartaginem inter te et civitatem [11]. » ✠ De hac sartagine Apostolus loquitur : « Quis scandalizatur, et ego non uror [12] ? »

2. Tribulatio [13] : « Ossa sicut in frixorio confrixa sunt [14]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Mortariolum, mens hominis, ut : « Terebat populus manna in mortariolo [15]. » — Martyris : « Facies mortariola et thuribula [16]. »

Sartago, zelus animarum, ut : « Sume sartaginem, etc. » — Tribulatio, ut : « Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur [17]. »

Petrus Capuanus. Panis in sartagine [*Vide*, t. ii, p. 448].

Anonymus Claraevallensis. Mortariola, tribulatio, ut : « Intulit Salomon in templum Dei hydrias, fuscinulas, phialas et mortariola de auro purissimo [18]. » — Amaritudo correptionis, ut : « Populus terebat, etc.

(1) *Dicens*. Macrob. *In Somn. Scipion*, l. ii, c. 10. — (2) *Timebit*. Eccli. xxi, 17. — (3) *Deus*. Ps. lxx, 22. — (4) *Sua*. Ezech. ix, 1. — (5) *Pabula*. Glossa interl. *Mensæ*. — (6) *Thuribulum*. Ib. — (7) *Cathedræ*. Ibid. — (8) VII *Lucernæ*. Ib. — (9) *Sanctorum martyrum in passione labor et tribulatio dura* B-G. — (10) *Zelus rectitudinis adversus peccata et compassio fraternæ infirmitatis. In Ezechiele* B-G. Ibid. art. 52, 53 et 59, ad calcem cap. vi vagantur. — (11) *Civitatem*. Ezech. iv, 3. — (12) *Uror*. II Cor. xi, 29. — (13) *Tribulatio vitæ præsentis. In psalmo* B-G. — (14) *Sunt*. Ps. ci, 4. — (15) *Mortariolo*. Num. xi, 8. — (16) *Thuribula*. Exod. xxv, 29. — (17) *Frigetur*. Levit. vi, 21. — (18) *Purissimo*. III Reg. vii, 5.

Corda sanctorum, plena virtutibus, ut : « Duces obtulerunt in donariis duodecim mortariola [1]. »

Sartago

5 Zelus animarum. Tribulatio.

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Levit., v. 121-134.

Et super altare succendet quæque sacerdos,
Incensum totum fiat ut istud opus
Suaviter ut spiret oblatio talis et astra
Transeat, et Domino fiat amœnus odor.
Hoc altare notat cor : in isto ligna struuntur,
In sanctis scriptis si meditando studes,
Si studium meritis actus comitantur honesti,
Membra super ligna ponis agendo bonum.
Porro sacerdotis signatur nomine Christus,
Inflammans quidquid cogito, quidquid ago.
Sic ego fio per hunc holocaustum, quando ministro
Viribus ex totis, corpore, mente, Deo.
Talis amœnat odor Dominum, qui flore rosarum
Gratior est, superat balsama, mella premit.

LIV.

LAGENA, corpus : « Confregit Gedeon lagenas [2]. »

LV.

10 1. LACUNA; cor hominis [3] : « Omnis laguncula implebitur vino. »

÷ 2. Hæretici. In propheta : « Qui faciebant lacunas ad capiendos pisces [4]. »

LVI.

1. PHIALÆ, corda doctorum [5] : « Et super thronos viginti quatuor, habentes phialas aureas plenas odoramentorum [6]. »

÷ 2. Persequutio : « Et quartus angelus effudit phialam suam in sole [7]. »

15 ÷ 3. Patens in peccatores ira divina. In Apocalypsi : « Septem phialæ novissimæ, iræ Dei [8]. »

LVII.

÷ CYATHI, parva et angusta scientia : « Cyathi et phialæ in mensa [9]. »

LVIII.

1. UTRES, corpora [10] : ÷ «Quia factus sum sicut uter in pruina [11]. » ÷ In Evangelio : « Vinum novum in utres veteres mitti debet [12]. »

20 ÷ 2. Cogitationes : « Congregans sicut in utre aquas maris [13]. »

÷ 3. Corda : « Neque mittunt vinum, etc. »

÷ 4. Et in aliam partem pro Judæis, ubi et supra : « Neque mittunt, etc. »

(1) *Mortariola.* Numer. VII, 86. — (2) *Lagenas.* Jud. VII, 19. — (3) *Corda hominum, sapientiæ vinum retinentes, in propheta* B-G. — (4) *Pisces.* Is. XIX, 10. — (5) *Doctores in Ecclesia, ampla doctrina referta* B-G. *Referti, in Exodo* D. *Scientia referti* E. — (6) *Odoramentorum.* Apoc. V, 8. — (7) *Sole.* Apoc. XVI, 8. — (8) *Dei.* Apoc. XV et XVI. — (9) *Mensa.* Exod. XXV, 29. — (10) *Utres, vasa humani corporis* B-G. — (11) *Pruina.* Ps. CXVIII, 83. — (12) *Debet.* Marc, II, 22. — (13) *Maris.* Ps. XXXII, 7.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 23; ed. II, col. 761 B ad LVIII, 1.

GREGORIUS M. Lagenæ, corpora nostra, sicut de sociis Gedeonis legitur, quod cum lagenis et lampadibus et tubis ad prœlium processerunt. Hi autem lagenas in sinistra, tubas vero in dextera ferebant; significantes quod Christi martyres pro magno habent gratiam prædicationis, corporum vero causam pro minimo.

Phialæ, largæ prædicationes; unde in tabernaculo phialæ et cyathi facti sunt, ut qui exuberante doctrina fluere non possunt, saltem cyathis boni verbi ministrare aliquid in sitim proximi figurentur.—Phialæ, supplicium persequutionis, ut ibi : « Et quartus angelus e. p. s. » Phialam namque in sole effundere, est viros sapientiæ fulgore lucentes persequutionis turbine offuscare.

Uter, carnalis cogitatio, sicut per psalmistam de Domino dicitur : « Congregat s. i. u. aquas maris; » id est, amaritudinem perversæ mentis, quasi in utre, congregat Dominus, quando potestate sua, ne erumpat exterius in vocem pravæ libertatis, claudit. — Utrium nomine, corda electorum, ut in Evangelio : « Vinum novum i. u. v.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XVI, c. 5, 8, 9, p. 648, 651, 652.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Uter, Ecclesia, ut : « Congregans, etc. » — Littera legis, ut : « Tollens puerum et utrem aquæ [1]. » — Mens prava, ut : « Statuit aquas quasi in utre. » — Corpus mortale, ut : « Factus s. s. u. i. p. » — Corda spiritualium, ut : « Nec mittunt, etc. »

Lagenæ, fides baptismi, ut : « Occurret vobis homo lagenam aquæ portans. » — Corpora terrena, ut : « Gedeon et socii ejus confregerunt lagenas. »

Laguncula, corpus Christi, ut : « Constringet lagunculam in terrore [2]. » — Corpora terrena, ut : « Quod lagunculas novas disrumpit [3]. »

Phialæ, anima hominis, ut : « In phiala obtulit butyrum [4]. » — Doctores, ut : « Parabis acetabula et phialas [5]. »

Cyathi, humiles [*ubi supra*].

PETRUS CAPUANUS ad litt. XI, art. 45. Lagenæ dicuntur humanæ mentes. Jeremias : « Omnis laguncula implebitur vino. » Et corpora sanctorum; unde de electis Gedeonis, etc. Sancti enim tubis prædicationis clangunt, corpora confringunt abstinentia et laboribus. Lampades etiam miraculorum tenent, quibus territi hostes dæmones fugantur. — Lagena etiam fides baptismi. Evangelium : « Lagenam aquæ bajulans [6]. »

Idem ad litt. XX, art. 170.

Uter.

Littera legis.	Sancta Ecclesia.
Sanctus.	Peccator.

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in Judic., § III.

Quid tuba? quid lampas? quid dicitur esse lagena?
Clamor doctorum, miracula, corpora nostra.
Christus, dux noster, tales ad prœlia ducit,
Qui contemnentes sua corpora, fortiter hostes
Impugnant, sternunt, sicut Samson, moriendo.
Hostes crudeles stupuerunt ante lagenas,
Visis lampadibus, victori terga dedere.
Namque mali sanctis positis in corpore restant;
Sed dant terga mali, postquam miracula cernunt.

LIX.

1. OLLA, Synagoga [7] : « Ollam accensam ego video, et facies ejus a facie aquilonis [8]. »

(1) *Aquæ.* Genes. XXI, 14. — (2) *Terrore.* Is. X, 33. — (3) *Disrumpit.* Job XXXII, 19. — (4) *Butyrum.* Jud. V, 25. — (5) *Phialas.* Exod. XXV, 29. — (6) *Bajulans.* Marc. XIV, 13. — (7) *Plebs judaica, cupiditate carnali accensa. In Jeremia* B-G. — (8) *Ollam succensam* E. G. *Aquilonis.* Jerem. I, 13.

2. Præsens mundus [1], vel anima peccatrix : « Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat æs ejus [2]. »

3. Damnatio [3] : « Vultus redigentur in ollam [4]. »

÷ 4. Carnalia opera : « Quando sedebamus ad ollas [5]. »

÷ 5. Generis prosapia, ut quidam volunt. In psalmo : « Moab olla spei meæ [6], » propter Ruth [7].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS ed. I, p. 24; ed. II, col. 762 D, ad 2, 5.

GREGORIUS M. Olla, Synagoga, vel quodlibet carnale cor; unde : « Ollam s. e. v. » — Ollæ, carnalia opera, ut ibi : « Quando, etc. »

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. XVI, c. 6, p. 649.

PETRUS CAPUANUS, ad litt. XIV, art. 33. Olla cœlestis est uterus Virginis. Psalmus : « Moab olla s. m. » — Ipsa namque Virgo de genere Moab fuit. Nam et Ruth Moabitis in ejus genealogia describitur. — Olla spiritualis, littera legis. Regum : « Mors in olla [8]. » — Olla infernalis, mens malitia contra Deum succensa, vel Synagoga in ejus persequutione inflammata. Jeremias : « Ollam succensam e. v. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Olla*. Ollarum quinquefariam legisse me memini in Scripturis sacris distinctionem : est enim olla Ægyptiorum, super quam sedebant filii Israel in Ægypto : hæc est luxuria, cujus flamma est gula. — Est olla Babyloniorum, quam Jeremias vidit succensam, et faciem ejus a facie aquilonis : hæc est crudelitas, cujus flamma est cupiditas. Testis est mihi versificator egregius qui de Trojano loquens excidio, sic ait [9].

Tradunt cuncta neci, prædæque cupidine cæci,
Obfirmant Græci pectora, clausa preci.

—Olla filiorum prophetarum : hæc est lex mosaica; unde Petrus Riga : Olla [*vid. infra*], cujus flamma est gratia. — Est olla damnatorum, de qua est illud propheticum: « Vultus r. i. o.; » cujus flamma est gehenna.—Est olla Moabitarum, de qua scriptum est : « Moab o. s. m.; » hæc est persequutio a falsis fratribus, cujus flamma est invidia.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Olla.

Tribulatio.	Malitia diaboli.
Mens reproba.	Opera carnis.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in IV Reg., v. 266-271.

Olla prophetarum completur agrestibus herbis :
Lex vetus olla fuit, verba severa tenens.
Gustus amarus erat; sed sal vir sanctus in ollam
Mittens, pulmentum gratius inde facit.
Lex austera fuit; sed doctrinæ sale fusa,
Dulcorat Christi gratia legis onus.

LX.

÷ INCENSUM, orationes sanctorum. In psalmo : « Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo [10]. » [*Vide* THUS, in t. II, p. 413.]

LXI.

÷ SACRIFICIUM, oblatio justitiæ. In psalmo : « Sacrificate sacrificium justitiæ [11]. »

(1) *Vel genus humanum, sive quælibet anima peccatum igni tribulationis apposita* B-G. — (2) *Ejus.* Ezech. XXIV, 3. *Donec incoluerit* E. — (3) *Damnatio sempiterna. In Joel* B-G. — (4) *Ollam.* Joel II, 6. — (5) *Ollas.* Exod. XVI, 3. — (6) *Meæ.* Ps. LIX, 10. — (7) *Propter Ruth* deest in E. — (8) *Olla.* IV Reg. IV, 40. — (9) *Ait.* Eadem in t. II, p. 294.—(10) *Tuo.* Ps. CXL, 2. — (11) *Justitiæ.* Ps. IV, 6.

LXII.

÷ Holocaustum, id est totum combustum, totus fide accensus, sive carnis mortificatio. Est enim quidam ignis charitatis omnia membra hominis in proprios usus assumens, ut non ea permittat militare peccato. In psalmo : « Holocaustum medullatum offeram tibi [1]. »

LXIII.

5 ÷ Hostia *pacifica*, opus misericordiæ; quæ ideo hostia pacifica appellatur, eo quod hosti diabolo resistat [2], et Deo hominem reconciliet. In psalmo : « Tollite hostias, et introite in atria ejus [3]. » In tauro vero, continentiæ cultro, in ara cordis superbia jugulatur [4]. In ariete, furor. In hirco, libido. In vitulo, carnis voluptas. In agno, lascivia. In hædis, peccata diversa. Per turturem et columbam, mun-10 ditia castitatis et simplicitas cordis in sacrificium Domino offertur. In similagine, puritas mentis, vel opera misericordiæ. In primitiis, initia bonorum operum, vel bona voluntas. In decimis, perfectio bonorum operum.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 29; ed. ii, col. 767 15 B, C ad lxi, lxii, lxiii.

Petrus Cantor. Offerri voluit Christus primo, in templo, justo Simoni, a parentibus; secundo, in atrio, Pilato perfido; tertio, Deo Patri, in patibulo, pro parenti-20 bus. Quum semper oblatus est, quia ipse voluit, ut ait ipse per Isaiam, et vere voluit, non necesse habebat offerri in templo, ut sacrificaretur, quia erat mundus; nec erat examinandus in prætorio, qui non erat reus; 25 nec affigendus crucis patibulo, qui non erat impius. Sed quare voluit? Quia sic docuit, ut nos ita faciamus. Omnis enim Christi actio, nostra est lectio. Non enim sufficit nobis, si nostra offerimus, nisi et nosmet 30 ipsos in holocaustum Domino offeramus; unde et nos monet Apostolus, scribens ad Romanos : « Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem [5]. »

Offert Christum cum columba, qui offe-35 rendo Eucharistiam, Dominicam passionem habet ante oculos cordis, quoniam columba fidem Dominicæ passionis significat, secundum illud : « Columba mea in foraminibus petræ, et in cavernis maceriæ [6]. Petra autem erat Christus [7]. » — Cum uno pari turturum, qui continentiam mentis et corporis fideliter custodit. — Cum columba et turture, qui castitatem et simplicitatem offert cum eo et pro eo, non pro mundo; et iste solus gratus est Christo : turtur enim avis est castitatis.

Sacerdotes offerunt de grege, quando minores in minoribus provehunt; de armento, quando majores ad majora; de avibus, quando cælibem evehunt ad cœlestia. Hoc triplex sacrificium fiebat in lege.

Sacrificium triplex : in carne; carnem mactat qui ipsam mortificare non cessat.— In corde; cor mactat qui se immunda cogitatione non inquinat. — In opere; opere mactat qui in agendis humanum favorem non considerat.

(1) *Tibi*. Ps. lxv, 15. *Holocausta* E, G. — (2) *Resistat*. Latinum quidem auctorem hæc innuunt, nec exstant in cod. A. — (3) *Ejus*. Ps. xcv, 8. B-G addunt *de adipibus pacificorum*, quæ exstant in t. ii, p. 245. — (4) *Jugulata* E. — (5) *Viventem*. Rom. xii, 1. — (6) *Maceriæ*. Cant. ii, 14. — (7) *Christus*. I Cor. x, 4.

Antonius de Rampigollis, in *Figuris biblic.*, c. xliii, *de Oratione*, n. 1. « Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo [1]. » Et nota quod monstra sunt rara, quia natura dedit unicuique suam naturam; ideo quum homines vident monstra, admirantur. Et ideo in domibus nobilium sunt cara.

Spiritualiter. In domo principis mittitur monstrum, quum ad cœlum mittitur oratio indevota : habet enim duo capita, quando cor est ad terrena, et lingua ad cœlestia; ideo exaudiri non meretur; sed velut monstrum turpiter de palatio divinæ majestatis repellitur. Tentat enim Deum, qui sine devotione cordis orat. Plus valet devotio cordis quam oris loquutio. Unde poeta :

Non vox, sed votum; non musica cordula, sed cor;
Non clamor, sed amor sonat in aure Dei.

Quid prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum? sicut enim vox sine modulatione est vox animalis, sic oratio sine devotione est sicut mugitus boum.

Figura. Levit. xiv, ubi legimus quod Dominus ait ad Moysen [2] : Dic filiis Israel, ut non offerant in templo claudum vel mutum, vel vitulum contagiosum; sed debent offerre agnum sine macula, aut vitulum sine diminutione membrorum, aut par turturum. Igitur erat in Jerusalem probatica piscina, ubi animalia prius probabantur quam offerebantur.

Moraliter. Per claudum vel mutum vel vitulum contagiosum nota orationem indevotam vel immundam, ut quando homo orat pro aliqua re contra salutem animæ, vel quæ inducit peccatum. Unde Chrysostomus : Qui orat pro facinore vel pro morte alterius, vel pro divitiis vel honoribus mundi, viles ad Deum preces mittit. Sed debet offerre agnum sine macula, id est se probare, quod non sit in peccatis mortalibus : tunc enim debet se lavare in piscina contritionis et pœnitentiæ, quia Deus non exaudit peccatores. Quum igitur cor abest, oratio non est Deo accepta, quia, in psalmo : « Oratio ejus fiat in peccatum [3]. » Item par turturum notat quod oratio debet esse cum gemitu; quia turtur reddit pro cantu gemitum. Et turtur habet duas alas, sicut oratio debet habere humilitatem, ut patet de publicano qui se humiliavit. Alia ala debet esse charitas; unde Isaias : « Qui sunt hi qui ut nubes volant, et quasi columbæ ad fenestras suas [4]? »

Petrus Capuanus ad litt. viii, art. 12. Hostia redemtionis nostræ, Christus; hostia pro peccatis; pro pace inter corpus et animam reformanda; pro gratiarum actione; pro salute. Christus fuit hostia Dei Patris, et fuit perfecta pro peccatoribus, tum quia sine peccato, tum quia corpus habuit aptum ad immolandum, tum quia sponte se obtulit.

Idem ad litter. xviii, art. 42.

Sacrificium

Exterius,	*Interius*,	*Superius*,
Corporum nostrorum.	Pœnitentiæ.	Corporis et sanguinis Domini.
Bonorum operum.	Laudis divinæ.	Laudis æternæ.

Distinctionum monasticar. [*Vide* t. ii, p. 473.]

Laurentius.

Hypomnesticon, in lib. ix.

Qualiter oblationes antiquas offerimus.

Et veterum memores quam multa litasse leguntur,
Turpe putant vacua velle venire manu.
Luxuriam cohibendo, capros; fastumque premendo,
Tauros; aut agnos, mite sequendo, litant.
Dat caput incipiens; perstans dat corpus eorum;
Dat caudam complens tot bona fine bono.
Mens et casta caro pro turture; proque columba,
Simplicitas; sapidum pro sale pectus adest.
Auri præbet opes, etc. [T. ii, p. 466.]

(1) *Tuo*. Ps. cxl, 2. — (2) *Moysen*. Plura simul congessit tum e veteri, tum e novo testamento, vix paucula ex allegato Levit. xiv. — (3) *Peccatum*. Ps. cviii, 7. — (4) *Suas*. Is. lx, 8.

LXIV.

÷ 1. Sacerdos, Dominus Jesus Christus. In psalmo : « Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech [1]. »

÷ 2. *Sacerdotes*, sancti. In Isaia : « Vos sacerdotes Domini, vocabimini ministri Dei nostri [2]. »

5 ÷ 3. Et in malam partem. In Malachia : « Vos, sacerdotes, qui polluistis nomen meum [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, *Carm.* vi, v. 2.

Sylvius, *de Nominib. Chr.*, v. 6.

10 Nicetas, *Serm.* iii, p. 330.

Orientius, *de Nat. Dom.*, v. 9.

Isidorus, *Etymol.*, lib. vii, c. 2, n. 36.

Rabanus. Sacerdos, Christus, ut : « Tu es s. i. æ. » — Ratio nostra, ut : « Si sa-15 cerdos qui unctus est, peccaverit [4]. » — Prælati, ut : « Ducit sacerdotes inglorios [5]. »

Notker, *Sequent.* xxxvii, v. 10.

Petrus Cantor. Sacerdos, Christus : propter unctionem, propter oblationem, 20 propter intercessionem ; unde : « Propterea unxit te [6]. Oblatus est, quia ipse voluit [7], semper vivens ad interpellandum [8]. » — Sacerdos dicitur angelus ; unde in Malachia : « Labia sacerdotum custodiunt scientiam, 25 et ex ore ejus requirunt scientiam ; angelus enim Domini exercituum est [9]. »

Petrus Capuanus. Sacerdos tribus modis, in bono. Sacerdos cœli est Christus. Psalmus : « Tu es, etc. » — Sacerdos mundi 30 dicitur vel generaliter, id est quilibet sanctus. Epistola canonica : « Vos estis genus electum, regale sacerdotium [10]. » Vel specialiter, qui semel ungitur et ordinatur in sacerdotem. [*Sequentia tantum ex titulis 35 in margine rubricatis designare vacat.*] Cur Moyses dicitur sacerdos. De quatuor illis qui competunt sacerdoti. — Quod ea quæ competunt sacerdoti, verius conveniunt Christo, et pro quo fuit unctus. Quomodo Christus sacerdos obtulit sacrificium. Quomodo Christus sacerdos prædicavit admonendo. Quomodo Christus sacerdos interpellat. — Quilibet sanctus ungi unctione debet. Quilibet debet prædicando admonere. Quilibet debet interpellare. — Quomodo qui ordinantur in sacerdotes, hæc omnia debent in se observare. — Quomodo sacerdotes sumus lux mundi. Quomodo sumus sal terræ. Quomodo sumus lucerna super candelabrum. Quomodo sumus civitas supra montem posita. Quomodo sumus montes. Quomodo sumus palmites in vite. Quomodo sumus pastores ovium. Quomodo sumus clavigeri regni cœlestis. Quomodo sumus messores. Quomodo sumus agricolæ. Quomodo talenta patris familias recepimus. Quomodo debemus fructum afferre. Quomodo debemus vigilare. Quomodo constituit nos Dominus super familiam suam. Quomodo missi sumus. Quomodo debemus instare prædicationi. Quomodo debemus annuntiare pacem. Quomodo sumus piscatores hominum. Quomodo debemus accedere ad altare. Quomodo debemus seminare. Quomodo sumus fundamenta Ecclesiæ. Quomodo debemus non solum dicere, sed facere, et circa hoc multæ figuræ.

Anonymus Clarevallensis. Sacerdos habet nomen compositum ex græco et latino,

(1) *Melchisedech*. Ps. cix, 4. — (2) *Nostri*. Is. lxi, 6. — (3) *Meum*. Malach. i, 6. — (4) *Peccaverit*. Levit. iv, 3. — (5) *Inglorios*. Job xii, 19. — (6) *Te*. Ps. xliv, 5. — (7) *Voluit*. Is. liii, 7. — (8) *Interpellandum*. Hebr. vii, 25. — (9) *Est*. Malach. ii, 7. — (10) *Sacerdotium*. I Petr. ii, 9.

quasi sacrum dans : sicut enim rex a regendo, ita sacerdos a sanctificando vocatus est; consecrat enim et sanctificat [1]. Sacerdos litteris instruitur; sacris induitur vestimentis, altari assistit, corpus Christi consecrat et sumit; ligat et solvit, benedicit et maledicit, orat pro se et pro populo; errantes revocat, corrigit delinquentes.

Sacerdos, Christus. — Ratio — Prælati. [*Ut in Rabano.*]

Petrus Episcopus.
Bennoni, in Genes., § xii.

Atque revertenti, devictis hostibus ipsis,
Melchisedech accurrit Abræ, sine fine sacerdos.
Obtulit et panem et vinum, majora figurans,
Per quod erat pecudum sacramentum evacuandum.
Nam rex est pacis, qui discipulis ita dixit:
Rex est justitiæ, qui judicat omnia juste.
Huic honor est geminus, quia rex est atque sacerdos,
Ipse Deo Patri se ipsum obtulit in crucis ara.
Rex in præsenti sæculo, judex erit ipse futuro,
Huicque sacerdoti decimam tribuit patriarcha.

LXV.

÷ 1. Vestimenta sacerdotum, opera justitiæ. In psalmo : « Sacerdotes tui, domine Deus, induantur justitia [2]. »

÷ 2. Plebs fidelium. In Levitico : « Caput suum non discooperiet, et vestimenta sua non scindet [3]. »

÷ 3. *Tunica hyacinthina*, Christi Ecclesia, ejus sanguine decorata. In Exodo.

÷ 4. *Superhumerale*, virtus operationis, ab humeris significata. In Exodo : « Et fecerunt superhumerale de auro, et hyacintho, purpura, et cocco bis tincto et bysso retorta [4]. »

÷ 5. *Rationale*, doctrina, vel rationis a pectore declaratio. In Exodo : « Et fecerunt rationale opere textili [5]. »

÷ 6. *Duodecim lapides*, in rationali [*vid.* t. II, p. 333].

÷ 7. *Poderis*, hoc est tunica, doctrina secretior. In Exodo : « Et fecerunt vestimentum podere, sub umbone, opus textile, totum hyacinthinum [6]. »

÷ 8. *Tintinnabula aurea*, vestimentis inserta, sermo prædicationis operibus conjunctus.

÷ 9. *Mala punica*, tintinnabulis permixta, unitas fidei, et concordiæ charitatis, ubi et supra.

÷ 10. *Lamina aurea*, crucis in fronte præfiguratio, vel manifesta justitia. In Exodo : « Et fecerunt laminam auream, et scripserunt in ea litteras deformatas : Signaculum sanctitatis Domini [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 29; ed. ii, col. 767 a, b ad 4, 5, 7, 10.

Petrus Cantor. Vestimenta quibus sacerdos induitur sunt sandalia, quibus pro ocreis utitur. Hoc calceamentum significat humanitatem; pes, divinitatem; corrigia, unionem humanitatis et divinitatis. — Amictus, quo caput tegitur pro galea, et significat galeam salutis. — Alba, quæ pro lorica totum corpus tegit, significat castitatem. — Cingulum, pro arcu; subcingulum, pro pharetra assumit, et est subcingulum quiddam

(1) *Sanctificat.* Huc usque Isidor. *Etymol.* lib. viii, c. 12, n. 17. — (2) *Justitia.* Ps. cxxxi, 9. — (3) *Scindet.* Levit. xxi, 10. — (4) *Retorta.* Exod. xxviii, 6. — (5) *Textili.* Exod. xxxix, 8. — (6) *Hyacinthinum.* Exod. xxxix, 20. Notanda versio hujus loci, qui omnino Sabaterio defuit. — (7) *Domini.* Exod. xxviii, 36.

in stola quod ligatur cum cingulo. — Stola, quæ collum circumdat, quam quasi hastam, contra resistentem vibrat. — Orarium istud, sive stola quæ pendet a dextris et a sinistris, significat justitiam, quam debemus habere in prosperitate et in adversitate. — Manipulum, quo pro clava utitur, quo etiam oculos abstergimus, portamus in læva; quod significat fidem, qua debemus abstergere tenebras mentis; et est in læva, quia dextera semper debet esse libera. — Casula, qua quasi clypeo protegimur, significat charitatem, quia omnium major est charitas. — Manus etiam libro, pro gladio, armatur.

Petrus Capuanus [*de Vestimentis, tunica, malis punicis*, vid. supra, p. 151, et t. II, p. 39 et 374.]

Distinctionum monasticar. lib. V, *de Vestimentis* [vid. supra, p. 151]. — *De Tunica*. Tunica Domini inconsutilis est unitas Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, quod unitate fidei et sacramentorum munitur et ornatur, secundum illud : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum [1] ! » Bonum est munimen et ornatus jucundus. Sicut vestis tegit a frigore, ita unitas sancta munit a morte. Ecce quam utilis unitas est et jucunda, quia sicut fœda discordia, ita pulchra concordia. Tunica hæc est inconsutilis, quia hæc sanctæ Ecclesiæ unitas, non humana industria vel sanctitate vel opere est confecta, sed solo divino opere est Ecclesiæ sanctæ collata. Et hoc est quod sequitur : « Desuper contexta per totum [2]. » Si enim humano sensu, studio vel labore esset conquisita, non esset « contexta desuper. » Si autem vel ex parte esset sensu acquisita humano, non esset « desuper contexta per totum. » Unire enim in fide et dilectione diversorum dissidentes animos, non virtutis humanæ, sed muneris est divini. Et congrue dicitur hæc tunica fuisse inconsutilis, ne possit umquam dissidi. — Tunica significat charitatem : hæc est enim tunica qua « Petrus succinxit se, et misit se in mare [3], » ut veniret ad Dominum. — Tunica significat vitam activam, vel potius vitæ activæ curas, quæ impediunt hominem in spiritualibus bonis. Hinc est quod sponsa vocata a sponso a contemplationę ad actionem, dicit : « Exui me tunica mea, quomodo rursus induar illa [4] ? » — Tunica significat bona temporalia magis necessaria, sicut tunica inter cæteras vestes magis necessaria est; unde est illud : « Si quis vult tecum judicio contendere, et auferre pallium, dimitte ei et tunicam. » Id est, bona temporalia, quæ minus necessaria sunt tibi, vult auferre? Propter bonum pacis, et quæ magis necessaria sunt, dimitte. — Tunica etiam doctrinam significat; unde legimus quod sancta Anna, mater sancti Samuelis, ei tunicam [5] parvam fecit, quia nimirum parvum parva decent. Unde quidam ait :

Quod vinum prius, indoctis dogma profundum :
Da tenerum teneris ; sic fiet dogma rotundum.

Est igitur tunica

Sanctæ unitatis.	Terrenæ possessionis.
Charitatis.	Doctrinæ salutaris.
Activi laboris.	

Petrus Episcopus.

Bennoni, in Exod., § LI-LV.

Nuncque sacerdotis sequitur de vestibus Aaron :
Cidaris in capite ejus et aurea lamina monstrant
Æternæ lucis splendorem, hoc est deitatis.
* Hæc hominem Christum ; ista, Dei notat aurea lucem [6].
Talaris tunica stantem Ecclesiam manifestat ;
Erigit ad cœlum nos ipsa hyacinthina vestis.
Punica mala tenent uno sub cortice grana :
Contegit et populos fidei glutinus numerosos,
Quos populos multiplicitas operum tenet intus.
Inter granata sunt tintinnabula mala :
In medio Ecclesiæ doctores constituuntur,
Quorum doctrina resonansque scientia lingua
Tangit utrasque acies, legisque, Evangeliique.

De Superhumerali.

Hoc Salvatoris est regnum atque potestas.
A dextra et læva lapides in eo positi sunt :
Hi duo sunt populi : dexter gentilis habetur,
Judaicus quondam dexter, nunc ipse sinister...

(1) *Unum.* Ps. CXXXII, 1. — (2) *Totum.* Joan. XIX, 23. — (3) *Mare.* Joan. XXI, 7. — (4) *Illa.* Cant. V, 3. — (5) *Tunicam.* Matt. V, 40. — (6) *Lucem.* Versus in margine addititius.

At rationale variat lapidum ordo quaternus :
Hoc Evangelicum sermonem rite figurat.
Hocque ligant vittæ depressum pectore in Aaron,
Ne cor sacrificis vexet meditatio fluxa,
5 Sed ratio sola stringat cor sacrificantis.
Sunt patriarcharum bis sex quoque nomina in illo,
Exemplum quorum studeat sacrifex imitari.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Exod., v. 1595-1602.

10 *In veste poderis totus erat orbis terrarum* [1].

Poderis est vestis quæ terræ continet orbem,
Et caput et corpus præsulis illa tegit.
Sic mens pontificis toti supereminet orbi,
Moribus et precibus se populumque regens.
Non aliud splendet, nisi veste hyacinthus in ista,
Signans quod totus præsul ad astra volet.
Paulus erat totus inclusus podere, dicens :
« Dissolvi cupiens, opto videre Deum. »

Ibid., v. 1263-1270.

Coccus bis tinctus, byssusque retorta, hyacinthus,
Purpura cortinis mixta fuere decem.
Designantur in his aer, tellus, aqua, cœlum,
Ut Josephi testis scripta vetusta sonant.
Byssus signat humum, quia nascitur inde, hyacinthus;
Aera : nam concors est in utroque color.
Purpura signat aquam, quia pisci nubit aquoso;
Coccus se confert, teste rubore, polo.

LXVI.

÷ 1. ÆDIFICARE, bona opera facere, vel recte docere. In Apostolo : « Si quis
15 autem ædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos [2]. »

÷ 2. Et in aliam partem, pro populo Judæorum, per Malachiam dicitur : « Ipsi ædificabunt, et ego destruam [3]. »

LXVII.

÷ 1. DESTRUERE, mala opera exercere, vel male docere [4]. In Salomone : « Unus reædificans, et unus destruens [5]. »

20 ÷ 2. Et in bonam partem. In Jeremia : « Ut destruas, et ædifices [6]. »

LXVIII.

÷ RUINOSA, corda reproborum, peccatorum impulsibus destructa. In Ezechiele : « Numquid qui in ruinosis habitant, hæreditate possidebunt terram [7]? »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 26, 2; ed. II, col.
25 763 D ad LXXV, LXXVI.

PETRUS CANTOR. Ædificant templum quidam super terram, qui scilicet intelligunt, et non faciunt; unde : « Qui audit sermonem meum et non facit, similis est homini
30 ædificanti super arenam [8]. » — Quidam sine cæmento parietem, scilicet infirmi; unde : « Parieti inclinato et maceriæ depulsæ [9]. » Quidam super petram, scilicet Christum, qui stabiles sunt in virtutibus; unde Apostolus : « Si destruatur hujus habitationis tabernaculum, ædificatum habemus in cœlum [10]. » — Quidam aurum, argentum et lapides pretiosos; quidam lignum, fenum, stipulam. Per aurum intelligitur dilectio Dei; per argentum, dilectio proximi; per lapides pretiosos, bona opera; per lignum,

(1) *Terrarum.* Sapient. XVIII, 24. — (2) *Pretiosos.* I Cor. III, 12. — (3) *Destruam.* Malach. I, 4. — (4) *Maledicere* E. — (5) *Destruens.* Eccli. XXXIV, 28. —(6) *Ædifices.* Jerem. I, 10. — (7) *Terram.* Ezech. XXXIV, 24, 27. — (8) *Arenam.* Luc. VI, 48. — (9) *Depulsæ.* Ps. LXI, 4. — (10) *Cœlum.* II Cor. V, 1, 2.

fenum, stipulam, cremabilia, id est venialia peccata intelliguntur, ut illorum scilicet qui terrenis adhærent, Deo tamen omnia postponentes. Hæc cremabilia dicuntur,
5 quia in igne purgatorio omnino purgabuntur. De isto igne agitur super II epistolam Pauli [1]. Sic gravior tamen erit ignis iste quam quidquid homo potest pati in hac vita. Per lignum intelliguntur parva pec-
10 cata, scilicet venialia; per fenum, minora per stipulam, minima; unde Apostolus: « Si quis autem ædificat, etc. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 774-785.

Dicitur esse domus, vel semita prona voluntas
Cordis et affectus, ad scelus omne ruens;
Vel caro luxurians domus est, in fine resurgens,
Ignibus æternis carnis ut acta luat.
Sortitur similem simili ratione ruinam
Semita perfidiæ, schismaticique domus.
Quæ dum firma putat consistere, corruet; hujus
Nam fundamentum mollis arena tenet.
Idem qui cruciat latrones, non minus urens,
Harum delicias puniet ille rogus.
Tales urentes stipulas exstirpat ab horto,
Præcipit et Salomon ignis ut urat eas.

LXIX.

÷ MUNDARE, a vitiis expurgare. In Evangelio: « Tetigit eum Jesus dicens: Volo, mundare. Et confertim mundata est lepra ejus [2]. »

LXX.

15 ÷ 1. SCOPÆ, curæ superstitionis, propter vanam gloriam [3]. In Evangelio: « Et veniens invenit domum vacantem, scopis mundatam et ornatam [4]. »

÷ 2. Et in aliam partem. In Isaia: « Et scopabo eam scopa terens [5], » id est satisfactione pœnitentiæ.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

20 PETRUS CANTOR. Mundatur quis per baptismum; unde Isaias: « Lavamini, mundi estote [6]. » — Per pœnitentiam; unde: « Cor mundum crea in me Deus [7]. » — Per eleemosynam; unde: « Peccata eleemosynis
25 redime [8]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 68. Scopa gratia est virgæ correctionis, sive contritio et confessio. Isaias: « Scopebam eam s. t. » — Scopa culpæ est superstitio,
30 munditia hypocritarum. Evangelium: « Invenit eam v. s. m., » id est hypocrisi.

Prima sordes vitiorum expellit a domo mentis; secunda expellit virtutes ab hospitio cordis. Scopa autem ad litteram est instru-
35 mentum quod complectitur ex quibusdam herbis spinosis, et quo pavimentum domus mundatur: sic autem et contritio ex punctionibus et quasi spinis dolorum complectitur; debet enim pœnitens de singulis peccatis dolere. Profunditur etiam pavimentum domus aqua, quando mundatur scopa, ne pulvis domum ipsam obnubilet: ergo et nos debemus mentis nostræ ipsa contritionis scopa, aqua perfundere lacrymarum, ne vitiorum pulvis exsurgat et obnubilet mentem nostram. — Scopam hypocrisis videbantur ex spinis plectere illi qui ut magis viderentur justi, spinas ligabant in angulo palliorum suorum, ut eis puncti revocarentur ad memoriam mandatorum Dei [9].

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar. De muliere forti, SADE.

SADE interpretatur consolatio, quia fidelibus Ecclesiæ, post lacrymas profluentes et

(1) *Pauli.* Indice monstrat suum opus ineditum, nisi fallor, nec indignum luce. — (2) *Ejus.* Matt. VIII, 3. — (3) *Per vanam gloriam* E. — (4) *Ornatam.* Matt. XII, 44. — (5) *Terens.* Is. XIV, 23. — (6) *Estote.* Is. I, 16. — (7) *Deus.* Ps. L, 12. — (8) *Redime.* Dan. IV, 24. — (9) *Dei.* Cf. *Vit. Patrum.*

graves fletus, consolatio sequitur triplex : nam qui in dolore sunt, consolatione indigent, quæ fit per misericordiam Dei; et qui pœnas criminum luerunt, sperant veniam; 5 et qui lacrymis delicta laverunt, requiem merentur. Hanc semitam domus suæ, id est animæ, considerat justus homo, accusans se ipsum ante Deum, et purgans conscientiam suam, ut panem cœlestem otiose non come-10 dat, id est indigne; vel « otiosa non comedit, » id est, pauperibus dispersit; unde consolationem divinam habebit.

SADE significat bona consolatio vitæ :

Nobis solamen esto, Redemptor. Amen.
Cor pravum lustrat sapiens, et consiliando
Amputat et sanat, si qua nociva videt,
Divinis oculis confessio quando revelat,
Cordis in hospitio si qua nefanda latent.
Sive viam cordis doctoris cernit ocellus,
Quando facit sterilem fructificare ficum.

LXXI.

÷ SPONGIA cava, infidelitas Judæorum. In Evangelio : « Circumponentes spongiam, obtulerunt ori ejus [1]. »

LXXII.

÷ FEL, amaritudo malitiæ. In psalmo : « Dederunt in esca mea fel [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

15 RABANUS. Fel, persuasio dæmonum, ut : « In fel aspidum intrinsecus [3]. » — Infidelitas, ut : « Dederunt in e. m. f. » — Malitia diaboli, ut : « Exentera piscem, et fel repone tibi [4]. »

20 PETRUS CAPUANUS ad litt. VI, art. 26. Fel dicitur amaritudo quam Christus in passione sustinuit. Psalmus : « Dederunt in. e. m. f. » — Fel quoque amaritudo quam sancti sustinent in pœnitentia. Psalmus : « Cir-25 cumdederunt me felle et amaritudine [5]. » Fel etiam amaritudo peccati. Actus : « In felle autem amaritudinis et obligatione peccati video te esse [6]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, de Passione D. N. J. C., v. 651.

Inde Jesus, nostram quærens sitiensque salutem,
Protulit hoc : « Sitio [*vid.* t. II, p. 150]. »
Vir quidam nequam, malus, hispidus, implet aceto,
Imponens calamo vas, hysopoque ligans;
Porrigiturque Jesu sapiens hic potus acetum,
Fel, myrrham : tribus his potus amarus erat.
Hebrææ gentis mentem vox signat aceti
Quæ distorta velut spongia torta fuit.
Scripturam signat calamus quæ dicit : « Acetum
« Porrexere meæ, felque dedere siti. »
Quæ corpus sanat, hysopus, brevis herba, figurat
Pro nobis humilem salvificumque Jesum.

LXXIII.


CURRUS, societas impiorum, vinculis peccatorum alligati. In Exodo : « Currus 30 Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Currus, magna peccata, ut : « Currus Pharaonis, etc. » — Cœtus sanctorum, ut : « Currus Dei decem millibus [8]. » — Prælatus mansuetus, ut : « Currus Israel [9]. » — Res mundi instabiles, ut : « Hi in curribus [10]. »

(1) *Ejus.* Joan. XIX, 29. — (2) *Fel.* Ps. LXVIII, 22. *In escam* E. — (3) *Intrinsecus.* Job XX, 14. — (4) *Tibi.* Tob. VI, 5. — (5) *Circumdedit me felle et labore.* Ita Thren. III, 5. — (6) *Esse.* Act. VIII, 23. — (7) *Mare.* Exod. XV, 11. — (8) *Millibus.* Ps. LXVII, 18. — (9) *Israel.* IV Reg. II, 12. — (10) *Curribus.* Ps. XIX, 8.

Petrus Cantor [1].



Petrus Capuanus ad litt. c, art. 49.

Currit

Deus....... Omnia replendo.
Christus... Mundanis non hærendo.
Angelus... Obsequium in nos implendo.
Justus..... Virtutibus proficiendo.
Injustus... Peccatis consentiendo.
Diabolus... Superbiendo.

Distinctionum monasticar. lib. I, *de Curru*. Currus alius est laboris et exercitii, significans Ecclesiam militantem, de qua ait sanctus David : « Currus Dei decem millibus multiplex. » Ecclesia enim multiplex est in decem millibus, id est in his qui perfecte observant decem legis mandata, vel post baptismum in nullum mortale peccatum labendo, vel post lapsum perfecte pœnitendo. Multiplex enim est in talibus Ecclesia, quia quidam eorum sunt in ordine clericali, quidam in monachali, quidam in laicali. Et in his omnibus multiplex est multiplicitas conditionum et graduum. — Alius est exaltationis et præmii, significans Ecclesiam glorificatam post judicium. Et hæc figurata est per currum quo Elias ascendit in cœlum. — Currus triumphum significat. Duo enim erant antiquitus genera triumphorum : unum quod in equo fiebat, et dicebatur ovatio; alterum gloriosius erat, et fiebat curru, dicebaturque laureatum. Unde privatum sigillum Henrici, filii comitis Andegavensis et Mathildis imperatricis, quondam regis Anglorum, sculptos habebat in jaspide currum et serpentem trahentem currum, cum suscriptione hac in metallo [2] :

Signō.signo.mēo.signo signante.tropheum.
Quod.prudenter.ago.signat.serpentis.imago.

— Alius est elationis et præcipitii, qui est currus Pharaonis projectus in mare. — Alius est consolationis et beneficii, qui est bonus prælatus, dicente Elisæo ad Eliam : « Pater mi, currus Israel, et auriga ejus. » Currus scilicet sustendando, auriga regendo :

Rara avis in terra...

— Alius est devotionis et obsequii, currus scilicet Joseph, quo obviam venit patri. Iste est bonus et fidelis subjectus. « Quis est hic? et laudabimus eum [3]. » « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus [4]. »

Quis sit prælatus non elatus? nolo scire.
Et rectus quis subjectus satis imperet iræ?

(1) *Cantor*. Schema præ oculis lectori positum accepimus e cod. Brugensi 369, paucis in textu emendatis juxta codicem nostrum Solesmensem. — (2) *Metallo*. Rei sphragisticæ studiosos non fugiet is locus, quem fusius illustrare, ut decuit, ibi non vacat. Henricus autem ille, quem codex una littera H designat, in civitate nostra Cenomanensi natus, Godefredi Pulchri filius, dynastiæ Plantagineorum dictæ primus, obiit a. 1189. — (3) *Eum*. Eccli. XXXI, 9. — (4) *Sanctus*. Ps. XI, 1.

LXXIV.

1. Rex, Deus : « Deus autem rex noster ante sæcula [1]. »

÷ 2. Christus : « Habens in vestimento et in femore scriptum : Rex regum et Dominus dominantium [2]. »

÷ 3. Diabolus : « Ipse est rex super omnes filios superbiæ [3]. »

5 ÷ 4. *Reges,* sancti [4] : « Deus, qui das salutem regibus [5]. » ÷ Et in libro Regum : « Potens est, et dat virtutem regibus [6]. »

÷ 5. Angeli : « Nunc enim dormiens silerem cum regibus [7]. »

÷ 6. Qui se regunt : « Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram [8]. »

10 ÷ 7. Pravi doctores. In propheta : « Regnaverunt, et non ex me [9]. »

÷ 8. *Reges Tharsis,* exploratores lætitiæ. In psalmo : « Reges Tharsis et insulæ munera offerent [10]. »

LXXV.

÷ 1. Regina, sancta Ecclesia. In psalmo : « Astitit regina a dextris tuis [11]. »

÷ 2. *Reginæ,* animæ perfectorum, quæ non sunt ancillæ peccati. In Cantico 15 canticorum : « Sexaginta sunt reginæ [12]. »

÷ 3. *Concubinæ*, animæ quorumdam christianorum, semen verbi divini suscipientes, et a servitute generantes, ubi et supra : « Et octoginta concubinæ. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, in *carm.* vi, v. 2.

20 Sylvius, *de Nominib. Christi,* v. 2.

Eucherius, ed. i, p. 17; ed. ii, col. 755 a ad lxxiv, 1, 3; lxxv, 1, 2.

Gregorius M. Rex, Deus Pater, ut ibi : « Simile est regnum cœlorum homini regi, 25 qui fecit nuptias filio suo [13]. » — Christus, ut ibi : « Deus, judicium tuum regi da [14]. » Unde ex persona ipsius Job dicit : « Quum sederem quasi rex, circumstante exercitu [15]. » Quod utique in cordibus nostris 30 agitur, quum ibi Christus cogitationum motibus principatur.—Antiquus hostis : « Ipse enim est, etc. » — Reges, angelici spiritus, ut ibi : « Nunc enim, etc., cum consulibus terræ, » qui et subjectos pacifice regunt, et 35 spirituali reipublicæ consulunt. — Vel ibidem per reges apostolos et sanctos prædicatores intellige, ut sit iste sensus dicentis illud : si non peccasset, et non redemtus ascenderem, quo prædicatores sanctos cum magno constat labores pervenire.—Quilibet sancti; unde Eliu de Domino dicit : « Non aufert a justo oculos suos, et reges in solio collocat in perpetuum [16]. »

Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Regina, Ecclesia, ut : « Astitit, etc. » — Superbia vitæ, ut : « Sedeo regina [17]. » —Devotæ animæ, ut : « Reginæ laudaverunt te [18]. »

Rex, Deus pater, ut : « Regi qui fecit n. f. s. » — Christus, ut : « Quasi rex, c. e. » — Spiritus sanctus, ut : « Rex qui sedet in solio suo [19]. » — Prædicator, ut : « Regem locusta non habet [20]. » — Sanctus, ut : « In

(1) *Sæcula.* Ps. lxxiii, 12. — (2) *Dominantium.* Apoc. xix, 16. — (3) *Superbiæ.* Job xli, 25. — (4) *Apostolis vel sancti cæteri* B-G. — (5) *Regibus.* Ps. cxliii, 10.—(6) *Regibus.* Aut non exstat, aut me is locus fugit. — (7) *Regibus,* Job iii, 14. — (8) *Terram.* Ps. ii, 10. — (9) *Me.* Osee viii, 4. — (10) *Offerent.* Ps. lxxi, 10. — (11) *Tuis.* Ps. xliv, 10. — (12) *Reginæ.* Cant. vi, 7. — (13) *Suo.* Matt. xxii, 2. — (14) *Da.* Ps. lxxi, 2. — (15) *Exercitu.* Job xxix, 1. — (16) *Perpetuum.* Job xxxvi, 7. — (17) *Regina.* Apoc. xviii, 7. — (18) *Te.* Cant. vi, 8. — (19) *Suo.* Prov. xx, 8.—(20) *Habet.* Prov. xxx, 27.

virtute tua lætabitur rex [1]. » — Iniquus, ut : « Sicut regem, qui præparatur ad prœlium [2]. » — Peccatum, ut : « Calcet eum, quasi rex, interitus [3]. « — Diabolus, ut : « Ipse est rex, etc. » — Reges, angeli, ut : « Cum regibus e. c. t. » — Prælati, ut : « Et nunc, reges, intelligite. » — Viri sancti, ut : « Reges in solio, etc. » — Sensus interni, ut : « Noli regibus dare vinum [4]. » — Qui de castitate superbiunt, ut : « Balteum regum dissolvit [5]. » — Superbi, ut : « Procedunt ad reges totius terræ [6]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVII, art. 2.

Rex

Supremus.	*Medius.*	*Infimus.*
Deus Trinitas.	Justus.	Diabolus.
Deus Pater.	Animus.	Peccatum.
Deus Filius.	Rex.	Doctor prav.
Deus Spiritus.	Potens.	V sensus.

Regina.

Ecclesia.	Fideles.
Anima.	Superbia.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Rege.*

Rex Deus, et Cæsar, Petrus, ratio, quoque sensus,
Dæmon, vir justus, Scriptura teste, notatur.

Rex verus, ille qui regit omnia et non regitur. Unde ad eum loquitur sic Christianus Philosophus [7] :

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens das cuncta moveri.

Ipse igitur verus rex est, cui est regnum immobile ; sit ille benedictus et gloriosus in sæcula ! — Reges etiam ejus munere sunt et judicio, quidam corporum, quidam animarum.

Namque animas Petrus, corpora Cæsar habet.

De regibus corporum est illud : « Astiterunt reges terræ [8]. » De regibus animarum : « Vos autem genus electum, regale sacerdotium [9]. » De utrisque : « Et nunc, reges, etc. » — Reges etiam coram summo Rege sunt omnes qui se ipsos per ipsius gratiam bene regunt ; de quibus est illud : « Qui das salutem regibus. » Nullus enim recte rex dicitur, qui peccati servus efficitur; unde vir quidam, excellentis sapientiæ pariter et eloquentiæ, regem quemdam instruens, inter cætera quibus eum instituit, ait etiam hæc [10] :

Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum, tolerabis iniquas
Interius leges ; tunc omnia jure tenebis,
Quum poteris rex esse tui.

Consonat huic sententiæ quod judex carminum ait in Lyricis [11] :

Latius reges avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, et uterque
Pœnus serviat uni.

— Rex etiam diabolus dicitur, quia ipse est rex super omnes filios superbiæ. Ergo nullis superbis rex est Deus; id est, nullus superbus ei paret ut regi. Væ illi quicumque ipse est, qui illi regi non servit, cui servire regnare est. — Regum nomine appellantur quatuor animæ passiones, quæ regnare solent in cordibus amatorum mundi. Unde Virgilius [12] :

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque. Quid ad rem?

De his ait Boethius [13] :

Gaudia pelle, Nec dolor assit,
Pelle timorem, Lubrica mens est,
Spemque fugato. Vincta catenis.

Hæc sunt nomina quatuor regum a quibus captus est Loth [14], etc. — Sed hi reges

(1) *Rex.* Ps. XX, 2. — (2) *Prælium.* Job XV, 24. — (3) *Interitus.* Job XVIII, 14. — (4) *Vinum.* Prov. XXXI, 4. — (5) *Dissolvit.* Job XII, 18. — (6) *Terræ.* Apoc. XVI, 14. — (7) *Philosophus.* Cf. t. II, p. 265. *De consol.* l. III, metr. 9. — (8) *Terræ.* Ps. II, 1. — (9) *Sacerdotium.* I Petr. II, 9. — (10) *Hæc.* Videntur esse Philippi de Castilione in *Gestis Alexandri.* — (11) *Lyricis.* Horat. II *Od.* II, 9. — (12) *Virgilius.* E spurio carmine. — (13) *Boethius. De consol. Philos.* l. I, metr. 7. — (14) *Loth.* Inde Noster abit in immensum parergon de quatuor regibus quorum nomina, significatus, etymologias fusius quam felicius digerit.

occiduntur ab Abraham, qui interpretatur pater multarum gentium, et significat rationem, vel rationabilem, id est discretum virum. Sicut sapiens pater filios suos regit sub disciplina, ita ipse affectiones suas, cogitationes, loquutiones, operationes suas moderatur et regit et intra debitos fines cohibet. Tali viro offert Melchisedech, rex Salem, panem et vinum; id est Christus rex justitiæ, qui est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, ei offert corpus suum et sanguinem, sicut ipse ait apostolis : «Accipite, et manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur [1]. » Et sicut legitur : « Abraham Melchisedech dedit decimas ex omnibus [2], » ita vir sanctus et sapiens quidquid perfectionis habet Deo attribuit. Denarius enim numerus perfectus est, et perfectionem significat, sicut me ostendisse æstimo in distinctione *de Denario*. — Regem etiam nummum vocavit quidam, dicens. »

Multorum summus rex est hoc tempore nummus.
Nec mirum : multi sunt omni tempore stulti.

FULCOIUS BELLOVACENSIS.

Utrumque, de Nuptiis Christi et Ecclesiæ, lib. VI,

SPIRITUS.

Nascere, lux mundi; nox, occide tetra profundi.
Janua nascentem jam proferat aurea regem,
Quem præstolantur reges, quem sustinet omnis
Et favet imperiis excelsa vel ima potestas.
Virgam virtutis producat virga salutis;
Inque manu dextra sit virgæ ferrea virga,
Et quasi vas figuli confringat colla superbi...
Nascitur Æternus; lætatur et ordo supernus.
Custos inde gregis didicit natalia regis,
Et videt, et plaudit, lætus visum esse quod audit.
Stella maris solem complectitur, innuba prolem.
Stella docet portum; fert reges regis ad ortum.
Hæc dux stella ducem monstrat lux prævia lucem.
Stella domum profert, dux substitit, et magus offert.
Reges venerunt Arabum, et tria dona tulerunt.
Nudant thesauros, quod thus, quod myrrha, quod aurum,
Rex, Deus est, et homo, dant myrrha, thure vel auro[3]

LXXVI.

÷ CONSULES, angeli vel prædicatores : « Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem cum regibus et consulibus terræ [4]. »

LXXVII.

1. DUX [5], Christus : « Ecce testem populis dedi eum, ducem et præceptorem [6]. » ÷ Et alibi : « Et servus meus David, princeps in medio eorum [7]. »

2. Prædicatores [8], ubi supra.

3. Hæretici, vel mali prælati [9] : « Dimitte eos : cæci sunt et duces cæcorum. Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadunt [10]. »

÷ 4. Titus [11] imperator. In Daniele : « Cum duce venturo. »

÷ 5. Principalia vitia : « Procul odoratur bellum, exhortationem ducum et ululatum exercituum [12]. »

LXXVIII.

÷ 1. PRINCEPS, Christus. In Ezechiele : « Ut princeps sedebat in ea, » hoc est, in porta clausa, « et comedebat panem suum [13]. »

2. *Principes*, apostoli, vel sancti [14] : « Vidi servos in equis [15], et principes quasi servos ambulantes super terram [16]. »

(1) *Tradetur*. Matt. I Cor. XI, 24. — (2) *Omnibus*. Genes. XIV, 20.— (3) *Auro*. Cf. supra p. 112, 126. —(4) *Terræ*. Job III, 14. — (5) *Dux Dominus J. C. In Isaia* B-G. — (6) *Præceptorem*. Is. LV, 4. — (7) *Eorum*. Ezech. XXXIV, 24. — (8) *Sancti prædicatores, eo quod trahant fidelium greges post se* B-G.— (9) *Judæi, hæretici, sive doctores improbi. In Evangelio* B-G. —(10) *Cadunt*. Matt. XV, 14.— (11) *Titus*. Dan. IX, 26. — (12) *Exercituum*. XXXIX, 25. — (13) *Suum*. Ezech. XLIV, 3. — (14) *Apostoli* deest in B-G. — (15) *Equis, id est peccatores in carnali potentia* B-G. — (16) *Terram*. Eccle. X, 7.

3. Hæretici, vel prælati mali [1] : « Principes exstiterunt, et non cognovi [2]. ÷ Principes cessaverunt loqui [3]. Effusa est contemtio super principes [4]. »

÷ 4. Qui cogitationibus suis principantur : « Effundit despectionem super principes, et eos qui oppressi fuerant, relevat eos [5]. »

5 VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Gregorius M. Consules, angelici spiritus, et sancti prædicatores; unde Job : « Nunc enim, etc. » Quia nimirum cum angelis homo quiesceret, si persuasoris linguam se-10 qui noluisset. Bene autem consules vocantur, qui spirituali rei publicæ consulunt, dum nos sibi socios ad regnum jungunt. — Duces, errorum auctores, sicut ex persona Ecclesiæ dicitur per beatum Job : « Vocem 15 suam cohibebant, etc. » Quia nimirum hi, qui post se errantes populos trahere solebant, ne loqui nunc perversa audeant, et auctoritatis frænantur pondere, et virtute rationis.—Principalia vitia, sicut de sancto 20 viro sub equi specie dicitur : « Procul odoratur, etc. » Miles enim Dei, dum solerter prævidere victorum certamina nititur, bellum procul odoratur, et dum mala præeuntia quid menti persuadere valeant prospi-25 cit, exhortationem ducum naris sagacitate deprehendit; dum vero confusionem sequentium iniquitatum conspicit, quasi ululatum exercituum odorando cognoscit.

Principes, qui magno consilii judicio suis 30 cogitationibus principantur, ut per beatum Job de Domino dicitur : « Effundit despectionem super principes, etc. » Sæpe enim justo judicio Dei contingit, ut et boni per superbiam corruant, et peccatores per hu-35 militatem surgant. — Hæreticæ pravitatis auctores, ut ibi : « Principes cessabant loqui. »

Gregorius apud *Garnerium S. V.*, l. iv, c. 9, 10, 11.

40 Rabanus et Anonymus Clarevallensis. Consules, viri sancti, ut : « Cum consulibus terræ. »—Dux, Christus, ut : « Dux fuisti in misericordia tua populo tuo quem redemisti [6]. »—Apostoli, ut : « Obtulerunt duces in dedicatione altaris [7]. » — Prædicatores, ut : « Ingrediantur portas duces [8]. » — Pravi doctores, ut : « Qui vocas duces impios [9]. » — Hæretici, ut : « Vocem suam cohibebant duces. » — Vitia principalia, ut : « Odoratus exhortationem ducum. »

Princeps, Christus, ut : « Pater futuri sæculi, princeps pacis [10]. »—Prælatus, ut : « Non vocabitur ultra insipiens princeps [11]. » — Diabolus, ut : « Princeps mundi hujus in me non habet quicquam [12]. » — Venter hominis, ut : « Princeps coquorum destruxit muros Jerusalem [13]. »—Intellectus noster, ut : « Si peccaverit princeps [14]. » — Angelus, ut : « Ecce Michael, unus de principibus [15]. » — Apostoli, ut : « Constitues eos principes super omnem terram [16]. » — Rectores Ecclesiæ, ut : « Sedeat cum principibus [17]. » — Superbi, ut : « Non accepit personas principum [18]. » — Hæretici, ut : « Principes cessabant loqui. »

Petrus Cantor. Princeps intelligitur de angelis, unde : « Michael princeps vester. » Item : « Ut collocet eum cum principibus », id est cum angelis; « cum principibus populi sui [19], » id est cum apostolis. — De dæmonibus; unde : « Venit enim princeps hujus mundi, etc. » — De bonis hominibus; unde : « Princeps populorum congregati sunt cum Deo Abraham [20]. » — De malis hominibus; unde : « Principes tui infideles,

(1) *Duces impii. In propheta* B-G. — (2) *Cognovi.* Osee viii, 4. — (3) *Loqui.* Job xxix, 9. — (4) *Principes.* Ps. cvi, 40. — (5) *Eos.* Job xv, 21. — (6) *Redemisti.* Exod. xix, 13. — (7) *Altaris.* Numer. vii, 2.— (8) *Duces.* Is. xiii, 2. — (9) *Impios.* Job xxxiv, 18.— (10) *Pacis.* Is. ix, 6. — (11) *Princeps.* Is. xxxii, 5. — (12) *Quicquam.* Joan. xiv, 30. — (13) *Jerusalem.* Jerem. xxxix, 3. — (14) *Princeps.* Levit. iv, 22. — (15) *Principibus.* Dan x, 13.—(16) *Terram.* Ps. xliv, 17. — (17) *Principibus.* I Reg. ii, 8. — (18) *Principum.* Job xxxiv, 19. — (19) *Sui.* Ps. cxv, 8. — (20) *Abraham.* Ps. xlvi, 10.

socii furum [1]; omnes sequuntur retributionem, et amant munera. » — Communiter tam de bonis quam de malis ; unde : « Diis non detrahes, et principibus populi tui non maledices [2]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Princeps præeminet dignitate, honoratur, ministris stipatur, militibus decoratur, gladium portat, timetur; vindex est malorum, bonorum defensor [*Sequuntur eædem distinctiones quæ supra in Rabano*].

PETRUS CAPUANUS ad litt. IV, art. 31. Dux poli, Christus. Psalmus : « Dux mihi es, et enutries me [3]. » — Duces soli apostoli. Psalmus : « Principes Zabulon, duces eorum [4]. » — Dux inferni, diabolus et omnes maligni spiritus. Paulus : « Prout ducebamini euntes [5]. » — Dux erroris, hæresiarcha. Job : « Voces suas cohibebant duces. » Primus nos præcessit crucis vexillo, ut eum sequamur imitationis exemplo. Secundus præcessit palma martyrii, ut eum sequamur compassione proximi. Tertius præcessit elatione superbiæ, ut eum sequamur appetitu inanis gloriæ. Quartus præcessit erroris cæcitate, ut eum sequamur, separando nos ab Ecclesiæ unitate.

IDEM ad litter. XV, art. 3.

Principes

Cœlestes.	*Aerei.*
Deus.	Diabolus.
Angelus.	Dæmones.
Terrestres.	*Tartarei.*
Magnates.	Hæretici.
Apostoli.	Prælati mali.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Genes., v. 1836-1853.

Non auferetur sceptrum de Juda et dux de femore ejus, etc.

« Nec sceptrum periit Judæ de sanguine, donec
« In mundum missus a Patre Christus adest... »
Judas designat Christum, quem laudat in altis
Angelus, in terris pronus adorat homo.
Colla superborum premit ejus dextera : soli
Servitium præbent cuncta creata sibi.
Bina luce solet catulus dormire leonis,
Postque duos surgit evigilatque dies.
Sic et tertia lux de somno suscitat illum
Qui stirpis Judæ dicitur esse leo [6].

LXXIX.

÷ 1. SERVUS, Christus, in carnis abjectione, sicut in Isaia de eo dicitur : « Ecce servus meus, suscipiam eum [7]. »

÷ 2. Doctor fidelis in Ecclesia. In Evangelio : « Quis, putas, est fidelis servus et prudens [8]? »

÷ 3. Et in aliam partem de pravo doctore, ubi et supra : « Quod si dixerit ille servus in corde suo [9]. »

÷ 4. Homo peccator. In Salomone : « Servus verbis non corrigitur, quia quod dicis, intelligit, et respondere contemnit [10]. »

÷ 5. *Servi*, sancti. In Joel : « Sed et super servos meos [11] et ancillas meas effundam spiritum meum [12]. »

LXXX.

1. ANCILLÆ, animæ sanctorum, vel propter utrumque sexum virorum et mulierum : « Sed et super servos et ancillas, etc. »

(1) *Furum*. Is. I, 23. — (2) *Maledices*. Exod. XXII, 28. — (3) *Me* Ps. XXX, 4. — (4) *Eorum*. Ps. LXVII, 28. — (5) *Euntes*. I Cor. XII, 12. — (6) *Leo*. Cf. supra p. 51 sqq. et infra in *Physiolog*. Περὶ λέοντος. — (7) *Eum*. Is. XLII, 1. — (8) *Prudens* Matt. XXIV, 45. — (9) *Suo*. Ib. 48. — (10) *Contemnit*. Prov. XXIX, 19. — (11) *In Joel : et super servos et super* G. — (12) *Meum*. Joel II, 29.

2. Apostoli, propter carnis infirmitatem, sicut in Job pro Zabulo dicitur : « Et alligabis eum cum ancillis tuis [1]. »

3. Animæ peccatorum, in Nahum : « Miles captivus adductus est, et ancillæ ejus minabantur gementes [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Servus, Christus, ut : « Ecce s. m. » — Angelus, ut : « Conservus tuus et fratrum tuorum [3]. » — Populus judaicus, ut : « Servum meum vocavi, et non respondi [4]. » — Tentatus aliquis, ut : « Sicut servus desiderat umbram [5]. » — Corpus nostrum, ut : « Servo meo : Fac hoc, et facit [6]. » — Diabolus, ut : « Accipies eum servum sempiternum [7]. »

Ancilla, Ecclesia, ut : « Salvum me fac filium ancillæ [8]. » — Caro corruptibilis, ut : « Ejice ancillam et filium ejus [9]. » — Prædicatores, ut : « Ligabis eum cum ancillis tuis [10]. » — Humiles, ut : « Cibaria ancillis suis. » — Mentes Judæorum effeminatæ, ut : « Ancillæ meæ sicut alienum habuerunt me [11]. »

Petrus Cantor. Ancilla dicitur quandoque Ecclesia, propter subjectionem ; unde : « Omnia subjecisti sub pedibus ejus [12]. » —Quandoque beata Virgo, propter humilitatem ; unde : « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ [13]. » — Quandoque Synagoga, propter servilem timorem ; unde : « Ejice ancillam et filium ejus. » — Quandoque apostoli, propter discernendi officium et carnis fragilitatem ; unde, in libro Sapientiæ, parato prandio, misit pater familias ancillas, id est apostolos, ut adducerent invitatos [14].

Serviunt quidam in lætitia, ut filii, non coacti vel necessitate compulsi ; — In apparentia, ut hypocritæ ; — In nequitia, ut diabolus ; — In avaritia, ut mercenarii ; — In tristitia, ut Judæi ; — In angaria, ut claustrales multi, cum Simeone Cyrenæo, de quibus dicitur :

> Præcordia fatui, rota plaustri :
> Quæ semper murmurat, dum fenum portat.

Petrus Capuanus ad litter. I, art. 33.

Ancilla

Per subjectionem.	Ecclesia.
Per humiliationem.	B. Virgo Maria.
Per administrationem . . .	Apostoli.
Per servilem timorem. . .	Synagoga.
Per intelligentiam carnalem.	Littera.

Servus.

Christus.	Malus.
Justus.	Judaicus populus.
Timidus.	

Distinction. monasticar. lib. i, *de Ancilla.*

> Nobilis ancilla felix est virgo Maria,
> Nascitur ex illa Patris incarnata Sophia.

Ancilla dicta beata Mater est, et intacta Virgo Maria, propter perfectam humilitatem ; unde David sub persona Christi : « Salvum me fac filium ancillæ tuæ. » Et ipsa in cantico suo : « Respexit Dominus, etc. » — Ancilla dicitur Synagoga, sive lex vetus, propter servilem timorem ; unde Apostolus : « Scriptum est quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et alterum de libera. » Et paulo post : « Hæc sunt duo testamenta [15]. » —Humiliores, vel certe inferiores in Ecclesia ; unde de forti muliere scriptum est, quod « dedit cibaria ancillis suis ; » quia Ecclesia dat simplicem doctrinam infirmioribus membris. — Mi-

(1) *Tuis.* Job xl, 24.— (2) *Gementes.* Nahum ii, 7. — (3) *Tuorum.* Apoc. xxii, 9.— (4) *Respondi.* Job xix, 16. — (5) *Umbram.* Job vii, 2.— (6) *Facit.* Matt. viii 9. — (7) *Sempiternum.* Job xl, 23. — (8) *Ancillæ.* Ps. lxxxv, 15. — (9) *Ejus.* Genes. xxi, 10. — (10) *Suis.* Prov. xxxi, 15. — (11) *Me.* Job xix, 15. — (12) *Ejus.* Ps. viii, 8. — (13) *Suæ.* Luc. i, 48. — (14) *Invitatos.* Ad plura simul congesta respexit. Cf. Matt. xxii, 3 ; Prov. ix, 15. — (15) *Testamenta.* Galat. iv, 22.

nores doctores propter angustiorem capacitatem; unde legitur in Parabolis, quod « Sapientia misit servos suos et ancillas, ut vocarent ad arcem et ad mœnia civitatis; »
5 quia Christus misit majores et minores doctores, ut vocarent hominem ad charitatem et morum honestatem, vel ad vitam contemplativam et vitam activam, quæ circa multa versatur.

10 ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Ancilla humilis, obediens, verecunda, timida, fidelis, sollicita, operosa, inculta. — Servus

Proditor, ingratus, idiota, piger, memor iræ,
Dilapidans, et jussa negans est servus iniquus.

15 Ancilla, caro corruptibilis, unde: etc. — Ecclesia — prædicatio [*Ut in Rabano*].

Servus.

Christus.	Tentatus.
Angelus.	Corpus.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. II, v. 364-374.

Pergens ad pugnam quis, si videat mulierem,
Et concupiscat eam forma facieque venustam,
Ejus cæsariem radat, succidat et ungues,
Cogat eam lugubri lugere suos in amictu;
Et sic uxorem tandem sibi sumat eamdem.
Qui disciplinas didicerunt philosophorum,
Atque poetarum metra fabellasque canoras,
Scripturas tractare sacras caveant velut illas,
Ad sensus curvare suos timeant pia verba,
Sed sua sensa levent ad cœlica dogmata sana,
Per quæ directi, per quæ sint mundificati.

LXXXI.

÷ 1. INIMICUS, diabolus. In Evangelio: « Inimicus homo hoc fecit [1]. »

÷ 2. *Inimici,* Judæi, vel hæretici. In Michæa: « Inimici hominis, » id est Christi, « domestici ejus [2]. »

20 ÷ 3. *Adversarius,* diabolus. In Zacharia: « Et Satan stabat a dextris ejus, ut adversaretur ei [3]. »

÷ 4. *Crudelis,* diabolus. In Salomone: « Ne des alienis, » hoc est dæmonibus, « honorem tuum, et annos tuos crudeli [4]. »

LXXXII.

÷ 1. ALIENI, dæmones, Judæi, sive hæretici. In psalmo: « Quoniam alieni in-
25 surrexerunt adversum me [5]. »

÷ 2. *Extranei,* dæmones. In Salomone: « Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui in domo aliena [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 32; ed. II, col.
30 765 A ad LXXXI, 1.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Adversarius, sacra Scriptura; unde: « Esto consentiens adversario tuo [7]. » — Diabolus; unde: « Adversarius vester diabolus, tam-
35 quam leo [8]. » — Populus incredulus; unde: « Irritat adversarius nomen tuum [9]. »

PETRUS CANTOR. Inimici sunt necessarii; qui inimicos non habet, victoria caret. Inimicos habuit Christus scribas et pharisæos; unde: « Circumdederunt me canes multi [10]. » — Novitatis amicos, de quibus dicitur: « Jesus autem non credebat se ipsum eis: nec erat opus ut quis ei testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine [11]. » — Fictos; unde: « Magister, scimus quia verax es, et viam

(1) *Fecit.* Matt. XIII, 28. — (2) *Ejus.* Mich. VII, 6. — (3) *Ei.* Zach. III, 1. — (4) *Crudeli.* Prov. V, 9. — (5) *Me.* Ps. LIII, 5. — (6) *Aliena.* Prov. V, 10. — (7) *Tuo.* Matt. V, 25. — (8) *Leo.* I Petr. V, 8. — (9) *Tuum.* Ps. CX, 2. — (10) *Multi.* Ps. XXI, 17. — (11) *In homine.* Joan. II, 24.

Dei in veritate doces [1]. » — Alios debiles, qui dicunt : « Durus est hic sermo, » et abierunt [2].

Inimicus Dei dicitur, qui cultum Deo 5 debitum idolis exhibet; unde : « Et servierunt plus creaturæ quam creatori [3]. » — Judæus qui persequutus est Christum, sive hæreticus, de quibus ad Christum dicitur : « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [4]. »

Anonymus Clarevallensis.
Inimicus.

Diabolus.	Prædicatores
Homo malus.	mali.

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 1205-1208.

Adversarius hic divinus sermo vocatur :
Si peccare velis, obviat ille tibi ;
Iste vetat fieri quæ sunt contraria carnis
In vita, dici quæ caro nostra potest.

LXXXIII.

10 ÷ Cives, fideles. In Apostolo : « Sed estis cives sanctorum et domestici fidei [5]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 30; ed. ii, 769 d.

Rabanus. Cives, fideles, ut : « Cives sanctorum e. d. f. » — Judæi persequentes, 15 ut : « Cives autem ejus oderant eum [6]. » — Diabolus, ut : « Abiit, et adhæsit uni civium [7]. »

Petrus Cantor. In civitate sunt rex, officiales, plebs; eodem modo in homine 20 malo civitas intelligitur : rex est diabolus; officiales, pedes et manus; plebs, tumultuosæ cogitationes.

Distinctionum monasticar. lib. i, *De civitate*. Civitas [*Vid. supra*, p. 171], cor-25 pus, unde : «Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni [8]. » Terra est deserta, quando sine Spiritu sancto de se deseritur; cito corpus vitiorum flammis exuritur. — Sensus corporei; unde et is qui quinque 30 talenta duplicaverat, audivit : « Esto supra quinque civitates [9]. » — Gentilitas conversa; unde : « Plui super unam civitatem. » — Non conversa; unde : « Et super alteram non plui [10]. » — Plebs judaica; unde : 35 « Quomodo facta est meretrix, civitas fidelis, plena judicii [11] ? » Plebs namque judaica, quondam fidelis in Patriarchis, postea est meretricata cum idolis. — Civitates, homo virtuosus; unde : « Non potest abscondi civitas supra montem posita; » id est non potest diu latere homo in eminentia virtutum constitutus. — Homo incredulus, vel injustus : « Quomodo sedet sola civitas [12] ! » Solus est, qui sine Deo est.

Cœlestis patria civitas est securitatis; præsens Ecclesia, necessitatis; beata Mater et Virgo Maria, fecundæ castitatis, incorruptæ corruptibilitatis, cœlestis terrenitatis, spiritualis corporeitatis, divinæ humanitatis, ineffabilis dignitatis; mundus, civitas vanitatis; gentilitas conversa, sanctæ novitatis; non conversa, vetustatis; plebs judaica, cæcitatis; infernus, calamitatis; congregatio hæreticorum, rapacitatis; homo sanctus, legalitatis; malus, inquietudinis; sensus hominis, curiositatis; corpus, contrarietatis. Singula probare auctoritatibus facile est, fando, sed non scribendo; ideo istud lectoris studio derelinquo

Petrus de Riga.

Aurora, Deuteron., v. 151-154.

Qui fugis Ægyptum, non ejus respue civem :
Legifer insignis præcipit ista tibi.
Sic quamvis mundum fugias, de pulvere mundi
Perfecte purus non potes esse tamen.

(1) *Doces*. Marc. xii, 14. — (2) *Abierunt*. Joan. vi, 61. — (3) *Creatori*. Rom. i, 25. — (4) *Tuorum*. Ps. cx, 2. — (5) *Fidei*. Ephes. ii, 19. — (6) *Eum*. Luc. xix, 14. — (7) *Civium*. Luc. xv, 15. — (8) *Igni*. Is. i, 7. — (9) *Civitates*. Luc. xix, 19. — (10) *Plui*. Amos iv, 7. — (11) *Judicii*. Is. i, 21. — (12) *Civitas*. Thren. I, 1.

LXXXIV.

÷ 1. Judex, Deus. In psalmo : « Deus judex fortis et patiens [1]. »

÷ 2. *Judices*, apostoli. In Evangelio : « Sedebitis super duodecim tribus Israel [2]. »

LXXXV.

1. Judicium, discretio boni ac mali : « Si vere utique justitiam loquimini, recta 5 judicate, filii hominum [3]. » ÷ « Si separaveris pretiosum a vili [4]. »

2. Damnatio futura [5] : « Qui credit in me non judicabitur [6]. » ÷ « Qui autem non credit, jam judicatus est, » hoc est condemnatus.

3. Confessio pœnitentis [7], accusantis se et laudantis Deum : « Reduc me in memoriam, et judicemur simul [8]. Quod si nosmet ipsos dijudicavimus [9], non uti- 10 que judicaremur [10]. » ÷ Et in Job : « Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere tecum in judicio [11] ? »

4. Præsumtio de justitia propria [12] : « Quid vultis mecum judicio contendere? omnes dereliquistis me [13]. »

÷ 5. Separatio bonorum et malorum ab invicem. In Evangelio : « Et separabit 15 eos ab invicem [14]. » Et in psalmo : « Judica me, Deus, et discerne causam meam [15]. »

÷ 6. Injusta reprehensio, vel damnatio. In Evangelio : « Nolite judicare, ut non judicemini [16]. Qui non manducat, manducantem non judicet [17]. »

÷ 7. *Judicare*, damnare : « Beatus qui se non judicat [18]. »

20 ### VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Judices, prælati Ecclesiæ, ut : « Dedit eis judices, ut judicent eos. [19]. » — Mali prælati, ut : « Adducet judices in stuporem [20]. » — Judæi, Christum judicantes, 25 ut : « Vultum judicum ejus operuit [21]. »

Judicium, discretio, ut : « Judicate inter me et vineam [22]. » — Separatio, ut : « In virtute tua judica me [23]. » — Damnatio, ut : « Arripuerunt judicium manus meæ [24]. »

30 Petrus Cantor. Judex noster est in præsenti sacerdos, coram quo advocatum habemus pœnitentiam. — Angelus, et advocatum habemus justitiam. Nam animæ egredienti de corpore occurrunt boni angeli et mali. Quod si fidelis est anima, recipitur a bonis : sin autem, a malis. Et quod boni angeli et mali tunc occurrant, ex Vita beati Martini colligitur et ex Legenda beati Fursei [25]. — In futuro, Deus, in die judicii, coram quo advocatus noster sola ipsius misericordia. Et hos quidem judices habemus; sed solus Deus judex districtus dicitur,

(1) *Patiens*. Ps. vii, 12. — (2) *Israel*. Luc. xxv, 30. *Sedebitis super sedes duodecim. Judicantes* D, E. —(3) *Hominum*. Ps. lvii, 2.—(4) *Vili*. Jerem. xv, 19. — (5) *Futura, sicut in Evangelio, pro fidelibus veritas loquitur, et de contrario de reprobis* B-G. — (6) *Judicabitur*. Joan. iii, 18. — (7) *Pœnitentis, in eo enim quod se accusat, et Dei justitiam laudat, verum judicium est. De hoc judicio Dominus per Isaiam loquitur, dicens* B-G. — (8) *Simul*. Is. xliii, 26. — (9) *Judicaremus* B-G. — (10) *Judicaremur*. I Cor. xi, 31. — (11) *Judicio*. Job xiv, 3. — (12) *Falsa quorumdam præsumtio, et de propria se exaltans justitia, de quibus Dominus per Jeremiam respondet, dicens* B-E. — (13) *Me*. Jerem. ii, 29. — (14) *Invicem*. Matt. xxv, 32. — (15) *Meam*. Ps. xlii, 1. — (16) *Judicemini*. Matt. vii, 1. — (17) *Judicet*. Rom. xiv, 3.— (18) *Judicat*. Rom. xiv, 22.— (19) *Eos*. Jud. ii, 16.— (20) *Stuporem*. Job xii, 17.— (21) *Operuit*. Job ix, 24. — (22) *Vineam*. Is. v, 3. — (23) *Me*. Ps. ciii, 3. — (24) *Meæ*. Deuter. xxxii, 41. — (25) *Fursei*. Vide utrumque locum et alia hujuscemodi in t. ii, p. 56 sqq.

quia non est acceptor personarum; quia omnium peccatorum punitionem habet; et propter pœnam interminabilem, et propter severitatem. Judicat Deus in futuro, id est, dijudicando merita et loca, ut ascendat Jerusalem, et descendat Babylonia; adjudicando; unde : « Ite maledicti. » Item : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei [1], » id est majestatem Divinitatis.

Judicat Deus in præsenti, discernendo merita, etsi non loca, quia modo mixti sunt boni cum malis; unde : « Judica me, Deus. » — Excæcando; unde : « Nunc judicium est mundi. » — Corrigendo, quia : « Flagellat ut corrigamur. » — Miserando; unde : « Judicare pupillo et humili [2]. » — Et ita multiplex est judicium Dei, et in præsenti et in futuro.

Distinctionum Monasticar, lib. iv, *de Justitia*. Justitia est virtus unicuique tribuens quod suum est; hæc est una cardinalium virtutum, quam peripatetici ponunt inter pleonexiam et monexiam, quarum altera superflua, altera diminutiva, utraque est injusta; quia ubi virtus, ibi modus, secundum illud Judicis carminum [3]:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quod quidam de modernis subtiliter implicuit, dicens :

Junge modum modico; modicum vero postea junge;
Et modo tum modicum nescit habere modum.

Et nota quod est justitia præsidens, quæ sedem habet in mente, et justitia obsequens, id est usus ipsius virtutis. — Justitia significat humilitatem in illis verbis : « Sine modo, sic enim nos oportet implere omnem justitiam [4]. » — Justitia dicitur fides, quia justificat. — Emphatice significat ipsos justos, ut ibi : « Quoadusque justitia convertatur in judicium [5]? » — Justitia dicitur præmium justitiæ, ut ibi : « Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi [6]. »

Ibidem. De Judicio. Judicium significat efficaciam rationis discernendi inter contraria, ut ibi : « Ephraim fractus judicio, quia cœpit abire post sordes [7], » id est debilitatus est a voluptate efficacia rationis discernendi mala a bonis et vera a falsis. Unde quidam ait :

Non homines, sed humum placet hos pecudesque vocari
Quos carni constat, spreta ratione, jocari.

Judicium significat

Examinationem criminis.	Separationem.
	Damnationem.
Peccati punitionem.	Probationis certitudinem.
Discretionem.	Reprehensionem [8].

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangel., v. 2640-2647.

Terrenus judex erat, absque timore superni
Judicis, elatus, durus, iniquus, atrox.
Et tamen assidue viduæ clamantis ad aures
Quærula vox intrat, subsidiumque tulit.
Improba vox viduæ si pravas molliat aures,
Vox tua quam citius utitur aure Dei,
Si sis assiduus et supplex in prece clames
Intus et exterius, corde vel ore simul.

LXXXVI.

Chirographum, conscriptio hominis peccatoris cum diabolo. In Apostolo : « Et chirographum decreti quod erat contrarium nobis [9]. »

(1) *Dei.* Is. xxvi, 10. — (2) *Humili.* Ps. x, 18. — (3) *Carminum.* Horat. I *Sat.* i, 106. — (4) *Justitiam.* Matt. iii, 15. — (5) *Judicium.* Ps. xciii, 15. — (6) *Sæculi.* Ps. cx, 3. — (7) *Sordes.* Osee v, 11. — (8) *Reprehensionem.* In expositione singularum distinctionum multa de more suo adducit. An docte eleganterve, ut judices, ecce tibi pauca : « Quidam quem nominare non curo, de quodam episcopo, tam vita quam doctrina venerando, quod in eum sententiam excommunicationis injuste tulit, ita conquestus est :

Judicium præceps in me tulit : aut regionis
Aut levitate sua protulit error Adæ. »

Et in fine :

« Turpe est doctori, quum culpa redarguit ipsum. »

— (9) *Nobis.* Coloss. ii, 14.

LXXXVII.

÷ Cautio, agnitio, vel recordatio peccatorum. In Evangelio : « Accipe cautionem tuam, et sede ; cito scribe : Quinquaginta [1]. »

LXXXVIII.

÷ 1. Testes, apostoli, vel cæteri fideles. In Apostolo : « Testimonium dicimus de Domino, quod suscitavit Jesum Christum a mortuis [2]. »

5 ÷ 2. Falsi Judæi, sive hæretici. In psalmo : « Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui [3]. » Et in Deuteronomio : « Stetit, testimonium falsum proferens adversus proximum suum [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. ii, col. 766 c ad lxxxvi, 10 et lxxxviii, *sed in alio sensu.*

Petrus Cantor. Chirographum vel decretum, sententia decreti a Deo data : « Quacumque die comederis, morte morieris [5]. » — Peccatum Adæ, cujus rei eramus, a quo 15 Christus nos redemit. — Memoria trangressionis illius mandati. De quo triplici chirographo : « Et chirographum, etc. »

Petrus Cantor. Testes Domini, apostoli; unde Dominus : « Vos eritis mihi testes in 20 omni Judæa [6]. » — Martyres, quia non solum loquendo, sed etiam moriendo confessi sunt. — Confessores, quos Dominus confitentes ostendit, dicens Ezechieli : « Fili hominis, contestare, et dic : Venit finis! venit 25 finis [7] ! » Et timendi sunt isti testes, quia non dormiunt, neque dormient, omnia conservant in corde suo. Noli ergo dicere, quum peccas : Nemo me videt, nemo me audit. Noli errare, quia isti non irridentur. 30 Væ autem homini illi, per quem isti loquentur!

Testis qui metu cujuslibet occultat veritatem, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quam Deum, ex con35 cilio Agathensi [8], etc.

Martyres dicuntur acervus testimonii. [*Vid.* t. ii, p. 335.]

Martyrum tria sunt genera : in sanguinis effusione, in carnis maceratione, in proximi compassione.

Martyres sunt veteris testamenti, ab initio temporis usque ad tempus gratiæ. Veteris ergo testamenti martyr dicitur, qui vel in figura Christi mortuus est, ut Abel; vel pro veritate quam dicebat, ut Isaias serra lignea sectus, Jeremias lapidatus, Ezechiel excerebratus; vel pro lege Dei, sicut septem Machabei. — Et novi martyres sunt vel qui in loco Christi sunt occisi, sicut Innocentes; vel pro veritate, ut Joannes Baptista; vel qui pro fidei christianæ testimonio, id est Christi passione, de quibus dicitur : « Sancti per fidem vicerunt regna [9]. » Et hic proprie martyr; martyr enim testis interpretatur, sicut Stephanus dicitur protomartyr, scilicet primicerius martyrum. Vel qui, firmus in fide, illatam sibi mortem sustinet patienter, quamvis non pro fidei testimonio, ut beatus Thomas et Lambertus.

Petrus Capuanus ad litt. xix, art. 10.

Testimonium et *Testes*

Cœli.	*Terræ.*
Pater.	Spiritus.
Filius.	Aqua.
Spiritus Sanctus.	Sanguis.

(1) *Quinquaginta.* Luc. xvi, 6. — (2) *Mortuis.* I Cor. xv, 15. — (3) *Iniqui.* Ps. xxvi, 12. — (4) *Suum.* Deuter. v, 20. — (5) *Morieris.* Genes. ii, 17. — (6) *Judæa.* Act. i, 8. — (7) *Finis.* Ezech. vii, 2, 6.— (8) *Agathensi.* Tum adducitur hic canon extra ordinem positus, editus ex veteri canonum collect. (Mansi. viii, 339), tum alia de falso testimonio, scite quidem dicta, sed ad rem nostram minime.—(9) *Regna.* Hebr. xi, 33.

Testis

Ecclesiæ.	*Inferni.*
Christus.	Vermis.
Contra nos, prædicator.	Ignis.
	Desperatio.
Contra Deum, hæreticus.	Falsi testes.
	Idololatræ.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Testes justitiæ et veritatis, ut : « Tres sunt qui testimonium dant in cœlo [1]. » — Sævitiæ et crudelitatis, ut : « Testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes Saulis [2]. » — Misericordiæ et pietatis, ut : « Adhibe tecum unum vel duos testes, ut in ore duorum stet omne verbum [3]. » — Constantiæ et fortitudinis, ut : « Eritis mihi testes in Jerusalem. »

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Tobia, v. 31-36.

Tobis subscripto bis quinque talenta Gabelo
  Tradit, cognatum rebus egere videns.
Sic per scriptores legis commisit Hebræus
  Gentili populo, jussa docendo Dei ;
Ut paupertatem fidei ditaret in illo,
  Et ditem faceret munere legis eum.

II. In Daniel., v. 103-126.

Præter tres pueros statuam plebs omnis adorat.
  Accendit nimius regia corda furor.
Fornacem jubet accendi. Strepit ignis in illa,
  Et solito gravior septupla flamma fuit.
Tres in fornacis medio mittuntur : et illos
  Qui misere viros, flamma voravit edax.
Flamma novem cubitis surgens decies que quater-[nis
  Quos prope fornacem sentit adesse, vorat.
Angelus ad pueros descendens excutit ignem,
  Flare facit ventum roris in igne gravi.
Tres igitur laudem cecinere Deo : « Benedictus
  Patrum nostrorum sit sine fine Deus. »
Ille sequens hymnus qui post Benedicite currit,
  In laudes Domini prodit ab ore trium.
Rex stupet hoc, et ait : « Tres tantum misimus in-[tus,
  Quartus adest, quasi sit Filius ille Dei. »
Tunc prodire jubet rex de fornace canentes,
  Laudantes, hilares et sine labe viros.
Mirantur quod in his combustio nulla capilli,
  Non vestes ustæ, non odor ignis erat.
Edictumque dedit rex ne dives vel egenus
  Promat in illorum verba profana Deum.
Restituitque tribus quos est largitus honores
  Primitus, ut patriam sicut et ante regant.

LXXXIX.

÷ 1. FORTIS [4], Dominus. In psalmo : « Dominus fortis et potens [5]. » In Job : « Sapiens corde et fortis robore [6]. »

÷ 2. *Fortes*, sancti. In Canticis canticorum : « Ecce lectum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel [7]. »

÷ 3. *Fortis*, diabolus. In Evangelio : « Quum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet [8]. » Item ibi : « Et alligaverit fortem [9]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Fortis, Christus, ut : « Vocabitur nomen ejus fortis [10]. » — Diabolus, ut : « Dum fortis armatus, etc. » — Judæi, ut : « Irruerunt in me fortes [11]. » — Dæmones, ut : « Fortes quæsierunt animam meam [12]. »

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 400-411.

Si mundum fugimus, nec flectimur ad mala proni,
Lectum quo recubet, nostro facimus Salomoni.
Sunt sexaginta : decies sex exprimo juste.
Per denum numerum legis præcepta vetustæ
Exprimitur ; seno numero, sex ordo dierum,
Per quos decurrunt cum fine negotia rerum.
Per sex ergo dies, qui jussa Dei studuerunt
Observare decem, plenum numerum tenuerunt.
Isti noverunt munire cubicula regis
Dum removent hostes, sanctæ munimine legis.
Hique tenent gladios manibus : sacra verba notantur
In gladiis ; manibus, quum quod dicunt, operantur.

(1) *Cœlo*. I Joan. v, 7. — (2) *Saulis*. Act. VII, 57. — (3) *Verbum*. Matt. XVIII, 16. — (4) *Fortis*. « Hæc omnia inversa confusaque sunt in cod. collegii S. J. atque cod. Mesmiano restituta. » Hæc Grabius, in margine apographi sui. Eadem prope confusio in D, E. G cum B similior. — (5) *Potens*. Ps. XXIII, 8. — (6) *Robore*. Job IX, 4. — (7) *Israel*. Cant. III, 7. — (8) *Possidet*. Luc. XI, 21. — (9) *Fortem*. Marc. III, 27. — (10) *Fortis*. Is. IX, 6. — (11) *Fortes*. Ps. LVIII, 4. Desunt in E. — (12) *Meam*. Ps. LIII, 5.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar. lib. II, v. 6485-6496.

Quis fuit hic sapiens, ascendens fortia castra,
Qui virtute sua robora magna terit?
5 Æterni virtus Patris, et sapientia Christus.
Filius iste tuus, Virgo Maria, fuit.
Ingrediens mundum, virtutem dæmoniorum
Virtus cœlestis dissipat atque terit.
Ascendens mundum, destruxit castra potentum
Christus, tartarei dum premit arma ducis.
Oppida vel tunc istius destruxerat hostis,
Dum Deus ascendit, nos redimendo, crucem.
Spemque suam perdit et robur dux tenebrarum,
Idola dum cultus et sacra fœda ruunt.
Quilibet ascendit hæc mundi mœnia doctor,
Quum sanctæ fidei semina sancta serit.
Perfida schismatici dum vincunt tela magistri,
Sancti doctores, idola sive terunt;
Quando sacro purgant vitiosas dogmate mentes,
Depereunt stygii robora spesque ducis.

10

XC.

÷ 1. DIVES, Deus. In Apostolo : « Deus, qui dives est in misericordia [1]. »

÷ 2. Populus Judæorum, de quibus in Evangelio : « Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem in regnum cœlorum [2]. » Alii autem hunc divitem superbum quemlibet intelligunt.

15 ÷ 3. *Divites,* sancti. In Apostolo : « Quia divites facti estis, in illo, in omni sapientia et prudentia [3]. »

÷ 4. Judæi, vel superbi hujus mundi. In psalmo : « Divites eguerunt et esurierunt [4]. » Et alibi : « Divites dimisit inanes [5]. »

XCI.

20 ÷ 1. DIVITIÆ, divina eloquia : « Et bibent sitientes divitias ejus [6]. »

÷ 2. Sapientia : « Divitiæ salutaris sapientia et scientia [7]. »

÷ 3. Consiliorum acumina : « Si lætatus sum super multis divitiis, et quia plurima reperit manus mea [8]. »

÷ 4. Virtutes animæ, sive sermo sapientiæ. In Apostolo : « Quia divites facti 25 estis in omni sapientia et prudentia [9]. » Et in Salomone : « Possessio animæ viri, propriæ divitiæ [10]. »

5. Et in aliam partem, pro hæretico. In Job : « Divitias quas devoravit, evomet, et de ventre illius extrahet eas Deus [11]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

30 EUCHERIUS, ed. II, col. 756 ad XC, 1, 3, 4.

GREGORIUS M. Acus nomine angustia dominicæ passionis exprimitur, quia illa scissa quodam modo indumenta naturæ di-35 gnatus est resarcire, ut ibi : « Facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum cœlorum [12]. » Camelus enim Christus est, qui se ad portanda onera nostra humiliter inclinavit, et per foramen acus transiit, quem per angustiam passionis de diabolo triumphavit. — Acus nomine idem Christus potest intelligi, totus utique subtilis et rectus per divinitatem, et quasi in prima parte acutus, per incarnationem vero, velut in

(1) *Misericordia.* Ephes. II, 4. — (2) *Cœlorum.* Matt. XIX, 24. — (3) *Prudentia.* I Cor. I, 5. — (4) *Esurierunt.* Ps. XXXIII, 11. — (5) *Inanes.* Luc. I, 53. — (6) *Ejus.* Job V, 5. — (7) *Scientia.* Is. XXXIII, 6. — (8) *Mea.* Job XXXI, 25. — (9) *Prudentia.* Ephes. I, 8. — (10) *Divitiæ.* Undenam hæc, non detegebam. — (11) *Deus.* Job XX, 15. — (12) *Cœlorum.* Matt. XIX, 24.

posteriore parte, passionis vulnere perforatus est. Acus spiritum carni consuit, judæum gentili, hominem angelo, creaturam creatori. Per hanc camelus transit, quum gentilis populus, idololatriæ servitute gibbosus, per passionis ejus mysterium, ad remedia salutis accedit.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VIII, c. 6.

RABANUS. Dives, Deus, ut : « Homo quidam erat dives qui habebat villicum [1]. » — Populus judaicus, ut : « Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura [2]. » — Amator mundi, ut : « Divites eguerunt, etc. » Divitiæ, verba legis, ut : « Divitias quas devoravit, etc. » — Consilia, ut : « Si lætatus sum i. m. d. » — Contemplatores Dei, ut : « Pasceris in divitiis ejus [3]. »

PETRUS CANTOR. Divitiæ, sive temporalia bona dicuntur caduca in se, quia cadunt; in nobis, quia trahunt hominem ad casum, id est ad mortale peccatum.

Divitiæ, sive temporalia, dantur quibusdam ad illiciendum, sicut Judæis; unde : « Audi, Israel, mandata vitæ; si servaveris ea, dabo tibi terram fluentem lac et mel [4]. » — Quibusdam ad solatium; unde : « Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me [5]. » — Quibusdam ad damnationem; unde : « Propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur [6]. »

Divitiæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur. Contemtui esse debent, quia mentem habentis sollicitudine pungunt, quia superbiam generant, quia non diu possidentur, quia viam eundi ad Deum impediunt. Divitias, sive temporalia Deus quandoque subtrahit, sicut mater parvulo cibum, quando ipsum conculcat.

Divitiæ comparantur arundini propter deceptionem, propter fragilitatem, propter punctionem. Sicut enim arundo facile frangitur, et ei incumbens decipitur, et manus ejus vulneratur, ita divitiæ cito franguntur, et eis incumbentes decipiunt ac lædunt; unde : « Facilius est camelum transire per acum, etc. » Ad litteram Acus porta erat in Jerusalem [7], per quam si cameli debebant intrare, necesse erat ut onera eorum deponerentur. Unde bene Dominus dixit : Facilius est, id est minus difficile, camelum per illam portam quæ Acus dicebatur, intrare, quam divitem, sic manentem et divitias amantem, in regnum cœlorum intrare.—Vel mystice, per camelum Christus figuratur, qui onus peccatorum nostrorum portavit; unde facilius est Christum pro dilectoribus sæculi pati, quam sæculi amatores ad fidem converti.—Vel aliter, facilius est gentilem populum gibbo peccatorum deformem, ad fidem converti, quam Judæum populum, qui se divitem reputat in lege et prophetis, quum tamen pauper sit, in regnum cœlorum intrare.

Qui divitias vel opes congregant, ignem in sinu portant; cum colubro dormit, qui opes ambit.

Divitiæ comparantur foveæ [*vid.* p. 275].

Divitias quidam contemnunt voluntate, ut veri claustrales; quidam voluntate, et non re, ut prælati; quidam carent in re, sed non voluntate, ut pauperes qui non sunt pauperes spiritu; de istis dicitur : Deterior rota plaustri fenum portat, et semper murmurat.

Divitias amantes, non divites reprehendit Apostolus, ut dicit Glossa : Nota quod Apostolus non exprobravit divitias, sed morbum earum, id est superbiam.

PETRUS CAPUANUS ad litt. IV, art. 21.

Divitiæ Dei.	*Hominis.*	*Diaboli.*
Divinitas.	Vires.	Mali.

(1) *Villicum.* Luc. XVI, 1. — (2) *Purpura.* Luc. XVI, 19. — (3) *Ejus.* Ps. XXVII, 3. — (4) *Mel.* Exod. III, 8. — (5) *Me.* Cant. VIII, 3. — (6) *Allevarentur.* Ps. LXXII, 18. Pergit adducendo testimonia Gregorii, Hieronymi et exemplum philosophi thesauros in mare effundentis.—(7) *Jerusalem.* Id notum Erasmo, et ab eo inter aniles fabulas reputatum. Theophylactus vero per *camelum* hic designari funem nauticum primus asseruit. Quod ut plausibile ac novum est, inquit Zegerus, ita neotericis arridet. Sed perperam, ignorantia adagii inter Hebræos et Arabas usitati, non minus de elephante quam de camelo. Immo, pergit Grotius, idem invenitur apud veteres scholæ rabbinicæ magistros. Cf. *Critic. sacr.* t. IV, p. 582 sqq.

Divitiæ Dei.	*Hominis.*	*Diaboli.*
Justitia.	Virtutes.	Superbia.
Potentia.	Legis intellectus.	Avaritia.
Sapientia.		

5 ANONYMUS CLAREVALL. Divitiæ, spinæ, sartago, gibbus cameli, capilli Magdalenæ, bona vaga, pennata, brevis vitæ longum viaticum, paleæ carnis, laqueus diaboli. Copia terrestris hominem cito deserit; effert, et curis lacerat; cœlum secludit; habentem non satiat, quia quo quis plus habet, amplius optat.

Divitiæ.	
Verba legis.	Contemplatio Dei.
Consilia.	

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar, lib. I, v. 980-987.

India non gemmas, aurum nec Arabia mittit
Tale tibi, quales dat tibi Christus opes.
Non dicat quod inops sit, quem sapientia ditat :
Est dives valde munere quippe Dei.
Nam bona perpetua præcellunt gaudia mundi :
Hæc tecum pereunt; hæc sine fine manent.
Rex Salomon gemmæ non comparat hunc pretiosæ,
Occasum cujus nescit habere jubar.

XCII.

÷ 1. PAUPER, Christus, sive populus fidelis. In Apostolo : « Propter vos pauper 15 factus est, quum esset dives [1]. » Et in psalmo : « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum [2]. »

÷ 2. *Pauperes,* sancti, humiles spiritu. In Evangelio : « Beati pauperes spiritu [3]. » Et in psalmo : « Non sprevit neque despexit preces pauperum [4]. »

÷ 3. *Pauperes,* divites sæculi hujus, virtutibus vacui. In Apocalypsi : « Dicis 20 quia dives sum et ditatus, et nescis quia tu es pauper et mendicus [5]. »

÷ 4. *Inops,* populus gentium humilis. In psalmo : « Suscitans a terra inopem [6]. » Et alibi : « Eripiens inopem de manu fortioris, » hoc est de potestate diaboli.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. II, col. 756 c ad 1, 2.

25 PETRUS CANTOR, PETRUS CAPUANUS et GARNERIUS LINGONENSIS. Christus pauper dicitur, quia paupertatem habuit rerum temporalium; unde : « Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, etc. [7]. » — 30 Quia paupertatem habuit pœnæ, non culpæ; unde : « Ego vir videns paupertatem meam [8]. » — Quia paupertatem prædicavit; unde : « Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet [9], etc. » Et : « Vade, vende 35 omnia quæ habes [10]. » — Quia paupertatem eligit; unde : « Infirma mundi elegit Deus [11]. »

PETRUS CANTOR et GARNERIUS. Christus simul in unum dives et pauper est : dives est in fruitione Dei; pauper, in miseriis sæculi. Pauper est, quia de paupere matre natus est, pannis vilibus involutus, in loco vilissimo reclinatus. O cæca miseria hominis! quod creatura dedignatur similis esse suo creatori, suo redemtori. Christus enim pauper fuit, et homo paupertatem verecundatur. Qui eum imitari noluerit, cum eo non regnabit. Unum scio, quod quanto quis pauperior est, tanto copiosius et affluentius habet unde possit placere Deo, etc.

Pauperes	
Dei,	Humiles.
Mundi,	Usu pauperes.
Diaboli,	Cupidi et avari.

(1) *Dives.* II Cor. VIII, 9. — (2) *Eum.* Ps. XXXIII, 7. — (3) *Spiritu.* Matt. V, 3. — (4) *Pauperum.* Ps. XXI, 25. — (5) *Mendicus.* Apoc. III, 17. — (6) *Inopem.* Ps. CXII, 7. — (7) *Nidos.* Matt. VIII, 20. — (8) *Meam.* Thren. III, 1. — (9) *Possidet.* Luc. XIV, 33. — (10) *Habes.* Matt. XIX, 21. — (11) *Deus.* I Cor. I, 27.

Anonymus Clarevallensis. Paupertas, humilitas spiritus, ut : « Beati pauperes spiritu [1]. » — Gentium ignorantia et Judæorum, ut : « Propter miseriam inopum et gemitum pauperum [2]. » — Defectus virtutum, ut : « Infirmata est in paupertate virtus mea [3]. »

Laurentius Dunelmensis.

Hypomnesticon, in lib. vii.

Quanta possidet, qui Deum habet.

O qualis jactura, Deo præponere quicquam!
Quem bene si quis habet, quæso, quid est quod habet?
Nam, si magna petis, Deus est super omnia magnus:
Si bona, quam bonus est, dicere nemo potest.
Si speciosa cupis, quis eo speciosior? Optas
Forsan opes? Dat opes, dives et ipse manet.
Si te celsa juvant generosaque, quam generosus
Quamve sit excelsus, nemo referre potest.
Quod si forte potens juvat et pius esse, potestas
Huic pia, seu pietas est sine fine potens.
Quid morer? Ipse poli, terræ, maris auctor, et omnis
Quod fuit, est, et erit, præstat origo boni.
Huic famulans, regnat; parens, dominatur; Hebræus
Servit, et est liber subditus, estque potens.

XCIII.

÷ Sacculus, thesaurizatio in Dominum. In Evangelio [4] : « Facite vobis sacculos qui non veterascunt [5]. »

XCIV.

÷ Pera, victus sollicitudo [6]. In Evangelio : « Non peram in via [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed i, p. 22, 23 ; ed. ii, col. 761 A ad utrumque.

Rabanus. Sacculus, animus negligens, ut : « Misit in sacculum pertusum [8]. » — Cor pœnitens, ut : « Signasti, quasi in sacculo, peccata mea [9]. »

Petrus Capuanus ad litt. xviii.

Saccus

Pœnitentiæ.	Gloriæ.
Intelligentiæ.	
Redemtionis.	Judicia Dei occulta.
Avaritiæ.	Præmia æterna.

Saccus namque vestis vilis est, et abjecta : et pœnitens se ipsum debet abjicere in omni humilitate, ut dicat : « Saccum consui super faciem meam [10]. » — Saccus intelligentiæ est intellectus fidelium, in quo scyphus argenteus reponitur, id est eloquentia divina. — Saccus redemtionis nostræ fuit mortalis caro Christi : Psalmus : « Conscidisti [in passione] saccum meum, et circumdedisti me [in resurrectione] lætitia [11]. » De sacco avaritiæ ait Dominus apostolis : « Nolite portare sacculum, neque peram. » Sacculus gloriæ duplex, etc.

Petrus Episcopus.

Bennoni, in Genes. § xxxi.

Benjamin in sacco scyphus argenti reperitur :
Divinum eloquium sic Pauli corpore fulget.
Splenduit argentum, pueri sacci ore soluto :
Ex oculis Pauli quædam squamæ ceciderunt,
Vincula seu sacci, aut veteris velamina legis.

(1) *Spiritu*. Matt. v, 3. — (2) *Pauperum*. Ps. xi, 6. — (3) *Mea*. Ps. xxx, 11. — (4) *In Ezechiele* B C. — (5) *Veterascunt*. Luc. x, 4. — (6) *Vicus solitudinis* B. *Victus solitudo* C in margine. *Victus solitudinis* D. *Victus sollicitudo* E, G. Correximus cæteros ex Eucherio. — (7) *Via*. Luc. l. l. — (8) *Pertusum*. Aggæi i, 6. — (9) *Mea*. Job xiv, 17. — (10) *Meam*. Job xvi, 16. — (11) *Lætitia*. Ps. xxix, 22.

XCV.

÷ Modius, corpus humanum, vel legis littera, vel populus Judæorum. In Evangelio : « Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio [1]. »

XCVI.

÷ 1. Statera, æquitas, vel divinæ gubernationis potentia. In Isaia : « Et libravit in pondere montes, et colles in statera [2]. »

5 VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 23; ed. ii, col. 762 c, ad xcvi.

Alanus. Statera, prava diaboli persuasio; unde in Apocalypsi : « Et qui sedebat 10 super eum, habebat stateram in manu sua [3]. » Statera itaque diaboli est prava ejus persuasio, qua promittit terrena, ut auferat cœlestia. — Crux Christi, in qua ponderatum est pretium nostræ redemtionis, id est cor- 15 pus Christi; unde in hymno [4] :

Statera nostri corporis
Prædamque tulit tartari.

— Judicium, quo merita ponderantur; sicut in statera librantur pondera; unde 20 Job : » Unde appendantur peccata mea, et calamitas quam patior, in statera [5] ? » — Justitia; unde in psalmo : « Mendaces filii hominum in statera [6], » id est in libra justitiæ.

25 Petrus capuanus ad litt. xviii, art. 35. Statera pecuniæ. Sapientia : «Statera dolosa, abominabilis Domino [7]. » — Statera Scripturæ. Psalmus : « Mendaces filii, etc. » — Statera justitiæ, Daniel : « Mane, thecel, 30 phares [8]. » In prima mentitur et decipit avarus; in secunda, hæreticus; in tertia, hypocrita. In prima ergo debemus verum dicere negotiando; in secunda, prædicando; in tertia operando.

Anonymus Clarevallensis.

Statera.

Christus.	Judicia.
Discretio.	

Petrus de Riga.

Aurora, in Evangelio, v. 1155-1174.

Sed nec sub modio latitare lucerna jubetur :
Illa notat Christum, qui dat in orbe jubar.
Ponitur illa loco sublato : namque locatus
In cruce Salvator spargit ubique fidem.
Est alius sensus : Accendis, Christe, lucernam,
Dum testam carnis numinis igne reples.
Quem non includit legis mensura, nec uni
Judææ tantum lux ea nota fuit.
Sed super Ecclesiam Jesus hanc affixit, ut omnes
Adventus Christi lumen adesse sciant;
Impendantque Deo Patri grates et honores,
Non sibimet, sine quo non valet esse bonum.
Et quia præcepit Christus nova, ne quis eorum
Æstimet ut legem destruat, inquit ita :
« Cœlitus implere, non veni solvere legem,
Quam Moyses jussit, non abolere volo. »
Lex vetus impletur, quum qualiter illa teneri
Debeat, ostendit per sua jussa Deus;
Quum mel de terra, succum de cortice, granum
De palea, gemmas ex adamante trahis.

(1) *Modio*. Luc. xi, 33. — (2) *Statera*. Is. xl, 12. — (3) *Sua*. Apoc. vi, 5.—(4) *Hymno*. Venantii Fortunati esse noscitur, in temp. Passion. ad Vesp. vulgo legitur : *Statera facta corporis*.—(5) *Statera*. Ps. lxi, 10.—(6) *Statera*. Ps. lxi, 10.—(7) *Domino*. Prov. xi, 1.—(8) *Phares*. Dan. v, 27.

XCVII.

÷ 1. Negotiatores, apostoli, sicut in Job, pro Zabuli corpore, id est omnibus iniquis, de iisdem prædicatoribus dicitur : « Concident eum amici, divident eum negotiatores [1]. »

÷ 2. Item, in malam partem. In Ezechiel : « Negotiatores tui cum agnis et 5 hædis veniunt ad te [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Cantor et Garnerius Lingonensis. Merces Dei sunt gaudium et perseverantia, et in futuro vita æterna. Merces 10 Ægypti, culpa, mors, labor et dolor. Dedit ergo requiem pro labore, vitam pro morte, gaudium pro dolore; quia, ut ista daret, illa suscepit, culpam vero non accepit. Sed Ægyptii mercedem culpæ volebant 15 attribuere, dicentes : « Magister, scimus quia verax es [3], etc. » Sed peritus mercator hanc falsam mercem refutavit ostenso denario : « Cujus est, inquit, imago et superscriptio hæc? Dicunt ei : Cæsaris. Reddite 20 ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari. » Iste mercator fuit sine dolo. Ecce quomodo mercator fuit Christus; dolosam enim monetam non vult.

Si ergo tu vis mercator esse optimus, fœ- 25 nerator egregius, prudens mercenarius, da quod non potes retinere, ut consequaris quod non possis amittere; da modicum, ut consequaris centuplum; da alienam possessionem, ut consequaris æternam hæredita- 30 tem. Ecce quomodo mercator fuit Christus.

Mercator, sive negotiator fuit Christus, quia navigio virginali Ægyptum intravit, et merces suas dans Ægyptiis, ab eis merces suscepit.

Petrus Capuanus ad litt. xi, art. 18. Negotiatio bona duplex : scilicet gratia qua quis exponit temporalia pro spiritualibus; et prædicatio, quia prædicatores animas lucrantur. Proverbia : « Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum [4]. » Negotiatio mala duplex : scilicet simoniaca hæresis, qua quis exponit spiritualia pro temporalibus. Psalmus : « Quia non cognovi negotiatores, introibo in potentias Domini [5]. » Et negotiatio mala, doctrina hæreticorum, et subornatus ac mendax sermo eorum. Apocalypsis : « Negotiatores terræ flebunt et dolebunt super illam, quoniam merces eorum nemo amplius emet [6]. »

Petrus Episcopus.

Bennoni, in Genesim, § xxxi.

Cisternam intravit Joseph tunica spoliatus :
Ivit ad infernum Christus sine carnis amictu.
Consilio Judæ venumdatur Ismaelitis :
Christus regressus fidei commercia fecit.
Venditus est pretio triginta [7] denariorum,
Joseph significans et Joseph significatus.
Idcirco virtute Dei, qui est trinus et unus,
Cisternam, infernum cum laude exivit uterque.

XCVIII.

÷ 1. Cathedra, doctrina vel docendi potestas. In psalmo : « In cathedra seniorum laudent eum [8]. »

35 ÷ 2. Doctrina legis Moysi. In Evangelio : « Super cathedram Moysi sederunt scribæ et pharisæi [9]. »

÷ 3. Hæreticorum doctrina. In psalmo : « Et in cathedra pestilentiæ non sedit [10]; » sedere enim docere est.

(1) *Negotiatores*. Job xl, 25. — (2) *Te*. Ezech. xxvii, 22. — (3) *Es*. Matt. xxii, 18. — (4) *Suum*. Prov. xxxi, 14. — (5) *Domini*. Ps. lxx, 15. Ita veteres, magno consensu.— (6) *Emet*. Apoc. xviii, 11.— (7) *Triginta*. Cf. t. ii, p. 285.— (8) *Eum*. Ps. cvi, 32. — (9) *Pharisæi*. Matt. xxiii, 2. — (10) *Sedit*. Ps. i, 1.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 34; ed. II, col. 762 B, ad 1, 3.

PETRUS CANTOR et GARNERIUS LINGONENSIS. Cathedra sive sedes est Dei, diaboli, Petri, Moysis. Sedes Dei est Dei-hominis; unde : « Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis [1], » id est post humiliationem; Deus enim post mortem exaltatus est.— Quidam vero sedent in peccatis, quidam in pœnitentia. Sedes diaboli, sive cathedra est in inferno, ubi est ejus potestas. Sedet autem ibi diabolus, tamquam in cathedra, immittens suggestiones per angelos malos. Quatuor pedes hujus cathedræ sunt quatuor genera tentationum sive suggestionum. Prima appellatur in psalmo timor nocturnus; secunda, sagitta volans; tertia, negotium perambulans; quarta, incursus dæmonii meridiani. His insidet et præeminet ille qui rugiens circuit quærens quem devoret. Sunt et alii pedes gehennalis cathedræ, calor scilicet, frigus, fætor, tenebræ.

Sedes Petri, sive cathedra, prima in navicula, quam sibi ex officio piscandi elegerat; secunda, quam dedit ei Dominus ex officio prædicandi; tertia, quam in cruce prædestinatio divina præparaverat; quarta, quam remuneratio cœlestis reposuerat in throno regni, ubi duodecim apostoli sedebunt judicantes duodecim tribus Israel.

PETRUS CANTOR. Sedes Moysis sive cathedra est duritia vel lex Moysis, de qua in Evangelio : « Super cathedram Moysis sederunt scribæ et pharisæi. » In cathedra ista, id est in lege Moysis, nulla remissio, nisi in igne et sanguine, nisi in cinere et victima et mactatione animalium. In ea etiam prohibetur ne umquam mel, sed semper sal in sacrificiis offeratur. Mel enim dulce, sal vero amarum est.

PETRUS CAPUANUS ad litt. III, art. 46.

Cathedra

Doctrinæ.	Judicantis.
Pestilentiæ.	Ambitionis et jactantiæ.
Regnantis.	

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 422-442.

Ex auro locus est reclinandi, quia mentes
Æterna gaudent requie, quæ sunt sapientes.
In vera requie paradisi vota reclinant
Hæ quibus angelici cives bona summa propinant.
Ad tam præclaram requiem patiendo venitur,
Nec nisi per pœnas sapiens hac pace potitur.
Purpura quæ roseum monstratur habere colorem,
Signat eos qui pro Christo fudere cruorem :
Isti per gladios tormenta, flagella, dolorem,
Sunt velut ad summi subvecti regis honorem.
Quid facimus miseri, qui tales non imitemur?
Ne sociemur eis, animi torpore ligamur.
Non sumus e Libano putrescere nescia ligna,
Quos corrumpit adhuc carnis putredo maligna.
Non sumus argenti postes, qui nulla docemus
Verba Dei populum, nec sustentare valemus,
Nec nobis reclinandi prospicimus loca pura.
Mens acie cordis nescit penetrare futura;
Ascensus rosei non possumus esse coloris.
Nam nos pro Christo non purpurat unda cruoris.

XCIX.

÷ SCABELLUM, humiliationem subjecti. In psalmo : « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum [2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Scabellum, incarnatio Christi, ut: « Adorate scabellum pedum ejus [3]. » — Servitus boni operis, ut : « Cœlum mihi sedes est, et terra scabellum pedum meorum [4]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 58.

(1) *Sederitis*. Ps. CXXVI, 2.— (2) *Tuorum*. Ps. CIX, 1. — (3) *Ejus*. Ps. XCVIII, 5.— (4) *Meorum*. Is. LXVI, 1.

Scabellum incarnationis est homo assumtus. Psalmus : « Adorate s. p. e. » — Scabellum inquinationis sunt peccatores. Isaias : « Cœlum mihi, etc. » — Scabellum subjectionis 5 est plena illa subjectio qua omnes inimici tandem subjicientur Christo. Psalmus : « Sede a dextris, etc. » — Primum secum tulit Dominus Jesus; secundum calcavit pedibus suis; tertium in futuro erit plene 10 subjectum. Scabellum autem solet supponi pedibus : ergo scabellum humanitatis suppositum fuit pedibus divinitatis, nam humanitas fuit calceamentum divinitatis; peccatores fuerunt suppositi pedibus potesta- 15 tis divinæ; omnes inimici ejus erunt sub pedibus Christi judicantis, quando « Pater non judicabit quemquam, sed omne judicium dabit Filio suo [1]. »

PETRUS EPISCOPUS.

Bennoni, in Genesi. § XXXI.

De sene patre fuit sicut Joseph generatus,
Sic, sene jam mundo, natus de Virgine Christus.
Per tunicam polymitam, quam fecit pater illi,
Exprimitur numerus populorum in corpore Christi.
Completum in Christo quidquid per somnia vidit :
Ipsum namque colunt sancti sub nomine solis.
Ecclesiæ vero splendor, sub imagine lunæ;
Forma in stellarum, numerosa phalanx populorum.
Patris verba notant Judæorum asperitatem,
Quæ dum cognoscit Christum de se fore natum,
Temnit adorare, nec Christum vult venerari.

C.

÷ 1. REX [2], diabolus. In Job : « Ipse est rex super universos filios superbiæ [3]. »

÷ 2. *Princeps*, diabolus, sive Antichristus, sicut in Ezechiele : « Dominus de cœlo loquitur [4], dicens : Fili hominis, leva planctum supra principem Tyri [5], » id est principem tribulationum [6].

20 ÷ 3. *Judex*, idem qui et supra. In Evangelio : « Audite quid judex iniquitatis dicat : non faciet Dominus vindictam servorum suorum [7] ? »

÷ 4. *Mendax*, idem qui et supra. In Evangelio : « Qui loquitur mendacium de suo loquitur, quia mendax est et pater ejus [8]. »

÷ 5. *Homicida*, idem qui et supra. In Evangelio : «Ille homicida fuit ab initio.»

25 ÷ 6. *Adulter*, idem qui et supra. In Isaia : « Vos autem accedite huc, filii auguratricis et fornicariæ [9]. »

÷ 7. *Fur*, idem qui et supra. In Osee propheta : « Et fur spolians latrunculos, hoc est hæreticos, a foris, extra conventum Ecclesiæ. [*Vid. supra* p. 96-98.]

CI.

30 ÷ COQUERE, verbum Dei subtiliter in corde meditari; spiritualiter enim tractare, quasi mente decoquere est. In Levitico.

CII.

÷ 1. TORRIS et *Titio*, humanum genus per Dominum Jesum Christum, a perpetua combustione [10] semiustum, abstractum. In Zacharia : « Numquid non iste torris erutus est de igne [11] ? »

(1) *Suo.* Joan. V, 22.—(2) *Rex.* Inseritur illic in 5 codd. assumentum illud, totum fere ex variis præcedentibus lemmatibus, additis aliis S. S. locis, exceptum. — (3) *Superbiæ.* Job XLI, 25. — (4) *De eo loquitur* E. — (5) *Tyri.* Ezech. XXVIII, 11.— (6) *Tribulationis* E. — (7) *Suorum.* Luc. XVIII, 7. — (8) *Ejus.* Joan VIII, 44.— (9) *Fornicariæ.* Is. LVII, 3.—(10) *Damnatione* E. — (11) *Igne* Zachar. III, 2.

÷ 2. *Titiones duo*, potestates sæculi hujus atque hæretici, uno consensu Ecclesiam persequentes. In Isaia : « Nolite timere a duobus caudis titionum fumigantium istorum [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius.
Gregorius.
Rabanus.
Petrus Cantor.
} Cf. t. II, p. 184 et 447.

Petrus Capuanus ad litt. III, art. 61, 62. Cauma vel calor detestabilis est incendium hæreticorum, quo ipsi ardent ad alios comburendos. Osee : « Omnes calefacti sunt, ut clibanus, et devoraverunt judices suos [2]. » — Approbabilis, ardor charitatis. Psalmus : « Ossa mea aruerunt præ caumate [3]. » — Appetibilis est calefactio spiritus. — Inextinguibilis, ignis gehennæ [cf. t. II, p. 448].

Carbones

Gratiæ.	*Culpæ.*
Apostoli.	Peccatores.
Sancti.	Vitia.
Dona Spiritus sancti.	*Doctrinæ*, Exempla sanctorum.

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. I, v. 42-52.

Stirpe Cainina primus faber est generatus :
Martyribus fabricat nolendo, volendo coronas,
Dum babyloniaco recoquit pia corda camino.
Fraude, furore, dolo, terrore, dolore, flagello,
Promissis, donis vel honoribus atque coronis,
Et blandis verbis, crebris alapis et acerbis,
Exhæredando plerumque vel exsiliando,
Argumentando, subsannando, minitando,
Ridendo, flendo, mulctando, fugando, necando.
Sic fabricant omnes reprobi, vexando fideles.
Sufficiat paucis fabrum fabrosque notasse.

Petrus de Riga.

I. *Aurora*, in IV Reg., v. 372-377.

Muris Jerusalem validis munita, coquorum
Principe destruitur : mœnia lapsa ruunt.
Virtutes animæ sic princeps destruit alvus,
Comparat arma coquus, dans renovansque cibos.
Nam neque quis poterit virtutum tangere culmen,
Si dominetur ei ventris iniquus amor.

II. *Ibid.*, in Tobia, v. 217-220.

Fertur quod jecoris intus color excoquat escas,
Ut digestio sit congrua facta cibi.
Quo peragenda modo sint quæ tu sæpe revolvis,
Dum recolis, jecoris decoquis igne cibos.

CIII.

÷ 1. Fames, egestas fidei et ademtio verbi divini [4]. In Evangelio : « Facta est fames valida in regione illa, et ipse cœpit egere [5]. » Et in Isaia : « Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, et nobiles ejus interierunt fame [6]. » Et in Amos : « Ecce dies venient, dicit Dominus, et mittam famem in terra : non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini [7]. » Et in psalmo : « Ut eripiat a morte animas eorum, et alat eos in fame [8]. »

÷ 2. De hac fame verbi Dei pro viro justo in psalmo dicitur : « Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem [9]. » Et in Salomone : « Non occidet Dominus fame animam justi [10]. »

(1) *Istorum*. Is. VII, 4. — (2) *Suos*. Osee VII, 7. — (3) *Caumate*. Job XXX, 30. — (4) *Fames et egestas et ademtio* B-D. — (5) *Egere*. Luc. XV, 14. — (6) *Fame*. Is. V. 13. — (7) *Domini*. Amos VIII, 11. — (8) *Fame*. Ps. XXXII, 19. — (9) *Panem*. Ps. XXXVI, 25. *Egens pane* D, G. — (10) *Justi*. Prov. X, 3.

CIV.

÷ 1. Sitis, hoc quod et superius, ariditas cordis, ubi non est verbum Dei. In Isaia : « Multitudo eorum siti exaruit [1]. » Et in Jeremia : « Prohibe pedem tuum ab ariditate, et guttur tuum a siti [2]. »

÷ 2. Et in bonam partem : « Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Rabanus. Fames, inopia virtutis, ut : « Attenuetur fame robur ejus [4]. » — Tentatio, ut : « In fame te eruet a morte [5]. » — Taciturnitas mala, ut : « Non famem panis, etc. »

Sitis, desiderium bonum, ut : « In siti mea potaverunt me aceto [6]. » — Cupiditas, ut : « Et exardescet contra eum sitis [7]. »

Distinctionum monasticar. lib. iv, *de Siti*. Sitis, præter illam quæ carnem cruciat, multiplex : est sitis avaritiæ et cupiditatis; hæc fuit sitis Crassi, cui dicebant Parthi : Aurum sitisti, aurum bibe. Unde :

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ [8].

Item :

Tantalus a labris sitiens fugientia captat
Flumina . . . . . .

De siti cupiditatis est illud Horatii [9] :

Quod tibi nulla sitim finirit copia lymphæ,
Narraris medicis; quod quanto plura parasti,
Tanto plura cupis, nulline faterier audes.

— De siti luxuriæ omnia hæc possunt intelligi; voluptas enim carnis et cupiditatis divitiarum sunt duæ filiæ sanguisugæ, quæ semper dicunt : affer. Sitis ista designatur per sitim Narcissi, de quo poeta ait :

Dumque sitim sedare cupit, sitis altera crescit [10].

— Est sitis malitiæ et crudelitatis; unde Chrysostomus dicit de Herode quod in siti sanguinis permanebat. Et in libro beati Job dicitur de quibusdam quod « calcatis torcularibus, sitiunt [11]; » qui scilicet de pœnis martyrum occisorum non possunt satiari. Sic Dacianus non poterat satiari de pœna Vincentii. Tales expresse similes sunt diabolo. — Est sitis justitiæ et æquitatis; unde : « Beati qui esuriunt, etc. » De hac forte dicitur in psalmo : « Cucurri in siti [12]. » — Est sitis misericordiæ et charitatis; hæc fuit sitis Domini in cruce pendentis et dicentis : « Sitio [13]. » — Est sitis gloriæ et beatitudinis; unde : « Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum [14]. » — Est sitis indigentiæ et miseræ paupertatis; de hac dicit Jeremias : « Adhæsit lingua lactentis ad palatum suum in siti [15]. » Lactens est pravus intelligentia et infirmus. Omnis enim qui lactis non est particeps, expers est sermonis justitiæ. Sed lac etiam illi deest, cujus in siti lingua adhæret palato, id est non sugit quod per linguam solet fieri. Lingua, ingenium, vel quod magis reor, ingenii designat exercitium; palatum, memoriam. Adhæret ergo lingua palato, quum nihil acquirit ingenium scientiæ quod commendet memoriæ.

Petrus Capuanus ad litt. vi, art. 14.

Fames

Spiritualis.	*Cœlestis.*
Appetitus divini operis.	Salutis animarum.
— verbi Dei.	Redemtionis hominum.
— justitiæ.	*Infernalis.*
Desiderium conversionis fratrum.	Carentia verbi Dei.

(1) *Exaruit.* Is. v, 3. — (2) *Siti.* II Jerem. ii, 25. — (3) *Justitiam.* Matt. v, 6. — (4) *Ejus.* Job xviii, 12. — (5) *Morte.* Job v, 20. — (6) *Aceto.* Ps. lxviii, 22. — (7) *Sitis.* Job xviii, 9. — (8) *Aquæ.* Ovid. *Fast.* i, 215, 216; Horat. *Sat.* i, 68. — (9) *Horatii* II *Epist.* 146. Editi : ...*si tibi... finiret... narrares.* Cod. *Nulli nefarier.* — (10) *Crescit.* De hac siti Narcissi cf. Ovid. Metam. iii, 407. — (11) *Sitiunt.* Job xxiv, 11. — (12) *Siti.* Ps. lxi, 3. — (13) *Sitio.* Joan. xix, 28. — (14) *Vivum.* Ps. xli, 3. — (15) *Siti.* Thren. iv, 4.

Fames spiritualis,	*Infernalis,*
Desiderium uniri sacramentis Ecclesiæ, quibus anima pascitur.	Desiderium voluptatum. Angelus præpositus fami.

5

IDEM ad litt. XVIII, art. 15.

Sitis

Gratiæ.	*Malitiæ.*
Sitire virtutes.	Cupiditas.
— salutem malorum.	Iniquitas.
— videre Deum.	*Miseriæ*, temporales angustiæ.
In Christo, sitis salutis nostræ.	*Gehennæ*, in damnatis.

10

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Evangel., v. 1105-1120.

Hic qui pauperiem suffert ex mente, beatus :
  Regni cœlorum munere dives erit.
Mitis quem tristis non asperat ira, beatus :
  In qua nullus obit, ille fruetur humo.
Qui luget patriæ cœlestis amore, beatus :
  Nam solamen ei gaudia plena dabunt.
Esuriens homo justitiam sitiensque, beatus :
  Huic miserator erit, dans sua dona Deus.
Qui dator est hilaris, miseris miserando, beatus :
  Angelicus veniet hunc satiare cibus.
Qui, mundum vitans, est mundus corde, beatus :
  Huic dabitur clara luce videre Deum.
Cor sine lite gerens qui gaudet pace, beatus :
  Dicetur merito filius ille Dei.
Illi quos torquent injusta flagella, beati :
  Regni cœlorum porta patebit eis.

CV.

÷ CIBUS, sermo, vel voluntas Domini. In Evangelio : « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me [1]. »

15

CVI.

÷ POTUS, idem quod supra : « Et torrente voluptatis tuæ potabis eos [2]. »

CVII.

÷ 1. EBRIETAS, sobrietas mentis. In Actibus Apostolorum : « Ebrii sunt isti [3]. »

÷ 2. Crapula vitiorum. In Evangelio : « Attendite, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate [4]. » Et in Salomone : « Velut si spina nascatur in manu ebriosi [5]. »

20

CVIII.

SOBRIETAS, temperantia. In Apostolo : « Vigilate sobrie, et nolite peccare [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 21 ; ed. II, col. 760 D ad CV, CVI.

PETRUS CANTOR. Cibus vel esca est voluntatis, de quo Christus dicit : « Meus, etc. » — Animæ, in Christo, scilicet contemplatio divinitatis, a quo numquam jeju-

25

(1) *Me.* Joan. IV, 34.—(2) *Eos.* Ps. XXXV, 9. *Voluntatis tuæ* B, C. In margine apographi Grabiani : « Pro *voluptatis.* » Utramque lectionem habent veteres, utramque exponit Petrus Cantor. — (3) *Isti.* Act. II, 15. — (4) *Ebrietate.* Luc. XXI, 34. — (5) *Ebriosi.* Prov. XXVI, 9. — (6) *Peccare.* I Cor. XV, 34.

navit Christus; unde: « Providebam Dominum in conspectu meo semper[1]. » — Scripturæ; unde: « Non in solo pane vivit homo[2]. » — Humanæ conversationis, a quo jejunavit in passione, quia nullum sibi præter unum latronem incorporavit, de quo dicitur: « Et operui in jejunio animam meam[3]. » — Corporalis, a quo jejunavit Christus; unde: « Quum jejunasset quadraginta diebus[4], etc. » — Incipientium, in pœnitentia; unde: « Fuerunt mihi lacrymæ panes die ac nocte[5]. » — Proficientium, in sacra Scriptura; unde: « Sedisti ad mensam? vide qualia apposita sunt tibi[6], et scito quod talia oportet te præparare. » — Et in Eucharistia; unde: « Probet autem se homo[7], etc. » — Pervenientium, in æterna refectione; unde: « Ut edatis et bibatis super mensam meam[8]. »

Ebrietas duplex: corporalis, ex immoderatione potus proveniens, et spiritualis. De prima dicit Salomon: « Vinum suaviter intrat a principio; sed in fine mordebit ut coluber[9]. » Item Basilius: Sicut piscis præparat se ad accipiendum hamum, ita ebriosus, ad accipiendum inimicum. Item Apostolus: « Nolite inebriari vino, in quo est luxuria[10]. » Non dicit vino simpliciter, quia multiplex. Est enim vinum aliud Dei, quando aliquis, oblitus terrenorum, vehementer intendit divinis in præsenti vel in futuro, id est, de ebrietate gratiæ et gloriæ dicitur: « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, » præsentis scilicet Ecclesiæ vel futuræ Jerusalem; tunc enim in re ebrii erunt, id est pleni, qui modo sperant, « et torrente voluntatis tuæ, » id est Spiritu sancto, « potabis eos »; vel « torrente voluptatis tuæ, » alia littera, id est delectationis tuæ, quæ dicitur torrens, non ideo ut sit transitoria beatitudo, sed copiosa, « potabis eos, » et potaberis, » quoniam apud te est fons vitæ. »

Distinctionum monasticar. lib. i, *de Cibo*. Cibi nomine designatur corpus Christi; unde: « Caro mea vere est cibus[11], id est vera refectio, quia digne sumenti eam dat vitam æternam; unde quidam ait:

> Rex sedet in cœna,
> Turba cinctus duodena.
> Se tenet in manibus,
> Se cibat, ipse cibus[12].

— Cibus est doctrina verbi Dei; unde: « Quis putas est fidelis servus, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore[13]? — Cibus malus, doctrina hæretica; unde Salomon: « Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii[14]. » Est etiam

Cibus	
Præmium cœleste.	Delectatio carnalis.
Delectatio spiritualis.	Consolatio.

Petrus Capuanus ad litt. iii, art. 51.

Cibus	
Christi.	*Hominis.*
Obedientia.	Terrestris substantia.
Salus nostra.	Corruptibilitas.
Cibus Dei, Ecclesia ad Deum conversa.	Voluptas illicita.
	Cibus gratiæ.
Cibus angeli, Christus.	Eucharistia.
	Pœnitentia.
Dæmonis, justi quos tentatio absorbuit.	Doctrina.
	Æterna gloria.

(1) *Semper.* Ps. xv, 8. — (2) *Homo.* Matt. iv, 4. — (3) *Meam.* Ps. lxviii, 11. — (4) *Diebus.* Matt. iv, 2. — (5) *Nocte.* Ps. xli, 4. — (6) *Tibi.* Prov. xxxi, 4. — (7) *Homo.* I Cor. xi, 28. — (8) *Meam.* Luc. xxii, 30. — (9) *Coluber.* Prov. xxiii, 32. — (10) *Luxuria.* Ephes. v, 18. — (11) *Cibus.* Joan. vi, 56. — (12) *Cibus.* Tu, lector, fave, audique non inconcinna præludia ad splendidum Angeli Aquinatis hymnum. Sed ipse Noster noluit ea tibi perfunctorie haberi, quippe qui notaverit hæc: « Sed attende, lector, quod in hac oratiuncula [*se cibat ipse cibus*, duplex est intellectus: unus erroneus, alter sanus; si enim sic intelligas] quod ipse Christus in propria persona carnem suam comedit, erras. Si autem intelligas quod Christus se, id est membra sua, cibavit carne sua, bene intelligis et sane. » Hæc ille: quæ uncis includuntur, vix ea servavit margo, forcipibus nimirum bibliopegi pene ablata. Cæterum omnem veteris hymni ambiguitatem Aquinas auferri videtur voluisse, quum cecinit, nostrorum forte non inscius:

> In supremæ nocte cœnæ,
> Recumbens cum fratribus,
> Cibum turbæ duodenæ
> Se dat suis manibus.

— (13) *Tempore.* Matt. xxiv, 25. — (14) *Mendacii.* Prov. xxiii, 5.

IDEM ad litt. XV, art. 12.

Potus bonorum

Angustiæ.
Scripturæ, vel intelligentiæ.
Gratiæ.
Eucharistiæ.
Gloriæ, de torrente voluptatis.
Conversionis fraternæ.

Malorum

Fallaciæ et fraudulentiæ.
Stultitiæ et culpæ.

FULCOIUS BELLOVACENSIS.

Utrumque, de Nuptiis Christi et Ecclesiæ, lib. VII.

HOMO.

Vade retro, Satanas, quia mentes littera sanat[1],
Non tentare monet Dominum; quod inania donet,
Gloria vana est; nil gula, nilque superbia prodest:
Sobrius et fortis, prudens hæc omnia pellit.

SPIRITUS.

Ad thalamos residet Jesus, sedetque magister
Discipuli pariter, thalami simul inscia mater.

HOMO.

Vinum defecit: reor, hoc pars æmula fecit;
Torquet et allidit quia sic, ubi gaudia cernit,
Et magis infestum Christum dolet esse vocatum.
Quod potuit, nocuit, quum vina negare putavit.
Quod si deficeret panis, plus tristis abiret,
Pasceret hos panis, missurus pocula vitis.

SPIRITUS.

Auctor aquæ plenas sex imperat esse lagenas.
Vertitur in vinum, portans mirabile binum,
Mutat pallorem, commutat et unda saporem.
Nec non est ulla sitis, cui miscetur pocula vitis,
Quæ nescit falcem, nec poscit tempore calcem,
Coram discipulis primum hæc miracula fecit.

CIX.

÷ PROMTUARIA, cordis receptacula. In psalmo: « Promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud[2]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 21; ed. II, col. 761 A.

PETRUS CANTOR. Cœnaculum[3], sive tabernaculum, caro Christi: « In sole posuit tabernaculum suum[4]. » — Caro cujuslibet hominis; unde Apostolus: « Nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati[5]. » — Ecclesia militans; unde Dominus ad Moysen: « Fac mihi tabernaculum ad exemplum illius quod vidisti in monte[6]. » — Ecclesia triumphans; unde: « Quam dilecta tabernacula[7], etc. » Cœnaculum quod fecit nobis Dominus, Dei Filius, triplex est: primum in carne, secundum in Ecclesia, tertium in vita æterna. Primum fuit in Virginis thalamo; secundum, in hoc mundo; tertium in cœlo. De primo legitur, angelo dicente ad Mariam: « Spiritus sanctus superveniet in te[8]. » De secundo, in Genesi, dicit Dominus ad Noe, loquens de fabricatione arcæ, in figura Ecclesiæ: « Cœnacula et tristega facies in ea[9]. » De tertio dicitur in psalmo: « Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo[10]? »

In cœnaculo primo, ad modum Sunamitis, posuit Christus mensam in celebratione cœnæ. Mensam in cœna posuit, quando sub forma panis et vini corpus et sanguinem discipulis veraciter distribuit; de qua mensa Apostolus dicit: « Non potestis communicare mensæ Christi et mensæ dæmoniorum[11]. » — Sellam posuit in passione,

(1) *Sanas* cod. An respicit notum S. Benedicti nummum? — (2) *Illud.* Ps. CXLIII, 13. — (3) *Cœnaculum* a promtuarii cella non ita distat, quin eo loci adducere liceat insignem Cantoris locum, quem supra ob nonnullas angustias omisisse piguerat. Multa enim e toto illo capite belle illustrantur. — (4) *Suum.* Ps. XVIII, 6. — (5) *Gravati.* II Cor. V, 4. — (6) *Monte.* Exod. XXV, 9. — (7) *Tabernacula.* Ps. LXXXIII, 2. — (8) *Te.* Luc. I, 35. — (9) *Ea.* Genes. VI, 16. — (10) *Tuo.* Ps. XIV, 1. — (11) *Dæmoniorum.* I Cor. X, 21.

quoniam in ligno usque ad mortem, mortem autem crucis, se humiliavit, sicut in psalmo ipse ait : « Tu cognovisti sessionem meam [1]. » — Lectum posuit in officio sepulturæ; nam 5 sabbato requievit in sepulcro, quasi in lecto, sicut ipse per prophetam ait : « Caro mea requiescet in spe [2]. » — Candelabrum posuit in resurrectione, scilicet in resurrectionis manifestatione.

10 In cœnaculo secundo posuit mensam, scilicet Scripturam sacram. — Sellam, in passionis suæ imitatione; Christus enim passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum. — Lectum, in requie contemplativorum. 15 — Candelabrum, scilicet lucem bonorum operum; unde : « Sic luceant opera vestra bona coram hominibus, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est [3]. »

In cœnaculo tertio posuit mensam, sci-20 licet resurrectionem æternam, sicut ipse dicit : « Ut edatis et bibatis super mensam meam [4]. » — Sellam, id est judiciariam potestatem; unde : « Vos qui sequuti estis me [5], etc. » — Lectum, id est requiem bea-25 torum. — Candelabrum, id est se ipsum Deum, in lucem animarum, sicut dicit psalmista : « Dominus illuminatio mea [6]. » Et in lucem corporum : ibi enim « fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum [7]. »

30 Quum ergo tot bona deriventur ad nos a fonte divinæ bonitatis, quid retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? unum saltem pro multiplici, parvum pro magno : faciamus ei in nobis tabernaculum aut cœnaculum, hoc est ipsum templum de quo dicit Apostolus : « Templum Dei sanctum est, quod estis vos [8]. » Hoc autem tabernaculum parvum est ex humana infirmitate.

In hoc cœnaculo ponamus ei mensam, scilicet de conversatione nostra ipsius refectionem. Cibus enim et refectio Dei est ut faciamus ejus voluntatem. Ponamus ei sellam, id est simus justi, quia thronus Dei est anima justi. Ponamus ei lectum, sicut ipse ait : « Super quem requiescet spiritus meus? nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos [9]. » Ponamus ei candelabrum, lucem scilicet bonorum operum, ut quum ita per cuncta honestum ei paravimus hoc tabernaculum, per primum ipsius cœnaculum ascendamus ad secundum, et de secundo ad tertium.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic. v. 186-189.

Introduxit me rex in cellam vinariam.

Per cellam vini signatur vita Rachelis,
Dum contemplatur cœlestia vita fidelis.
Cella meri possunt et sacra scripta vocari,
Quæ monstrant in quo Deus aut homo debet amari.

CX.

∴ SCALÆ, sanctorum profectus. In Genesi : « Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum [10]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

PETRUS CAPUANUS ad litt. XVIII, art. 66. 35 Scala Scripturæ, et scala gloriæ. De prima Genesis : « Viditque in somnis, etc. » — De secunda psalmus : « Ascensiones in corde disposuit [11]. »

Prima profectus scientiæ; secunda, profectus virtutum. In prima ascenditur per lectionem; in secunda, per operationem. In prima ascendunt prædicando alta, et descenditur annuntiando humilia. In secunda scala ascendunt operando, ea quæ pertinent ad divinum cultum, scilicet in orationibus,

(1) *Meam*. Ps. CXXXVIII, 2. — (2) *Spe*. Ps. XV, 9. — (3) *Est*. Matt. V, 16. — (4) *Meam*. Luc. XXII, 30. — (5) *Me*. Matt. XIX, 28. — (6) *Mea*. Ps. XXVI, 1. — (7) *Eorum*. Matt. XIII, 43. — (8) *Vos*. I Cor. III, 17. — (9) *Meos*. Is. LXVI, 2. — (10) *Cœlum*. Genes XXVIII, 12. — (11) *Disposuit*. Ps. LXXXIII, 6.

jejuniis, vigiliis, et cæteris in hunc modum. [*Sequentia ex titulis in margine indicentur.*] In scala attenduntur quatuor. Quatuor sensus inveniuntur in scala Scripturæ.—Quale 5 fundamentum et quæ spondæ in scala Scripturæ. — Qui gradus. Quomodo ascenditur primus gradus. — Secundus. — Tertius. — Quartus. — Quod sustentaculum.

De scala gratiæ, et quod pavimentum in 10 ea vel fundamentum. — Quod fulcimentum in scala gratiæ septem gradus sunt, septem dona Spiritus sancti. — Quæ spondæ. — Quomodo spondis collateralibus virtutum gradus sunt innectendi; et quatuor septena- 15 rii sibi conjunguntur in ascensu virtutum. Quomodo in primo gradu conjunguntur septem dona et septem petitiones, primum opus misericordiæ et prima beatitudo. — Qui in primo gradu apposuerunt colores [*ita recensentur sigillatim septem gradus, septem dona, septem beatitudines, septem colores*].

Præfigurationum Christi et Ecclesiæ lib. 1, v. 523-534.

Post hæc longinquam Jacob aufugit regionem,
Et lapidem capiti supponit nocte sequenti.
Et quum dormiscit, scalam per somnia cernit.
Hæc innixa solo tangebat vertice cœlos:
Scandunt hac superi, descendunt usque ministri.
Evigilans ergo lapidem Jacob ungit olivo.
Hic Jacob est somnum passus spontanee Christus.
Hic lapis est unctus: præ cunctis Christus inunctus.
Erectus lapis est: Christus de monte resurgens.
Scala quidem Christus qui nobis est via factus:
Hoc scandunt sancti fando præconia verbi,
Per quam descendunt, dum fantur humillima Christi.

CXI.

÷ 1. Sapientia, Christus. In Apostolo: « Christus Dei virtus et sapientia [1]. »

÷ 2. Doctrina cœlestis. In Apostolo: « Sapientiam loquimur inter perfectos [2]. »

20 ÷ 3. Hujus mundi philosophia. In Salomone: « Sapientia hominum non est mecum [3]. » Et in Apostolo: « Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi [4]. »

÷ 4. *Sapiens,* Deus. In Job: « Deus sapiens corde et fortis robore [5]. »

÷ 5. *Sapientes*, sancti. In Osee: « Quis sapiens intelligit et sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis [6]. »

25 6. Philosophi, Judæi, sive hæretici. In Apostolo: « Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt [7]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Damasus, Sylvius, Phoebadus, Nicetas, Orientius, Isidorus [*Vid.* t. II, p. 11].

30 Petrus Cantor. Sapientia carnis dicitur, qua scit homo laute procurare se non solum ad necessitatem, sed ad superfluitatem, potius de terrenis quam de cœlestibus cogitando; quam habent illi quorum Deus venter 35 est, qui potentes sunt ad bibendum vinum. De hac dicitur: « Sapientia carnis inimica est Deo [8]. » — Sapientia mundi dicitur, qua scit homo decipere fratrem, et congregare pecuniam; quam habent filii hujus sæculi magis quam regni; de qua dicitur: « Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum [9]. » Item: « Perdam sapientiam sapientium [10], etc. » — Sapientia dicitur Dei, qua scit homo despicere terrena et amare cœlestia. De hac dicitur: « In malivolam animam non intrabit sapientia [11], » id est spiritus sapientiæ. Et sic non est contrarium quod ait Aposto-

(1) *Sapientia.* I Cor. I, 24. Cf. t. II, p. 10, l. 34. — (2) *Perfectos.* I Cor. II, 6. — (3) *Mecum.* Prov. XXX, 2. — (4) *Mundi.* I Cor. I, 20. — (5) *Robore.* Job IX, 4. — (6) *Eis.* Osee XIV, 10. — (7) *Sunt.* Rom. I, 22. Hæc velim conferas cum art. 16, cap. 1, tom. II, p. 10. — (8) *Deo.* Rom. VIII, 7. — (9) *Deum.* I Cor. III, 19. — (10) *Sapientium.* I Cor. I, 19. — (11) *Sapientia.* Sap. I, 4.

lus : « Qui sapiens sibi videtur » sapientia mundi, « fiat stultus, ut sit sapiens [1]. » Unde sic objicitur : si stultus, quomodo sapiens? Ecce. Qui sapiens sibi videtur sapientia 5 mundi, fiat stultus credendo Christum esse passum, et mortuum, et quod Virgo peperit, quod est stultitia apud gentiles; et ita erit sapiens sapientia divina. Prima voluptuosa est in deliciis; secunda tumultuosa in nego- 10 tiis; tertia bona et devota in rebus divinis. Prima est inimica Deo; secunda, stultitia apud Deum; tertia, vera et familiaris Deo et amica.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Sapientia di- 15 citur a sapore, quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum, sic sapientia ad dinoscentiam rerum atque causarum. Sapientia est cognitio rerum et intellectus causarum, quæ abusione aliquando 20 accipitur in malo, sicut astutia in bono. Sapientia est rerum quæ sunt supernæ et immutabilem substantiam sortiuntur. Sapientia dici solet quæ intellectum æternorum rimatur; prudentia, quæ corporeis sensibus 25 experiuntur; vel sapientia in divinis, prudentia aut scientia in humanis negotiis.

Sapientia.

Deus.	Consilium divinum.
Intellectus de divinis.	Sapientia sæcularis.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Reg. III, v. 99-144.

Præcedens Salomon omnes ratione peritos,
Plus aliis sensu clarus in orbe fuit.
Scripsit ænigmata tot quot erant tria millia : scripsit
Carmina tot quot erat millia quinque canens.
Si tres personas credis, tria millia scribis,
Lege nova veteris legis ænigma loquens.
Si servare Deo sensus per quinque laboras,
Das de carminibus millia quinque Deo.
Quidquid in arboribus, virgultis, floribus, herbis,
Seminibusve latet, in Salomone patet.
Omnes naturas pecudum cognovit, et omnes
Reptilis, et piscis omnis, et omnis avis.
Invenit voces quibus adjuvare solebat
Ægrorum morbos, subsidiumque dabat.
Obvia spiritibus invenit verba malignis :
Inde fugabat eos, non remanere sinens.
De characteribus fuit auctor, quos pretiosis
Insculpsit gemmis [2], mira potenter agens ...
Disseruit Salomon a cedro donec ad herbam
Quam dicunt hysopum, currere verba sinat.
Cedrus sublimis Deus est; hysopus, brevis herba,
Est homo : solus habet Christus utramque simul.
A cedro Christus parvam descendit ad herbam,
Ad carnem veniens a deitate sua.
Aut hysopus signat humiles, cedrusque superbos :
Justum judicium Christus utrisque dabit.
Porro super ligna rex disseruit, quia pendens
In ligno, Christus judicat inde reos.
Templum rex Salomon in terris, Christus in altis
Construit; illa domus præterit, ista manet.

CXII.

30 ÷ 1. STULTI, secundum sæculum, sancti, sicut in Salomone de iisdem sanctis dicitur : « Stultissimus sum virorum, et sapientia non est mecum [3]. »

÷ 2. Stulti secundum Dominum, sapientes hujus mundi. In psalmo : « Simul insipiens et stultus peribunt [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

35 DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. IV, *de Sapientia*. Est sapientia hujus mundi, de qua dicit Apostolus : « Stultam fecit sapientiam [5]. » Est autem sapientia ista usu, immo abusu multiplex : et quum de omnibus ex- 40 plicare non possum vel immorari, dabo exemplum : sunt quidam sapientes conjungendi domum ad domum, et agrum agro copulandi, usque ad terminum loci, id est, usquequo totum occupent. Sed tales quanto sollicitius curant exteriora, tanto minus curant interiora, quæ potiora sunt exterioribus. Nam

Vilius est argentum auro, virtutibus aurum.

(1) *Sapiens*. I Cor. III, 10. — (2) *Gemmis*. Vide in altera hujus tomi parte multa *de sigillis lapidum*. — (3) *Mecum*. Prov. XXX, 2. — (4) *Peribunt*. Ps. XLVIII, 11. — (5) *Sapientiam*. I Cor. I, 20.

Et ideo sapientes non sunt, quia potioribus viliora præponuntur. — Est sapientia serpentis. Nam de serpente dicitur « quod erat sapientior cunctis animantibus, quæ erant super terram [1]. » Hæc est sapientia, quæ numquam in cor meum sit; hæc est enim feralis et funesta malitiosorum sapientia, de quibus scriptum est : « Sapientes sunt ut faciant mala, bene autem nesciunt facere [2]. » — Est et sapientia carnis, quæ mors est, quæ utique illorum est qui artificiosas occasiones excogitant, quibus carni quasi rationabiliter parcant. Isti parvi pendent ut multum dormiant et parum vigilent, parum laborent manibus, multum verbis inanibus, etc. In quorum consilium non veniat anima mea, oro te, sola corpore mater et virgo, Maria.

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ lib. III, v. 250 sqq.

Floruit [3] in scriptis quibus omni notuit orbi,
Quæ sit reptilium natura, natatiliumque,
Quadrupedum, volucrum, fruticum, simul ac fluviorum,
Lignorum, lapidum, radicum, spirituumque
Vis humanorum, seu virtus angelicorum,
Quid conferre queant herbarum jura medelæ.
Hoc est, moralem, rationalem, physicalem,
Hanc omnem prorsus naturam sic patefecit,
Ut nil quod prosit homini, tacuisse supersit...
Hei! talis, tantusque ruit, fractus titubavit,
Occidit inflatus, mulierclis infatuatus...
Altipetax Satanas et mendax, magniloquaxve,
Ut complanaret tam celsa cacumina montis,
Eluctaretur tot propugnacula mentis,
Subrueretque simul tantæ fundamina turris,
Scalam, qua tantos suevit conscendere muros,
Repperit, erexit; debellando superavit.
Femina scala fuit, qua tanta columna subacta est.

CXIII.

÷ 1. LANGUOR, vitiorum morbus. In Exodo : « Si observaveritis præcepta mea, omnem languorem quem induxi super Ægyptum, non inducam super te [4]. »

÷ 2. *Infirmitas*, impossibilitas mentis. In Apostolo : « Qui infirmus est, olus manducet [5].

CXIV.

÷ FEBRIS, carnalis cupiditas, insatiabiliter ardens, sicut in Evangelio, socrum Petri figuraliter febricitantem dicit [6].

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, éd. II, col. 765, 766 ad CXIII, 1.

PETRUS CANTOR. Infirmus dicitur non firmus in fide; unde : « Infirmum in fide accipite [7]. » — Vel facile ægrotans; unde : « Infirmitatibus mei gloriabor [8]. » — Vel æger in præsenti; unde : « Miserere mei, Deus, quoniam infirmus sum [9]. » Et nota quod sicut infirmis corpore omnes cibi corporales sunt insipidi, ita infirmis mente spirituales cibi sunt sine sapore, ut abstinentia, oratio, prædicatio, et hujusmodi; sicut e contra sanis omnia hujusmodi saporem habent.

PETRUS CAPUANUS. Christus eadem egit circa genus humanum, quæ corporaliter medicus agit circa infirmum. — Ipse namque primo visitavit infirmum, id est genus humanum, in magna infirmitate et languore constitutum. An non venit ad visitandum infirmum, quando exivit a Patre et venit in mundum, et visitavit, et fecit redemtionem plebis suæ? Ipse diligenter consideravit modum infirmitatis nostræ. Exodus : « Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum [10]. » Immo et modum diversarum infirmitatum

(1) *Terram.* Genes. III, 1. — (2) *Facere.* Jerem. IV, 22. — (3) *Floruit.* Salomon scilicet. — (4) *Te.* Exod. XV, 26. — (5) *Manducet.* Rom. XIV, 2. — (6) *Dicit.* Marc. I, 30. — (7) *Accipite.* Rom. XIV, 1. — (8) *Gloriabor.* II Cor. XII, 5. — (9) *Sum.* Ps. VI, 3. — (10) *Eum.* Exod. III, 8.

nostrarum. Ezechiel : « Quod perierat, requiram ; et quod abjectum fuerat, alligabo ; et quod infirmum fuerat, consolidabo ; et quod pingue et forte, custodiam [1]. » Etiam cum diligenter considerans, inquit in Isaia : « Omne caput languidum, et omne cor mœrens ; a planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas ; vulnus et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo [2]. » Diætam induxit, quando abstinentiam a malo tradidit, et quando ipse qui peccatum non fecit, in se ipsum nobis præbens exemplum, quadraginta diebus et quadraginta noctibus jejunavit. Apposuit mordacia, ad noxia repellenda, quando populum duræ cervicis acris increpationibus arguebat. An non mordacia et aspera apposuit, quando vinum infundit in vulneribus sauciati, et quando ficulneæ maledixit? Apposuit lenitiva et solidantia, quando et oleum infudit et alligavit vulnera. Sic ergo exclusit infirmitatem, et induxit sanitatem. Evangelium : « Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi contingat [3]. » Jeremias : « Sana me, Domine, et sanabor ; salvum me fac, et salvus ero [4]. »

PRÆFIGURATIONUM CHRISTI ET ECCLESIÆ,

De gratia N. Test., v. 440-456.

Ante pedes Christi sese Petrus illico stravit,
Sic orans : « A me, rogo, [peccatore rece]de. »
Hoc errore Petri fratres ca[veant repli] cari,
Ut qui plus ægret, medicum fieri prope curet.
Sic vicinari Christus satagat reus omnis.
Invidia Satanæ mors intravit in orbem ;
Et seducta fuit mulier, male credula, statim ;
Tertius at post hos fuit Adam prævaricator.
Venit sic ordo vitæ, ceu mortis origo :
Hoc intelligimus, Marco scribente beato,
Qui primo sanum factum scribit furiosum
Per Dominum Christum, dominatorem dominantum.
Inde socrus Petri, quæ febricitans reparatur,
Fitque ministratrix tibi, Christe, necessariorum :
Qui fiunt sani, sic debent esse ministri.
Postea leprosus, quia credit, purificatur.
Hic vere Deus est, cui talia condere jus est.

CXV.

÷ PARALYTICUS, anima vitiis dissoluta, atque in grabato carnis suæ languore peccatorum depressa. In Evangelio : « Ecce paralyticus in grabato portabatur a quatuor [5]. [Vide *Distinctiones monasticas* in altera hujus vol. parte]. »

CXVI.

÷ 1. LEPRA, doctrina hæreticorum vana et falsa [6], vel Judæorum infidelitas, sive contaminatio peccatorum. In Levitico : « Loquutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Homo in cujus carne et cute ortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus. Qui quum viderit lepram in cute, et pilos in album immutatos, plaga lepra est, et ad arbitrium ejus separabitur [7]. »

÷ 2. *Leprosi in capite*, hæretici Dominum Jesum Christum blasphemantes.

÷ 3. *Leprosi in barba*, iidem hæretici de incarnatione Salvatoris, vel de sanctis apostolis prava sentientes.

÷ 4. *Leprosi toto corpore*, iidem qui et supra, blasphemiam suam in omnem Scripturarum seriem permiscentes.

÷ 5. *Lepra tumens*, inflata superbia.

÷ 6. *Lepra humilis*, simulatio cordis, vel latens blasphemia.

(1) *Custodiam*. Ezech. XXXIV, 16. — (2) *Oleo*. Is. I, 6. — (3) *Contingat*. Joan. V, 14. — (4) *Ero*. Jerem. XVII, 14. — (5) *Quatuor*. Matt. IX, 2. — (6) *Falsa atque varia* E. — (7) *Separabitur*. Levit. XIII, 2.

÷ 7. *Lepra rubens*, iracundia cordis.
÷ 8. *Lepra alba*, hypocrisis.
÷ 9. *Lepra in domo*, infidelitas, tota in plebe.
÷ 10. *Lepra in vestimento*, vitia carnis.
5 ÷ 11. *Lepra in carne viva*, peccata animæ.
÷ 12. *Lepra volatica*, vitium quodlibet aliud ex se generans.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 28; ed. ii, col. 766 a ad cxvi, 1.

10 Petrus Capuanus ad litt. xi, art. 18. Lepra dicitur interdum nota infamiæ, quam mali falso impingunt bonis, sicut reprobi dicunt de Christo, in Isaia : « Nos reputavimus eum quasi leprosum [1]. » Sed hæc le-15 pra in cute est, id est in sola falsa opinione, quæ evanescit, veritate comperta. Hinc Jesus sacerdos magnus visus est in vestibus sordidis, quia et de Christo scriptum est in Isaia : « Vidimus eum non 20 habentem speciem neque decorem. » — Lepra etiam interdum dicitur mortale peccatum. Leviticus : « Si locus lepræ humilior fuerit carne reliqua [2], » id est, si peccator est inferior viris spiritualibus in Eccle-25 sia Dei. Lepra ergo in carne est, peccatum in conscientia; quæ lepra animam ipsam inficit, lacerat atque corrumpit. — Est etiam lepra simoniæ. Regum : « Lepra Naaman adhærebit tibi et semini tuo 30 usque in sempiternum [3]. » Hic est morbus contagiosus, qui et dantem et accipientem inficit. — Lepra quoque dicitur hæresis. Numeri : « Præcipe filiis Israel ut ejiciant de castris [Ecclesiæ] omnem leprosum [4] 35 [hæreticum]. » Hic etiam morbus contagiosus. Paulus : « Sermo eorum serpit ut cancer [5]. »

Distinctionum monasticar. lib. iii. Lepra qua percussa est Maria, soror Moysis, 40 significat elatam subditorum de prælatis suis detractionem; sed hoc per veram pœnitentiam cito curatur. — Lepra qua percussus est rex Osias, significat ecclesiastici officii inordinatam præsumtuosamque usurpationem. — Lepra qua percussus est Giezi, cui cum tota progenie sua lepra Naaman syri adhæsit, significat simoniam, id est affectuosam rerum spiritualium pro temporalibus emtionem vel venditionem. De qua specie lepræ quidam dixit egregie :

> Bonum Dei non donatur,
> Nisi gratis conferatur;
> Quod qui vendit vel mercatur,
> Lepra Syri vulneratur.
> Quem sic ambit ambitus,
> Idolorum servitus,
> Templo sancti Spiritus
> Non compaginatur.

Item lepra in capite, hæresis de deitate, vel crimen in prælato. — Lepra in barba, hæresis circa doctrinam apostolorum, vel crimen in senioribus. — Lepra tumens, superba defensio peccatorum. — Lepra rubens, nimia iracundia. — Lepra alba, hypocrisis. — Lepra in domo, infidelitas, vel aliud crimen in subditis. — Lepra in vestimento, gula in luxuria, vel certe magna et manifesta carnis vitia, vel assidua aut frequens scurrilitas, vel dissolutio in gestu. — Lepra in carne viva, crimen scienter commissum ex infirmitate. — Lepra florescens, inanis gloria, vel ambitio. — Lepra livida, invidia. — Lepra humilis, simulatio humilitatis. — Lepra in parietibus, conspiratio seu quælibet mala unitas malorum. — Item lepra in carne viva, misericordia, vel passio nimis indiscreta.

Petrus Episcopus.

Bennoni, in Levitic., § viii.

De lepra sequitur, quæ lepra est dogmata falsa,

(1) *Leprosum.* 4, Is. liii, 2, 4. — (2) *Reliqua.* Levit. xiii, 30. — (3) *Sempiternum.* IV Reg. v, 27. — (4) *Leprosum.* Numer. v, 2. — (5) *Ut cancer.* II Timoth. ii, 17.

Cujus sunt plures species : capitis lepra prima,
In Patre vel Nato quum quis peccat sceleratus,
Ut Donatistæ vel sicut Nestoriani.
In barba lepra est, quum de sanctis male credunt:
5 Quum quasi barba viri, sic sancti ornamina Christi.
Qui Ecclesiæ insultant, gestant in corpore lepram,
Ut sunt qui stulte firmant quod nemo resurget,
Conjugium damnantes et graviora latrantes.
In cute vel carne lepram gestare videntur,
Gaudia qui carnis quasi sunt æterna fatentur.
Pallida lepra fidem fragilemque vilemque figurat.
Denotat infectam mentem rubicunda cruore.
Qui se de merito falso jactant, notat alba.
Livorem invidiæ demonstrat lurida lepra.
Cultu perverso denigratam nigra mentem.
Crimen avaritiæ lepra florescens manifestat.

CXVII.

÷ Medicus, Christus. In Evangelio : « Non egent sani medico, sed male ha-
10 bentes [1]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Capuanus ad litt. xii, art. 8. Medicus corporum et medicus animarum. De primo prologus Evangeliorum : Lucas me-
15 dicus, natione Syrus. De secundo psalmus : « Numquid medici suscitabunt, aut confitebuntur tibi [2]? » Primus bonus, secundus melior. Primus terrestris, secundus cœlestis. Primus ergo exhibet medicinam terrestrem,
20 et ideo plerumque inutilem et sine effectu; unde et mulier hæmorrhoissa illa evangelica, in medicis quidem totam substantiam suam expenderat; sed quia terrestrem exhibebant medicinam, nihil profecerat, nec poterat
25 sanari. Evangelium : « Medice, cura te ipsum [3]. » Secundum exhibet medicinam cœlestem, et ideo semper utilem et efficacem. Evangelium : « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis [4]. » Primus
30 medicus est ex arte, secundus ex officio. Primus, ex scientia. Isaias : « Non sum medicus, et in domo mea non est panis : nolite constituere me principem populi [5]. » Secundus medicus ex potestate. Evangelium :
35 « Tibi dabo claves regni cœlorum [6]. » Medicus autem, audita infirmitate alicujus, primo visitat infirmum, deinde attendit et considerat infirmitatem; post, præfigit diætam; deinde apponit mordacia, per quæ præcidit putrida et repellit humores noxios; postmodum apponit lenitiva atque fomenta, per quæ consolidat vulnerata, vel corpus reintegrat, et sic, repulsa infirmitate, inducit sanitatem. Officium corporalis medici etiam debet persequi medicus spiritualis. *Quomodo Christus eadem egerit circa genus humanum, quæ corporaliter medicus agit circa infirmum* [*vide infra* p. 266, 267].

Petrus de Riga.

Aurora, in Tobia, v. 91-102.

Hoc nomen Raphael Medicina Dei sonat : unus
Est medicus verus, qui mala nostra tulit.
Angelus, ad patrem Tobiæ ductus ab illo,
Intulit hoc verbum : « Gaudia mente fove. »
Respondit : « Quænam debent mihi gaudia gigni,
Qui tenebras patior, nilque videre sinor. »
Angelus inquit ei : « Sis fortis mente, propinquo
Tempore curabit te Medicina Dei. »
Sic per virtutes, quas est operatus in ista
Carne Jesus, multis dando salutis opem,
Judææ populo, per quem susceperat ortum,
Ostendit quia sit Filius ipse Dei.

CXVIII.

÷ 1. Fluxus sanguinis, profusio peccatorum. In Levitico.
÷ 2. *Profluvium seminis*, immoderata loquutio. In Levitico.

(1) *Habentes*. Marc. ii, 17. — (2) *Tibi*. Ps. lxxxvii, 11. — (3) *Ipsum*. Luc. iv, 23. — (4) *Cœlis*. Matt. xvi, 19. — (5) *Populi*. Is. iii, 7. — (6) *Cœlorum*. Matt. xvi, 19.

÷ 3. *Nocturna pollutio*, peccatorum occulta cogitatio. In Deuteronomio.

÷ 4. *Mulier menstruata*, anima immundis cogitationibus polluta. In Jeremia: « Omnes quærentes eam, non deficient; in menstruis ejus invenient eam[1]. »

CXIX.

÷ De debilitate membrorum[2], in Levitico : « Loquutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere ad Aaron et filios ejus : Homo de semine vestro per familias, qui habuerit maculam, non accedat ad altare[3], nec offerat panes Deo suo : si cæcus fuerit, si claudus, si torto naso, si fracta manu, si gibbus, si lippis oculis, si impetiginem habens in corpore, si jugem scabiem, vel ponderosus[4], etc. »

1. *Cæcus* dicitur, qui superna luce privatus, quo gressum operis tendat, omnino nescit. De hac cæcitate sacerdotum per Malachiam dicitur : « Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est[5] ? »

2. Et in bonam partem. In Evangelio : « Si cæci essetis, non haberetis peccatum[6]. »

3. *Aurem abscissam* habet, qui obedientiam in Dei præceptis non exhibet.

4. *Lippis oculis* est, qui ingenium quidem intelligentiæ habet, sed hunc sollicitudo sæculi superna contemplari non sinit.

5. *Torto naso* est, qui ad discretionem boni et mali idoneus non est.

6. *Linguam abscissam* habet, qui fidem rectam minime confitetur.

7. *Manum fractam* habet, qui ab actione recta[7] exsors vacat.

8. *Claudus* est, qui quo gressum operis tendat, videt; sed eum infirmitas mentis hoc agere non sinit. In Levitico.

9. Et in bonam partem. In Evangelio : « Et pauperes et debiles induc huc[8]. »

10. *Gibbus* est, quem terrena cupiditas deprimens, mentis oculos ad cœlestia contemplanda elevare non sinit.

11. *Confractis testiculis* est, qui viriles sensus adversus vitia non habet.

12. *Ponderosus* est, quem prava cogitatio indesinenter gravat in mente.

13. *Scabiem in corpore* habet, quem luxuria carnis devastat in mente.

14. *Impetiginem* habet, quem avaritia dominatur in corde. Alii hanc impetiginem conciliabula hæreticorum intellexerunt. In Levitico.

15. *Abstractus* est[10], qui, peccatis propriis exigentibus, a corpore Christi, quod est Ecclesia, separatus est.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Petrus Capuanus ad litt. xv, art. 38. *Quomodo Christus sanavit omnia membra corporis nostri.* Ipse autem supercœlestis medicus integram sanitatem induxit, quando totum hominem sanavit in sabbato. Sanavit enim corpora. Evangelium : « At ille, singulis manus imponens curabat eos[11]. » Sanavit animas. Evangelium : « Jesus autem

(1) *Eam.* Jerem. ii, 24. — (2) *Membrorum.* Quasi titulus in B, C, deest in D. — (3) *Non ascendat ad altare meum* E. — (4) *Ponderosus.* Levit. xxi, 20 sq. — (5) *Est.* Malach. i, 8. — (6) *Peccatum.* Joan. ix, 41. — (7) *Malum fructum habet* D. *Qui a ratione recta* B-C. — (8) *Huc.* Luc. xiv, 21. — (9) *Vacare* B, C. — (10) *Abstractus est* E addit supra lineam : *scilicet pelle.* — (11) *Eos.* Luc. iv, 40.

« videns fidem illorum dixit paralytico : « Fili, remittuntur tibi peccata tua [1]. » Sanavit singula membra corporis nostri. Sanavit enim oculos. Evangelium : « Præteriens vidit cæcum a nativitate [2], etc. » An non sanavit oculos mentis, quando aperuit discipulis sensum Scripturarum? Sanavit aures. Dixit : « Ephpheta, quod est adaperire [3]. » An non sanavit aures cordis, quum adeo libenter eum audiebant, ut dicerent : « Verba vitæ æternæ habes [4] ? » Sanavit nares : « Statim apertæ sunt nares ejus [5]. » An non sanavit nares, quando, fracto alabastro, domus impleta est odore? In cujus odore adolescentulæ cucurrerunt. Sanavit os : « Quum ejecisset dæmonium, loquutus est mutus [6]. » An non sanavit os, quando pueri Hebræorum clamabant dicentes : « Hosanna filio David [7] ! » Sanavit manum : « Extende manum tuam, » dicitur ei qui habebat manum aridam [8]. An non sanabat manus Thomæ, quum dicebat : « Affer manum tuam, et mitte in latus meum [9]? Et noli esse incredulus, sed fidelis. » Sanavit dorsum. Evangelium : « Ecce mulier quæ omnino non poterat sursum aspicere, dimissa est ab infirmitate, et statim erecta est [10]. » An non sanavit dorsum, et curvum erexit, quum Magdalenæ inclinatæ respondit : « Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum [11] ? » Scilicet in corde tuo quasi curvata es, et ideo erigere, ut me tangas. Sanavit cor. « Exprobravit incredulitatem illorum et duritiam cordis [12]. » Sanavit pedes : « Ait paralytico : Tibi dico : Surge. Et confestim surgens, tulit lectum in quo jacebat, et abiit [13]. » An non sanavit spirituales pedes illius cui dixit : « Sequere me [14] ! » Itaque a planta pedis usque ad verticem omnia membra corporis nostri sanavit, quia omne caput languidum, et omne cor mœrens, non erat in eo sanitas.

Petrus de Riga.

Aurora, in Levitic., v. 811-838.

Dicitur hic cæcus, qui, mundi pulvere plenus,
  Ad lumen vitæ carpere nescit iter.
Est claudus, qui novit iter, sed currere tardus
  Hæret in hoc mundo, carne ligante pedem...
Est torto naso, qui dulce fatetur amarum,
  Et sanctos actus judicat esse malos.
Fractus pes et fracta manus reputantur in illo
  Qui claudo pejor ad bona nulla valet.
Hic est gibbosus, quem mundi sarcina curvat,
  Nec fascis [15] cordis summa videre sinit.
Est lippus cujus mens ingenio micat intus,
  Sed carnale tamen illud opacat opus.
Albugo cæcat oculos, et denotat illum
  Qui tumet, ascribens candida facta sibi.
Per jugem scabiem succensa libido notatur,
  Fervet, id est, fœtet corpus utroque malo.
Vulnus avaritiæ notat impetus ; ille decorem
  Membrorum, cordis vulnerat illa decus.
Pondere deprimitur, qui luxuriæ fugit actum,
  Sed tamen in corde sustinet illud onus.
Prædictis vitiis si quis se senserit ægrum,
  Lex jubet ut panem non sacret ille sibi.
Sic et prædictis vitiis si quisque tenetur,
  Christi carne sacra non habet ille frui.

CXX.

÷ Resina, cœlestis medicina. In Jeremia : « Numquid non est resina in Galaad? » id est in Ecclesia, « aut non est medicus ibi [16] ? » Item ibi, propter animam peccatorum languore infirmam : « Ponite resinam ad dolorem ejus, si forte sanetur [17]. »

CXXI.

÷ Pix, inquinamentum et nigredo delictorum. In Salomone : « Qui tangit picem, inquinabitur ab ea [18]. »

(1) *Tua*. Matt. IX, 2. — (2) *Nativitate*. Joan. IX, 1. — (3) *Adaperire*. Marc. VII, 34. — (4) *Habes*. Joan. VI, 69. — (5) *Ejus*. Marc. VII, 35. — (6) *Mutus*. Luc. XI, 14. — (7) *David*. Joan. XII, 13. — (8) *Aridam*. Matt. XII, 13. — (9) *Meum*. Joan. XX, 25. — (10) *Est*. Luc. XIII, 13. — (11) *Meum*. Joan. XX, 17. — (12) *Cordis*. Marc. XVI, 14. — (13) *Abiit*. Matt. IX, 6, 7. — (14) *Me*. Marc. II, 14. — (15) *Facies cordis*. Codd. — (16) *Ibi*. Jerem. VIII, 22. — (17) *Sanetur*. Jerem. LI, 8. — (18) *Ea*. Eccli. XIII, 1.

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 30; ed. II, col. 760 C ad CXXI.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Resina, pœnitentia, ut : « Numquid non est, etc. »

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. I, v. 916-929.

Infirmis firmisque Deus veram medicinam
Dat verus medicus, lac solidumque cibum.
Ne desperarent, promisit opem deitatis,
Cordibus infirmis littera lecta modo.
Hi ne præsumant de se, sensus meliores
Instruit, atque monet littera sancta sequens.
Firma fides, mediante Deo, fit robore major,
Hoc ope fit firma debilitata fides...
Quorum mens solidata nequit frangi, neque flecti,
Ossis eos solidus denotat iste rigor.

CXXII.

÷ 1. LECTUM, Ecclesia, id est Christi requies. In Cantico canticorum : « Ecce lectum Salomonis; sexaginta fortes ambiunt [1]. »

÷ 2. Quies spiritualis, hoc est contemplativa vita. In Salomone : « In lectulo meo eum per noctem quæsivi, quem desiderat anima mea [2]. » Et in Evangelio : « Tunc duo erunt in lecto, unus assumetur, et unus relinquetur [3]. »

÷ 3. Corpus hominis, vel infirmitas carnis. In psalmo : « Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus [4]. » Et alibi : « Lavabo per singulas noctes lectum meum [5]. »

÷ 4. Vita opulenta, sicut in Amos pro divitibus hujus sæculi dicitur : « Qui dormitis in lectis eburneis [6]. »

÷ 5. Illecebrosa hæreticorum deceptio. In Salomone : « Intertexui lectum meum funibus [7], » hoc est vinculis peccatorum.

÷ 6. Tribulatio vitæ futuræ. In Apocalypsi : « Ecce mitto illam in lectum, et qui mœchantur cum ea, in tribulatione magna erunt [8]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

RABANUS. Lectus, caro, ut : « Dominus ferat, etc. » — Concupiscentia, ut : « Lectum meum l. r. » — Delectatio carnis, ut : « Si ascendero in lectum strati mei [9]. » — Reprobus sensus, ut : « Mitto Jezabel in lectum [10]. »

PETRUS CANTOR. Lectus est sacræ Scripturæ; unde in Cantico : « Lectus floridus, tigna domorum nostrarum cedrina [11]. » — Contemplationis, ut : « Erunt duo in lecto, unus, etc. » — Ecclesiæ; unde : « En lectulum Salomonis, etc. » — Conscientiæ; unde : « Lavabo per singulas noctes lectum meum. » — Carnalis voluptatis, ut ibi : « Qui lascivitis in lectis eburneis. » — Æternæ beatitudinis ; unde : « Pueri mei mecum sunt in cubili [12]. » Æternæ damnationis ; unde : «Stravi lectum meum in tenebris [13]. »

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. III, *de Lecto*. Lectus significat conscientiam, in qua sanus, id est justus, quiescit; æger, id est peccator, torquetur; nam « secura mens quasi juge convivium [14]. » Et e diverso, nemo, se judice, nocens absolvitur :

Turpe quid ausurus, te sine teste time.

Et nota quod conscientia crudelium et ma-

(1) *Ambiunt*. Cant. III, 6. — (2) *Mea*. Cant. III, 1. — (3) *Relinquetur*. Matt. XXIV, 40. — (4) *Ejus*. Ps. XL, 4.— (5) *Meum*. Ps. VI, 7.— (6) *Eburneis*. Amos. VI, 4. — (7) *Funibus*. Prov. VII, 16. — (8) *Erunt*. Apoc. II, 22.— (9) *Mei*. Ps. CXXXI, 3. — (10) *Lectum*. Apoc. II, 22.—(11) *Cedrina*. Cant. I, 15.— (12) *Cubili*. Luc. XI, 7. — (13) *Tenebris*. Job XVII, 13. — (14) *Convivium*. Prov. XV, 15.

litiosorum, lectus est ferreus, qualis fuit lectus Og, regis Basan : conscientia voluptuosōrum fœtidus, qualis fuit lectus Moab, de quo legitur « quod requievit in fæcibus 5 suis [1]. » Conscientia castorum lectus est floridus, de quo sponsus ait sponsæ in Canticis : « Lectus noster floridus. » — Lectus significat vitam contemplativorum; unde : « Erunt duo, etc. » Nam verus contempla- 10 tivus assumetur ad gloriam, falsus relinquetur ad pœnam :

Huic mola debetur; ager, huic. Mola, mundus;
Subdita plebs ager est; vita quieta, thorus [2].

— Lectus significat gravem adversitatem; 15 ut in Apocalypsi, ubi Dominus minatur quod sit puniturus fornicariam Jezabel, dicens : « Ecce ego, etc. » Lectus significat sensualitatem; unde : « Tolle grabatum [3], » id est, attolle sensualitatem 20 tuam a voluptatibus carnis, et in bono profice; unde :

Dum cogo corpus, terrena mole gravatum,
Spiritui promto præstare pium famulatum,
Ut mala non faciens, faciat bona, tollo grabatum.

25 — Lectus significat terrenam facultatem; unde : « Egrediatur sponsus de cubili suo [4]. » — Carnis voluptatem; unde : « Non in cubilibus et impudicitiis [5]. » — Erroneam et superstitiosam opinionem, 30 quæ humanæ sapientiæ rationibus et argumentis est contexta, et sæcularis eloquentiæ coloribus expolita; unde meretrix parabolica, quæ hæresiarchæ vel ipsius erroris tenet typum, de mundana sapientia et elo- 35 quentia se jactans, ad se curiosos auditores vocat, dicens : « Intexui funibus lectulum meum; stravi tapetibus pictis ex Ægypto. » Funes sunt philosophiæ argumentationes; tapetia picta, rhetorici colores. — Lectus significat æternam beatitudinem; unde : « Pueri mei mecum sunt in cubili. » — Carnis infirmitatem, ut ibi : « Dominus opem ferat illi, etc.; » ut virtute enim corpori possit prævalere. — Lecti nomine historiæ sacræ textus significatur, ut ibi : « Mala aurea in lectis argenteis [6], » ubi rubor auri et nitor argenti pulchre conveniunt : possunt per lectos argenteos pura auditorum corda signari, quibus divinæ sapientiæ verba tamquam mala aurea committantur. — Lectus, secundum expositionem sancti Augustini super hunc locum : « Tolle grabatum tuum, et ambula, » significat proximum, hoc est tollere grabatum, portare proximum portantem se. Unde et quidam de nostris quodam loco ait :

Qui damno proprium, fraternum porto reatum,
Si quæris : quare? responsum sit tibi gratum :
Qui me sanavit, dixit mihi : Tolle grabatum.

Est igitur lectus

Conscientiæ.	Professionis.
Contemplationis.	Beatitudinis.
Adversitatis.	Carnalis fragilitatis et voluptatis.
Sensualitatis.	

PETRUS DE RIGA.

I. *Aurora*, in Cantic., v. 152-155.

Me pulchram deitas facit et caro sumta decoram,
Nil habet obscœnum deitas, caro nil vitiorum.
Lectulus est sponsæ contextus gramine florum,
Dum mens plena bonis virtutes spirat odorum.

II. Ibid., v. 345-348.

Lectus secretum notat in quo sponsa quiescit;
Nox mundum signat, qui lucis gaudia nescit.
Sed quia quod quærit mundo non cernitur isto,
Subdidit hoc verbum de sponso judice, Christo :
« Surgam, lustrabo loca, etc.

CXXIII.

40 I. SOMNUS, mors. In Evangelio : « Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt [7]. »

(1) *Suis*. Jerem. XLVIII, 11. — (2) *Thorus*. In *Aurora*, ad Evangel., v. 2116, et apud Hildebert., p. 1002. — (3) *Grabatum*. Joan. v, 11. — (4) *Suo*. Joel II, 16. — (5) *Impudicitiis*. Rom. XIII, 13. — (6) *Argenteis*. Prov. XXV, 11. — (7) *Dormierunt*. Matt. XXV, 5.

÷ 2. Torpor mentis in opere bono, unde in Salomone pigro dicitur : « Usquequo, piger, dormis [1] ? » Et in Apostolo : « Qui dormiunt, nocte dormiunt [2]. »

÷ 3. *Dormire*, requiescere transitu [3] apud Christum. In psalmo : « Numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat [4] ? »

5 ÷ 4. Et in malam partem, de peccato cum torpore, in Apostolo : « Surge, qui dormis, et illuminabit te Christus [5]. »

÷ 5. *Dormire*, ab operibus mundi in Domino quiescere. In Salomone : « Ego dormio, et cor meum vigilat [6]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

10 EUCHERIUS, ed. I, p. 27; ed. II, col. 755 A ad 1, 2.

RABANUS. Somnus, mors carnis, ut : « Quum dederit dilectis suis somnum [7]. » — Quies mentis, ut : « Somno meo re-15 quiescerem [8]. » — Torpor negligentiæ, ut : « Quando de somno consurges [9] ? » — Hypocrita, ut : « Velut somnum avolans non invenietur [10]. »

PETRUS CANTOR. Mortui dicuntur dor-20 mire propter certitudinem resurrectionis; quia, ut ait Apostolus ad Corinthios, « Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur [11]. » — Propter facilitatem vel celeritatem resurgendi, quia 25 in momento, in ictu oculi, et ideo dixit Dominus in Evangelio : « Non est mortua puella, sed dormit [12]. » E contra, Scriptura dicit Christum esse mortuum, non dormientem, ut in fide solidemur. — Propter 30 integritatem, quia sicut homo totus a somno surgit, ita mortuus totus resurgit. Et propter hæc tria mors dicitur dormitio.

DISTINCTIONUM MONASTICAR. lib. V, *de Somno*. Somnus multipliciter in sacra Scri-35 ptura accipitur. Est autem somnus naturæ; unde : Somno refectis artubus, etc. Et Cato :

Plus vigila semper, ne somno deditus esto :
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Et poeta [13] :

40 Stulte, quid est somnus, gelidæ nisi mortis imago?
Longa quiescenti tempora fata dabunt.

— Est somnus culpæ; unde : « Hora est jam nos de somno surgere [14]. » — Gloriæ; unde : « Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ [15]. » — Mortis transitoriæ; unde : « Lazarus amicus noster dormit [16]. » Somnus iste bonus est bonis; unde : « Quum dederit dilectis suis somnum, etc. » Malus est malis, de quibus dicit Psalmista : « Dormierunt somnum suum [17]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS.

Somnus.

Quies divitum.	Quies contemplationis.
Cæcitas peccatorum.	Carnalis delectatio.
Negligentia.	

Somnium.

Delectatio vitæ.	Vaniloquium.
Scriptura clausa.	Mystica sacramenta.
Cogitatio tenebrarum.	Hypocrita.

PETRUS DE RIGA.

Aurora, in Cantic., v. 681-688.

Cor sponsi dici possunt illius amici,
Qui vigilant corde, fugiunt mundum sine sorde.
Dormiit in carne Christus, vigilat deitate.
Qui loquitur cunctis : Ego dormio, vos vigilate.
Vel dici possunt hæc sponsæ verba loquentis :
Dormio, sed vigilant intus mihi lumina mentis.
Dormio carne quidem, non mundi sentio curam;
Sed vigili sensu mercedem cerno futuram.

(1) *Dormis.* Prov. VI, 9. — (2) *Dormiunt.* I Thess. V, 7. — (3) *Requiescere post transitum apud Christum*, ita, an melius Eucherius? — (4) *Resurgat.* Ps. XL, 9. — (5) *Christus.* Ephes. V, 14. — (6) *Vigilat.* Cant. V, 2. — (7) *Somnum.* Ps. CXXVI, 2. — (8) *Requiescerem.* Job III, 13. — (9) *Consurges.* Prov. VI, 9. — (10) *Invenietur.* Job XX, 8. — (11) *Immutabimur.* I Cor. XV, 51. — (12) *Dormit.* Luc. VIII, 52. — (13) *Poeta.* Ovid. II. *Amor.* IX, 41. — (14) *Surgere.* Rom. XIII, 11. — (15) *Deargentatæ.* Ps. LXVII, 14. — (16) *Dormit.* Joan. XI, 11. — (17) *Suum.* Ps. LXXV, 6.

CXXIV.

÷ 1. VIGILARE, cordis custodiam adhibere, vel in operibus bonis resurgere. In psalmo : « A vigilia matutina usque ad noctem speret Israel in Domino [1]. »

÷ 2. Oculos cordis ad supernam lucem contemplandam apertos habere. In Evangelio : « Beati servi illi quos, quum venerit Dominus, invenerit vigilan-
5 tes [2]. »

÷ 3. Et in aliam partem, per Isaiam : « Succisi sunt omnes qui vigilabant ad iniquitatem [3]. »

÷ 4. Futura die resurrectionis, a mortuis resurgere. In Daniele : « Multi de his qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt [4]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

10 EUCHERIUS, ed. I, p. 7 ; ed. II, col. 765 ad 1.

RABANUS. Vigiles, Angeli, ut : « In sententia vigilum decretum est [5]. » — Pastores, ut : « Invenerunt me vigiles [6]. »

15 PETRUS CANTOR. Prælatus dicitur vigil, qui in alto excubat : ita et prælatus Ecclesiæ; unde : « Ascende in montem, tu qui evangelizas Sion [7]. » — Undique circumspicit : ita et prælatus; unde in Cantico amoris
20 oculi appellatur. Unde et gallus, per quem prælatus intelligitur, circa quemlibet ventum inflectit se, quia prælatus omni se persequutioni opponit. — Alios a somno excitat : ita et prælatus, dicens : « Surge, qui
25 dormis. » — Solatia vigiliarum habet : ita et prælatus, dicens : « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ [8], » ut musica instrumenta.

Vigiliæ noctis sunt quatuor, quarum
30 quælibet continet tres horas : canticinium; per primam intelligitur contemtus mundi, id est bonorum, divitiarum, voluptatum.— Intempestivum ; per secundam mortificatio carnis, sub qua auditur frequens jejunium,
35 labor manuum, assiduitas vigiliarum. —Gallicinium, sive galli cantus; per tertiam, appetitus virtutum; sub qua largitio eleemosynarum, effusio lacrymarum, frequentatio orationum. — Antelucanum, sive diluculum : per quartam, desiderium æternorum; sub qua sunt similiter tres : oblivio temporalium, contemplatio spiritualium, exspectatio æternorum [9]. »

ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Vigiliæ corpus affligunt; hostium insultus præcavent; fures et malas bestias arcent; pro timore vel devotione celebrantur.

Vigiliæ, sollicitudo custodiæ, ut : « Sobrii estote, et vigilate [10]. » — Resurrectio Christi, ut : « Quum vigilasset Noe, et cognovisset quid fecerit filius [11]. »—Vita nostra, in corpore, ut : « Christus pro nobis mortuus est; » ut : « Sive vigilemus, sive dormiamus [12], etc. » — Instantia orationis, ut : « Vigilate, et orate, ne intretis in tentationem [13]. » — Resurrectio justorum, ut : « Multi de his qui dormiunt in pulvere, evigilabunt. » — Sedulitas mali operis, ut : « Succisi sunt, etc. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. XX, art. [cf. t. II, p. 20].

(1) *Domino*. Ps. CXXIX, 6. — (2) *Vigilantes*. Luc. XII, 37. — (3) *Iniquitatem*. Is. XXIX, 20. — (4) *Evigilabunt*. Dan. XII, 2. — (5) *Est*. Dan. IV, 14. — (6) *Vigiles*. Cant. III, 3. — (7) *Sion* Is. XL, 9. — (8) *Meæ*. Ps. CXVIII, 54. — (9) *Æternorum*. Eadem amplissimo textuum ambitu adornavit Petrus Capuanus, cui jam et deinceps vix ullus locus erit. — (10) *Vigilate*. I Petr. V, 8. — (11) *Filius*. Genes IX, 24. — (12) *Dormiamus*. I Thess. V, 10. — (13) *Tentationem*. Marc. XIV, 38.

Vigilat	
Deus	*Homo*
Per misericordiam.	Gregem commissum custodiendo.
— custodiam.	Claustra cordis observando per orationem.
— pœnam sive vindicationem.	Per contemplationem.
Angelus, ministerium suum explendo.	—studii attentionem.

Diabolus, vel per se, vel per membra sua, ad decipiendum et nocendum.

Liber *de Gratia N. T.* v. 106-116.

Angelici chori reboant cœlestibus hymnis :
« Sit pax in terris, aiunt, et gloria cœlis. »
Virgineus partus pastoribus insinuatur :
Cernere festinant, Christumque vident et adorant,
Gavisi repedant; quæ compererant, manifestant.
Divinæ legis qui se meditamine pascit,
Qui cor conservat, quem non sopor ullus enervat,
Cujus mens vigilat, seseque Deo refigurat,
Nec bene quo faciat præstolatur dubium cras.
Sed satagit, properat, hilarizando benignat,
Ille Deum plane poterit laudare, videre.

CXXV, CXXVI.

÷ 1. Vivi, justi; Mortui, reprobi omnes. In psalmo : « Non mortui laudabunt te, Domine; sed nos qui vivimus, benedicimus Dominum [1]. »

2. *Mortui mundo*, justi. In Apostolo : « Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo [2]. »

3. *Viventes mundo* et *Mortui Domino*, peccatores. In psalmo : « Descendant viventes in infernum [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 19; ed. ii, col. 756 d ad 1, 2.

Rabanus. Vita, gloria temporalis, ut : « Quare misero data est lux, et vita his qui in amaritudine animæ sunt [4]? » — Probatio operis, ut : « Vita carnium, sanitas cordis [5]. » — Mors, exstinctio vitæ, ut : « Qui exspectant mortem, et non venit [6]. »—Superbia, ut : « Consumat brachia ejus primogenita mors [7]. »—Diabolus, ut : « Habeo claves mortis et inferni [8]. » — Odium supernum, ut : « Formido mortis cecidit super me [9]. » — Peccatum, ut : « Ne umquam obdormiam in morte [10]. »— Pœna æterna, ut : « Qui talia agunt, digni sunt morte [11]. »

Petrus Cantor. Vita pœnæ; unde : « Si in hac vita tantum sperantes sumus in Christo [12]. » Hæc est a Deo.—Culpæ; unde : « Inimici mei vivunt, » hæc est ab homine, et est mala. — Naturæ, quæ communis est omnibus; hæc est a Deo, et est bona. — Gratiæ in præsenti; unde Apostolus : « Vivo ego » vita gratiæ, jam non ego, non vita culpæ, qualis scilicet exstiteram, « vivit vero in me Christus [13], » novitas Christi apparet in me. — Gloriæ in futuro; unde : « Quum Christus apparuerit vita vestra, tum et vos apparebitis cum ipso in gloria [14]. » Hæc est a Deo, et est melior. »

Moritur	
Bonus	*Malus*
Mundo.	Morte pœnæ.
Voluptatibus.	— culpæ.
Sibi.	— damnationis.

Mors.	
Pœnalitas.	Delectatio proveniens ex carne.
Dissolutio corporis et animæ.	

(1) *Dominum*. Ps. cxiii, 17. — (2) *Christo*. Coloss. iii, 3. — (3) *Infernum*. Ps. liv, 16. — (4) *Sunt*. Job xxxix, 15. — (5) *Cordis*. Prov. xiv, 30. — (6) *Venit*. Job iii, 21. — (7) *Mors*. Job xviii, 13. — (8) *Inferni*. Apoc. i, 18. — (9) *Me*. Ps. liv, 5. — (10) *Morte*. Ps. xii, 4. — (11) *Morte*. Rom. i, 32. — (12) *Christo*. I Cor. xv, 39. — (13) *Christus*. Galat. ii, 20. — (14) *Gloria*. Colos. iii, 4.

Mors.

Mortificatio carnis. Æterna damnatio. Diabolus.

DISTINCTIONUM MONASTICAR., lib. III, *de Vita*. Vita vera et summa ac proprie æterna est ipse auctor vitæ; Deus, « in quo vivimus, movemur et sumus [1]. » Si quidem vivimus in vita, movemur in via, sumus in veritate. Vivimus in immortali; movemur in immobili; sumus in immutabili. Itaque veritas immutabilis facit ut simus; via immobilis, ut bene simus; vita immortalis, ut beate simus. Igitur veritas divina confert essentiam; via, justitiam; vita, gloriam. « Ego sum, ait Salvator, via, veritas et vita [2]. » Noli, lector, putare, quod Salvator noster nobis via sit tantum in eo quod est homo. Scriptum est enim : « Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester [3]. » Et ipse Dominus dicit in Evangelio : « Estote misericordes, sicut et Pater vester cœlestis misericors est [4]. » Ambulemus ergo in via quæ est sine obliquo, simus in veritate quæ est sine dolo, et vivemus in vita quæ est sine termino.

Item est vita naturæ, vita culpæ, vita gratiæ, vita gloriæ. Prima est mortalis; secunda, mortua; tertia, vivens; quarta, immortalis. De prima [*Cf. supra P. Cantorem*], etc.

Vitam etiam nostram appellamus gloriosam Virginem, quæ nobis auctorem vitæ genuit, quæ nobis lapsis vitam gratiæ suis precibus et meritis acquirit, quæ in vita gratiæ nos ad vitam gloriæ nutrit, quæ nos a mortis auctore protegit, et in fine vitæ mortalis ad vitam sine morte perducit. Unde ei tam voce cordis quam oris canimus : Salve, regina misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve.

Vita etiam dicitur certus modus vivendi; unde dicere solemus : hæc est vita monachorum; hæc anachoretarum vel eremitarum; et hæc est vita cœnobitarum. Unde psalmista dicit Deo : « Melior est misericordia tua super vitas [5]. » In omni enim conditione, gradu et professione, quidam misericorditer salvantur, quidam juste damnantur. Unde satis evidens est quod melior est misericordia Dei super vitas.

Vita dicitur ipsa conversatio sive bona, sive mala. Bona, ut ibi : Fuit vir vitæ venerabilis gratia Benedictus et nomine [6]. Mala, ibi : « Domine, a paucis de terra divide eos in vita eorum [7] . » Et in illis versibus Persii [8].

Non prætoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.

IDEM, *de Morte*. Mors a morsu nomen traxisse videtur, eo quod primus parens noster, quando pomum vetitum momordit, in mortem cecidit, id est inevitabilem moriendi necessitatem incurrit. Unde Fortunatus ait [9] :

De parentis protoplasti
Fraude facta condolens,
Quando pomi noxialis
Morsu in mortem corruit,
Ipse lignum tunc notavit, etc.

Unde fames et mors et mille pericula mortis.

— Mors alia naturæ, alia culpæ, alia gehennæ, alia gratiæ; unde versus :

Est mors naturæ, mors culpæ, morsque gehennæ;
Vitæ consortem quartam dat gratia mortem.

De morte naturæ est illud : « Christus factus est Patri obediens usque ad mortem [10], etc. »—Mors naturæ separat animam a corpore; mors culpæ separat animam a Deo; mors gehennæ separat totum hominem ab omni commodo; mors gratiæ separat animam humanam a mundo, id est ab amore mundi. Hanc mortem dixit Plato sapientibus appetendam.—Et nota quod mors culpæ est triplex : prima est prava cogitatio; secunda, prava operatio; tertia, prava consuetudo. De his quidam ait :

Mens mala mors intus; malus actus, mors foris usus
Tumba, puella, puer, Lazarus ista notant.

Mors etiam dicitur diabolus; unde in Apocalypsi legitur quod sedenti super equum pallidum nomen erat Mors [11]; au-

(1) *Sumus*. Act. XVII, 28. — (2) *Vita*. Joan. XIV, 6. — (3) *Vester*. Levit. XI, 44. — (4) *Est*. Luc. VI, 36. — (5) *Vitas*. Ps. LXII, 4. — (6) *Nomine*. S. Greg. *Dial.* lib. II, c. 1. — (7) *Eorum*. Ps. XVI, 14. — (8) *Persii*. *Sat*. V, v. 93, 94. — (9) *Ait*. Fortunat. *Carm*. lib. I. — (10) *Mortem*. Phil. II, 8. — (11) *Mors*. Apoc. VI, 8.

ctori namque mortis nomen est Mors : qui sedet super equum pallidum, quia ipse sessor est et agitator hypocritarum, qui figurantur per equum pallidum, quia ipsi exterminant facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Et nota quod mors mortis est auctor vitæ, sicut olim ipse dixit per Osee : « Ero mors tua, o mors! ero morsus tuus, inferne [1]. » Unde quidam ait :

Vivens vita, Deus, mortem moriendo momordit :
Mors mortis moritur; mortua vita redit.

PETRUS CAPUANUS, ad litt. XX, art. 1; et litt. XII, art. 29.

Vita

Dei.	*Hominis.*	
Deus Pater.	Providentiæ.	Gloriæ.
— Filius.	Naturæ.	Culpæ.
— Spiritus.	Gratiæ.	Gehennæ.
Trinitas.		

Mors.

Gratiæ.	Gloriæ.
Culpæ.	Gehennæ.

LAURENTIUS DUNELMENSIS.

Hypomnesticon, in lib. VIII.

De ligno vitæ.

Plus aquilis vexilla crucis, plus efficit armis
Arbor, plus ferro ligna beata crucis.
Terras arma domant; crux exsilit alta polorum.
Urbes illa timent; tartara sæva, crucem.
Crux hominem, superis; crux alligat infima summis;
Crux fugat omne malum; crux facit omne bonum.
In cruce pascha novum Christus manducat, ibique
Ad se cuncta sui transitione trahit.
Palmam conscendens, fructum sibi colligit ejus
Ascensor Christus; crux sacra palma fuit.
At fructus palmæ, quidquid trahit in cruce Christus.
Quæris quid trahitur? tartara, terra, polus.
Sic medius cœlo terræque, Dei mediator
Atque hominum, comedit pascha salubre suum.
Arboris et fructus legit undique, quos ita lectos
Protinus in corpus trajicit ipse suum.
Crux, arbor vitæ; fructum tibi fert ea vite.
Summi membra ducis ligna tulere crucis.
Lignum ligna juvant; opus expiat arboris arbor;
Fructibus horrendis fructus amandus obest.
Cur mundum redimens mundi gerit hæc ea formam?
Quatuor hic partes, quatuor illa tenet.
Si bene rem spectes, oriens a vertice fulget;
Austrum læva tenet; dextra quod alget habet,
Solis et occidui plaga sub pedibus solidatur,
Quas redimit sacra crux exprimit ipsa plagas.
Tincta cruore tuo, Jesu bone, crux tua felix,
Per te cuncta tibi jure subesse dedit.
Crux tua, nostra quies; mors est tua vita tuorum;
Deperit et moritur mors mala morte tua.
Hic dormit Adam, dat et hic latus illius Evam.
Frater et hic in agrum ducit et urget Abel.
Hic arcæ lateri composta, fenestra columbæ
Panditur, hicque virens fertur oliva tibi.
Sanctus et hic Isaac, aries quoque cornibus hærens
Hic inter vepres, et sacer ignis adest.
Hic toga talaris perfusa cruore videtur,
Et sacer a sævis venditur ille Joseph.
Hic tibi, cum virga simul et serpente levato,
Legislator adest, et fugat hoc quod obest.
Hic quoque coccineus tutela, Raab, tibi funis
Pendet, et hic botrum mystica ligna ferunt.
Hic Elysæus adest, et mersa securis ab imo
Enatat ad lignum, sic quoque sicca petit.
Navigat hic Jonas mittendus in æquor; ibique
Absorptum triduo bestia claudet eum, etc.

CXXVII.

÷ 1. FOVEA, terrenarum rerum abjectio : « Absconde eos pulvere, simul et facies eorum demerge in foveam [2]. »

÷ 2. Latebræ defensionis : « Ibi habuit foveam hericius [3]. »

÷ 3. *Fossa*, humilitas : « Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, a facie timoris Domini [4]. »

÷ 4. Patientia : « Fossa in altari fieri præcepit, ut in ea superposita holocausta serventur [5]. »

÷ 5. Damnatio peccatorum. In psalmo : « Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea [6]. »

(1) *Inferne.* Osee XIII, 14.—(2) *Foveam.* Job XL, 8. — (3) *Hericius.* Is. XXXIX, 15. — (4) *Domini.* Is. II, 10. — (5) *Serventur.* Exod. XXXVIII, 4. — (6) *Fovea.* Ps. XCIII, 13.

÷ 6. Damnatio diaboli vel Antichristi. In Propheta : « Et indagabunt Assur, » id est Antichristum, « in fossa Nembroth [1]. »

÷ 7. Dolus, vel laqueus in mortem. In psalmo : « Lacum aperuit, et fodit eum, et ipse incidit in foveam quam fecit [2]. »

5 ÷ 8. Hæretica deceptio. In Salomone : « Fovea profunda est meretrix, et puteus angustus alienigena [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

EUCHERIUS, ed. I, p. 27; ed. II, col. 765, 6, ad 7.

10 GREGORIUS M. Fovea, terrenarum rerum abjectio, vel inferni barathrum; unde Dominus ad Job : « Abscondes eos, etc. » Justo namque judicio, superborum facies in foveam mergitur, quia interitio cordis 15 eorum inferius dejicitur; unde per abjectionem rerum terrenarum, in qua ex intentione merguntur, tandem ad barathrum inferi tendunt. — Latebra defensionis; unde propheta : « Ibi habuit f. h. » Hericius 20 enim, quum deprehenditur, propriis se spiculis defendit, ne manu teneatur; sed diabolus de mente quam velut propriam foveam possidet, contra monita corripientis telum iniquæ defensionis intorquet. — 25 Calliditas hæreticæ pravitatis; unde sub specie meretricis per Salomonem dicitur : « Fovea p. e. m. »

Fossa, humilitas, ut ibi : « Abscondere in fossa humo a facie timoris Dei. » Quod 30 utique tunc rite facimus, si terrenas cogitationes egerentes, ab ira districti judicis in humilitate nostræ mentis abscondamur. — Patientia; unde in altari fossa esse dicitur, in qua supposita holocausta serventur. Si 35 enim in altari cordis nostri patientiæ fossa non fuit, totum sacrificium nostrum veniens aura dispergit. Hæc autem fossa unius cubiti esse perhibetur, quia, ubi patientia non amittitur, ibi unitas custo-40 ditur.

GREGORIUS apud *Garnerium S. V.*, lib. VI, c. 19, 20.

RABANUS et ANONYMUS CLAREVALLENSIS. Fovea, malitia deceptionis, ut : « Incidit i. f. q. f. » — Vitium excusationis, ut : « Foveam h. h. » — Sententia mortis, ut : « Foderunt ante faciem meam foveam [4]. » — Infernus, ut : « Projecerunt eum in foveam grandem [5]. » — Fossa, humilitas, ut : « Fossa i. a. f. » — Memoria hominis, ut : « Fossa aquæductus repleta est [6]. » — Virtus patientiæ, ut : « Abscondere, etc. » — Terrena cupiditas, ut : « Argentum fossa humo operuit [7]. »

PETRUS CAPUANUS ad litt. VI, art. 19. Fodit Deus agrum cordis nostri, in quem exiit qui seminat seminare immittendo humilitatem, vel dando tribulationis pressuram. Fodit prædicator fossorio increpationis suæ. Fodit doctor, secretum Scripturæ rimando. Fodit etiam quicumque justus, secum spe quiescendo. Fodit malus, insidias parando, vel mortis sententiam dictando. Fodit diabolus, interiora hominis penetrando, ut alliciat. Est etiam

Fovea vel fossa

Pœnitentiæ et humilitatis.	Temporalis felicitatis.
Patientiæ et longanimitatis.	Gehennalis pœnæ.

HERMANNUS WERDINENSIS.

Hortus deliciar., lib. II, v. 6813-6820.

Hic typice meretrix hæc dicitur esse leæna :
Illius os altum nominat esse lacum.
Vel dic hanc foveam fore schismata falsa profundam.
Felix est si quis vitat utramque luem.

(1) *Nembroth*. Mich. v, 6. Ex veteri interpret. tam a græco quam a Vulg. diversa. — (2) *Fecit*. Ps. VII, 16. *Effodit eum, et incidit* E. — (3) *Alienigena*. Prov. XXIII, 14. — (4) *Foveam*. Ps. LVI, 7. — (5) *Grandem*. II Reg. XVIII, 17. — (6) *Est*. III Reg. XVIII, 35. — (7) *Operuit*. Josue VII, 21.

CXXVIII.

÷ 1. Sepulcrum, memoria mortis et resurrectionis Domini. In Isaia : « Et erit sepulcrum ejus gloriosum [1]. »

÷ 2. Corpus peccatis subditum, sive simulationes quæque. In Evangelio : « Væ vobis, pharisæi et scribæ, quia similes estis sepulcris dealbatis [2]. »

5 ÷ 3. Hæreticorum prædicatio. In psalmo : « Sepulcrum patens est guttur eorum [3]. »

VETERUM VARIUS COMMENTARIUS.

Eucherius, ed. i, p. 19; ed. ii, col. 757 a ad 2.

10 Rabanus. Sepulcrum, secretum contemplationis, ut : « Ingredieris in abundantia sepulcrum [4]. » — Loquutio prava, ut : « Sepulcrum patens est g. e. » — Corpus terrenum, ut : « Qui exasperant, qui habi-15 tant in sepulcris [5]. » — Reprobi, ut : « In circuitu Assur sepulcra ejus [6]. »

Petrus Cantor. Mortuus in domo peccatum est voluptatis. Mortuus in porta, peccatum loquutionis. Mortuus in sepulcro, 20 peccatum operis et pravæ consuetudinis. Isti tres mortui tria genera peccatorum significant, de malo ad bonum revertentium. Mortui namque sunt in domo, qui sine demonstratione operis conceptam nequi-25 tiam adhuc in corde servant. Illi significantur per puellam mortuam in domo. Mortui in agro sunt qui culpam per consensum conceptam, in sensuum propalatione, per operationem demonstrant. Isti 30 significantur per filium viduæ in agro suscitatum. Mortui in monumento sunt, qui non sola voluntate latent, vel etiam actione peccatores sunt, sed jam in longam consuetudinem suam nequitiam pro-35 traxerunt. Isti recte possunt dici quatriduani et fœtidi, quia omnibus eos cognoscentibus sunt oneri et detestationi ; et isti per Lazarum significantur. Resuscitatio istorum mortuorum significat justificatio-40 nem peccatorum. Et tanto levius resuscitatur quis per gratiam, quanto minus mortificatus est per culpam; unde Dominus puellam, ejecta turba de domo, solo verbo suscitasse fertur. Tu quoque, si vis puellam tuam, id est animam, divinitus suscitari, ejice turbam de domo, scilicet tumultuosas cogitationes : aliter enim non curabitur puella. Resuscitando Lazarum in monumento quatriduanum, fremuisse, lacrymasse, clamasse voce magna perhibetur : non quod Domino tam facilis non fuerit resurrectio Lazari, sicut puellæ; sed Domini facta aliarum rerum sunt exempla. De hac sententia quidam versificator ait : Mens mala [*vide supra,* p. 273], etc. »

Petrus Capuanus ad litt. xviii, art. 89.

Sepulcrum

Supremum.

Vita æterna.
Vita contemplativa.

Mens justa, in qua Christus quiescit.

Medium.	*Infimum.*
Sancta Ecclesia vel conversatio bona.	Voracitas.
Confessio et pœnitentia peccatorum.	Simulatio.
Incineratio hominum.	Adulatio.
	Iniquitas profunda.
	Damnatio, vel perditio.

Distinctionum monasticar. lib. v, *de Sepulcro.* « Sepulcrum patens est guttur » vorantium, vorandis carnibus semper præparatum ; unde est illud : « Sepulcrum, etc. » Et congrue sequitur : « Linguis suis dolose

(1) *Gloriosum.* Is. x, 11. — (2) *Dealbatis.* Matt. xxiii, 17. — (3) *Eorum.* Ps. v, 11. — (4) *Sepulcrum.* Job v, 26. — (5) *Sepulcris.* Ps. lxvii, 7. — (6) *Ejus.* Ezech. xxxii, 22.

agebant, » quia comes est vorantibus adulatio et loquacitas. Unde dives ille qui quotidie epulabatur splendide, plus in lingua arsisse legitur. — Secundum aliam expositionem « sepulcrum patens est guttur, » id est doctrina hæreticorum, qui per verba fœtida blasphemiæ, fœtorem pessimum exhalant. — Sepulcra dealbata figurant hypocritas, qui speciem sanctitatis ostentant in publico, et quæ faciunt in occulto turpe est dicere. Bene sepulcris dealbatis comparantur hypocritæ, qui exterius ornati, et interius sunt sordidi. Hi sunt, secundum satyricum [1],

Qui Curios simulant et bacchanalia vivunt.

— Sepulcrum animæ in peccatis mortuæ est corpus suum; unde de reprobis dicitur quod « sepulcra eorum erunt domus eorum in æternum [2]; » quia reproborum corpora in resurrectione non mutantur in melius, sed resurgunt in pejus, quia erunt passibilia, ut sunt modo, sed non erunt mortalia, ut modo. Unde est illud de reprobo : « Laborabit in æternum, et vivet adhuc in finem. » Unde et versificator quidam ait :

Non venit ad metas mortis miserabilis ætas,
Nescia finiri, semperque videtur oriri.
Quum peccatores mittuntur in inferiores
Inferni latebras, ignem pariterque tenebras
Semper passuri, nec ab his umquam redituri.
Numquam cum reprobis contingat portio nobis.

— Sepulcra dicuntur voluptates carnis, ut ibi : « Sicut vulnerati dormientes in sepulcris [3]. » Vulnerati sunt quos diabolicæ tentationis tela confixerunt. Et hi sæpe dormiunt in sordidis voluptatibus carnis, sicut dicitur de Moab, quod « requievit in fæcibus suis [4]. » Hanc nobis requiem dissuadet quidam dicens :

Res est nota satis, non habet quidquam novitatis :
Spiritus inde perit, si carni dulcia quærit.

— Sepulcrum significat contemplationem, juxta beati Gregorii expositionem super illam sententiam : « Ingredieris in abundantia sepulcrum. » Sepulcri nomine vita contemplativa significatur, quod nos ab hoc mundo quasi mortuos sepelit, dum a terrenis desideriis separatos, in intimis abscondit. — Sepulcrum significat profundum damnati hominis latibulum ; unde : « Dives sepultus est in inferno. »

Est igitur sepulcrum

Voracitatis.	Æternæ damnationis.
Pravi dogmatis.	
Voluptatis.	Contemplationis [5].

Anonymus Clarevallensis. Sepulcrum foditur, lapidibus cingitur, mortuum suscipit, vermibus scaturit, putredinem generat, fœtorem emittit, clauditur, erigitur, sculpturis insignitur, inscribitur, politur, dealbatur.

Sepulcrum.

Secretum contemplationis.	Corpus reproborum.

Fulcoius Bellovacensis.

Utrumque, de Nuptiis Christi et Ecclesiæ, in prologo.

Interius munda cor, Spiritus, igne vel unda
Pectore inundato, mundataque rector habeto,
Mundaque ne turbet vetus hospes, et abdita turpet.
Quid dabis exemplum, pie, si facis hoc tibi templum,
Quod velut insomnis custodia possidet omnis,
Concio morborum, perfecta cohors vitiorum?
Fortis et armatus, dextram conferre paratus,
Atria custodit, torquet, populatur et odit.
Hunc nam fecit herum, non jus, injuria verum.
Sic impune feret, quantum miser incola mœret.
Per solitum morem, dominum vult ille priorem.
Spiritus, exsurge, fortem tu fortior urge,
Meque tui juris deposcens, irrue muris.
Quid stas? cur parces? tua dextera vendicet arces.
Ne, pie, desistas, age turres, tolle balistas,
Tarpeiam sedem dum frangere, carceris ædem
Atque capi faciles aulas, irrumpere miles
Possit, ut expletus faciat tua numina lætus.
Postea captives, captivum denique dives
Adde tuis castris, quæ non violantur in astris.

(1) *Satyricum.* Juvenal. II, 3.—(2) *Æternum.* Ps. XLVIII, 9, 12.—(3) *Sepulcris.* Ps. LXXXVII, 6.—(4) *Suis.* Jerem. XLVIII, 11.—(5) *Contemplationis.* Absoluta jam expositione, auctor, quasi præposteris curis, videtur addidisse sequentes notulas quas, forsan sapere Anglorum nonnullorum gustum pene dixerim, dixisse si id mihi ignoscant Britannici mei lectores : « Sepulcri nomine quidam scolasticus facete satis et curialiter designavit artocream (*pâté*), dicens ita :

Deliciosa suum festinat odore sepulcrum,
Quæ latet in tenui condita pane caro. »

Idem vero Noster miscere voluit utile dulci, dum [illegible] addit : « Sepulcrum est etiam pœnitentia, quia, sicut sepulcrum tegit corpora mortua, ita pœnitentia tegit peccata ; unde Jacob sepeliri voluit in sepulcro, quod foderat in terra Chanaan, quia bonus luctator contra vitia in medio nationis pravæ et perversæ, sepulcrum sibi fodit pœnitentiæ. »

APPENDIX AD CAPUT XI.

RITUALIUM LEGIS ANTIQUÆ ET NOVÆ SACRAMENTORUM

VETERES INTERPRETES (1).

SÆCULUM I.

5 Philo, Judæus. — *De Circumcisione.* — *De Animalibus sacrificio idoneis.* — *De Sacrificantibus.*

SÆC. II.

S. Melito. — *De die Dominica* [2].

10 Anonymus. — *De Solemnitatibus, sabbatis et neomeniis* [3].

Tertullianus. — *De Vestibus Aaron.* — *De Oratione.* — *De Cibis* [4] *judaicis.* — *De Jejuniis.* — *De Virginibus velandis.* — 15 *De Cultu feminarum.* — *Ad uxorem.*

SÆC. III.

S. Cyprianus. — *De Habitu virginum.*

Origenes. — *In Exod.* — *In Levitic., etc.*

Novatianus. — *De Pascha et de Sabbato.*

20 S. Victorinus Petabionensis. — *In Exod.* — *In Leviticum.*

Monumenta incertæ ætatis, sed vetustissima.

S. Clemens et S. Hippolytus. — *Constitutiones apostolicæ* [5].

Hermas. — *Liber Pastoris* [6].

S. Dionysius. — *De Hierarchiis.* — *De Hymnis divinis* [7].

SÆC. IV.

S. Rheticius. — *De Baptismo* [8].

Osius Cordubensis. — *De interpretatione Vestium sacerdotum* [9].

S. Hilarius. — *Liber hymnorum et mysteriorum.*

S. Athanasius. — *Epistolæ paschales* [10].

S. Cyrillus Hierosolymitanus. — *Catechesis mystagogica quarta.*

Diodorus Tarsensis. — *De Animalibus et Sacrificiis.*

S. Ambrosius. — *De Officiis ministrorum.* — *De Virginibus*, etc. — *De iis qui mysteriis initiantur.* — *De Sacramentis lib.* II. — *De Baptismo.*

S. Pacianus. — *De Baptismo, ad catechumenos.*

(1) *Interpretes.* Ea tantum lector ibi quærat, quæ rei liturgicæ arcana et symbola enucleant. Missos igitur fecimus auctores bene multos, qui aut formulas liturgicas sine expositione condiderunt, aut ex illis moverunt quæstiones doctrinæ symbolicæ extraneas. E re autem nostra duximus esse antiquos commentarios in Exodum, in Leviticum, in templum Salomonis; quippe toties tetigit eadem Melito in Clavis capite præcedenti. Eo lubentius ad hujusmodi πίναχα instruendum accedimus, quod quum Cl. Ant. Zaccaria, in *Biblioth. rituali*, multas digesserit et omnimodi argumenti tabulas auctorum liturgicorum, illi tamen ea deest quam instituimus. Ipsius utique vestigiis insistentes, ultra sæculum XII, ubi ejusdem series chronologica sistit, pedem ipsi nos figere nolumus; at multa, infra easdem metas, quæ aut omisit consulto, aut neglexit, quam accurate addimus. Profuisse autem nobis Reverendissimi Abbatis nostri *Institutiones liturgicas*, nemo non videbit. — (2) *Dominica.* Cf. t. II *Spicilegii*, Proleg. p. II, et ad calcem prolegom. — (3) *Neomeniis.* Ib. t. I, p. 9. Opusculum illud quod primum edidisse lætamur, est oppido prima expositio rerum liturgicarum quæ hactenus sit longe vetustissimis temporum notis instructa. — (4) *Cibis.* Pleraque hæc solent ad rem liturgicam revocari, omitti vero opus primum, quod miror. Sane Hieronymus Tertulliani librum *de vestibus Aaron* in epist. 128 *ad Fabiolam* meminit, nec sine laude. Librum *de Oratione* Muratorius auxit insigni parte antea inedita, hactenus nimium neglecta, in qua præclarissime de ritibus veterum christianorum agitur. Tertium opus Tertulliano ascribit codex unus, olim asservatus in nova Corbia, quod tamen solent Novatiano dare. Cf. Maii *Spicil. rom.* t. V, p. 210. — (5) *Apostolicæ.* Variorum dissertationes brevi argumento recenset A. Zacc. *Bibl. rit.* t. II, p. 7. — (6) *Pastoris.* Cuique attente consideranti hunc librum, uti et mihi, apparebit in eo recondi veterem pœnitentiæ aut christianæ fidei disciplinam, juxta varios catechumenorum gradus. — (7) *Divinis.* Zacc. l. l. 14. Fragmenta coptica ejusdem *De canticis sacris* edidit Georgius in *Act. S. Colluth.* p. 170. — (8) *Baptismo.* Ut omittimus quæ oriri fecit controversia de baptismo hæreticorum, ita sedulo indicanda ducimus quæcumque ubivis temporum aut locorum fuerunt scripta de ritibus et mysteriis baptismi aliorumve sacramentorum. Porro hæc attigisse Rheticium innuit locus unicus qui superest apud S. August. *Contra Julian.* c. 7, t. X, p. 516 ed. Ben. — (9) *Sacerdotum.* Omisit Zaccarias; Isidorus meminit cum eo encomio: « Composuit et aliud opus de interpretatione vestium sacerdotalium quæ sunt in veteri testamento, egregio quidem sensu et ingenio elaboratum. » T. VII, p. 142, ed. Arev. — (10) *Paschales.* Nuperrime et splendidissime editæ a Cl. Card. Maio, in *Biblioth. nova PP.* t. III.

S. Jacobus Nisibenus. — *De Jejunio et Delectu ciborum.* — *De Tabernaculo.*

S. Nicetas. — *Competentibus ad baptismum libelli* VI.

Theophilus Alex. — *De sacris Mysteriis, sive de sacris supellectilibus Ecclesiæ Dei* [1]. — *Epistolæ paschales.*

S. Hieronymus. — *De Veste sacerdotali*, *ep.* CXXVIII.

Severianus Gabalitanus. — *De Baptismo et Epiphania.*

S. Nerses Magnus. — *Expositio rituum armenorum.*

SÆC. V.

S. Augustinus. — *De Symbolo ad catechumenos.* — *De Catechizandis rudibus.* — *De cura pro mortuis.*

S. Cyrillus Alexandrinus. — *Epistolæ paschales.* — *In Exodum.* — *In Leviticum.*

S. Proclus CP. — *De traditionibus Missæ divinæ.*

Salvianus. — *Sacramentorum homiliæ*, *sive de Mysteriis sacris.*

Michæas Syrus. — *De quinque causis Sessionum.*

Narses Garbana. — *Expositio Sacramentorum.*

Musæus et Voconius. — *Sacramentorum volumen.*

Petronius Boloniensis. — *De Ordinatione episcoporum.*

Marius Victorinus. — *Liber in Leviticum.*

S. Gaudentius. — *Homiliæ in Exodum.* — *In Dedicationem.*

S. Mamertus Viennensis. — *Ordo de his quæ ad officium Missæ pertinet, et de expositione ejusdem.*

Hesychius Salonitanus. — *In Leviticum.*

SÆC. VI.

S. Nicetius Trevirensis. — *De Vigiliis servorum Dei.* — *De bono Psalmodiæ.*

Evagrius. — *De Vestibus monachorum Ægypti, earumque significatione.*

Jacobus Sarugensis. — *De Sacrificio pro defunctis.* — *Ordo Baptismi.*

Joannes, S. R. E. diaconus. — *Epistola ad Senarium.*

Onanus Adiabenus. — *De causa solemnitatis Hosannarum.* — *De causa Feriæ sextæ auri.* — *De causa Rogationis.*

Isaac Syrus. — *De divinis Mysteriis.*

Jesuiab. — *De Sacramentis Ecclesiæ.*

Joseph Huzita. — *De causis celebriorum Festivitatum.*

S. Germanus Parisiensis. — *Expositio Missæ gallicanæ* [2].

S. Anastasius Sinaita. — *De sanctis tribus Quadragesimis.* — *De sabbato.*

S. Gregorius Turonensis. — *Liber de Cursibus ecclesiasticis.*

Licinianus Carthaginensis. — *De sacramento baptismi.*

Hesychius Hierosolymitanus. — *In Leviticum.*

S. Maximus. — *Mystagogia* [3].

Cosmas Indicopleustes. — *Tabernaculi descriptio.*

SÆC. VII.

S. Gregorius M. — *Homiliæ in Ezechielem*, maxime libri II.

Gregorius, episcopus Armenus. — *De Mysteriis rituum et Officiis ecclesiasticis.*

S. Leander. — *Epistola de Baptismo ad Gregor. PP.*

S. Isidorus. — *De divinis Officiis lib.* II.

S. Hildefonsus. — *De cognitione Baptismi.*

Cyriacus Nisibenus. — *Expositio sacramentorum et de causa Nativitatis et Epiphaniæ.*

Jacobus Commentator. — *Recensio liturgiæ S. Basilii.* — *Epistola ad Thomam* — *ad Joannem*, — *ad Adæum*, etc., *de ritibus myssæ Syrorum.*

S. Joannes Maro. — *De Sacerdotio.* — *Expositio liturgiæ S. Jacobi.*

SÆC. VIII.

Theodorus Mediolanensis. — *Speculum matutinalis officii* [4].

(1) *Dei.* Quod opus Hieronymus latinum fecisse refert Zaccar. l. l. p. 19. — (2) *Gallicanæ.* Partim edid. Marten. *Anecd. th.* V, p. 85. — (3) *Mystagogia*, cujus latina versio, interprete Anastasio, penes me est. — (4) *Officii.* Retulit Zaccarias, in *Appendic.* t. III, p. CCCXXIV.

S. Beda Venerabilis. — *De Tabernaculo et vasis ejus, ac de vestibus sacerdotum.* — *De Templo Salomonis.* — *De Officiis.*

Trumherus. — *De Officiis ecclesiasticis.*

Acca. — *De ecclesiasticis sui chori Officiis.*

S. Germanus CP. — *Rerum ecclesiasticarum Theoria* [1].

Joannes IV, Armenorum patriarcha. — *Expositio rituum Ecclesiæ.*

Abraham Bar-Liphæ. — *Expositio Officiorum.*

Gregorius Systræ. — *De causis Festorum.*

Cyprianus Nisibenus, *item.*

Cutbertus Herefordiensis. — *De Officiis clericorum.*

B. Ambrosius Autpertus. — *In Leviticum* [2]. — *Sermo in dedicat. Ecclesiæ.*

Joannes Mailrosius. — *De immaculatis Mysteriis* [3].

SÆC. IX.

Carolus M. — *Encyclica de Baptismo ejusque ritibus.*

Odilbertus Mediolanensis, Leidradus Lugdun., Magnus Senonensis, Jesse Aurelianensis, Amalarius Fortunatus, Maxentius Aquileiensis etc. — *Respons. de Baptismo ad Caroli M. epist.*

B. Alcuinus. — *Epist. de ratione Baptismi.* — *Septuagesimæ, Sexag. et Quinquagesim.*

Theodulfus. — *De ordine et ratione rituum Baptismi.*

Sigeberdus Narbonnensis, et Amalricus monachus. — *Responsio archiepiscopo Narbonensi ad diversas quæstiones de Baptismo.*

Philoxenus. — *De Officiis ecclesiasticis.*

Amalarius Metensis. — *De divinis Officiis.* — *De ordine Antiphonarii.* — *Eclogæ in ordinem Missæ.* — *Epistolæ.*

Leovigildus. — *De Habitu clericorum.*

Anastasius, interpres *Expositionum SS. Maximi et Germani* [4], *Libri Pontif.* edit. ult.

Walafridus Strabo. — *De exordiis et incrementis rerum ecclesiasticarum.*

B. Rabanus M. *De sacris Ordinibus, Sacramentis divinis* et *Vestimentis sacerdotalibus.*

Joannes Scotus. — *Areopagitica.*

Isaac Lingonensis. — *Epistola in canonem Missæ.* — *De Sacramento altaris.*

Florus. — *Expositio Missæ.*

Joannes Dara. — *De Sacerdotio lib.* IV.

Angelomus. — *De divinis Officiis.*

Moses Bar-Cepha. — *Expositio anaphoræ.*

Stephanus, archiepiscopus Sunniensis. — *Expositio Officior. Armenor.*

Georgius II, Armenus Patriarcha. — *Epistola de sacris Armen. ritibus.*

SÆC. X.

Remigius. — *In Canonem missæ* [5]. — *De singulis festis Sanctorum.* — *De Officiis divinis.* — *De ecclesiasticis Indumentis.* — *De Dedicatione ecclesiæ.*

Helpericus. *Cur natalitia sanctorum in lætitia, parasceve vero in tristitia celebramus* [6].

Josues Melitenensis. — *De Festorum et Mysteriorum causis.*

Gobertus, Laudunensis. *De tonsura, vestimentis et vita clericorum.*

Samuel, Abbas. — *De Festis et Officiis Armenor.*

Anania, episcopus. — *Liber de Festis et Officiis Armenor.*

Michael Psellus. — *Expositio sacræ liturgiæ metrica* [7].

Georgius Arbelæ. — *Declaratio omnium ecclesiasticorum Officiorum, et causa eorumdem, necnon enarratio divinæ œconomiæ Festorum dominicorum.*

Gezo. — *De Corpore et Sanguine Domini* [8].

Herigerus. — *De divinis Officiis* [9].

(1) *Theoria.* Eamdem cum Maximi Mystagogia latine fecit Anastasius, et utramque Carolo Calvo dedicavit : epistolam et totum opus Spicilegio nostro, auspice Deo, reservamus. — (2) *Leviticum.* Catenas variorum deinceps omittimus. — (3) *Mysteriis.* Forte Joannis Scoti ; cæterum jam opus non exstat. — (4) *Germani.* Cf. quæ supra, not. 1 et p. præced. not. 2. — (5) *Missæ.* Exstat quidem sub eo nomine in *Biblioth. PP.*; eadem vero jacet in cod. Trecensi, sæc. circiter VIII. — (6) *Celebramus.* Inscritur in cap. 17, *Divinor. Officiorum*, inter Alcuini opera dubia. — (7) *Metrica.* Asservata in schedis nostris et in apparatu *Spicileg.* — (8) *Domini.* « Ubi plura de ritibus missæ occurrunt. » Hæc Mabillonius in *Annalib.* ad ann. 950, qui et prologum libri cum capitum indice, in *Mus. ital.* t. I, edidit. — (9) *Officiis.* Idem esse opus cum eo quod sub Alcuini nomine editum est, Cas. Oudin asseverat; idem forte et cum libro de *Ecclesiasticis officiis*, quem Eisengreinius attribuit Heriberto, Coloniensi archiepiscopo.

SÆC. XI.

Ademarus. — *Supplementum ad Amalarii opus de divinis Officiis.*

S. Fulbertus Carnotensis. — *De varietate Officiorum divinorum.*

S. Bruno Signiacensis. — *De Ornamentis ecclesiæ. — De Sacrificio azymi.*

Petrus Damiani. — *De VII Horis canonicis. — De XL et XLII Hebræorum mansionibus. — Expositio Canonis Missæ* [1].

Einhardus. — *De Cæremoniis Ecclesiæ.*

S. Osmondus Sarisberiensis. — *De Officiis ecclesiasticis.*

Berno. — *De institutione Missarum.*

Joannes Abrincensis. — *Liber de Officiis ecclesiasticis.*

SÆC. XII.

S. Anselmus Cantuariensis. — *De Sacramentis et Officiis divinis.*

Seraphinus, Hungarorum episcopus. — *Micrologus* [2], in synodo a. 1099 editus.

B. Yvo Carnotensis. — *De Sacramentis neophytorum. — De excellentia sacrorum Ordinum et de vita Ordinandorum. — De significatione Vestium sacerdotalium. — De sacramento Dedicationis. — De convenientia veteris et novi Sacrificii.*

B. Hildebertus. — *De Mysteriis et Ordine missæ. — De Sacramento altaris* [3].

B. Odo Cameracensis. — *In Canonem Missæ.*

Robertus, S. Laurentii Leodiensis. — *De divinis Officiis.*

B. Rupertus Tuitensis. *Item* [4].

Stephanus Æduensis. — *Liber de Sacramento altaris et iis quæ ad illud variosque ministros pertinent.*

Drogo Remensis — *De divinis Officiis, seu Horis canonicis.*

Honorius Augustodunensis. — *Gemma animæ.*

Willelmus Malmesburiensis. — *Abbreviatio librorum Amalarii.*

Guillelmus S. Theodorici. — *De Expositione Missæ.*

Isaac de Stella. — *Epistola de Canone Missæ.*

Richardus a S. V. — *De Officiis Ecclesiæ. — Allegoriæ nonnullæ Tabernaculi fœderis. — De Templo Salomonis. — De Templo Ezechielis.*

Dionysius Melitenensis. — *Expositio rerum mysticarum, quæ in sacris Ordinationibus continentur. — Commentarius in Liturgiam S. Jacobi.*

Petrus Venerabilis. — *Nucleus de Sacrificio Missæ.*

Joannes Belethus. — *Rationale divinorum officiorum.*

Joannes Cornubiensis. — *Summa de septem Canonibus* [5].

Robertus Paululus. — *De Cæremoniis, libri tres* [6].

Arnulfus a monte S. Eligii. — *Commentarius in Canonem Missæ.*

Aelredus. — *De Officiis ministrorum.*

Theodorus Bar-Vehebun. — *De elucidatione Missæ syriacæ.*

Sicardus Cremonensis. — *Mitrale*, vel *Summa de divinis Officiis.*

Richardus Præmonstratensis. — *De Canone Missæ.*

Ordonius. — *Exomologesis*, sive *Rationale divinorum Officiorum.*

Petrus Cellensis. — *Expositio mystica et moralis mosaici Tabernaculi*, in II libr.

Richardus Pratellensis. — *Descriptio Templi Salomonis.*

Michael Glycas. — *De ritibus Baptismi.*

Adamus a S. Victore. — *Summa metrica rerum ritualium et canonicarum* [7].

Nicolaus et Theodorus Andidensis. — *Theoria summaria de symbolis et mysteriis in divina hierurgia peractis.*

Innocentius III. — *De Mysteriis Missæ*, lib. III.

(1) *Missæ*. Nuper edidit Card. Maius in *Coll. vet. Script.* t. VI, p. II, p. 211. — (2) *Micrologus*. Dubium omne solvisse post alios autumavit Zaccarias, Micrologum Yroni tribuendo, l. l. p. 72. Vide tamen quæ allegantur de Seraphino episcopo Hungarorum apud Batthyanum, *Leg. Eccl. regni Hung.* t. I, p. 120-196, in fol. 1785. — (3) *Altaris*. Adde similia carmina Petri Blesensis, P. Anselmi, P. Pictoris, etc. — (4) *Item*. Alium enim esse quam præcedentem auctorem, constat apud Zaccar. l. l. p. 76. — (5) *Canonibus*, seu *ordinibus missæ*; quæ scilicet exstat in *Opp.* Hugon S. V. t. III, p. 335. — (6) *Tres*. Exstant ibidem juxta codd. et hodiernos criticos. — (7) *Canonicarum*. Cf. D. Pez, *Thes. anecd.* t. I, præf. LXXII.

CAPUT XII.

DE NUMERIS [1].

I.

1. Unitas, Christus, finis legis [2] : « Audi, Israel; Dominus Deus tuus, Deus unus est [3]. » ÷ « Et cubitus unus, finis utrorumque [4]. »

2. Unitas fidei, vel charitatis, ÷ vel Ecclesiæ [5], ÷ sicut in Actibus apostolo-
5 rum, de credentibus scribitur : « Erat illis cor unum et anima una [6]. »

3. Universitas malorum [7], ÷ sicut in Evangelio : « Et vidit ibi hominem unum non vestitum veste nuptiali [8]. »

÷ 4. Æterna felicitas : « Unum est necessarium [9]. Unum petii a Domino [10]. »

÷ 5. Initium bene vivendi : « Si voluerit homo contendere cum Deo, non po-
10 terit respondere ei unum pro mille [11]. »

÷ 6. *Unus*, ad unitatem fidei sive operis perfectionem, sicut in Genesi, de arca : « Et in cubito consummabis eam [12]. »

II.

1. Duo, ad duo testamenta [13] : ÷ « Duos cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi [14]. » ÷ In libro Regnorum : « Et fecit duos cherubim
15 decem cubitorum in magnitudine [15]. »

2. Duæ personæ [16], regia et sacerdotalis, ÷ quarum duo illi pisces, quinque panibus adjuncti [17], in Evangelio figuram gerebant.

3. Circumcisio et præputium [18] : « Et pax erit inter duos illos [19]. ÷ Currebant duo simul [20]. »

20 4. Boni et mali [21] : « Duo erunt in agro, unus assumetur, et alter relinquetur [22]. »

(1) *Numeris*. Cur commentariis jam finem fecerimus, præcipua est causa duplex, satis utrinque diversa ; una, quod ex hoc capite pauciora remanent in cod. A fragmenta, eaque sublestioris fidei, quam ut solitis adornentur scholiis; altera quod usque adeo uberrima exstant *de Numeris* multorum veterum θεολογούμενα, ut ea, nedum intra angustias capitis hujus XII congesta coerceantur, immo visum sit multo satius in alios tomos reservari ; in quibus, Deo dante, colligere poterimus multa, eaque vetusta, rara, prorsus incognita, veterum nostrorum computatorum et mathematicorum monumenta. Cæterum, si cui placuerint scholia parallela veterum, is velim recurrat ad indicem, ubi ad singulos numeros excitantur ex hoc volumine et præcedenti loca multa, quibus numerorum allegoriæ satis explicantur. Prænotandum est insuper in codicibus secundæ familiæ exstare idem XII cap. quasi in medio cap. IV, post art. *de Annis*.—(2) *Hic numerus ad unitatem deitatis. In Exodo* B-G. — (3) *Est*. Deuter. VI-4.—(4) *Utrorumque*. Ezech. XL, 12.—(5) *Unus ad unitatem Ecclesiæ, sive fidei, sicut* B-G. — (6) *Una*. Act. ap. IV, 32. — (7) *Unus ad unitatem malorum, sicut in Evangelio* B-G. — (8) *Nuptiali*. Matt. XXII, 12. — (9) *Necessarium*. Luc. X, 42. — (10) *Domino*. Ps. XXVI, 4. — (11) *Mille*. Job IX, 3. — (12) *Eam*. Act. IV, 32.— (13) *Hic numerus ad d. t.* B-G. — (14) *Oraculi*. Exod. XXXV, 18. — (15) *Magnitudine*. II Reg. 23. *Et fecit in Dabir duo* G.— (16) *Duo ad duas personas, etc.* B-G. — (17) *Quorum figuram ... figuram gerebant*. In codd. quinque idem repetitur. *Adjuncti*. Matt. XIV, 17. — (18) *Duo ad duorum populorum, id est Judæorum et gentium*. Sic codd. B-G.— (19) *Illos*. Zach. VI, 14. — (20) *Simul*. Joan. XX, 4. — (21) *Duo ad electorum atque reproborum præfigurationem, in Evangelio : Tunc duo* B-G. — (22) *Relinquetur*. Luc. XVII, 34.

5. Anima et corpus [1] : « Si duo ex vobis consenserint super terram [2]. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi consenserint [3] ? » ÷ « Si dormierint duo simul, fovebuntur mutuo [4]. »

÷ 6. Christus et Ecclesia : « Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una [5]. Qui adhæret Domino, unus spiritus est [6]. »

÷ 7. Vita activa et contemplativa, Martha et Maria, Rachel et Lia : « In die illa nutriet homo vaccam boum et duas oves [7]. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum [8]. »

÷ 8. Prælati et subditi.

÷ 9. Duo, ad duo præcepta charitatis. In Evangelio : « In his duobus præceptis tota lex pendet et prophetæ [9]. »

III.

1. Tres, ad Trinitatis mysterium [10] : « Tres sunt qui testimonium dicunt [11]. »

2. Ad passionis Domini et sepulturæ et resurrectionis sacramentum : « Vivificabit nos Dominus post duos dies ; die tertia suscitabit nos, et vivemus [12]. »

3. Ad fidem, spem et charitatem. ÷ Quarum virtutum tres illæ civitates, in Deuteronomio, ad quarum refugia homicidæ, qui nolens proximum occiderit, confugere præcipitur, figuram habere dicuntur.

4. Ad tria tempora, ante legem, sub lege, et sub gratia : « Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum ex ficulnea, et non invenio [13]. »

5. Ad trimodam [14] hominum operationem, in bonum vel in malum, id est cogitatione, sermone et opere : « Si quis ædificaverit supra fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam [15]. » ÷ « Ibimus viam trium dierum [16]. »

6. Ad trifariam fidelium professionem [17] : « Si tres viri isti, Noe, Daniel et Job, fuerint in medio eorum, filium et filiam non liberabunt, sed isti soli liberabuntur [18]. »

÷ 7. Tria genera peccati, cogitationis, loquutionis, operationis : « Chaldæi fecerunt tres turmas [19]. »

IV.

1. Quatuor, Evangelistæ [20] : « Et in medio eorum similitudo quatuor anima-

(1) *Anima et caro* B-G. — (2) *Terram.* Matt. XVIII, 19. — (3) *Consenserint.* Am. III, 3. *Nisi convenit eis* B-G. — (4) *Mutuo.* Eccle. IV, 11. — (5) *Una.* Gen. II, 24. — (6) *Est.* I Cor. VI, 17. — (7) *Oves.* Is. VII, 21. — (8) *Eum.* Matt. V, 29. — (9) *Prophetæ.* Matt. XXII, 40. — (10) *Tres. Hic numerus ad t. m.* B-D. — (11) *Dicunt.* I Joan. V, 7. *Tria sunt quæ* D, E. *Tria si quis* G. *Testimonium perhibent* B-G. — (12) *Vivemus.* Osee VI, 3. — (13) *Invenio.* Luc. XIII, 7. — (14) *Trimodam.* Dist. rejicitur in margine B, C, D. — (15) *Stipulam.* I Cor. III, 12. — (16) *Dierum.* Exod. III, 18. — (17) *Professionem, continentium, conjugatorum, prælatorum* A, *id est clericorum, monachorum et conjugum. De hac tripartita in Ecclesia professione per Ezechielem Dominus loquitur, dicens : si tres* B-G. Ultima non sine mendo adduxit, indeque promtius bilem concepit et fastidium eruditus vir Routhius, qui stomacho pepercisset suo, si codicum varietatem potuisset æqua lance pendere. Cf. *Reliq. sacr.* t. I, p. 152. — (18) *Liberabuntur.* Ezech. XIV, 18. — (19) *Turmas.* Job I, 17. — (20) *Quatuor. Hic numerus ad quatuor pertinet Evangelia. In Ezechiele* B-G. *Et ex medio* E.

lium [1]. » ÷ Ad dicta Evangelistarum : « Facies columnas quatuor, et bases earum vesties argento [2]. »

2. Quatuor cardinales virtutes : ÷ « Filiis tuis et filiabus vescentibus et bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit a regione deserti, et concussit quatuor angulos domus [3]. »

3. Quatuor plagæ mundi [4] : ÷ « Et facies et pennas per quatuor partes habebant, junctæque erant pennæ alterius ad alterum [5]. » ÷ In propheta : « Ab oriente adducam semen tuum, et ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni : Da. Et austro : « Noli prohibere [6]. »

÷ 4. Ad corpus humanum, ex quatuor elementis compactum. ÷ In Evangelio : « Ecce paralyticus in lecto portabatur a quatuor [7]. »

V.

1. Quinarius [8], ad quinque libros Moysis : ÷ « Est puer unus hic, qui habet quinque pisces [9]. Est autem Jerusalem probatica piscina, quinque porticus habens [10]. » ÷ In Apostolo : « In Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui [11]. »

2. Ad quinque hominum sensus [12] : « Quinque ex eis erant fatuæ et quinque prudentes [13]. Et uni dedit quinque talenta [14]. Bene dixisti : Non habeo virum ; quinque enim viros habuisti [15]. »

VI.

1. Sex, ad dies sex [16] : « Sex enim diebus condidit Dominus cœlum et terram [17]. »

2. Ad omne præsens sæculum [18] : « Sex diebus operaberis, et in septimo requiesces [19]. Et sex diebus colligetis manna [20]. » ÷ Sex ætates sæculi : « Ecce sex viri veniebant [21]. »

3. Ad operis perfectionem : « Ecce vir vestitus lineis, et in manu ejus calamus sex cubitorum et palmi [22]. » ÷ « Et reddita sunt ei sex millia camelorum [23]. »

÷ 4. Activæ vitæ perfectio : « Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi [24]. » Senarius ideo perfectus dicitur, quia primus in numeris completur partibus suis, id est sexta, tertia et dimidia.

(1) *Animalium*. Ezech. I, 5. — (2) *Argento*. Exod. XXVII, 16. — (3) *Domus*. Job I, 19. *IV ad quatuor sanctorum virtutes, hoc est prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam* B, C, E. *Erant autem qui manducaverant quatuor millia hominum* D. — (4) *Quatuor, ad quatuor mundi partes* B-G. — (5) *Alterum*. Ezech. I, 8. — (6) *Prohibere*. Is. XLIII, 5, 6. — (7) *Quatuor*. Marc. II, 3. — (8) *Quinque. Hic numerus ad q. l.* B-G. — (9) *Pisces* Joan. VI, 9. — (10) *Habens*. Joan. V, 2. — (11) *Loqui*. I. Cor. XIV, 19. — (12) *Sensus, id est visum auditum, odoratum, gustum et tactum. In Evangelio simile est regnum cœlorum decem virginibus* B-G. — (13) *Prudentes*. Matt. XXV, 1. — (14) *Talenta*. Ib. 16. — (15) *Habuisti*. Joann. IV, 18. — (16) *Sex : hic numerus ad dies sex in quibus Dominus omnem condidit creaturam, sicut illud in Exodo* B-G. — (17) *Terram*. Exod. XX, 11. — (18) *Sæculum, quod in sex diebus factum est, ubi et supra* B-G. — (19) *Requiesces*. Exod. XX, 9. — (20) *Manna*. Exod. XVI, 26. — (21) *Veniebant* Ezech. IX, 2. — (22) *Palmi*. Ezech. XL, 5. Addunt B-G. : *Sicut enim in sex cubitis opus perfectum, ita et in palmo contemplationis est præfiguratio.* — (23) *Camelorum*. Job XLII, 12. — (24) *Tibi* Exod. XXI, 2.

VII.

1. SEPTENARIUS [1] ad requiem futuram sanctorum. ÷ Cum septem discipulis [2], post resurrectionem, comedit. « Vidi in medio Agnum stantem, habentem cornua septem [3]. » ÷ In Exodo : « Sex diebus operaberis; septimo autem die requiesces ab omni opere tuo [4]. »

5 2. Ad septiformem gratiam Spiritus sancti : « Qui sunt septem spiritus Dei, missi per omnem terram [5]. Super lapidem unum septem oculi erant [6]. »

3. Ad plenitudinem omnium sanctorum : « Et habebat in dextera sua stellas septem [7]. »

4. Ad septiforme Ecclesiæ sacramentum : ÷ « Et oscitavit puer septies [8]. »
10 ÷ Ubi et supra : « Mitte septem Ecclesiis quæ sunt in Asia [9]. »

5. Omne præsens tempus [10] : « Septem diebus azyma comedetis [11]. »

6. Plenitudo peccati [12] : « Et assumet septem alios spiritus nequiores se [13]. » ÷ « De qua ejecerat septem dæmonia [14]. » ÷ Et in Salomone : « Ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in anima illius [15], » hoc est diaboli.

15 7. Plenitudo flagellorum Dei [16] : « Castigavi vos septies pro peccatis vestris [17]. »

÷ 8. Septem virtutes : « Natique sunt ei septem filii [18]. Et requiescet super eum Spiritus sapientiæ [19], etc. »

÷ 9. Perfectio operum : « Super lapidem unum septem oculi erant. »

÷ 10. Ad diem septimum, in quo, perfectis omnibus, Dominus requievit. In
20 Genesi : « Et requievit die septimo. »

VIII.

1. SEPTEM et OCTO, quietis et resurrectionis obtinet sacramentum : « Titulus psalmi pro octava [20]. »

2. OCTO, Dies judicii et resurrectionis [21] ; ÷ « Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum [22]. »

IX.

25 1. NOVEM, ad sacramentum, quod hora Dominus nona emisit spiritum. ÷ In Evangelio : « Circa horam nonam clamavit Jesus voce magna [23]. »

2. Ad novem angelorum ordines [24], id est Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Potestates, Principatus, Cherubim et Seraphim [25]. ÷ « Omnis lapis

(1) *Septem.* B-G. — (2) *Cum sex discipulis* cod., sed lego *septem;* alludit enim ad Joan. XXI, 2. — (3) *Septem.* Apoc. V, 6. — (4) *Tuo.* Exod. XXXI, 17. — (5) *Terrum.* l. l. (6) *Erant.* Zachar. III, 9. — (7) *Septem.* Apoc. I, 26. — (8) *Septies.* IV Reg. IV, 35. — (9) *Asia.* Apoc. I, 11. — (10) *Tempus quod in septem diebus volvitur* B-G. — (11) *Comedetis.* Exod. XII, 15. (12) *Ad plenitudinem peccati, id est septem principalium vitiorum, in Evangelio* B-G. — (13) *Se.* Luc. XI, 26. — (14) *Dæmonia.* Marc. XVI, 9. — (15) *Illius.* Prov. XXVI, 25. — (16) *Septem ad perfectionem flagellorum Dei, in Levitico* B-G. — (17) *Vestris.* Levit. XXVI, 24. — (18) *Filii.* Job I, 2. — (19) *Sapientiæ.* Is. XI, 2. — (20) *Octava.* Ps. VI, et alii. *Septem et* deest in B, C. — (21) *Octo ad diem dominicam resurrectionis, sive omnium futuram resurrectionem, de qua in titulo psalmi* VI *scribitur : in finem* B-G. — (22) *Cubitorum.* Ezech. XL, 9. — (23) *Magna.* Matt. XXVII, 46. — (24) *Ordines, sicut quidam putant* B-G. — (25) *Seraphim, in prophetis sive Apostolo. ib. ib.*

pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius et jaspis, chrysolithus, et onyx, et beryllus, sapphirus, et carbunculus, et smaragdus [1]. »

÷ 3. Ad omnium malorum plenitudinem, sicut in Deuteronomio, de lecto Og, regis Basan, qui figurat diabolum, scribitur quod novem cubitos longitudinis ha-
5 beret [2].

X.

1. Decem, ad decalogum [3] : « In psalterio decem chordarum psallite illi [4]. »

2. Ad perfectionem operis, vel plenitudinem omnium sanctorum, quorum figuram decem illæ cortinæ in tabernaculo tenent [5]. »

÷ 3. Angelorum et hominum natura : « Quæ mulier habens drachmas de-
10 cem [6]? »

XI.

÷ Undecim. Hic numerus transgressionem legis vel peccatorum obtinet figuram, sicut et undecimus psalmus, qui in ejusdem numeri sacramento præsignatus est, dicit : « Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus [7]. » Et in tabernaculo fœderis, in similitudinem peccantium, ejusdem numeri saga silicina fieri præci-
15 piuntur [8].

XII.

1. Duodecim, omnes sancti [9], qui ex quatuor mundi partibus per fidem Trinitatis collecti, unam Ecclesiam faciunt. Hoc significant duodecim illi lapides pretiosi [10]. Hoc significant duodecim tribus filiorum Israel.

÷ 2. *Duodecim*, ad apostolos. In Evangelio : « Duodecim apostolorum nomina
20 sunt hæc [11]. » Item ibi : « Nonne ego vos duodecim elegi [12]? »

XIII.

÷ Tredecim ad legis plenitudinem et fidem Trinitatis. In Ezechiele : « Et mensus est altitudinem portæ tredecim cubitis [13]. »

XIV.

1. Quatuordecim, ad præsens tempus, ÷ vel futurum [14] : « Immunda erit duabus hebdomadibus [15], » hoc est in præsenti et futuro. »

25 ÷ 2. *Quatuordecim*, ad sacramentum Dominicæ generationis. In Evangelio : « Ab Abraham usque ad David generationes quatuordecim [16]. »

(1) *Smaragdus*. Ezech. XXVIII, 13. — (2) *Haberet*. Deuter. III, 11. — (3) *Hic numerus ad decalogum, in psalmo* B-G. — (4) *Illi*. Ps. XXXII, 2. — (5) *Cortinæ quæ in tabernaculo testimonii, jubente Domino, factæ sunt, obtinebant B-G*. — (6) *Decem*. Luc. XV, 8. — (7) *Sanctus*. Ps. XI, 1.—(8) *Præcipiuntur*. Exod. XXVI, 7. — (9) *Duodecim ad omnium sanctorum pertinet sacramentum, qui* B-G.— (10) *Horum electorum duodecim illi lapides pretiosi, ex quibus in Apocalypsi civitas regis magni construitur, figuram habent. Hi sunt duodecim t. f. s. sensu videntes Dominum* B-G. — (11) *Hæc*. Matt. X, 2. — (12) *Elegi*. Joan. VI, 17. — (13) *Cubitis*. Ezech. XL, 11. — (14) *Futurum, sicut in Levitico, de muliere quæ genuerat hominem dicitur quod* B-G. — (15) *Hebdomadibus*. Levit. XII, 5. — (16) *Quatuordecim*. Matt. I, 17.

XV.

Quindecim [1], ad quietis et resurrectionis sacramentum [2] : « Et mansi apud eum diebus quindecim [3]. »

XVI.

÷ Sexdecim, ad numerum sexdecim prophetarum.

XVII.

Septem et decem, ad omnes perfectos [4], qui decem præcepta legis per septiformem gratiam Spiritus sancti operantur.

XVIII.

÷ Viginti ad perfectionem operis, quod per charitatem operatur. Decalogus enim legis, per duo charitatis præcepta duplicatus, viginti efficit; unde et duo cherubim, quod est plenitudo scientiæ, in templo ejusdem numeri cubitos habuisse narrantur [5].

Viginti duo, ad libros veteris legis [6], secundum Hebræorum litteras.

Viginti quatuor, hic numerus viginti quatuor librorum veteris testamenti, secundum Hebræorum traditionem [7], vel patres veteris ac novi testamenti : « Et super thronos viginti quatuor seniores sedentes [8]. »

÷ Viginti quinque, ad quinque sensus corporis, qui in semetipsis multiplicati, ad hujus mundi perveniunt sacramentum.

Viginti octo, ad Evangelii et legis mysterium. Ad cujus numeri sacramentum cortinæ tabernaculi sexdecim cubitos in longitudine habuerunt in Exodo.

XIX.

Triginta, fructus conjugatorum [9] : « Et dabunt fructum, aliud centesimum, aliud vero sexagesimum, aliud vero trigesimum [10]. »

Triginta tres, plenitudo ætatis Christi [11] : « Donec occurramus in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi [12]. »

(1) *Quindecim. Hic numerus Legis et Evangelii q. e. r. obtinet s.* B-G. Art. xv–xviii non sunt in D. — (2) *Sicut in Actibus Apostolorum Paulus apostolous* xv *diebus cum Petro commoratus dicitur* B-G. — (3) *Quindecim.* Galat. i, 18. — (4) *Ad numerum omnium perfectorum* B-G. — (5) *Narrantur.* III Reg. vi, 3. — (6) *Ad sacramentum divinorum voluminum* B-G. — (7) *Traditionem a quibusdam figuram habere dicitur. Alii vero Patres veteris ac novi testamenti in eodem numero intellexerunt. In Apocalypsi* B-G. — (8) *Sedentes.* Apoc. iv, 4. — (9) *Ad fructus fidelium conjugatorum, in Evangelio* B.-G. — (10) *Trigesimum.* Matt. xiii, 8. — (11) *Triginta duo, ad mysterium ætatis qua Dominus in carne conversatus est,* [illegible] *quibusdam ex hoc videtur* B, C, E, G. Hæc et præced. dist. desunt in D. B-G. — (12) *Christi.* Eph. iv, 13.

XX.

Quadragenarius, numerus legis et Evangelii obtinet sacramentum; unde tot diebus peragrata est terra promissionis per exploratores [1].

2. Quadragesimæ sacramentum : « Et quum jejunasset quadraginta diebus [2]. »

3. Præsens tempus [3], quod per quatuor mundi partes, omnis creatura ex quatuor constat elementis. Denarius vero numerus in bonam vel malam partem perfectus est; qui denarius per quaternarium ductus, quadragenarium implet [4] : « Quadraginta annis proximus fui generationi huic [5]. Et in quadraginta diebus et noctibus aperti sunt cœli [6]. » ÷ Et in propheta : « Post quadraginta dies Ninive subvertetur [7]; » quod, etsi secundum historiam eadem in civitate factum non est, in mundo vero, cujus figuram civitas illa habuit, impletum erit.

÷ 4. *Quadraginta,* ad resurrectionis sacramentum, in Actibus apostolorum : « Et conversatus est cum eis dies quadraginta [8]. »

Quadraginta duo, ad numerum in eremo mansionum, vel ad numerum generationum quæ ab Abraham sunt usque ad Jesum Christum.

XXI.

÷ 1. Quinquaginta, ad pentecosten, vel adventum Spiritus sancti : in Actibus apostolorum : « Dum complerentur dies pentecostes [9]. »

÷ 2. *Quinquaginta* ad spem et indulgentiam peccatorum; in cujus numeri sacramento quinquagesimus psalmus positus est.

XXII.

1. Sexaginta, omnes perfectos significat [10] : « Lectulum Salomonis, » id est Christi Ecclesiam, « sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel [11]. »

2. *Sexaginta* ad fructum viduis vel virginibus debitum : « Et dabunt fructum, aliud sexagesimum [12]. »

XXIII.

÷ Septuaginta significat patres veteres [13] : « Elegit Salomon septuaginta millia operarios, qui portabant humeris ad ædificationem templi [14]. »

÷ Septuaginta duo, ad numerum presbyterorum Moysi, vel discipulorum quos Dominus in Evangelii prædicationem elegit [15].

÷ Septuaginta quinque, ad numerum animarum quæ cum Jacob in Ægyptum descendisse narrantur in Actibus apostolorum [16].

(1) *Unde per exploratores israeliticos ejusdem numeri diebus repromissionis terra p. e. in libro Numer.* B-G. — (2) *Diebus.* Luc. iv, 1. — (3) *Quadraginta. Hic numerus omne præsens sæculi hujus tempus figurate dicitur : quatuor constat, etc.* B. G. — (4) *Implet. Hinc est quod per psalmistam dicitur* B-G. — (5) *Huic.* Ps. xciv, 10. — (6) *Cœli. Et in diluvio ejusdem numeri dies totidem et totidem noctes super terram Dominus pluit* B-G. — *Cœli.* Genes. vii, 4, 22. — (7) *Subvertetur.* Jon. iii, 4. — (8) *Quadraginta.* Act. i, 3, 4. — 9) *Pentecostes.* Act. ii, 1. — (10) *Sexaginta. Hic numerus omnium perfectorum obtinet sacramentum. In Cantico canticorum* B-G. — (11) *Israel.* Cant. iii, 7. — (12) *Sexagesimum.* Matt. xiii, 8. — (13) *Ad veterum Patrum pertinere dicitur sacramentum quorum figura Salomon ad ædificium templi* lxxm *qui in humeris portabant, legit operarios* D. — (14) *Templi.* III Reg. v, 15. — (15) *Prædicationem elegit.* Luc. x, 1. — (16) *Apostolorum.* Act. vii, 14.

XXIV.

SEPTUAGINTA et OCTOGINTA, ad figuram legis et Evangelii : « Dies annorum nostrorum, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta [1], etc. »

÷ OCTOGINTA, ad quorumdam christianorum animas, quæ Domino fide tantum, non operibus cohærent; de quibus in Canticis canticorum : « Sexaginta sunt reginæ, » id est animæ perfectorum, « et octoginta concubinæ [2]. »

XXV.

÷ CENTUM, ad martyrum fructum, sive virginum. In Evangelio : « Et dabunt fructum, aliud centesimum [3]. »

CENTUM QUINQUAGINTA TRES [4], omnes electi : « Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus [5]. »

TRECENTI [6], ad martyres, vel omnes sanctos : « Pugnavit Gedeon et trecenti viri qui erant cum eo [7]. »

QUINGENTI, ad quinque ætates mundi [8], ÷ quibus transactis, Salvator mundi mundum visitare dignatus est; in cujus typum Noe, quum quingentorum esset annorum, divinitus inspiratus, aptavit arcam in salutem domus suæ.

XXVI.

MILLE, perfectio vel retributio æterna [9] : « Vinea fuit pacifico; tradidit eam custodibus; vir affert pro mercede ejus mille argenteos [10]. »

÷ MILLE DUCENTI. Hic numerus apostolorum gerit figuram ; ubi et supra : « Mille tui et ducenti pacifici, hi qui custodiunt fructus ejus [11]. »

SEPTEM MILLIA, omnes electi [12] qui pleni Spiritu sancto, per hebdomadam hujus mundi, ad regna cœlorum colliguntur : « Reliqui mihi septem millia virorum [13]. »

DECEM MILLIA [14] *talenta*, ad decalogum. ÷ In Evangelio : « Et oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta [15]. »

÷ SEXCENTA MILLIA QUINGENTI QUINQUAGINTA, ad sacramentum filiorum Israel qui egressi sunt de Ægypto, in Exodo [16].

XXVII.

1. CENTUM QUADRAGINTA QUATUOR MILLIA [17], ut quidam volunt, electi in fine credituri.

2. *Centum quadraginta quatuor millia*, omnes virgines [18] : « Et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum et quadraginta quatuor millia. » ÷ Et post pauca : « Virgines enim sunt, et in ore eorum non est inventum mendacium [19]. »

(1) *Octoginta.* Ps. LXXXIX, 10. *Septuaginta, ad figuram l. e. e. sicut in psalmo,* D. Dist. deest in cæter.—(2) *Nonaginta concubinæ.* B, C. Matt. XIII, 8. —(3) *Centesimum.* Matt. XIII, 8.—(4) *Quatuor* E. *Hic numerus omnium electorum obtinet sacramentum, in quorum figura, ejusdem numeri pisces post resurrectionem Domini ab apostolis in Evangelio* [capiuntur E] *capti referuntur.* B-G.—(5) *Tribus.* Joan. XXI, 11.—(6) *Trecenti, ad numerum perfectorum, qui per crucem Jesu de mundo triumphantes, victoriam reportant. In quorum typo Gedeon, in judicum libro ejusdem numeri pugnatores eligisse scribitur* B-G. — (7) *Eo.* Jud. VII, 19. — (8) *Ad quinque ætatum Mundi, ut quibusdam putatur, pertinet sacramentum* B-G. — (9) *Mille, ad retributionis beatitudinem ; in Salomone* B-G. — (10) *Argenteos.* Cant. VIII, 11. — (11) *Ejus.* Ib. 18 — (12) *Hic numerus ad omnem electorum pertinet sacramentum qui* B G. — (13) *Virorum.* III Reg. XVIII, 18. — (14) *Hic numerus ad decalogum pertinet legis; in Evangelio.* — (15) *Talenta.* Matt. XVIII, 14. — (16) *Exodo.* Dist. deest in D. — (17) *Millia ad sacramentum electorum qui ex Judæis in fine mundi credituri sunt in Christo, ut* B-G. — (18) *Ad sacramentum omnium virginum, de quibus ubi supra, in Apocalypsi* B-G. — (19) *Mendacium.* Apoc. XIV, 3, 5.

CAPUT XIII.

DE NOMINIBUS HEBRAICIS [1].

§ I. DE CIVITATIBUS ET PROVINCIIS.

I.

1. JERUSALEM, *Visio pacis* cœlestis [2] : « Quæ autem sursum est Jerusalem, libera
5 est, quæ est mater omnium nostrum [3]. Recordemur [4] procul Domini, et Jerusalem ascendat super cor vestrum [5]. »

2. Ecclesia [6], vel anima : « Lauda, Jerusalem, collauda Deum tuum, Sion [7]. Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas [8]. Ecce ego creo Jerusalem exsultationem, et populum ejus gaudium [9]. In tempore illo vocabitur Jerusalem solium Dei, et con-
10 gregabuntur ad eam omnes gentes [10]. »

Notandum quod ea quæ ad Ecclesiam [11] conveniunt, ad animam referri possunt fere ubique, ut hic : « Lava a malitia cor tuum, Jerusalem; usquequo morabuntur in te cogitationes pravæ [12] ? ÷ Item ibi : « Erudire, Jerusalem [13]. »

3. Plebs Judæorum [14] : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, ecce
15 relinquetur domus vestra deserta [15]. Ruit Jerusalem, et Juda concidit [16]. Hæc est civitas gloriosa, habitans in confidentia [17]. Quomodo facta est in deserto, cubile bestiæ ? » ÷ Item ibi [in Isaia] : « Ut non sit civitas, in sempiternum non ædificetur [18]. »

(1) *Hebraicis.* Deesse videtur caput illud ultimum tam C Mesmiano quam G Parisiensi; sed in utroque extra sedem longe positum, eodem in loco jacet, videlicet in medio libri II Instructionum Eucherii, quem ambo continent; inde utriusque lectiones in usus nostros adductæ. Constanter sequimur in nominum propriorum scriptione Mesmianum, utpote longe antiquissimum. Et vero in hujusmodi glossematibus antiquiorem scripturam periti amant. Primus noster titulus e Mesmiano accipitur, præfigiturque ibi secundo Eucherii Instructionum libro, quem Melitoniana Clavis, sine titulo, excipit. Secundus autem titulus, cæterique infra positi in tribus codd. B, C, G exstant. Quo vero propius in finem vergimus, fontes nostri ut turbidiores effluunt, magisque ac magis deficiunt exhausti, ita uberiori commentario quasi viam occupant et impediunt : quid enim non dictum est ab omnibus onomasticis de Hebraicorum nominum sensu, etymo, mysteriis, allegoriis? Unde satis erit præcipuorum interpretum retexisse catalogum, qualis proximo fini hujusce capitis totiusque operis subnectitur. Vix putem opportunum mihi esse aut necessarium, lectorem monere ob nonnullas etymologias violenter inepteve deductas, tum quia si quas in Clavi sua Melito inseruerit, non tam eas ipsi quam Philoni, Josepho, aut interpolatoribus quibusdam velim ascribas; tum quia hæc vocabula non secundum linguæ hebraicæ aut græcæ proprietates, sed juxta typicas et symbolicas rationes exposita leguntur. Sed vide quid super hæc magnus Hieronymus, ipse Philoniana latine reddens (in edit. Vall. t. III, col. 773), annotaverit. — (2) *Cœlestis illa patria* B-G. *Cœlestis patriæ* E. Consentit etymologiæ Philo aut Hieronymus, quoties varietas non notatur : singulas autem interpretationes diligenter excussas invenies apud Vallarsium et Martianæum. — (3) *Nostrum.* Gal. IV, 26. — (4) *Recordamini* B-G. — (5) *Vestrum.* Jerem. LI, 50. — (6) *Jerusalem, sancta Ecclesia, vel anima in psalmo* B-G. — (7) *Sion.* Ps. XLVII, 12. *Lauda Deum* E, *Sion, item ibi* B-G. — (8) *Civitas. Et in Isaia* B-G. — (9) *Gaudium.* Is. LXXV, 18. *Gaudium. In Jeremia* B-G. — (10) *Gentes.* Jerem. III, 17. — (11) *Et notandum ... generaliter conveniunt, hæc et ad animam r. v. sicut est illud in Jeremia : lava* B-G. *Et notandum ... possunt.* Ea verbo tenus apud Eucher. col. 766 A. — (12) *Pravæ.* Jerem. IV, 14. — (13) *Jerusalem.* Jerem. VI, 8. — (14) *Judæorum, vel ipsa terrena civitas. In Evangelio* B-G. — (15) *Prophetas; et post pauca; ecce* B-G. *Deserta.* Luc. XIII, 34. — (16) *Et in Isaia : ruit* B-G. *Concidit.* Is. III, 8. — (17) *Et in Sophonia : Hæc ... confidentia. Et post pauca quomodo* B-G. *Bestiæ.* Soph. II, 15. — (18) *Ædificetur.* Is. XXV, 2.

÷ 4. *Filii*, vel *filiæ Jerusalem*, fideles in Ecclesia. In Canticis canticorum : « Filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum [1]. »

II.

1. SION, patria cœlestis [2] : « Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem [3]. » ÷ « Super flumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, quum recordaremur Sion [4]. »

2. *Sion*, *Specula*, visio [5], vel contemplatio : « Lauda, Jerusalem, Dominum; collauda Deum tuum, Sion [6]. »

3. Ecclesia, vel anima : « Surge et tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, et ungulas tuas ponam æreas [7]. Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion [8]. »

4. Plebs Judæorum, vel ipsa civitas in monte sita, quæ et Jerusalem dicitur : « Dominus de Sion rugiet, ÷ et Jerusalem dabit vocem suam [9], » quia ex eadem plebe Dominus secundum carnem genitus est. Et in Isaia : « De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem [10]. » Et in Michæa propheta : « Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit [11]. »

5. *Filii Sion*, filii Ecclesiæ : « Et vos, filii Sion, exsultate in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ [12]. Filiæ Sion exsultent super regem suum [13]. »

÷ 6. *Filia Sion*, Ecclesia, vel anima. In Sophonia : « Lauda, filia Sion; jubilate, Israel [14]. »

III.

1. BABYLON, *Confusio*, vel *Translatio*, seu gentilitas ad Christum conversa [15] : « Memor ero Rahab et Babylonis scientium me [16]. »

2. Ecclesia, vel anima pœnitens : « Dole et satage, filia Sion, quasi parturiens, quia nunc egredieris de civitate, et habitabis in regione, et venies usque ad Babylonem; ibi liberaberis, et ibi redimet te Dominus de manibus inimicorum tuorum [17]. »

3. Mundus, aut Roma : « Et Babylon magna venit in memoriam ante Dominum, dare ei calicem indignationis suæ [18]. Et erit Babylon illa gloriosa in regnis inclyta, in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam et Gomorram : Non habitabitur usque in finem [19]. Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram : subito cecidit Babylon, et contrita est [20]. »

÷ 4. *Babylonii*, confusi.

(1) *Meum*. Cant. v, 8. Cf. Eucher. edit. I, p. 28; ed. II, col. 766 ad I, 4. —(2) *Cœlestis patria. In Apostolo* B-G. — (3) *Jerusalem*. Hebr. XII, 22. — (4) *Sion*. Ps. CXXXVI, 1. — (5) *Speculæ visio* B-G. Præterea C addit glossema Eucherianum : « Vel certe; nam hæc civitas a David in monte constructa est. » — (6) *Sion*. Ps. XLVII, 12. *Et in Michæa : Surge* B-G. —(7) *Æreas*. Mich. IV, 13. — (8) *Sion*. Is. LII, 1. — (9) *Suam*. Amos. I, 2.— (10) *Jerusalem*. Is. II, 3. — (11) *Erit*. Mich. III, 12.—(12) *Justitiæ*. Joel II, 23.—(13) *Suum*. Ps. CXLIX, 2. — (14) *Israel*. Sophon. III, 14. Cf. Eucher. ed. I, p. 28; ed. II, col. 766 B ad 1 et 4. — —(15) *Translatio gentium ad Christum conversa* B, C. *Plebis conversæ* D. *Ad Christum. In ps.* E. *Plebs conversa* G. — (16) *Me*. Ps. LXXXVI, 4. *Scientibus me* B, C. *Et in Michæa : dole* B-G. — (17) *Tuorum*. Mich. IV, 10. — (18) *Suæ*. Apoc. XVI, 19. *Iræ ejus* B-G. — (19) *Finem*. Is. XIII, 19. — (20) *Est*. Jerem. LI, 7.

÷ 5. *Filia Babylonis,* anima peccatrix, confusioni tradita. In psalmo : « Filia Babylonis misera [1]. »

IV.

1. Æthiopia [2], *Tenebræ,* gentilitas conversa : « Æthiopia præveniet manus ejus Deo [3]. »

5 2. Reprobi, infidelitatis nigredine tetri : « Sed et vos, Æthiopes, interfecti gladio meo eritis [4]. » ÷ Et in Amos : « Numquid et filii Æthiopum vos estis mihi, filii Israel [5] ? »

V.

1. Ægyptus, *Tribulatio* vel *Tenebræ,* mundus conversus : « Venient legati ex Ægypto [6]. In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti. Clamabunt enim 10 ad Dominum a facie tribulationis, et mittet eis Salvatorem et propugnatorem qui liberet eos [7]. »

÷ 2. Item in malam partem. In Ezechiel : « Quum dedero terram Ægypti desolatam. Deseretur autem terra a plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores ejus [8]. Ægyptus in desolatione erit, et Idumæa in desertum perditionis [9]. »

VI.

15 1. Tyrus, *Angustia* vel *Tribulatio,* Synagoga [10] : « Et eris in die illa in oblivione, o Tyre, septuaginta annis [11]. » Et post pauca : « Sume citharam, circui civitatem, o Tyre, meretrix oblivioni tradita. »

÷ 2. Tyrus, præsens mundus. In Ezechiel : « O Tyre, tu dixisti : Perfecti decoris ego sum. » Et post pauca : « Ad nihil redactus es, et non eris usque in per-20 petuum [12]. »

VII.

1. Idumæa, *Sanguinea* vel *Terrena,* gentilitas conversa [13] : « Et erit Idumæa possessio ejus [14]. » Et : « In Idumæam extendam calceamentum meum [15]. »

2. Idumæa, plebs Judæorum [16] : « Quod si dixerit Idumæa : Destructi sumus, sed revertentes ædificabimus quæ deserta sunt, hæc dicit Dominus : Illi ædifica-25 bunt, et ego destruam [17]. »

÷ 3. Et in aliam partem, per Isaiam : « Inebriatus est in cœlo gladius meus, et super Idumæam descendet [18]. »

(1) *Misera.* Ps. cxxxvi, 8. Cf. Eucher. ed. i, p. 31, ad 3. — (2) *Æthiopia.* Vox a græco deducta, uti sequens Ægyptus, utrumque tritum : sed vide quæ doctissime super hoc Vallarsius disseruit t. iii, p. 773 *not.* a, et 775 *not.* a. Hic Grabii notam de usu veterum scribendi promiscue per *d*, *z*, *th*, consulto omittimus. — (3) *Deo.* Ps. lxvii, 32. *Deo. Item in malam partem reprobi* B-G. — (4) *Eritis.* Sophon. ii, 12. — (5) *Israel.* Amos. ix, 7. Cf. Eucher. ed. i, p. 31. — (6) *Ægypto.* Ps. lxvii, 32. — (7) *Eos.* Is. xix, 19. — (8) *Ejus.* Ezech. xxxii, 15. — (9) *Perditionis.* Joel iii, 19. B-G tamen aliter : *In Amos : Ægyptus.* — (10) *Tribulatio, populus Judæorum. In Isaia* B-G. — (11) *Annis.* Is. xxiii, 15. — (12) *Perpetuum.* Ezech. xxvii, 3. — (13) *Plebs gentium credens in Christo, in libro Numeri.* — (14) *Ejus.* Num. xxiv, 8. — (15) *Meum.* Ps. lix, 10. — (16) *Judæorum, in malitia* B-G. — (17) *Destruam.* Malach. i, 4. — (18) *Descendet.* Is. xxxiv, 5.

VIII.

÷ 1. Ninive, *Speciosa,* mundus ad Deum conversus. In Jona : « Surge, et vade in Ninive, civitatem grandem, et prædica ibi [1]. »

÷ 2. Item in malam partem, per Nahum : « Onus Ninive. » Et post pauca : « Ubi est habitaculum leonum, et pascua catulorum leonum [2]. » Item ibi : « Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua [3]. »

IX.

1. Basan, *Confusio.* ÷ In Isaia : « Et super omnes quercus Basan [4]. » Et in psalmo : « Dixit Dominus : Ex Basan convertam [5]. »

÷ 2. Populus gentium. In Jeremia : « Revertetur Israel ad habitaculum suum, ut pascatur Basan et Carmelum [6]. » Et in Isaia : « Concussa est Basan et Carmelus [7], » id est uterque populus Judæorum et gentium.

X.

1. Cedar, *Tenebræ,* mundus. ÷ In psalmo : « Habitavi cum habitantibus Cedar [8]. »

÷ 2. Et in bonam partem, per Isaiam : « Omne pecus Cedar congregabitur tibi [9]. »

[*Huc usque interpretationes allegoricæ in cod. A.*]

XI.

1. Arabia, ***Humilis***, vel *Campestris*, Ecclesia ex gentibus : « Et vivet [10], et dabitur ei de auro Arabiæ [11]. »

2. Et in aliam partem : « Onus Arabiæ [12]. »

XII.

1. Sabaa, *Incensa*, vel *Beata*, Ecclesia. ÷ In Isaia : « Omnes de Sabaa venient, aurum et thus deferentes [13]. »

2. Et in aliam partem, per Joel : « Vendam filios vestros, et venumdabuntur Sabæis, genti longinquæ [14]. »

XIII, XIV.

÷ Tyrus, *Angustia*, vel *Tribulatio*, ÷ præsens mundus in Ezechiel : « O Tyre, tu dixisti : Perfecti decoris ego sum [15]. » Et post pauca : « Ad nihilum redactus es, et non eris usque in perpetuum. »

1. Sidon, *Venatio.* ÷ In Joel : « Verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon? Cito, velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum [16]. »

÷ 2. Item in aliam partem, in Evangelio : « Et si in Tyro et in Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere sedentes pœniterent [17]. »

XV.

Cades, *Sancta*, ÷ vel *Immaculata*, ÷ id est Ecclesia [18]. In psalmo : « Commovebit Dominus desertum Cades [19]. »

XVI.

÷ Bersebe, *Longitudo*, Ecclesia [20]. In

(1) *Ibi.* Jon. i, 2. — (2) *Leonum.* Nahum ix, 1. — (3) *Tua.* Ib. iii, 19. — (4) *Basan.* Is. ii, 13. — (5) *Convertam.* Ps. lxvii, 23. — (6) *Carmelum.* Jerem. l, 19. — (7) *Carmelus.* Is. xxxiii, 9. — (8) *Cedar.* Ps. cxix, 5. — (9) *Tibi.* Is. lx, 7. Deinde sequuntur in cod. A cæterorum nominum brevissima initia, nec nisi jejunæ etymologiæ, quæ minore charactere et angustiore forma edituri sumus. — (10) *Et vivet* deest in B, C. — (11) *Arabiæ.* Ps. lxxi, 15. — (12) *Arabiæ.* Is. xxi, 13. — (13) *Deferentes.* Is. lx, 6. — (14) *Longinquæ.* Joel iii, 8. *Venumdabuntur eis* B, C, D. *Venumdabunt Sabæi* D. — (15) *Sum.* Ezech. xxvii, 2. — (16) *Vestrum.* Joel iii, 4. — (17) *Pœniterent.* Matt. xi, 21. — (18) *Sancta Ecclesia* D. — (19) *Cades.* Ps. xxviii, 8. — (20) *Berseba* B, C. *Bersabe* G. *Longitudo Ecclesiæ* D. *Puteus satietatis.* Philo. Alii longe alia.

Regum : « A Dan usque Bersebe [1]. »

XVII.

Galilæa, *Volutabrum*, vel *Transmigratio facta.* ÷ In Evangelio : « Quum surrexero, præcedam vos in Galilæam [2]. »

XVIII.

5 Galaad, *Acervus testimonii,* ÷ Ecclesia, sive sacra Scriptura; unde in Amos, pro hæreticis dicitur : « Senuerunt prægnantes Galaad [3]. » Et in Jeremia : « In monte Ephraim et Galaad saturabitur anima 10 ejus [4], » id est Ecclesia.

XIX.

Jericho, *Luna*, id est mundus, ÷ ob hoc quod semper mutetur. In Evangelio : « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho [5]. »

XX.

15 Galgala, *Locus circumcisionis.* ÷ In Amos : « Nolite quærere in Bethel, et in Galgala nolite intrare, quia Galgala captiva ducetur, et Bethel erit inutilis [6]. »

XXI.

Bethel, *Domus Dei*, ÷ templum Judæo-20 rum, ubi et supra.

XXII.

Bethsamis, *Domus solis*, ÷ id est Ecclesia. In Regum : « Bethsamitæ autem metebant triticum in valle [7] », id est doctrinam in humilitate.

XXIII.

25 Bethania, *Domus obedientiæ.* ÷ In Evangelio.

XXIV.

Bethphage, *Domus vallis.* ÷ Ubi et supra; syrum est.

XXV.

Bethleem, *Domus panis*, ÷ id est Ecclesia Christi. In Michæa : « Et tu, Bethleem, domus Eufrata [8], non eris minima in principibus Juda [9]. »

XXVI.

Euphrata [10], *Ubertas*, ÷ ubi et supra.

XXVII.

Genesar, *Hortus principum.* ÷ In Evangelio [11].

XXVIII.

Amaus [12], *Populus abjectus.*

XXIX.

Cafarnaum, *Ager consolationis.* ÷ In Evangelio.

XXX

÷ Sarephta [13], *Incensa*, sive *Angustia panis.*

XXXI.

Gessamani [14], *Vallis pinguium.*

XXXII.

Golgotha, *Calvaria.* ÷ In Evangelio.

XXXIII.

Nazareth, *Flos munditiæ*, vel *Virgultum.*

XXXIV.

Trachonitis, *Negotiatio tristitiæ.*

XXXV.

Gerasenorum [15], *Salus bona.*

XXXVI.

Lisania [16], *Nativitas tentationis.*

XXXVII.

Sodoma, *Pecus silens*, ÷ id est mundi cæcitas, in epistola Petri.

XXXVIII.

Memphis, *Interitus* [17]. ÷ In Osee : « Ægyptus congregabit eos, et Memphis sepeliet eos [18]. »

(1) *Bersebe* B, C. I Reg. iii, 20. — (2) *Galilæam.* Marc. xiv, 28. — (3) *Galaad.* Amos i, 13. — (4) *Ejus.* Jerem. i, 19. — (5) *Jericho.* Luc. x, 30. — (6) *Inutilis.* Amos iv, 15. *Nolite quærere Bethel* E. — (7) *Valle.* I Reg. vi, 3. *Bethsamos* A. — (8) *Effrata* E. *Ephrata* G. — (9) *Juda.* Mich. v, 2. — (10) *Effrata* E. — (11) *Evangelio.* Matt. xiv, 34. — (12) *Emmaus* A, E. — (13) *Sarepta* B, D, E. — (14) *Gethsamani* A, B. *Gessemani* E. — (15) *Gerasimorum* B, C. *Geraseniorum* E. — (16) *Lysaniæ* D. — (17) *Memphim interpretatur de ore eorum apud Philonem.* — (18) *Eos.* Osee ix, 6.

XXXIX.

THANIS[1]. ÷ *Pernicies.* ÷ In Isaia : « Stulti principes Taneos[2]. »

XL.

PHYTON, *Os defectionis.* In Exodo : « Et ædificaverunt civitates Pharaoni, Phyton, Ramesses, et Aton, id est Heliopolis[3]. »

XLI, XLII.

1. RAMASSE, *Comestio tineæ*[4]. HELIOPOLIS, *Civitas solis*, ÷ ubi et supra.

÷ 2. Item *Ramesse, comestio tineæ*, id est, cupiditas mundi. In Exodo : « Et egressi filii Israel de Ramesse, venerunt in Soccoth[5]. »

XLIII.

SOCCOTH, *Tabernacula*, ÷ id est contemtus mundi, et expeditio in via Dei. In Exodo.

XLIV.

OTHON, *Signa*, ÷ scilicet fides, ÷ vel virtutum[6].

XLV.

EPHALEUM[7], *Ascensio tortuosa*, ÷ id est difficultas in opere, sive angustia in via Dei.

XLVI.

MAGDALUM, *Turris*, operum[8] ÷ profectus est, sicut est illud in Evangelio : « Quis ex vobis volens turrim ædificare[9]? »

XLVII.

BELSEPHON[10], *Ascensio speculæ.* ÷ Ascensus enim ad actus[11], specula pertinet ad fidem. In Exodo.

XLVIII.

MIRRA, *Amaritudo*, id est legis littera. ÷ In Exodo : « Venerunt filii Israel in Mirra, et non poterant bibere aquam de Mirra, quia amara erat[12]. »

XLIX.

ELIM, *Arietes*, fortes. ÷ In Exodo : « Et venerunt in Elim[13], » id est filii Israel, « ubi erant duodecim fontes[14], » id est apostolorum doctrina.

L.

SYN, *Tentatio.* In Exodo : « Et venerunt in desertum Syn[15]. »

LI.

RAPHIDIM, *Vanitas judicii;* ÷ qui enim bene exiit de tentatione, securus venit ad judicium, ubi et supra.

LII.

SINAI, *Mensura*, sive *Mandatum*, [vel *Tentatio*], vel *Tumulus mortuorum.*

LIII.

÷ MADIAN [*Judicium*]. In psalmo : « Fac ei sicut Madian et Sisaræ; et sicut Jabin in torrente Cison[16]. »

LIV.

VALLIS GERARIS[17], *Maceria*, vel *Sepes*, præsens mundus. In Genesi : « Venit autem Isaac in vallem Geraris[18]. »

LV.

1. SAMARIA, quod est *Custodia*[19], hæreticorum conciliabula. ÷ In Osee : « Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Dominum suum. Gladio pereat, parvuli elidentur[20]. »

÷ 2. Plebs Judæorum, idololatriæ dedita. In Michæa : « Ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro, quum plantatur vinea; et detraham in valle lapides ejus[21]. »

(1) *Taneæ* D. *Thaneos* G. — (2) *Taneos.* Is. XIX, 11. — (3) *Heliopolis.* Exod. I, 11. LXX : καὶ Ὤν, habent; sed vulgata non habet. GRAB. — (4) *Comestio tineæ* C. Ita σκαφὸς σητός apud Phil. et Etymolog. gr. II. Sed Origenianum lexicon diserte habet Ῥαμέσσ, πομαχανία ἐκ σητός; unde Hieronymus : *Ramesse*, pabulum tineæ. — (5) *Soccoth.* Exod. XII, 37. — (6) *Oton* B. *Ethon*, obscura vox. GRAB. *Signa virtutum, id est fidei, vel virtutes* B. *Signa fidei vel virtutum* D. *Signa, id est fidei v. v.* E. *Signa vel fidei, vel v.* G. — (7) *Phaleum* G. — (8) *Vel operum* D. — (9) *Ædificare.* Luc. XIV, 28. — (10) *Belsephona* G. — (11) *Ad hos actus* B-D. — (12) *Erat.* Exod. XV, 23. — (13) *Elim.* Exod. I. I. — (14) *Fontes, id est fontes Apostolorum* E. Exod. XV, 27. — (15) *Sin.* Exod. XVI, 1. *Sin, sitiens. Sina, tentatio* Philo. — (16) *Cison.* Ps. LXXXII, 10. Deest in E. — (17) *Gerari* D. *Gerarisım* B, C. — (18) *Geraris.* Genes. XXVI, 6. — (19) *Est Ecclesia* B, C. — (20) *Dentur* B, C. *Elidantur* E. Osee XIV, 1. — (21) *Ejus.* Mich. I, 6.

LVI.

Sichima[1], *Humerus*, ÷ id est operatio. In psalmo : « Lætabor [1], et dividam Sichimam [2]. »

LVII.

Dotain, *Defectio*. ÷ Ibi enim, deficiente 5 dilectione, filii Jacob de morte Joseph fratris sui tractaverunt.

LVIII.

Asia, *Elevata*, ÷ sive *Gradiens*, id est Ecclesia ad superna virtutum gradibus proficiens. In Apocalypsi : « Joannes, septem 10 Ecclesiis quæ sunt in Asia [3]. »

LIX.

Ephesus, *Voluntas*, ÷ sive *Consilium meum*, id est sancta Ecclesia, voluntate et consilio Dei electa.

LX.

Smyrna, *Canticum eorum*, ÷ hoc est 15 fidelium confessio, ubi et supra.

LXI.

Pergamum, *Dividens cornua* ÷ *eorum*, id est Ecclesia hæreticorum, timores [4], vel aeriæ potestatis tentamenta.

LXII.

Tyathira, *Illuminata*, ÷ Ecclesia, sole 20 justitiæ lustrata.

LXIII.

Sardis, *Principium pulchritudinis*, ÷ Ecclesia ad Dominum Jesum Christum, qui est principium pulchritudinis, conversa [5].

LXIV.

Philadelphia, *Salvans*, ÷ id est Ec- 25 clesia proprios salvans populos.

LXV.

Laodicea, *Tribus amabilis*, ÷ id est Ecclesia, quæ est amabilis Domino.

LXVI.

1. Libanus, *Candidatio*, ÷ id est, Christus. In Salomone : « Fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de Libano [6]. »

÷ 2. *Libanus*, baptismus, ubi et supra : « Veni de Libano, sponsa [7], » id est a candore baptismatis.

÷ 3. *Libanus*, mundus. In psalmo : « Confregit cedros Libani [8]. » Et per Ezechielem : « Ecce Assur in monte Libano [9], » id est diabolus, vel quodlibet regnum potens in gloria mundi.

LXVII.

÷ 1. Carmelus, Salvator. In Canticis canticorum : « Caput tuum ut Carmelus [10]. »

÷ 2. *Carmelus*, regnum Judæorum, templum sive sacerdotium. In Amos : « Dominus de Sion rugiet; de Jerusalem dabit vocem suam. Et luxerunt speciosa pastorum, et siccatus est vertex Carmeli [11]. » Item ibi : « Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos [12]. »

÷ 3. Et in bonam partem per Jeremiam : « Et pascetur Carmel et Basan [13]. »

LXVIII.

Thabor, *Veniens lumen*, id est illuminatio fidei. In psalmo : « Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt [14]. »

LXIX.

1. Hermon, *Anathema*, ÷ humilitas pœnitentium se ipsos anathematizantium. In psalmo : « Memor ero tui, Domine, de terra Jordanis et Hermonis, a monte modico [15]. »

(1) *Metibor* B. — (2) *Sichimam*. Ps. lix, 8. — (3) *Asia*. Apoc. i, 4. — (4) *Tumor vel tumores* E. *Timore vel aeriæ potestati sunt tentamenta* B, C. *Tumores vel aeriarum potestatum tent.* G. — (5) *Ad Dominum ... conversa* E. In cæteris hæc tria verba desunt. *Jesus Christus* D. — (6) *Libano*. Cant. iv, 15. — (7) *Sponsa*. Ib. 8. — (8) *Libani*. Ps. xxviii, 5. — (9) *Libano*. Ezech. xxxi, 3. — (10) *Carmelus*. Cant. vii, 5. — (11) *Carmeli*. Amos i, 2. — (12) *Eos*. Ib. ix, 3. — (13) *Basan*. Jerem. l, 19. — (14) *Exsultabunt*. Ps. lxxxviii, 13. — (15) *Modico*. Ps. xli, 7. Inter hanc distinctionem et sequentem inseruntur in B, C, G tres articuli proxime postpositi; eosdem omnes omisit E, qui continuo legit : *Hermon, anathema, populus Judæorum. In psalmo : sicut ros Hermon*, nec plura. *Hermonii* D.

÷ 2. *Hermon*, *Anathema*, populus Judæorum, ut quidam volunt. In psalmo : « Sicut ros Hermon, qui descendit super montem Sion [1], » id est in Ecclesiam.

LXX.

5 ÷ Or, *Ignis*, sive *Lumen meum*. Ibi defunctus est Aaron.

LXXI.

÷ Abarim, mons in quo mortuus est Moyses.

LXXII.

÷ Mons Ephraim, id est *Frugifer*, Ec-10 clesia. In Jeremia : « Erit dies in quo clamabunt custodes in monte Ephraim : Surgite, et ascendamus ad Dominum Deum nostrum [2]. »

LXXIII.

Sanir, *Dens lucernæ*, ÷ id est illuminatio fidei. In Canticis canticorum : « Coronaberis a capite Amana, de vertice Hermon et Sanir [3]. »

LXXIV.

Montes Seir, *Hispidi*, vel *Hirci*, ÷ hæretici. In Ezechiel : « Ecce ego ad te, mons Seir, et extendam manum tuam super te, et dabo te desolatam [4]. »

§ II. DE FLUMINIBUS ET PISCINIS.

I.

Geon, *Terræ gratia* [5], ÷ fluvius Æthiopiæ, de paradiso emergens, sapientiam hujus mundi significans, sicut est illud in Jere-15 mia : « Quid tibi cum via Ægypti, ut bibas aquam turbidam [6] ? »

II.

Physon [7], ÷ fluvius Indiæ, idem quoque de paradiso fluens. In Genesi : « Ipse est qui circuit omnem terram Evilath [8]. »

III.

20 Tigris, *Flexuosus*. ÷ In Genesi : « Ipse tendit contra Assyrios [9]. »

IV.

Euphrates, *Frugifer*, ÷ sive *Ubertas*, ubi et supra.

V.

Jordanis, *Descensus*, fluvius Judææ, baptismi figuram habens, ab hoc quod Salvator in eodem flumine baptizatus est.

VI.

Siloa, *Missus*, id est Christus. ÷ In Isaia : « Pro eo quod abjecit populus iste aquas Siloa, quæ vadunt cum silentio [10], » id est doctrinam Salvatoris.

VII.

Bethsaida, *Domus venationis*, ÷ piscina in Jerusalem, in quam [victimæ] ingrediebantur : ideo et probatica, id est pecuaris [11] appellatur, quod hostias in ea quondam sacerdotes lavabant.

§ III. DE GENTIBUS [12].

I.

25 Hebræi, *Transeuntes*, ÷ sive *Translati*, sancti [13]. In psalmo : « Et transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum [14]. »

II.

1. Judæus, *Confessor* [15], ÷ id est fideles, Christum confitentes.

÷ 2. Et in aliam partem, in Apocalypsi : « Qui dicunt se Judæos esse, et non

(1) *Sion*. Ps. cxxxii, 3. A voce *Judæorum* nihil in E. — (2) *Nostrum*. Jerem. xxxi, 6. — (3) *Sanir*. Cant. iv, 8. Cf. Vallars. p. 1270, n. a, ed. Migu. — (4) *Desolatam*. Ezech. xxxv, 3. Sequens titulus deest in D, E. — (5) *Terra, gratia* B, C. *Pertus, sive præruptum* Phil. — (6) *Turbidam*. Jerem. ii, 18. — (7) *Physon, os pupillæ sive oris mutatio*. Phil. — (8) *Evilath*. Genes. ii, 11. — (9) *Assyrios*. Ib. 14. — (10) *Silentio*. Is. viii, 6. — (11) *Pecuharis* A, B. *Qua egrediebantur* D, E. Ultima in uno C. — (12) *De populis et gentibus* B, C. (13) *Transitores* B, C. *Sancti*. Deest in E. — (14) *Alterum*. Ps. civ, 13. — (15) *Judæi, confessores* B, D.

sunt, sed sunt de synagoga Satanæ [1]. »

III.

ISRAEL, *Videns Deum* [2], ÷ sancti, fide et munditia cordis Deum contemplantes. In Evangelio; « Ecce verus Israel, in quo dolus non est [3]. »

IV.

ISMAEL, *Obediens* ÷ sibi, id est peccatores, qui quod concupiscunt, faciunt. In psalmo : « Tabernacula Idumæorum et Ismaelitæ [4]. »

V.

AGARENI, *Proselyti*, id est alieni. ÷ Hoc est peccatores a conventu Ecclesiæ alieni. In psalmo : « Moab et Agareni [5]. »

VI-VIII.

1. IDUMÆI, *Sanguinei*, sive *Terreni*, ÷ id est dæmones, sive peccatores. In psalmo : « Memorare, Domine, filiorum Edom, et in diebus Jerusalem, qui dixerunt [6] : « Exinanite, exinanite usque in fundamentum in ea [7]. »

2. EDOM, *Sanguineus*, vel *Rubeus*, vel *Terrenus* [8], ÷ populus Judæorum, ob necem Christi et prophetarum. In Abdia : « Hæc dicit Dominus ad Edom : Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemtibilis es valde; superbia cordis tui extulit te [9]. »

3. ÷ SEIR, *Hispidus* vel *Hircus*, populus Judæorum in Cantico : « Dominus de Saba veniet, et de Seir ortus est nobis [10]. » Et in Isaia : « Ad me clamat de Seir custos [11], » id est Christus.

4. ÷ MOAB, *exlex*. ÷ *Ex patre*, id est ex diabolo.

5. AMON, *Filius generis mei*, ÷ sive *Populus turbidus*, Judæi scilicet, ut quidam volunt, vel hæretici. In Deuteronomio : « Ammonites et Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt in Ecclesiam Domini usque in æternum [12]. » Et in Sophonia : « Vivo ego, dicit Dominus, quia Moab ut Sodoma erit, et filia Amon, quasi Gomorrha [13]. »

÷ 6. Item in bonam partem, per Isaiam : « Filii Moab obedientes erunt [14]. »

÷ 7. *Idumæus*, populus gentium. In Deuteronomio : « Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est; nec Ægyptium, quia advena fuisti in terra ejus : qui nati fuerint ex eis tertia generatione intrabunt Ecclesiam Domini [15], » id est per fidem Trinitatis et lavacrum regenerationis.

IX.

1. AMALECITA, *Populus lambens*, ÷ id est peccatores terræ ambientes. In psalmo : « Gebal et Ammon et Amalec [16]. »

÷ 2. *Amalec*, *lambens*, id est diabolus. In Exodo : « In manu abscondita expugnat Dominus Amalec, a generatione in generationem [17]. »

X.

1. PHILISTIM, *Cadentes* ÷ populi, id est inimici Ecclesiæ, de sua se extollentes scientia. In propheta : « Verum quid mihi et vobis, Tyrus et Sidon, et omnis terminus Palæstinorum? Cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum [18]. »

÷ 2. Item in bonam partem. In psalmo : « Mihi allophyli subditi sunt [19]. »

XI.

CHANANÆI, *Instabiles*, ÷ sive *Mobiles*, peccatores, fundamentum fidei non habentes. In Cantico : « Tabuerunt omnes inhabitantes Chanaan [20]. »

XII.

ÆGYPTII, *Affligentes*, ÷ id est impii vel

(1) *Satanæ*. Apoc. II, 9. — (2) *Israelitæ videntes*, et infra : *Ismaelitæ obedientes* C. — (3) *Vere Israelita* D, E. *Est*. Joan. I, 47. — (4) *Ismaelitæ*. Ps. LXXXII, 7. — (5) *Agareni*. Ps. LXXXII, 7. — (6) *Edom, in diebus j. q. dicunt* E. — (7) *Ea*. Ps. CXXXVI, 7. — (8) *Vel terrenus* deest in C. Notatum est *Edom* apud Pœnos tantum significare *sanguinem*, eoque sensu esse ab Augustino in ps. CXXXVI expositum. — (9) *Te*. Abd. 3. — (10) *Nobis*. Deuter. XXXIII, 2. Illud enim antonomastice dicitur *canticum* aut *magnum canticum* E. *De Sion veniet*. — (11) *Custos*. Is. XXI, 11. — (12) *Æternum*. Deuter. XXIII, 3. — (13) *Gomorrha*. Sophon. II, 9. — (14) *Erunt*. Is. XI, 14. Vulg. *Filii Ammon*. — (15) *Domini*. Deuter. XXIII, 7. — (16) *Amalec*. Ps. LXXXII, 8. *Populus lambens, Judæorum* B, C, D, G. — (17) *Generationem*. Exod. XVII, 14. — (18) *Vestrum*. Joel III, 4. — (19) *Sunt*. Ps. LIX, 10. — (20) *Chanaan*. Exod. XV, 15; nota versionem.

dæmones, Ecclesiæ fideles opprimentes. In Exodo : « Affligebant eos Ægyptii operibus duris [1]. »

XIII.

÷ 1. SAMARITÆ, *Custodes*, hoc est hæretici, qui, sub prætextu legis, mendacium colunt, atque divinorum præceptorum custodes se esse mentiuntur. In Osee.

÷ 2. *Samaritanus*, *Custos*, id est Christus. In Isaia : « Quid de nocte, custos? quid de nocte [2]. »

XIV.

1. ASSUR, *Deprimens* [3], ÷ id est diabolus, humanum genus deprimens. In psalmo : « Etenim Assur simul venit cum illis [4]. »

÷ 2. *Assur*, diabolus, vel potestates sæculi. In Isaia : « Væ Assur, virgæ furoris mei [5]. » Item ibi : « Noli timere, popule meus, habitator Sion ab Assur. In virga enim percutiet te, et baculum suum levabit super te in via Ægypti [6]. »

÷ 3. *Assur*, Antichristus. In Michæa : « Tunc erit pax terræ nostræ, quum surrexerint in ea septem pastores et octo primates hominum, » id est prædicatores legis et Evangelii, « et indagabunt Assur, » hoc est Antichristum, « in fossa Nebroth [7], » in damnatione diaboli.

÷ 4. *Assyrii*, *Deprimentes*, id est impii, vel dæmones. In Jeremia : « Quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis [8]? »

÷ 5. Et in bonam partem : « Erit Israel tertius Ægyptio et Assyrio, benedictio in medio terræ [9], » in Isaia.

XV.

CHALDÆI, impii ÷ homines, vel dæmones. In Isaia : « Egredimini de Babylone, et fugite a Chaldæis [10]. »

XVI.

REGES THARSIS, *Exploratores lætitiæ*. ÷ In psalmo : « Reges Tharsis et insulæ munera offerent [11]. »

XVII, XVIII.

GOG, *Tectum*. ÷ MAGOG, *De tecto*, id est reprobi, quos diabolus in culmen superbiæ erigit, et sibi consentientes facit. In Apocalypsi : « Et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog [12]. »

XIX.

MOSOCH, *Capiens*, ÷ hoc est diabolus, animas semper ad mortem capiens. In Ezechiele : « Fili hominis, pone faciem tuam contra Gog, terra Magog, principium capitis Mosoch et Tubal [13]. »

XX.

TUBAL, *Deferens*, vel *Delatus*, ÷ hoc est reprobi, vel diabolus, qui malum semper inferunt, aut defecerunt [14] ad mortem.

XXI.

PERSÆ, ÷ *Tentans*, diabolus vel tentationes semper inferens, ubi et supra : « Persæ et Æthiopes et Libyes cum eis [15]. »

XXII.

÷ ÆTHIOPES, *Tenebræ* vel *Caligo*, id est impii, quibus diabolus, velut tenebris circumseptus, incedit [16].

XXIII.

LIBYES, *venientes*; ÷ diabolus. Etenim semper tenebræ atque tentationes comitantes ad alios venire facit, ubi et supra.

XXIV.

GOMER, *Iræ consummatio*. ÷ In eo enim finis, vastitas et exitium, vel universa quæ ad mortem pertinent, venire dicuntur. In Ezechiele : « Gomorrha et universa agmina ejus; Togorma et latera aquilonis [17]. »

(1) *Duris*. Exod. I, 14. — (2) *Nocte*. Is. XXI, 11. — (3) *Dirigens*. Phil. — (4) *Illis*. Ps. LXXXII, 9. — (5) *Mei*. Is. X, 5. — (6) *Ægypti*. Ib. 24. — (7) *Nebroth*. Mich. V, 5. Versio insolita prorsus. — (8) *Fluminis*. Jerem. II, 18. — (9) *Terræ*. Is. XIX, 24. — (10) *Chaldæis*. Is. XLVIII, 20. — (11) *Offerent*. Ps. LXXI, 4. C addit : *Madianitæ*, *Amorrhæi*. — (12) *Magog*. Apoc. XX, 7. — (13) *Tubal*. Ezech. XXXVIII, 2. — (14) *Deferunt* E. — (15) *Eis*. Ib. 5. — (16) *Circumspectus incedit* E. — (17) *Aquilonis*. Ib. 6.

XXV.

Togorma, *Incolatus*, ÷ significat omnem peregrinationem, hostis exsilium.

XXVI.

Og, *Conclusio*, ÷ id est diabolus, populum Dei a regno cœlorum excludere nitens. 5 In psalmo.

XXVII.

÷ Seon, rex Amorrhæorum, *Tentatio oculorum*, id est diabolus, tentationes semper inferens. In psalmo.

XXVIII.

Balac, *Præcipitans*, sive *Devorans*. 10 ÷ Hic præcipitavit Israel in idololatriæ cultum, et devoravit eos morsu voluptatis luxuriæ.

XXIX.

Balaam, *Sine populo*, vel *Absque substantia;* ÷ hoc est diabolus, vel hæretici, 15 qui non colligunt populos ad salvandum, sed ad perdendum. In libro Numeri.

XXX.

÷ Jabin, *Intellectus*, id est peccatores, in sua confidentes sapientia. In psalmo : « Sicut Jabin in torrente Cisson [1]. »

XXXI-XXXIV.

÷ Oreb, *Foramen*, id est corda reproborum, ubi coluber, id est diabolus ingreditur. In psalmo : « Pone principes eorum sicut Oreb et Zeb, et Zebea et Salmana [2]. »

÷ Zeb, *Lupus*, id est diabolus, ubi et supra.

÷ Zebea, *Hostia*, id est peccatores, quos diabolus velut lupus devorat.

÷ Salmana, perfecti in malitia, ubi et supra.

XXXV.

÷ Doec, *Motus;* Idumæus, *Terrenus*, vel *Sanguineus :* « Intellectus David, quum venit Doec Idumæus, et annuntiavit Sauli [3]. »

[*Hic deficiebant codd.* A, E.]

§ IV. DE DEO ET NOMINIBUS EJUS [4].

I. Adonai, [אדוני], in latinum dicitur *Dominus*.

20 II. Sabahot [צבאות], *Exercituum*, sive *Virtutum* [5].

III. El [אל], *Deus*.

IV. Eli, *Deus* [*meus*].

V. Eloe [אלה], *Deus*.

25 VI. Eloim [אלהים], *Excelsus* [6].

VII. Eijeje [אהיה אשר אהיה, Ἰέιε ἔσερ Ἰέιε [7], *Sum qui sum*] *Qui est*, tetragrammaton ineffabilis [8].

VIII. Saddai [שדי], *Omnipotens*.

IX. Ihesus [9], *Salvator*, sive *Salvatoris*.

X. Nazarenus, *Sanctus*, sive *Mundus*.

XI. Messias, *Unctus*, id est Christus.

II.

I. Urihel [10], *Lux Dei*.

(1) *Cisson*. Ps. lxxxii, 10. — (2) *Salmana*. Ib. 12. — (3) *Sauli*. Ps. li, 2. — (4) *Ejus*. Caput primum lib. ii. *Instructionum* S. Eucherii incipit a duabus primis distinctionibus nostris. Cæteræ plerumque in alia abeunt. Quin procemium libri ejusdem ad Salonium inseritur, paucis variantibus, in Mesmiano C. Codex vero G, qui ex eo videtur descriptus, caret tam procemio, quam initio capitis : uterque a patriarcharum nominibus consentit, et Eucherium verbo tenus refert. Sequimur usque in finem cod. B, qui unus integer exstat, etiam ab Eucherio fere omnino dissimilis. — (5) *Virtutum*. Inde Eucherius transit ad dist. 9. — (6) *Elo in excelsis* C. « Secundum nomen *Elos*, tertium *Eloe*, quod utrumque in latinum Deus dicitur, » apud Hieronymiana in ed. Vallarsii t. iii, col. 1307, ex Martianæo. — (7) Ἰέιε. Ita pronunciasse veteres Græcos testatur Hieronymus. — (8) *Ineffabilis*. Vide quæ doctissime disseruit Martianæus ad hunc locum Hieronymi ad Damasum : « Quod propria in Deo ponitur, *iod*, *he*, *iod*, *he*, id est duabus IA, quæ duplicata ineffabile illud et gloriosum Dei nomen efficiunt. » Solemne fuit Origeni interpretari tetragrammaton per ΙΑΩ, Theodoreto vero per Ἀϊά (forte Ἰαϊά). Hieron. opp. ed. Vallars. t. iii, col. 1279-1281. — (9) *Jesus*. Inde pressius sequuntur codd. nostri Eucherium, qui multa resecuit, omnem fere interpretationem allegoricam neglexit, alioque prorsus incedit ordine. His enim incipit distinctionibus : *Adonai. Sabaoth. Jesus. Nazarenus. Messias, Michael*. — (10) *Urihel*. Οὐριήλ, πῦρ θεοῦ. *Etymolog*. i. Ἀριήλ, φῶς θεοῦ. *Etym*. vi. Ὀρίου, φῶς κυρίου. *Lexicon Origen.;* apud Hieronymi editores. Nomina et honores istorum angelorum liturgia romana in novissimis officiis recognovit.

II. Michahel, *Quis ut Deus*[1]? sive *Potestas Dei.*

III. Gabrihel, *Fortitudo Dei.*

IV. Rafahel, *Medicina Dei.*

V. Azahel[2], *Visus Deo.*

VI. Cherubim, *Scientiæ multitudo.*

VII. Seraphim, *Ardentes*, sive *Incedentes.*

§. V.

I. Adam, *Homo*, sive *Terrigena*[3], Christi figuram gerens, de cujus latere Ecclesiæ sacramenta prolata sunt.

II. Eva, *Vita*, sive *Calamitas*, Ecclesiam significans, quæ mater est omnium viventium.

III. Abel, *Luctuosus*, vel *Miserabilis*, qui in typo Salvatoris a fratre occisus est.

IV. Cain, *Possessio*, vel *Lamentatio*, qui in figura Judæorum parricidium in fratre perpetravit, sicut et illi in Christo.

V. Seth[4], *Resurrectio*, Salvatoris figuram gerens, quia in ipso resurrexit semen sanctum.

VI. Enoch, *Dedicatio*, omnium sanctorum habet imaginem, ob hoc quod septimus ab Adam translatus est.

VII. Mathusala, *Mortuus est*, vel *Emisit*[5].

VIII. Noe, *Requies*, Salvatoris gerit figuram, qui dixit : « Venite ad me, omnes qui laboratis, et ego vos requiescere faciam[6]. »

IX. Sem, *Nominatus*, patriarcharum, prophetarum et apostolorum gestavit personam, qui ex ejus stirpe promoti sunt.

X. Japhet, *Latitudo*, gentium populum significat, eo quod ex ipso Ecclesia Christi toto orbe sit dilatata.

XI. Canaan[7], *Motus*, sive *Instabilis*, qui in similitudine hominum peccatorum maledictione sempiterna ab avo mulctatus est.

XII. Chus, *Æthiops*, diabolus, pro quo in psalmo : « Pro verbis Chus, filii Gemini[8]. »

XIII. Nemroth, *Tyrannus*, diabolus. In Genesi : «Nemrod venator coram Domino[9].» Et in Michæa : « Indagabunt Assur » id est Antichristum, « in fossa Nemroth[10], » hoc est in damnatione diaboli.

XIV. Arfaxat, *Sanans depopulationem.*

XV. Heber, *Transitus*, sive *Translatus*, ob hoc quod ex ejus stirpe Hebræi procreati sunt.

XVI. Melchisedech, *Rex justus*, Christus Dominus. In psalmo : « Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech[11]. »

XVII, 1. Abram, *Pater excelsus*, propter priorem scilicet populum[12] Judæorum.

2. Abraham, *Pater multorum*, id est gentium, sicut est illud in Apostolo : «Qui contra spem in spe credidit, ut fieret pater multarum gentium[13]. »

XVIII. Sara[14], *Princeps mea*, Ecclesiæ figuram gerens[15].

XIX. Isaac, *Risus*, qui in typo Salvatoris a patre in sacrificio oblatus est.

XX. Rebecca, *Patientia*, quæ, in typum Ecclesiæ, duos populos, Judæorum ac gentium, in utero portavit et genuit[16].

(1) *Qui ut Deus* B. Τίς ὡς θεός; ὁ ἰσχυρός; ἢ ἀνδρεῖος θεός. *Origen. lex.* — (2) *Asiel visus Dei* B. Ἀζαήλ, ἐπιφανής, ὅρασις, ἡ κράτος, ἡ ἰσχὺς θεοῦ. *Orig. lex.* Nec istius, nec etiam Raphaelis meminere Philo et Hieronymus. Eucherius tantum Michaeli Gabrieli et Raphaeli locum dedit. De Azael cf. Cotel. PP. *Apostol* t. I, p. 22, n. 69. — (3) *Sive terrenus.* Philo in Hieron. interpret. addit : *aut indigena*; mendum corrige et lege *terrigena*. Eucherius, meram exhibet etymologiam, omni explicatione destitutam. — (4) *Seth, resurrectionis* D. Eucherio deest. — (5) *Et misit* codd. Ita Origen. *misit mortem.* Eucher. *Mortis emissio*, vel *mortuus est*, et *interrogavit* Phil. — (6) *Faciam.* Matt. XI, 28. — (7) *Canaan.* Dist. 11, 12, 13, 14, 15 Eucherio desunt. Is locus in B mutilus; ibi non legitur *in similitudine*, nec *ab avo.* — (8) *Pro vobis Cus filius* B, C. *Gemini.* Ps. VII, 1. — (9) *Domino.* Genes. X, 9. — (10) *Nemroth.* Mich. V, 6. Cf. supra p. 273, n. 1. — (11) *Melchisedech.* Ps. CIX, 4. — (12) *Pater videns populum.* Phil. — (13) *Gentium.* Rom. IV, 18. — (14) *Sarai.* Princeps mea. *Sara*, princeps, Eucher. — (15) *Gerens.* Mesm. addit glossema Eucherianis simillimum : « Notandum quod utriusque nominibus, id est Abrahæ vel Saræ tantum ad litteram Dominus addiderit, quæ tamen apud hebræos Pater legitur [*per elegitur* cod.]. — (16) *Et genuit.* Deest B

XXI. Agar, *Advena*, vel *Conversa*, Synagogæ gerens personam, quæ cum filio, id est populo Judæorum, de domo domini sui expulsa est.

XXII. Ismahel, *Auditio Dei*, populum Judæorum [1] significans, eo quod in finem mundi crediturus, a Domino exaudiatur.

XXIII. Cetura [2], *Thymiama*, id est incensum, vel odor bonus, sapientiam [3], ut quidam volunt [4], significans, quæ in senibus plus viget.

XXIV. Job, *Magnus*, sive *Dolens*. Hic enim in suis verbis et passionibus Christi et omnium sanctorum expressit imaginem. Amici vero ejus speciem prætulerunt omnium hæreticorum.

XXV. Loth, *Declinans*, legis, ut quidam volunt, præferens imaginem.

XXVI. 1. Jacob, *Supplantator*, populi Judæorum Christum, ex eorum stirpe genitum, in passione supplantantes, sicut est illud in Osee propheta : « In utero supplantabit fratrem suum [5]. »

2. *Jacob*, populus gentium, ob hoc quod in benedictione patris fratri prælatus sit. In Malachia : « Nonne frater erat Esau Jacob? dicit Dominus. Et dilexi Jacob, Esau autem odio habui [6]. »

3. *Jacob*, sancti, ex populo Judæorum assumti. In Isaia : « Et nunc audi, Jacob, servus meus [7]. » Et alibi : » Et facta est portio Domini populus ejus, Jacob; funiculus hæreditatis suæ Israel [8]. »

4. Israel, *Videns Deum* [9], sed melius *Princeps cum Deo*, omnium sanctorum præferens imaginem, qui per fidem atque munditiam cordis, semper vident Deum. In Deuteronomio : « Beatus tu, Israel. Quis tibi similis, popule salvate in Domino : scutum auxilii tui, et gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, et tu illorum colla calcabis [10]. »

5. *Israel*, populus Judæorum. In Isaia : « Israel me non cognovit, populus meus non intellexit [11]. » Et in Osee : « Noli lætari, Israel [12]. »

6. *Jacob* et *Israel*, uterque populus, Judæorum scilicet et gentium, in Christo credentes. In cantico, in Deuteronomio : « Facta est portio Domini populus ejus Jacob; funiculus hæreditatis suæ, Israel [13]. »

XXVII. Lia, *Laboriosa*, in typo Synagogæ, prior sorore in filiis fecunda.

XXVIII. Rachel, *Ovis Dei*, vel *Videns Deum*, typum Ecclesiæ, quæ in fine mundi concipit, præferens.

§ VI. PATRIARCHARUM NOMINA.

I. 1. Ruben, *Videns filios*, sive *Videns* patriarchas *in medio*, populus Judæorum, de quo in Genesi : « Ruben primogenitus meus. Tu fortitudo mea, et principium doloris mei [14]. »

2. Item, in bonam partem, propter eos qui ex ipso credituri sunt. In Deuteronomio : « Vivat Ruben, et non moriatur, et sit parvus in numero [15]. »

II. 1. Simeon, *Audienti tristitia* [16], scribarum gerens personam, sicut et Levi, Pharisæorum, Dominum Jesum Christum crucifigentium, de quibus in Genesi : « Simeon et Levi, fratres; vasa iniquitatis bellantia : in consilium eorum non veniat anima mea [17]. »

2. Item, in aliam partem, propter eos qui ex ipsis credituri erant : « Dividam eos in Jacob, et dispergam illos in Israel [18]. »

III. Levi, *Appositus*, sive *Additus*, vel *assumtus*, sancti perfecti. In Deuteronomio : « Perfectio tua et doctrina viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, qui dixit patri suo et matri suæ : Nescio vos.

(1) *Populum Dei* B. — (2) *Cetura*. Desunt Eucherio cætera fere omnia. — (3) *Sapientiam*. Nec plura E. — (4) *Volunt*. Nec quoque plura B. — (5) *Suum*. Osee XII, 3. — (6) *Habui*. Malach. I, 2, 3. — (7) *Meus*. Is. XLIV, 1. — (8) *Israel*. Deuter. XXXII, 9. — (9) *Videns Domini* C. — (10) *Calcabis*. Deuter. XXXIII, 29. — (11) *Intellexit*, Is. I, 3. — (12) *Israel*. Osee IX, 1. — (13) *Israel*. Deut. XXXII, 9. — (14) *Mei*. Genes. XLIX, 3. — (15) *Numero*. Deuter. XXXIII, 6. — (16) *Audienti tristitias* C. *Audiens tristitias* D. *Audivit tristitiam*, vel *nomen habitaculi*. Phil. in Exod. — (17) *Mea*. Gen. XLIX, 5, 6. — (18) *Israel*. Ib. 7.

Hi custodierunt eloquium tuum, et præceptum servaverunt [1]. » In Ezechiel : « Isti sunt filii Sadoc, » id est justi, « qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, et ministrant ei [2]. »

IV. 1. JUDA, *Confitens*, sive *Glorificans*. Hic enim Christi gessit imaginem, qui ex eadem tribu secundum carnem est genitus. In Genesi : « Juda, te laudabunt fratres tui [3]. »

2. *Juda*, Christi Ecclesia. In psalmo : « Princeps Juda, duces eorum [4]; » id est apostoli. Et alibi : « Exsultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine [5]. » Et in Joel : « Et Judæa in æternum habitabitur [6]. »

3. *Filii Juda*, filii Ecclesiæ. In psalmo : « Exsultaverunt filiæ Judæ [7]. »

4. *Juda*, plebs Judæorum. In Isaia : « Ruit Jerusalem, et Juda concidit [8]. »

V. ZABULON, *Habitaculum pulchritudinis*, populus Ecclesiæ, inter mundi tentationes positus. In Genesi : « Zabulon in littore maris habitabit [9]. » Et in Deuteronomio : « Lætare, Zabulon, in exitu tuo [10]. »

VI. ISACHAR, *est merces*, populus fidelis, seu doctores Ecclesiæ, præceptorum divinorum onera portantes [11]. In Genesi : « Isachar asinus fortis, supposuit humerum suum ad portandum [12]. » Et in Deuteronomium : « Lætare, Zabulon, in exitu tuo; et Isachar, in tabernaculis tuis. Populos ad montem vocabunt, » id est ad Christum.

VII. 1. DAN, *Judicium*, aut *Judicans*, populus Judæorum, de quorum stirpe, ut quidam volunt, Antichristus venturus est. In Genesi : « Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita [13]. »

2. Item in bonam partem, in Deuteronomium : « Dan, catulus leonis; fluet largiter de Basan [14]. »

VIII. GAD, *Accinctus* [15], populus fidelis, Christi virtute præcinctus. In Genesi : « Gad accinctus præliabitur ante eum [16]. » Et in Deuteronomium : « Benedictus ille in latitudine; Gad quasi leo requiescit [17]. »

IX. ASER, *Latitudo* [18], sive *Beatus* populus Ecclesiæ. In Genesi : « Pinguis panis ejus, et præbebit delicias regibus [19]. Et in Deuteronomium : « Benedictus Aser in filiis; tinguat in oleo pedem suum; ferrum et æs, calcamentum ejus [20]. »

X. NEPHTALIM, *Conversantes* [21], sive *Junctus*, populus fidelis. In Genesi : « Nephtalim, cervus emissus [22]. Et in Deuteronomium : « Nephtalim abundantia perfruetur, et plenus erit benedictione Domini [23]. »

XI. JOSEPH, *Augmentatio*, sive *Ampliatio* : hic enim Christi gerit personam. In Genesi : « Joseph, filius accrescens et decorus aspectu [24]. » Et in Deuteronomium : « Benedictione Domini terra ejus, de pomis cœli et rore aquæ [25]. »

2. *Israel* et *Joseph*, uterque populus, Judæorum scilicet et gentium. In psalmo : « Liberasti in brachio tuo populum, filios Jacob et Joseph [26]. »

XII. BENJAMIN, *Filius dexteræ*, Judæorum præferens figuram. In Genesi : « Benjamin, lupus rapax, mane comedet prædam, » id est accepta legis spolia. « Et vespere dividet spolia, » hoc est inter utrumque testamentum legis et Evangelii.

XIII. 1. EPHRAIM, *Frugifer*, sive *Ubertas*. Hic enim in eo quod fratri in benedictione prælatus est, populi gentium gerit imaginem. In Genesi : « Faciet tibi Deus sicut

(1) *Servaverunt*. Deuter. XXXIII, 8. — (2) *Ei*. Ezech XL, 46. — (3) *Tui*. Genes. XLIX, 8. — (4) *Eorum*. Ps. LXVII, 28. — (5) *Domine*. Ps. XCVI, 8. — (6) *Habitabitur*. Joel III, 20. — (7) *Judæ*. Ps. XCVI, 8. — (8) *Concidit*. Is. III, 8. — (9) *Habitabit*. Genes. XLIX, 13. — (10) *Tuo*. Deuter. XXXIII, 18 — (11) *Merces populi fidelis, sive* D. *Onera gestantes* C. — (12) *Portandum*. Genes. XLIX, 14. — (13) *Semita*. Ib. 17. — (14) *Basan* Deuter. XXXIII, 22. — (15) *Gad, tentatio, sive latrunculus*, vel *fortuna*, Philon. in Genes. addit *accinctus* in Exod. — (16) *Eum*. Genes. ib. 19. — (17) *Requiescit* l. l. 20. — (18) *Beatitudo*, Philo in Genes. quod corrigitur in Exod. ubi *latitudo*. Utrumque mihi videtur oriri e diversa scriptura glossatorum græcorum, apud quos : [illegible] (inde alii forsan [illegible]) ἢ μακάριοι. Ita glossat. I, apud Vallars. col. 1147. — (19) *Regibus* l. l. 20. — (20) *Ejus* l. l. 24. — (21) *Conversant* D. *Conservavit me*. Phil. — (22) *Emissus* l. l. 21. — (23) *Domini* l. l. 23. — (24) *Aspectu* l. l. 22. — (25) *Aquæ* l. l. 13. — (26) *Joseph*. Ps. LXXVI, 16.

Ephraim et sicut Manasse, constituitque Ephraim ante Manasse [1]. » Et in Jeremia : Ephraim primogenitus meus [2]. » Et in Osee : « Ephraim, quid mihi ultra idola? Ego exaudiam, et dirigam eum [3]. »

2. *Ephraim*, hæretici. In Osee : « Particeps idolorum Ephraim dimittat eum. Separatum est convivium eorum; fornicatione fornicati sunt [4]. » Item ibi : « Ephraim educit ad interfectorem filios suos [5]. »

5. *Ephraim,* divites sæculi hujus, intra Ecclesiam constituti, et needum rationis subtilitate præditi. In Isaia : « Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim! errantes a vino [6]. » Et in Osee : « Ephraim factus est subcinericius, qui non reversatur. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit [7]. »

XIV. Manasses, *Oblitus*, sive *Obliviscens*, populus Judæorum. In psalmo : « Meus est Galaad, et meus est Manasses [8], Et Ephraim fortitudo capitis mei. »

§ VII.

I. Esau, *Rubeus* sive *Acervus lapidum*, populus Judæorum. In Malachia : « Nonne frater erat Esau Jacob? dicit Dominus; et dilexi Jacob, Esau autem odio habui [9]. »

II. Phares, *Divisio,* hic enim populi Judæorum gerit imaginem.

III. Zara, *Oriens,* populus gentium, ob signum coccineum, quod obstetrix manui ejus ligavit.

IV. 1. Moyses, *Assumtio,* sive *Limes*. Hic enim in eo quod mediator inter Deum et hominem exstitit, Christi prætulit figuram.

2. In eo vero quod in terram promissionis non intravit, Judæorum sub lege viventium prætendit imaginem.

3. Alibi vero legis obtinet mysterium, sicut est illud in Evangelio : « Habent Moysen et prophetas; audiant eos [10]. »

V. 1. Aaron, *Mons fortitudinis,* Christi, qui est verus sacerdos, gerens personam. In psalmo : « Sicut unguentum in capite, quod descendit ad barbam Aaron [11]. »

2. In eo vero quod adversus Moysen, cum Maria insurrexit, in terram repromissionis non intravit, sacerdotium Judæorum in se demonstravit.

VI. 1. Sephora, *Passer*, Ecclesiæ typum, quæ ex gentibus Christo conjuncta est, sicut et illa Moysis, prætendit imaginem.

2. *Sephora, passer* [12], veteris testamenti gerit figuram.

VII. Gersen, *Advena.*

VIII. Eliezer, *Dei adjutorium.*

IX. Eleazar, *Dei adjutorium.*

X. Hur, *Ignis*, sive *Lumen* Spiritus sancti, ut quidam volunt, obtinet sacramentum, de quo in Exodo : « Aaron autem et Hur, » id est Christus et Spiritus sanctus, « sustentabant manus Moysis [13], » legis austeritatem prementem ad misericordiam flectentes.

XI. Fua, *Rubens*, sive *Verecunda*. Hæc vero, ut quidam volunt, novi testamenti, quod Christi sanguine rubet [14], obtinet sacramentum.

XII. Pharao, *Denudans eum*, sive *Dissipator ejus*, diabolus, humanum genus dissipans, atque virtutibus denudans. De ipso enim per Ezechielem dicitur : « Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem, regem Ægypti, et dices ad eum : « Leoni gentium assimilatus es, et draconi, qui est in mari [15]. » Item ibi : « Omne lignum paradisi non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus, quoniam speciosum feci eum [16]. » Item ibi : « O inclite atque sublimis inter ligna voluptatis, ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam [17]. »

XIII. Josue, *salvator*, tam nomine quam opere Salvatoris gerens personam.

(1) *Manasse*. Genes. xlviii, 20. — (2) *Meus*. Jerem. xxxi, 9. — (3) *Eum*. Osee xiv, 9. — (4) *Sunt*. Ib. iv, 17. — (5) *Suos*. Ib. ix, 13. — (6) *Vino*. Is. xxviii, 1. — (7) *Nescivit*. Osee vii, 8. — (8) *Manasses*. Ps. lix, 9. — (9) *Habui*. Malach. i, 3. — (10) *Eos*. Luc. xvi, 29. — (11) *Aaron*. Ps, cxxxii, 2. — (12) *Avis*. Philon. *Passer*. Origen. — (13) *Moysis*. Exod. xvii, 12. — (14) *Rubuit* D. Ῥῆσις deest in B. — (15) *Mari*. Ezech. xxxii, 2. — (16) *Eum*. Ib. xxxi, 2. — (17) *Ultimam*. Ib. 18.

XIV. ETHONIEL, *Tempus ejus, Deus*; vel *Responsio Dei* [1].

XV. AOTH, *Gloriosus*.

XVI. SEMEGAR, *Nomen adveniens*.

XVII. BARAC, *Fulgurans*.

XVIII. DEBBORA, *Apis*, vel *Loquax*.

XIX. GEDEON, *Tentatio iniquitatis eorum*.

XX. ABIMELECH, *Pater meus rex*,

XXI. TOLA, *Vermiculus*.

XXII. JAIR, *Illuminans*.

XXIII. JEPTHE, *Aperiens*, vel *Apertus*.

XXIV. ESEBON, *Cogitatio*.

XXV. AIALON, *Vivens Deo*.

XXVI. ABDO, *Servus ejus*.

XXVII. SAMSON, *Sol eorum*, vel *Solis fortitudo*, Christi figura.

XXVIII. DALILA, *Paupercula*, vel *Situla*, Synagoga, sive caro.

XXIX. ELI, *Deus meus*, reprobatio de sacerdotio Judæorum.

XXX. SAMUHEL [2], *Nomen ejus Deus*, Christus, vel Ecclesiæ sacerdotium.

XXXI. SAUL, *Expetitus*, sive *Petitio*, regnum Judæorum.

XXXII. GESSAI [3], *Insulæ*, *Holocaustum* vel *Sacrificium*.

§ VIII. REGES JUDA.

I. DAVID, *Desiderabilis*, sive *Fortis manu*, Christus.

II. JONATHAN, *Columbæ donum*, sive *Domini donum*.

III. ABSALON, *Pater pacis*, per antiphrasim, populus Judæorum.

IV. SALOMON, *Pacificus*, Christus. Idem et ECCLESIASTES, id est *Concionator*. Idem et IDIDA [4], id est *Dilectus Domini*.

V. ROBOAM, *Latitudo populi*.

VI. ABIA, *Pater Domini*.

VII. ASA, *Tollens*, sive *Sustollens*.

VIII. JOSAFAT, *Domini judicium*.

IX. JORAM, *Qui excelsus* [5]; vel melius *Sublimabitur*.

X. ACAZIAS [6], *Apprehendens Dominum*.

XI. ATALIA, *Tempus Domini*.

XII. JOAS, *Operans*, sive *Temporalis*.

XIII. AMAZIAS, *Populum tollens*.

XIV. OZIAS, *Fortitudo Domini*.

XV. AZARIAS, *Auxilium Domini* [7].

XVI. JOATHA, *Perfectus est*.

XVII. ACAZ, *Apprehendens*.

XVIII. EZECHIAS, *Fortitudo Domini*.

XIX. MANASSES, *Obliviosus*.

XX. AMAN, *Fidelis*, vel *Nutritius*.

XXI. JOSIAS, *Ubi est incensum Domini?* vel *Domini salus*.

XXII. JOACHAZ, *Robustus*.

XXIII. JOACHIM, *Cujus est præparatio*.

XXIV. ELIACHIM, *Dei resurrectio*.

XXV. JECHONIAS, *Præparatio Dei*.

XXVI. SEDECHIAS, *Justus Domini*.

§ IX. REGES ISRAEL.

I. JEROBOAM, *Dijudicans populos*, vel *Dijudicans super nos*.

II. NAVE, *Latratus*.

III. NASSA [8], *Pinguedo*.

IV. HELAM, *Sæculi* vel *Orbis* [9].

V. ZAMRI, *Psalmus*, vel *Canticum meum*.

VI. OMRI, *Crispans meus*.

VII. ACAB, *Frater patris*.

VIII. HIEZABEL, *Fluens sanguinem*, vel *Ubi est sterquilinium*.

IX. JEU [10], *Ipse* vel *Est*.

X. JOATHA, *Robustus*.

XI. ZACHARIA, *Memor Domini* [11].

XII. SELLA, *Umbra ejus*, vel *Petitio*.

(1) *Othoniel*. Ita, post Philonem, Eucherius, qui deinceps nobiscum facit, additis obiter glossematibus quæ allegoriam non attingunt. — (2) *Samuel*. Dist. 30 et 31 tantum in C. — (3) *Gessai*, vel *Jesse*. Cf. eruditam notam Martianæi col. 1157 et cf. 1155 et 1175. — (4) *David* B, D. Eucherius cum C consentit. *Ididea* III. Philo. — (5) *Excelsus*. C non habet glossema quod sequitur. — (6) *Acazias* bis in B, C, et secundo loco post dist. 8 § IX, ubi legitur *Ochozias*. — (7) *Domini*. Dist. 15 in uno D. — (8) *Baasa*. Eucher. — (9) *Urbis* C. — (10) *Jeu*. Usque ad sect. XII tantum in C, quem Eucherius refert. — (11) *Timor Domini*. Euch.

XIII. MANAEM, *Consolans.*
XIV. FACEIAS, *Aperiens.*
XV. HELIA, *Domini Dei* [1].
XVI. HELISÆUS, *Dei mei salus.*

§ X. PROPHETARUM NOMINA[2].

I. OSEE, *Salvator.*
5 II. JOEL, *Incipiente Deo.*
III. AMOS, *Potens*, vel *Fortis.*
IV. ABDIA, *Servus Domini.*
V. JONA, *Columba*, vel *Dolens.*
VI. MICHÆA, *Quis iste?*
10 VII. NAUM, *Germen*, sive *Consolatio.*
VIII. AMBACUC, *Amplexans.*
IX. SOPHONIAS, *Abscondens eum.*
X. AGGEUS, *Festus*, sive *Solemnis.*
XI. ZACHARIAS [3], *Memor Domini.*
XII. MALACHIAS, *Angelus meus.*
XIII. ISAIA, *Salus Domini.*
XIV. JEREMIA, *Excelsus Domini.*
XV. EZECHIEL, *Fortitudo Domini.*
XVI. DANIHEL, *Judicium Domini.*
XVII. ZOROBABEL [4], *Ipse magister Babylonis.*
XVIII. JOSEPH, *Auctus.*
XIX. JUDITH, *Laudans.*

§ XI. APOSTOLORUM NOMINA.

15 I. 1. SIMON [5], *Pone mœrorem*, vel *Obediens.*

2. PETRUS, *Agnoscens.*

3. BARJONA, *Filius columbæ*, syrum pariter et hebræum.

20 4. CEFAS, *Petrus*, syrum est.

II. 1. PAULUS, *Mirabilis.*

2. SAULUS, *Tentatio respicientis*, vel *Securitas.*

III. ANDREAS, *Virilis*, græcum est [6].

25 IV. JACOBUS, *Supplantator.*

V. JOANNES, *Domini gratia.*

VI. PHILIPPUS, *Os lampadarum.*

VII. BARTHOLOMEUS, *Filius suspendentis aquas.*

30 VIII. THOMAS, *Abyssus*, vel *Gemitus*, unde et *Didymus* græce dicitur.

IX. MATTHÆUS, *Donatus;* idem appellatus est LEVI.

X. LEBBUS [7], *Corculus*, id est a corde. Ipse est THADDEUS; ipse est *Judas Jacobi.* Ipse est et trionymus.

XI. CHANANÆUS, *Possidens*, sive *Possessio;* ita autem dictus SIMON, a vico Chana; ipse est zelotes.

XII. SCARIOTH, *Memoriæ Domini*, vel *Memoria mortis ejus.* Hoc vero nomine appellatus est a vico in quo natus est.

XIII. MARCUS, *Excelsus mandato.*

XIV. LUCAS, *Ipse consurgens*, sive *Ipse levans.*

XV. STEPHANUS [8], *Norma vestra ;* græco autem sermone, *Coronatus.*

[*Hic deficiebant Melitoniana* [9] *in cod. C.*]

§ XII.

I. BRESITH [10], id est *Genesis.* Genesi autem dicitur quomodo aliquid sit, quod antea 35 non erat.

II. ELLESMOTH, id est *Exodus*, seu *exitus*, vel egressus populi.

III. BAIECRA, *Leviticum.*

(1) *Deus Dominus.* Eccli. — (2) *Prophetæ* C. In græco quodam glossario (Vallars. col. 1149), exstat similis περικοπὴ, nempe ὄνομα [sic] προφητῶν, eademque nomina eodem fere ordine leguntur, sed cum dissimili interpretatione. — (3) *Zacharia.* Deest Eucherio. — (4) *Zorobabel.* Deest ibid. — (5) *Simon.* Conveniunt omnia cum Origenis libello, nisi aliter monetur, usque ad finem sectionis; idem vero ignorat distinct. 2 et 12; major etiam est consensus nostri cum glossatore græco I [Vall. c. 1155], a quo titulum accepimus. — (6) *Decorus* vel *Respondens pabulo.* Orig. Sed nobiscum interpretatur ad Actuum glossas. — (7) *Lebbæus.* Ib. — (8) *Stephanus.* Quæ sequuntur ignorat Eucherius. — (9) *Melitoniana.* His equidem addit C varia nomina, partim superius, partim ab Eucherio exposita; verum ea tantum ibi recitanda sunt : *Caiphas, Pontius Pilatus, Barrabbas, Eden, Hierosolyma, Romani, Gehenna, Hebræi, Sadducæi, Pharisæi, Galilæi, Samaritæ.* — (10) *Beresith.* Ultimo revertimur ad cod. B, D.

IV. Baiedabar, *Numerus.*

V. Elladabarim, *Deuteronomium*, id est secunda lex, in quo est evangelicæ legis præfiguratio.

VI. Josue ben nun, id est *Jesu, filius Nun.*

VII. Sophim, *Judicum.*

VIII. Malachim, *Regum.*

IX. Debreyamin, id est *Paralipomenon.*

X. Tere astra [1], hoc est *XII prophetarum liber...*

[*Huc usque codices omnium integerrimi B, D.*]

APPENDIX AD CAPITA XII et XIII.

SCRIPTORES PRÆCIPUI VETERES

DE NOMINUM ET NUMERORUM SIGNIFICATIONIBUS.

I. Philo. — *De Nominibus hebraicis* [2]. — De *Septenario* [3].

II. *Interpretes Nominum*, apud veteres Hebræos [4].

III. Origenes. — *De Nominibus hebraicis;* — *Liber de interpretatione Nominum, sive Lexicon Origenianum* Ἀδὰμ, γηγενής.

IV. Orion Thebanus. — *Lexicon* [5].

V. Pseudo-Cyprianus. — *Cœna* [6].

VI. Eusebius Cæsariensis. — *Liber de situ et nominibus Locorum hebraicorum* [7].

VII. Epiphanius. — *De Numerorum mysteriis* [8].

VIII. Hieronymus, *Philonis, Origenis,* et *Eusebii* interpres. — *Epistol. ad Fabiolam, etc.*

IX. Eucherius, — *Instructionum* lib. II. — *Glossæ.*

X. Fulgentius Planciades. — *Liber physiologicus, et de septenario ac novenario numero.*

XI. Anastasius Sinaita. — *Etymologicon* [9].

XII. Isidorus. — *Etymologiar.* lib. XX. — *Allegoriæ V. et N. T.*

XIII. Aileranus Scotus. — *Interpretatio mystica progenitorum D. N. J. C.*

XIV. Joannes Maro. — *Expositio Vocum S. Scripturæ.*

XV. Ven. Beda. — *De locis Actuum apostolorum.* — *Interpretatio vocum hebraicarum.*

XVI. Aldhelmus. — *De Septenario* [10], *et de Re grammatica.*

(1) *Astra* Sic codd. XII prophetæ dicuntur apud Judæos chaldaice תרי עסר *thre heser*. Credam facillime interruptum hic Scripturæ canonem fuisse : qua coronide Melitoniana clavis integerrime et aptissime perficiebatur. — (2) *Hebraicis*. Ejusdem et Origenis glossaria latina fecit Hieronymus, diligenter edidit Martianæus, non solum latine et græce ab ipso recensita, sed multis auctariis locupletata. — (3) *Septenario.* Mysticis numerorum interpretibus Hieronymus videtur agmen insigne accensere, dum undecim scriptores *de impari Numero* proferuntur in *epistola ad Pammachium*, nimirum Clemens, Hippolytus, Origenes, Dionysius, Eusebius, Didymus, Tertullianus, Cyprianus, Victorinus, Lactantius, Hilarius ; quorum enimvero nullum putem opus edidisse singulare *de impari Numero* inscriptum, sed obiter omnes hoc argumentum suis in libris tetigisse. — (4) *Hebræos*. Diserte appellantur ab Origene, in *hom.* 39 *super Levitic.*, ab Hieronymo in *Quæstion. hebraic. in Genes.* c. 17. Primum animus fuerat hic recensere etymologicos veteres anonymos christianos, qui fere toti sunt in interpretatione vocum biblicarum. Deterruit nos campus pene dicam immensus. Ecce tibi XII græcos præstabunt Montfaucon. *Catal. cod. Coislin*, p. 456 sqq. Hieronym. *Opp.* ed. Vall. t. III, col. 1145, 1155, 1166, 1174, 1185, 1254. Quorum forte præstantissimum est lexicon præfixum cod. Coisliniano I, quod nuperrime edidit Hohlenberg, Hafniæ. — (5) *Lexicon*. Vetustissimum et christianum, ed. G. Sturzius Lips. 1820. — (6) *Cœna*. Commendatur insulsus ille libellus ex eo uno, ut patet, quod cum multa varietate et vanitate in eo congeruntur nomina innumera Scripturæ sacræ; ea causa est cur isti scriptiunculæ prooemia Rabanus affixerit, addiderit Herveus amplos commentarios, varii varia subtexuerint scholia, cantiunculas, rhythmos vernaculos, qualia sunt Gauderici, Joannis, Zachariæ, Ascelini, Anselli, etc. Cs. Edelest. Dumeril (*Poésies popul.*, t. I et II, p. 93). — (7) *Hebraicorum*. Edidit primus Martianæus, secundus post eum Vallarsius, ad calc. t. III, accedente latina interpretatione S. Hieronymi, ibid. p. 859. — (8) *Mysteriis*. Quod non exstat, nisi forte in fragmento *de mensuris et ponderibus*. — (9) *Etymologicon*. Vide Fabric. *Bibl. gr.* t. VI, p. 601. — (10) *Septenario*. Edid. C. Maius in *Class. auct.* t. V, p. 501.

XVII. Alcuinus. — *Interpretatio Nominum hebraicorum litteralis, allegorica et moralis. — De Epistola Gallicellulæ* [1].

XVIII. Rabanus. — *De Numerorum virtutibus* [2].—*In cœnam S. Cypriani* [3].

XIX. Alvares Cordubensis. — *Liber de Genealogiis* [4].

XX. Eparcius. — *Claves Scripturæ* [5].

XXI. Bridfertus. — *Glossa in Ven. Bedam* [6].

XXII. Michael Psellus. — *De divinis Numeris.*

XXIII. Remigius Antissiodorensis. — *Interpretatio Nominum hebraicorum.*

XXIV. Odo Cameracensis. — *De Ternario.*

XXV. Joannes Euchaitensis. — *Etymologicon biblicum* [7].

XXVI. Guillelmus Leicester. — *De Numeris.*

XXVII. Theobaldus Lingonensis — *De significatione Numerorum. — De quatuor modis quibus significationes Numerorum aperiuntur.*

XXVIII. Rogerus S. Edmundi. — *Tabula in Gloss. biblicas.*

XXIX. Elidocus presbyter. — *Etymologicon syriacum.*

XXX. Stephanus Langhton. — *Interpretatio hebraicorum Nominum.*

XXXI. Alexander Gemmeticensis. — *Arithmologia moralis.*

XXXII. Guillelmus Altæ Ripæ. — *De sacramentis Numerorum, — Epistola de sacramento numeri quadragenarii.*

XXXIII. Otho, Morimundi abbas. — *Analytica Numerorum.*

XXXIV. Hugo de Miromari. — *De Quaternario.*

XXXV. Gaufredus de Altacumba. — *De sacramentis Numerorum a tredenario ad vicenarium. — De creatione perfectorum Numerorum et eorum sacramentis.*

XXXVI. Joannes de Pratis. — *Expositio Vocabulor. biblicorum.*

XXXVII. Othlo Emmeranensis. — *De mysteriis Numerorum* [8].

XXXVIII. Joannes Salisberiensis. — *De duplici Mathematica. — De septem Septenis.*

XXXIX. Joannes Peckam. — *De Numerorum mystica interpretatione in sacra Scriptura.*

XL. Hervæus Burgolius. — *Commentarius in Cœnam sancti Cypriani* [9].

XLI. Guillelmus Brito, *de vocibus Scripturæ sacræ difficilioribus.*

XLII. Joannes de Herefordia. — *Epitome Vocabularii Guill. Britonis.*

XLIII. Adamus parvus. — *De Dictionibus Bibliorum.*

XLIV. Arnoldus Roterodamensis. — *Super Dictionib. Biblicis.*

XLV. Joachimus, abbas Florensis. — *De septem Sigillis. — Seminarium Verbi Dei* [10].

XLVI. S. Thomas de Aquino [11]. — *Quaternarius D. Thomæ.*

XLVII. Petrus Bungus. — *De mysterio Numerorum.*

XLVIII. Petrus Lutrensis. — *De Septenario et Candelabro. — De mysticis Columnis.*

XLIX. Eustachius, Lenisus, *de significationibus Nominum; — Seminarium verbi Dei de mysteriis sanctæ Scripturæ.*

L. Nicephorus Gregoras. — *De Septenario.*

(1) *Gallicellulæ.* Alcuini *Opp.* t. I, p. 1 et 4. D'Achery *Spicileg.* t. III, p. 321. — (2) *Virtutibus.* Non exstat. — (3) *Cypriani.* Exstat in cod. Paris. — (4) *Genealogiis.* Cf. Areval. *Isidorian.* c. LXXXV, n. 5. — (5) *Scripturæ.* Cod. Biblioth. Vallencen. K. 166, sæc. X. — (6) *Bedam.* Inter ejusd. *Opp.* t. I, p. 155. — (7) *Biblicum.* In codd. Paris. uti sequentes fere omnes. — (8) *Numerorum.* In *Dial. de III quæst. Pezii, Thesaur. anecd.* t. III, p. II, p. 203. — (9) *Cyprianicam.* Cf. quæ supra p. 123, not. 3. — (10) *Dei.* Exstat in schedis nostris e codice coævo auct. — (11) *Thomæ.* Edit. principem, nisi fallor, ad manum habui in Bibl. Sangenovef. n° 1969 inscriptam, Paris. 1494, apud Guidon. Mercatorem.

SPICILEGIUM
SOLESMENSE.

TOM. III

PARS ALTERA,

QUA CONTINENTUR

VARIORUM COLLECTANEA ET FRAGMENTA,

MAXIME DE REBUS SYMBOLICIS.

SPICILEGIUM
SOLESMENSE.

S. HIERONYMUS, STRIDONENSIS.

EPISTOLA XXXIII AD PAULAM,

DE VARRONIS ET ORIGENIS OPERUM INDICE,

PENE EX INTEGRO RESTITUTA.

TESTIMONIA.

HIERONYMUS. Et quia indicem operum ejus [Origenis] in voluminibus epistolarum, quas ad Paulam scripsimus, in quadam epistola, contra Varronis opera conferens, posui, nunc omitto. *De Viris illustrib.*, c. LIV. (Vall. edit. t. II, p. 895.)

RUFINUS. Libellum quemdam scribens [Hieronymus], comprehendere quasi indiculo quodam voluit quanta apud Latinos Varro scripserit, et quanta apud nostros Origenes, in Græcis; in qua ita ait: « Marcum Terentium Varronem, etc. » *Apolog.* lib. II, n. 20. (Rufini *Opp.* Vall. edit. p. 372.)

ISIDORUS. Marcus Terentius Varro apud Latinos innumerabiles libros scripsit. Apud Græcos quoque Chalcenterus miris attollitur laudibus quod tantos libros ediderit, quantos quisque nostrum alienos scribere propria manu vix possit.

De nostris quoque apud Græcos Origenes, in Scripturarum labore, tam Græcos quam Latinos operum suorum numero superavit. Denique Hieronymus sex millia librorum ejus se legisse fatetur. *Etymolog.*, lib. VI, c. 7, n. 1, 2, 3. (Isid. *Opp.* Areval. edit. t. III, p. 253.)

I.

[Marcum Terentium Varronem miratur antiquitas, quod apud Latinos tam innumerabiles libros scripserit. Græci Chalcenterum [1] miris efferunt laudibus, quod tantos libros composuerit, quantos quivis nostrum alienos sua manu describere non potest [2]. Et quia non otiosum est apud Latinos Græcorum voluminum indicem texere, de eo qui latine scripsit, aliqua commemorabo, ut intelligamus nos Epimenidis dormire somnum, et studium quod illi posuerunt in eruditione sæcularium litterarum [3], nos in congregandis opibus ponere.

II.

Scripsit igitur Varro :

XLV libros Antiquitatum [4].

Ex cod. 854 Bibl. Atrebatensis. Vide quæ in *Prolegom.* dixi, ut debui, tam de perpetua emendatione nostra, quam de primo et clariss. editore hujus insignis epistolæ, quem tamen fugit nomen auctoris, jam nunc extra omnem controversiam positum. Pauca edita quæ unus Rufinus asservaverat, uncis inclusimus.

(1) *Ebalterum* cod. Didymum grammaticum veteres dixere *chalcenterum*, sive *ærei pectoris*, ob indefessum circa libros studium, quem quater mille libros scripsisse, tam fabulose tradunt, quam sex millia Origenem. Cf. Arevalum l. l. — (2) *Possit* Edit. — (3) *Scripturarum* Ed. — (4) *Rerum humanarum antiquitates*, lib. XXV, *et divinarum* XVI apud Fabricium *Bibl. lat.*, t. I, p. 124, quem pro cæteris laudo.

IV^or^ de Vita Populi Romani [1]].
Imaginum XV [2].
Αἰτίων τοπικῶν [3] LXXVI.
De Lingua latina XXV [4].
5 Disciplinarum IX [5].
De Sermone latino V [6].
Quæstionum Plautinarum V [7].
Annalium III [8].
De Origine Linguæ latinæ III [9].
10 De Poematis III [10].
De Originibus scenicis [11] III.
De scenicis Actionibus III [12].
De Actis scenicis III.
De Descriptionibus III [13].
15 De Proprietate Scriptorum [14] III.
De Bibliothecis III [15].
De Lectionibus III [16].
De Similitudine Verborum III [17].
Legationum III [18].
Suasionum III.
De Pompeio III [19].
Singulares X.
De Personis III.
De Jure civili XV.
Ἐπιτομήν, Antiquitatum ex libris XLV, libros IX.
Ἐπιτομήν, de Lingua latina ex libris XXV, libros IX [20].
De Principiis Numerorum [21] libros IX.
Rerum rusticarum [22] libros III.
De Valetudine tuenda [23] librum unum.
De Suavitate [24] libros III.
De Forma Philosophiæ [25] libros III.
Rerum urbanarum [26] libros III.
Satyrarum Menippearum [27] libros CL.
Poematum [28] libros X.

(1) *Romani* ib., alias *de Vita Patrum, ad Atticum* nuncupati, quorum undecimum quum Nonius commemorat, videndum an aliquo errore, necne. — (2) *Hebdomadum, sive de Imaginibus,* ib. Imagines DCC fuisse testis est Plinius, XI librum citat Charisius, cæteris libris hactenus ignoratis. Titulum vero fusius exponit Fabricius, ib. — (3) Τοπικῶν. In cod. barbare *aotios topicon*. Apud Fabr. Αἴτια sive *causæ*. — (4) *Latina*. Ex immensa Varronis litteraria supellectile soli fere supersunt libri *De Lingua latina ad M. Ciceronem,* quos volunt fuisse numero XXIV, quatuor vero primos periisse, exstare autem, cum aliquot lacunis, V-X. Quibus addunt alios, numero incertos, *de Proprietate scriptorum, de Lingua latina ad Marcellum,* et *de Utilitate sermonis*. Sed juxta codicem nostrum erunt de eodem argumento Varronis libri XL, hic et infra recensiti; de quibus cf. not. 6, 9, 17, 19. — (5) *Disciplinarum ad Marc. Cœlium Rufum,* ut plenius Vitruvius, verbo tenus quoad cætera Hieronymo consentiens. De his libris peculiari scriptione commentatus est Fr. Ritschl, Bonnæ 1845. — (6) *De Lingua latina ad Marcellum* liber septimus citatur a Rufino, *de metris Terentianis*. Cf. Fabric. l. l. p. 128, et not. 9. — (7) *Plautinanarum* cod. *Plautinarum quæstionum* libri *duo* tantum a grammaticis memorantur, ut videndum sit an non hic confusæ sint II et II, in antiquioribus codicibus simillimæ. — (8) *Annalium* librum tertium a Charisio commemoratum notat Fabric. — (9) *Latinæ*. Quos tres distinguere est ab exstantibus *de Lingua latina*, qui numquam sic inscribuntur. — (10) *Poematis*. Fabricius horum non novit numerum. — (11) *Sæculi,* codex indubio errore. Cf. Fabr. p. 127. — (12) *Theatralium,* sive *de Act. scen.* liber quintus citatur, ut cum sequenti hoc opus conjunctum fuisse videatur. — (13) *Descriptionibus*. Silet Fabr. — (14) *Scriptorum*. Eadem, nec plura ib. — (15) *De bibliothecis* novere tantum *librum secundum*. — (16) *Lectionibus*. An iidem cum libris *Complexionum*, quorum *sextum* Diomedes citat? — (17) *Verborum*. Eorumdem secundum citat Priscianus, quos cum cæteris supra relatis n. 6 et 9, in unum conflatos fuisse corpus XXIV *librorum de l. lat.* Fabricius minus bene conjicit. — (18) *Legationum*. Nemo memorat istos, neque sequentes III *Suasionum*, neque *Singulares* X, neque XVIII *de Personis* et *de Jure civili,* nec demum duplicem *Epitomen*. — (19) *De Pompeio*. Jo. Laurent. Lydus in op. *De magistratibus* R. P. quod Cl. Hase edidit Paris. 1812, adduxit Varronis locum e procemio τῶν πρὸς Πομπήϊον; quos quidem nostros minus ægre putem, quam ad primum *de Ling. lat.* cum Spengelio respiciam. — (20 *Libros*. Codex bis peccasse videtur, legendo hic: *ex libris* XV; et supra: *ex libris* XLII. — (21) *Numerorum*. Huc refer quæ apud Fabricium ad libros *disciplinarum* pertinent, Varronem videlicet a Censorino *de Numeris* allegari, et librum ejusdem *de Arithmetica* olim apud Laurentium Strozzium Cardinalem exstitisse. — (22) *Rusticarum*. Exstant Varronis *de Re rustica* libri III, quos natus octoginta annos scripsit ad Fundaniam uxorem, inter *Scriptores rei rusticæ*, ed. J. Gottl. Schneider. Lips. 1799, in-8. — (23) *Messala, sive de Valetudine tuenda,* ib. — (24) *Suavitate*. Secernendi utique ab aliis inter *Satyricos*, titulo non multum diversis. — (25) *Liber secundus de forma Philosophiæ,* Charis. ib. — (26) *Urbanarum*. Unus liber *de Initiis urbis Romæ* notus Quintiliano; sed lubentius dixerim in hisce Varronem egisse *de bono civitatis regimine*, eodem modo ac in peculiari opere digessit *res rusticas*, et *rem publicam*. — (27) *Menypparum* cod. Præ cæteris celebravere veteres libros Varronis *Menippeos* et *Logistoricos*, sive *Satyrarum,* de quibus videsis, post Fabricium, egregium opus in *Sat. Menippearum reliquias*, editum a Fr. Oehler (Lips. 1844), cui tantum innotuere libri XCVI. — (28) *Poematum*. Præter X enim libros *de Poematis* supra et a Charisio relatos, veteres indicarunt libros *de Poetis* [Gell. Priscian.], et *Poeticum librum Varronis,* a Diomede laudatum.

Orationum [1] libros XXII.
Tragœdiarum [2] libros VI.
Satyrarum [3] libros IV.
Et alia plurima [4], quæ enumerare longum est.

III.

Vix medium descripsi indicem [5], et legentibus fastidium est. At e contrario nostra sæcula habent homines eruditos, sciuntque pisces in quo gurgite nati sint, quæ concha in quo littore creverit. De turbarum salivis [6] non ambigimus.

Paxamus et Apicius [7] semper in manibus; oculi, ad hæreditates; sensus, ad patinas. Et si quis de philosophis, vel de Christianis qui vere philosophi sunt, trito pallio et sordida tunica, lectioni vacaverit, quasi vesanus exploditur.

[Quorsum Varronis et Chalcenteri mentio facta sit, quæritis? videlicet ut ad nostrum Adamantium, nostrumque Chalcenterum [8] veniamus, qui tanto studio in sanctarum Scripturarum commentariis [et] sudore laboravit, ut juste Adamantis [9] nomen acceperit. Vultis nosse quanta ingenii sui reliquerit monimenta? Sequens titulus ostendet [10].

IV.

Scripsit in Genesi [11] libros XIV.
Localium homiliarum [12] lib. II.
In Exodum Excerpta [13].
In Leviticum [14] Excerpta].
Stromatum [15] lib. X.

(1) *Orationum,* etiam titulus exciderat tot monumentorum, omnem forensem Varronis vitam referentium. — (2) *Tragœdiarum.* Memoria hominum pariter exstincti sunt. — (3) *Satyrarum.* Nonius *de compositione Satyrarum* Varronem excitat *in Parectasi,* apud Fabric. — (4) *Plurima.* Recensentur enim insuper apud eumdem Fabricium, 1° *De Cultu deorum* liber; 2° *De Republica* libri plus minus XX; 3° *Epistolicarum quæstionum* libri p. m. VIII; 4° περὶ Χαρακτήρων; 5° *De Vita sua* liber; 6° *Ad Libonem* liber; 7° *Libri navales*, quos forte sæc. XII manu tenebat Joannes Saresberiensis; 8° *Belli punici secundi* libri saltem II; 9° *De Familiis Trojanis* liber; 10° *Rhetoricorum* libri p. m. XX; 11° *De gradibus* necessitudinum, apud Servium; 12° *De Æstuariis*, apud ipsum Varronem. His quoque per me non stat quin accedant: 13° *Marius*, sive *de fortuna*, ex *Vett. Virgilii interprett.* ab A. Maio editis; 14° *Sententiæ ad Paxamum* aut *Papirianum*, nuperrime editæ, de quibus statim; 15° denique libri *Rerum naturalium*, e quibus hic illic disjecta loca collegimus, mox proferenda; 16° demum *Epistolæ*, quas fuisse multas, pro vita scilicet tanti viri, ad octogesimum annum producta, nemo sanus diffitebitur. Cujus thesauri utinam nobis contigerit primam adinvenisse gemmulam! Sed hæc hactenus. Vide paulo infra *Spicilegii* nostri *Varroniana*. — (5) *Invicem* cod. — (6) *Salivis.* Ostreas scilicet designat, Cochleas aut Purpureas, quarum salivam considerare non negligit Plinius. Cf. *H. Nat.* XI, 60; XXX, 47, 2; XXXII, 21, 2. At nonne locus hic corruptus fuerit? — (7) *Apicius* quidem, nepotum omnium altissimus gurges, gula super æthera notus. Paxamus vero, albusne fuerit an ater, quis gentium scivit umquam? Noli desperare, lector. Ecce enim nuperrime et opportune nobis dedit gnarus inter Italos vir, Vincentius Devitus, *sententias* quasdam Varronianas, easque *ad Paxianum*, juxta fidem codicis *Patavini*, inscriptas, quum antea aliter, scilicet *ad Papirianum* dictæ circumferrentur. Paxamus vero inter ἰατρικωτάτους notissimus. Porro viden' uno vix apice a nostro distare codicis Patavini Paxianum? Adde quod Hieronymus dum meminit, Varronis occasione, Paxiani aut Paxami, quasi digito monstrare, immo sale suo fricare videtur Varronis sapientis ἀποφθέγματα, ac si oracula sua is demum direxisset ad discipulum, qui inde usque adeo sapuit, ut de re culinaria, juxta ac Apicius ille, scriberet, eodemque delicatioris cibi appetitu per ora hominum fortasse celebraretur. Iterum vide quæ infra Varroni vindicamus. — (8) *Chalcenterium* cod. — (9) *Adamantii* ed. — (10) *Ostendit* ib. — (11) *Libros* XIII *in Gen.* edit. Huet. *Origenian.* lib. III, § 2, n. 1, ed. de la Rue, 1759, p. 295. Exstant in *Opp.* t. II init. fragmenta ex lib. I et III, et ἐκλογαὶ, quibus et adde quæ collegit Gallandius in *Biblioth. PP.* t. XIV, p. 5. — (12) *Omeliarum* cod. In edit. *Mysticarum.* Sed placet codicis lectio, scilicet pro græco τοπικῶν. Neque exstant. Cæterum recte Huetius asseruit eas esse ab homiliis in Genesim infra recensitis distinctas. Eadem existimentur de cæteris scholiis et commentariis sequentibus. — (13) *Excerpta.* Non exstant nisi 4 fragmenta e commentariis et pars ἐκλογῶν, ibid. p. 110-120, quæ 5 locis auxit Galland. ib. p. 5, 6. — (14) *In Leviticum.* Exstant selecta scholia inter *Opp.* ib. p. 180-184, apud Galland. p. 6, 7, et Maium in *Class. auct.* t. X, p. 600. — (15) *Stromatum.* Dubium primum est utrum opus idem cum præcedente sint isthæc stromata; deinde an alia hic memorentur στρώματα quam quæ in Eusebio, Hieronymo et Rufino satis acriter ventilantur. Equidem in codice, post *excerpta*, punctum ponitur, et in edito hic finit locus a Rufino allatus: quum tamen uno tenore et argumento cuncta fluere videantur, tam ab Excerptis *in Leviticum* istiusmodi *Stromata*, quam a decantato ejusdem nominis opere distinguere satius est. Collatis enim variorum locis, hactenus creditum est στρώματα Origenis fuisse commentarios in veterum philosophorum libros, in quibus omnia religionis nostræ dogmata ex illorum sententiis confirmarentur, accedente brevi in epistolam ad Galatas explanatione, libros demum fuisse numero X; quam quidem notam si unice excipias, cætera cum catalogi nostri titulo quadrare non videntur. Cæterum exstant *stromatum* fragm 3 latine t. I, p. 39-41, sive sint e philosophicis, sive potius e nostris exegeticis, de quibus alibi altum silentium.

In Isaiam [1] lib. xxxvi.
Item in Isaiam excerpta.
In Osee, de Effraim, lib. i.
In Osee [2] commentarium.
5 In Johel [3] lib. ii.
In Amos lib. vi.
In Jonam lib. i.
In Micheam lib. iii.
In Naum lib. ii.
10 In Abacuc lib. iii.
In Sophoniam lib. ii.
In Aggeum lib. i.
In Principio Zachariæ lib. ii.
In Malachiam lib. ii.
15 In Jesechiel [4] lib. xxiv.
IV Excerpta in psalmos [5], a i ad xv.
Rursum in psalmo i, lib. i.
In psalmo ii, lib. i.
In psalmo iii, lib. i.
20 In psalmo iv, lib. i.
In psalmo v, lib. i.
In psalmo vi, lib. i.
In psalmo vii, lib. i.
In psalmo viii, lib. i.
25 In psalmo ix, lib. i.
In psalmo x, lib. i.
In psalmo xi, lib. i.
In psalmo xii, lib. i.
In psalmo xiii, lib. i.
30 In psalmo xiv, lib. i.
In psalmo xv, lib. i.
In psalmo xvi, lib. i.
In psalmo xx, lib. i.
In psalmo xxiv, lib. i.
In psalmo xxix, lib. i.
In psalmo xxxviii, lib. i.
In psalmo xl, lib. i.
In psalmo xliii, lib. ii.
In psalmo xliv, lib. iii.
In psalmo xlv, lib. i.
In psalmo xlvi, lib. i.
In psalmo l, lib. ii.
In psalmo li, lib. i.
In psalmo lii, lib. i.
In psalmo liii, lib. i.
In psalmo lvii, lib. i.
In psalmo [6] lviii, cod. xviii, lib. i.
In psalmo lix, lib. i.
In psalmo lxii, lib. i.
In psalmo lxiii, lib. i.
In psalmo lxiv, lib. i.
In psalmo lxviii, lib. i.
In psalmo lxx, lib. i.
In psalmo lxxi, lib. i.
In principio ps. lxxii, lib. i.
In psalmo ciii, lib. ii.
In Proverbia [7], lib. iii.
In Ecclesiasten excerpta.
In Canticum Canticorum [8] lib. x, et alios tomos ii quos superscripsit in adolescentia.
In Lamentationes [9] Jeremiæ tomos v.
Rursum [10] [Periarchon [11] lib. iv.
De Resurrectione [12] lib. ii.
Et alios de Resurrectione dialogos ii.]
De Proverbiorum quibusdam Quæstio-

(1) *Isaiam.* Commentarios et excerpta una abstulit ætas, præter duo fragmenta, unum e lib. i, alterum e xx; utrumque latinum vide t. iii, p. 104-106. — (2) *Fragmentum* ἐξηγητικῶν *in Oseam.* ib. p. 438, 439. — (3) *Joel.* Nihil superest de libris xxv in xii prophetas minores commentariorum. — (4) *Tomi* xx *in Ezechielem* fragmentum ib. t. iii, p. 352. — (5) *In psalmos* fragmenta bene multa colliguntur inter *Opp.* t. ii, p. 513, et apud Gall. p. 54-73, 513-654. Confirmatur inde tum auctoritas horumce commentariorum, ab Erasmo male attrectata, tum quam diserte Ruæus instituit distinctio, p. 511, inter *Enchiridion breve*, *scholia* et *homilias* in psalmos; sed vide quæ infra in not. 8, p. 316. — (6) *In ps.* xlviii cod. — (7) *In Proverbia* fragm. ibid. t. iii, p. 1-10, et apud Galland. t. xiv, p. 25-30. — (8) *Canticorum* iv libri latine exstant, interprete Rufino. Ita et alibi vult Hieronymus ab Origene editos fuisse decem libros in Cantica. Præterea collectanea multa græca ad latina accedunt e Procopii Catena, l. l. p. 94-104. *Parvi tomi in Canticum*, ab Origene juvene scripti, fragmentum unum superest ib. p. 11, et aliud ex *secundo* tomo in eadem, p. 11, 12. — (9) *Lamentationes.* Interciderunt, præter fragmenta ib. p. 520-551. Verendum enim ne in rerum natura jam non exstet commentarius in Threnos quem Romæ editum memorat cat. Bibl. Bodl. 1610, ut scite notavit Ittigius, *Præf. Bibl. N.* p. xxxiv. — (10) *Rursum.* His quæ sequuntur præmisit Rufinus: *Item monobiblia* (sic), quod nostro cod. deest. — (11) Περὶ Ἀρχῶν. Latinam Rufini interpretationem, fragmenta 18 libr. i et ii, et maximam partem libr. iii et iv, græce exstare notum. — (12) *De resurrectione* fragmenta 2 græce, 3 latine exstant, t. i, p 33, 37. Quæ tam ad hoc quam ad sequens opus pertinere possunt.

nibus, lib. I.

Dialogum adversus Candidum Valentinianum [1].

De Martyrio [2] lib.

V.

De Novo Testamento.

In Matthæum [3] lib. XXV.

In Joannem [4] lib. XXXII.

In partes quasdam Joannis excerptorum [5] lib. I.

In Lucam [6] lib. XV.

In epistolam Pauli apostoli ad Romanos [7] lib. XV.

In epistolam ad Galatas [8] lib. XV.

In epistolam ad Ephesios [9] lib. III.

In epistolam ad Philippenses [10] lib. I.

In epistolam ad Colossenses [11] lib. II.

In epistolam ad Thessalonicenses [12] lib. III.

In epistolam ad Titum [13] lib. I.

In epistolam ad Philemonem lib. I.

VI.

Rursus homiliarum in Vetus Testamentum [14].

In Genesin [15] homil. XVII.

In Exodo [16] homil. VIII.

In Levitico [17] homil. XI.

In Numeris [18] homil. XXVIII.

In Deuteronomio [19] homil. XIII.

In Jesu Nave [20] homil. XXVI.

In libro Judicum [21] homil. IX.

De Pascha [22] homil. VIII.

In primo [23] Regnorum libro homil. IV.

(1) *Valentinianum.* Non tulit ætatem, quem tamen alio et præclariori encomio ornavit Hieronymus : « Habetur apud græcos dialogus Orig. et Candidi Valentinianæ hæreseos defensoris, in quo duos andabatas digladiantes inter se spectasse me fateor. » Lib. II adv. Rufin. — (2) *De martyrio* libellus insignis exstat græce, t. I, p. 274. — (3) *Matthæum.* Ad Huetiana fragmenta, tom. I et II inserta accessere, 1° tomi X-XVII, græce et latine, quæ auxit et recensuit de la Rue, t. II, p. 440-830; 2° vetus latina interpretatio in cæterorum seriem, p. 831-931 ; addesis quæ apud Galland. t. XIV, p. 73-82. — (4) *In Joannem* exstant græce libri IX primi et fragmenta de Philocalia ; tantum erat memoria librorum XXII, forte et XXV, XXVI et XXIX, ex conjecturis quæ inde speramus fore ut tuto testimonio confirmentur. — (5) *Excerpta* nemo distincte memoravit. — (6) *In Lucam*, forte non pauca protulerunt Galland. l. l. p. 83-109, et Maius in *Class. auct.* t. X, p. 474-482. Sed certiora in suis orationibus Macarius Chrysocephalus inseruit, quæ exstant ad calcem ejusd. t. III, p. 979 sqq. Huc pertinere non videntur ἀποσπασμάτια valde dubia in Cantica evangelica, quæ F. Morellus edidit Paris. 1601 : Petro enim Laodiceno potiori jure ascribuntur. — (7) *Ad Romanos* latine sunt a Rufino asservati lib. II; græca non inveniuntur, præter unum e Philocalia locum. Ib. p. 458-689. Cætera omnia in Paulum non comparent. — (8) *Galatas.* Hieronym. præfat. in comm. ep. ad Gal. *Scripsit ille vir in epistolam Pauli ad Galatas quinque propria volumina.* Ubi videndum utrum sit numerus X delendus e nostro codice, an in illo edito textu inserendus. Latine exstat initium libri I, ib. p. 690. — (9) *Ephesios.* Paucula e lib. I Hieronymus in sua Apologia servavit, ib. p. 691. — (10) *Philippenses.* Nihil ad nos pervenit. — (11) *Colossenses.* Pamphilus martyr exiguam περικοπὴν horum ἐξηγητικῶν citat in *Apologia* sua *Origenis*, quæ nonnisi latine leguntur, p. 695. — (12) *Thessalonicenses.* Paulo plura ex istorum ἐξηγηματικῶν fato eripuit Hieronymi *Epist. ad Minervium*, ib. 692. — (13) *Titum.* Rursus Pamphilo accepta refer quæ latine dedit Rufinus tum ex illis commentariis ib. p. 694, tum e proxime sequentibus, ib. p. 696. — (14) *Omeliarum. Omelia*, constanter in codice. — (15) *Genesim.* Exstat Rufini versio in omnes homilias t. II, p. 52-110, cum 2 fragm. græcis. — (16) *Exodo.* Ibid. est ejusdem versio integra p. 174-178 cum 2 fragm. græcis. — (17) *Levitico.* Ejusdem in XVI homilias exstat interpretatio, l. l. p. 184-269, cum 2 fragm. gr. unde codex noster videtur mendose habere XI pro XVI. — — (18) *In Numeris.* Idem vertit homilias XXVIII, quæ exstant ibi p. 273-386 ; uno excepto frustulo, græca periere omnia. Sed corrigendus videtur Cassiodorus qui, uti etiam alias, circa numerum erravit recensendo XXX homilias. *Institut.* cap. I. — (19) *In Deuteronomio.* Nihil superest præter ἐκλογὰς ex his homeliis forte in catenas invectas, indeque editas ib. p. 586-593. — (20) *Nave.* Omnes Rufinus latine asservavit, ib. p. 396-456 ; accessit fragmentum græc. e Philocalia, p. 442. — (21) *Judicum.* Ejusdem habes latine a Rufino datas ib. p. 458-478, confirmante Cassiodoro, cujus tamen locum ex superioribus in multis emendare est : « Reliqui etiam vobis, inquit, homilias prædicti Origenis, id est in Genesi XVI (*lege* XVII), in Exodo XII (*lege* XIII), in Levitico XVI, in Numerorum (sic) XXX (*lege* XXVIII), in Deuteronomio sermones IV (*forte deerant codici ipsius* XI *homiliæ?*) in quibus est minuta nimis et subtilis interpretatio, in Jesu Nave XXX (*lege* XXVI), in Judicum IX. » *Institut.* c. I. — (22) *Pascha.* Hinc præclare confirmatur αὐθεντία unius, qui hactenus diam in lucem venit, loci e libro I, quem primi edidimus in *Spicil.* t. I, p. 268. Cæterum eumdem libellum S. Anatolius a sæculo III jam laudaverat luculentissime in Præf. ad Canon. paschal. Bucher. p. 439. — (23) *Primo.* Latine transtulit Rufinus homiliam primam ; secundam græce edidit Allatius ; utraque exstat inter *Opp.*, t. II, p. 481 ; cæteræ nec græce nec latine supersunt.

In Job [1] homil. XXII.
In Παροιμίας [2] homil. VII.
In Ecclesiasten [3] homil. VIII.
In Cantica [4] Canticorum, homil. II.
5 In Isaiam [5] homil. XXXII.
In Jeremiam [6] homil. XXIV
In Ezechiel [7] homil. XII.
De Psalmis, in psalmo [8] III, homil. I.
In psalmo IV, homil. I.
10 In psalmo VIII, homil. I.
In psalmo XII, homil. I.
In psalmo XIII, homil. III.
In psalmo XV, homil. I.
In psalmo XVI, homil. I.
15 In psalmo XVIII, homil...
In psalmo XXII, homil. I.
In psalmo XXIV, homil. I.
In psalmo XXV, homil. I.
In psalmo XXVI, homil. I.
20 In psalmo XXVII, homil. I.
In psalmo XXXVI, homil. V.
In psalmo XXXVII, homil. II.
In psalmo XXXVIII, homil. II.
In psalmo XXXIX, homil. II.
25 In psalmo XLIX, homil. ...
In psalmo LI, homil. ...
In psalmo LII, homil. II.
In psalmo LIV, homil. I.
In psalmo LXVII, homil. VII.
30 In psalmo LXXI, homil....
In psalmo LXXII, homil. III.
In psalmo LXXIV, homil. I.
In psalmo LXXV, homil. I.
In psalmo LXXVI, homil. III.
35 In psalmo LXXVII, homil. VIII.
In psalmo LXXIX, homil. IV.
In psalmo LXXX, homil. II.
In psalmo LXXXI, homil. I.
In psalmo LXXXII, homil. III.
In psalmo LXXXIII, homil. I.
In psalmo LXXXIV, homil. II.
In psalmo LXXXV, homil. I.
In psalmo LXXXVII, homil. I.
In psalmo CVIII, homil. I.
In psalmo CX, homil. I.
In psalmo CXVIII, homil. III.
In psalmo CXX, homil. II.
In psalmo CXXII, homil. II.
In psalmo CXXIII, homil. II.
In psalmo CXXIV, homil. II.
In psalmo CXXV, homil. I.
In psalmo CXXVII, homil. I.
In psalmo CXXVIII, homil. I.
In psalmo CXXIX, homil. I.
In psalmo CXXXI, homil. I.
In psalmo CXXXII, homil. II.
In psalmo CXXXIII, homil. II.
In psalmo CXXXIV, homil. II.
In psalmo CXXXV, homil. IV.
In psalmo CXXXVII, homil. IV.
In psalmo CXXXVIII, homil. IV.
In psalmo CXXXIX, homil. II.
In psalmo CXLIV, homil. III.
In psalmo CXLV, homil. I.
In psalmo CXLVI, homil. I.
In psalmo CXLVII, homil. I.
In psalmo CXLIX, homil. I.
Excerpta in totum psalterium.

VII.

Homiliæ in Novum Testamentum.

ΚΑΤΑ ΜΑΘΗΥΜ [9] Evangelium homil. XXV.

(1) *In Job.* Ex illustri illo commentario unus forte superest locus a magnis Hilario et Augustino e tenebris erutus : dubia accedunt e Catenis fragmenta quæ colliguntur ib. p. 500-510, et apud Galland. p. 50-54. —(2) *Parœmias* cod. Nihil exstare videtur. — (3) *In Ecclesiasten* nihil superest, ne memoria quidem quod ego sciam. —(4) *In Cantica duas homilias* S. Hieronymus latinis donavit, ibid. p. 12-22. — (5) *Isaiam.* XXV tantum exstabant Hieronymi tempore, *Prol. in Is.*; nec etiam nunc supersunt nisi novem, juxta fidem Rufini interpretis, ib. p. 106-124. — (6) *In Jeremiam* videntur ad Rabanum usque pervenisse homiliæ XLV. Ibid. continentur homil. I-XIX græce, p. 125-277 ; latine, XX et XXI ; juxta Hieron. II et III, p. 277-285 ; fragm. XXXIX, græce, p. 528 ; excerpta varia, p. 287-320. — (7) *In Ezechiel.* Forte primum in codice scriptum : *homil.* XIV. Certo XIV homiliæ exstant, Hieronymo interprete, ib. p. 354-406 ; græca perierunt, paucis exceptis Catenarum laciniis.— (8) *In psalmos* igitur habes hic recensitas 111 homilias, quibus si addis quatuor saltem pro numeris incertis, et excerptorum libr. 45, erunt Origenis in psalmos tractatus 160. Trithemius igitur non usque adeo malèferiatus erat, ut multis visum est, quum enumeraret 150 tractatus, quorum quasi αὐτόπτης, initium qualecumque describit (n. XXX). Supersunt homiliæ IX in psalm. XXXVI, XXXVII et XXXVIII a Rufino translatæ, et permulta e Catenis selecta, collectaque in *Op.*, t. II, p. 513 ad finem. — (9) *In Matthæum :* codicem purum putum expressimus Laudare jam debuissem J. A. Cramer in *Catenas oxonienses* in N. T. edit. a 1838 sqq., in quibus passim insunt permulta Origenis.

In Evangelium ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ [1] homil. XXXIX.

In Actus apostolorum [2] homil. XXVII.

In epistolam ad Corinthios [3] secundam, homil. XI.

In epistolam ad Thessalonicenses, homil. II.

In epistolam ad Galatas homil. VII.

In epistolam ad Titum homil. I.

In epistolam ad Hebræos homil. XVIII.

De Pace [4] homil. I.

Exhortatoria ad Pioniam.

De Jejunio.

De Monogamis et Trigamis homil. II.

In Tarso, homil. II.

Origenis, Frumiani et Gregorii.

Item excerpta Origenis.

Et diversarum ad eum epistolarum libri II.

Epistola (ad) Esifodorum [5] super causa Origenis, in libris II.

Epistolarum ejus ad diversos libri IX.

Aliarum Epistolarum libri II.

Item [6] epistola pro apologia operum suorum, lib. II.

VIII.

[Videtisne et Græcos pariter et Latinos unius labore superatos [7]? Quis enim umquam tanta legere potuit, quanta ipse conscripsit? Pro hoc sudore, quid accepit præmii? Damnatur a Demetrio episcopo, exceptis Palæstinæ et Arabiæ et Phœnices, atque Achaiæ sacerdotibus : in damnationem ejus consentit urbs Roma. Ipsa contra hunc cogit senatum, non propter dogmatum novitatem, non propter hæresim, ut nunc adversus eum rabidi canes simulant : sed quia gloriam eloquentiæ ejus et scientiæ ferre non poterant, et, illo dicente, omnes muti putabantur. Hæc quare scripserim et ad pauperis lucernæ igniculum, cito sermone, sed non cauto dictaverim, potestis intelligere, si Epicuros et Aristippos cogitetis.]

(1) *In Lucam* XXXIX homilias nobis asservavit et latine vertit Hieronym. ib. p. 932-978. — (2) *Actus.* Unum fragmentum superest desumtum ex *Philocalia*. In codice satis dubie legitur XXVII, aut X et VII. — (3) *Corinthios.* Nihil exstat ex homiliis in omnes S. Pauli epistolas, duo si excipias frustula quæ occurrunt in Eusebii *Hist. eccl.* VI, 25. — (4) *Pace.* Ex omnibus opusculis V sequentibus nemo ullum vel nomine salutavit. — (5) *Esifodorum.* An *Cephisodorum?* Vid. infra. — (6) *In ep.* cod. *Epistolar.* igitur habes libr. XV; quorum plures Eusebius exegit in unum, continentem centum e sexcentis epistolas; tantum non omnes fuere tinearum et blattarum ludibria : tres sunt integræ; una de Ambrosio, alia ad Africanum, et alia ad Gregorium; sunt excerptæ aliæ octo : ad *adversarios*, ad *Fabianum* PP., ad *Beryllum* episcopum Bostrensem, ad *imperatorem Philippum*, ad *Tryphonem* discipulum : quibus accedere jussimus tres ad *Gobarum*, delloratas a Victore Capuano et nuperrime insertas in *Spicil.*, t. I, p. 267, 268. — (7) *Superatos.* Hic deficit in codice nostro catalogus, quem utcumque complere juvat. Sunt omissa in catalogo : 1° *De Oratione*, græce, t. I, p. 195. — 2° *Contra Celsum*, lib. VIII, ib. p. 310-822. — 3° Ἐκλογαὶ *in Numeros*, t. II, p. 270-274 et apud Galland. t. XIV, p. 7. — 4° Ἐκλογαὶ *in Deuteronom.*, Opp. ib. p. 386-393. Gall. p. 8-14. — 5° Ἐκλογαὶ *in Josue*, Opp. ib. p. 393-396 Gall. p 14. — 6° Ἐκλογαὶ *in Judices*, Opp t. II, p. 457, 458. Gall. p. 15. — 7° *Explanatio in Ruth*, quam non invenisse dolet Cassiodorus *Instit.*, c. I. Vide fragment. inter Opp. ib. p. 478. — 8° Ἐκλογαὶ *in Regg.*, Opp. t. II, p. 479-481. Gall. p. 16-26. — 9° *Homilia* una *in II Reg.*, Cassiod. ib. 10° Altera prolixa *in II Paralipomen* ib. — 11° Ἐκλογαὶ *in Isaiam*, teste Hieronymo. — 12° Commentarii *in eumdem* XXX, teste Eusebio, quorum vide 2 frag. t. III, p. 103. — 13° Commentarior. *in Ezechiel.* XXV libr. memorat Euseb. et fragm. libri XX inseritur in *Philocalia*. — 14° In eumdem ἐκλογαὶ, forte partim editæ in t. III, p. 406-437. — 15° *In Danielem* nihil Origenianum prodiit quod sciam, præter scholia edita ab Ill. Maio *Coll. nova V. S.*, t. I, p. 30. — 16° Commentariorum libri in epistolam *ad Hebræos*, quorum exstant fragmenta t. IV, p. 697. — 17° *De Libero arbitrio*, de quo ipse Origenes in epist. ad Rom. c. IX. — 18° Προπαιδεύματα. — 19° *De Nominibus, Ponderibus et Mensuris*, apud Hieronym. — 20° *Adversus Marcellum et Porphyrium*, referente Nicephoro *Hist. eccl.* X, t. II, p. 88. — 21° Περὶ φύσεων. Nemini notus lib. nisi Victori Capuano, a quo fragmentum edidimus in *Spicileg.*, t. I, p. 268. — 22° Adversus hæreticum Syrum. — 23° Adversus Beryllum Bostrensem. — 24° *De Mendacio* libri saltem VI; sextum enim excerpsit Hieronymus lib. I, adv. Rufin. 25° et sqq. Monobibla demum et Hexapla, omnisque generis volumina in varios Scripturæ sacræ græcos interpretes, quæ si unice Noster edidisset, ipsi jure vindicarent nomina quæ ubivis gentium celebrant illum Chalcenterum et Adamantium. Cætera vero aut dubia, aut certe spuria necesse est æstimentur, inter quæ oportet, nisi fallor ego, recenseantur Φιλοσοφούμενα nuper a cl. v. Miller e tenebris eruta. De quibus, si liceat operosam multum et litigiosam controversiam obiter tangere, inhæsit mihi hæc opinio, opus illud tot litibus agitatum pertinere ad scholam, ut aiunt, Origenianam, idque ab uno ex Origenis discipulis conflatum, sive ex ejusdem veris φιλοσοφουμένοις, sive e variis ipsius libris συγγράμμασι adversus philosophos et hæreticos, quæ exciderunt. Quid vero, si eidem libello alludunt tum quæ paulo duriora dictat Hieronymus in n. VIII, tum quæ absono titulo supra inscribitur *epistola Esifodorum super causa Origenis*, ubi forte latet *Apologia Origenis ab Athenodoro et Theodoro*, sive *Gregorio, Neocæsariensibus*.

MARCUS TERENTIUS VARRO.

SENTENTIÆ AD PAXIANUM[1], ALIAS AD PAPIRIANUM.

I. Recensio codicis vedastini.

Incipiunt sententiæ Varronis ad Papirianum, Athenis audientem.

[Dii essemus, ni moreremur.]

Expedit vulgo timor mortis.

Mors se[nis] prima[2] non pejor est ultima [D. 8, Q. 6].

Ratio est vitæ, in multam concedere turbam [D. 10, Q. 8].

In multis contra omnes sapere, desipere est, et e contra [D. 11, Q. 9].

O hæredes magnifici, qui nil relictis [vel] falsa[3] addimus! Nulla quam talis melior esset additio! quæ optima accepimus, ad posteros ex nobis corruptissima pervenient [D. 33, Q. 28].

Puerilis est amicitia, quam non præcessit judicium [D. 36, Q. 30].

Facilitas intelligentiæ verbi[4] parit negligentiam [D. 54, Q. 48].

Sunt quædam quæ eradenda sunt ab animo scientis, inserendi veri locum occupant [D. 63, Q. 54].

Libri non nisi scientiarum paupercula monimenta sunt : principia inquirendorum continent, ut ab his negotiandi principia sumat animus : nihil aliud agens, nisi forte propter idipsum intermittit, ne omittat. Eo tantum studia intermittantur, ne omittantur [D. 68-70, Q. 59, 60].

Pulcherrimus locus semper assidenti odibilis est : gaudet natura varietate [D. 74, Q. 63].

Falso magistri nuncupantur auditorum narratores; sed audiendi sunt, ut qui rumores recensere majus ducunt[5] [D. 76, Q. 65].

Nemo deprehenditur mentiens in his quæ nemo novit [Q. 66].

Virtutes ex tempore mutant genus [D. 78, Q. 67].

Ætates cum earum moribus[6] mutari, non minus laudabile quam honestum [D. 81, Q. 70].

Erit quod omni planum[7], oratione nulli aperiendum [D. 83].

Num quem[8] prudentia docuit? rem ipsam consule. In his negotiari oportet, si verum vis eluceat [D. 84].

Hæ res non sunt, quas verborum fecit venustas [D. 85].

In scriptis quod verum est, ex proximo sumendum, quum id ea non explicant [D. 86].

Odere multi philosophiam, quia sciri multa necesse sit [D. 87].

Non est res tanta, nisi amplis contenta spatiis. Contentam quum libet[9] evagari quocumque, quid dubium est? viam invenit[10] [ad] spectaculum sapienti pulcherrimum [D. 88, Q. 71].

Philosophiam inutilem mentiuntur, quoniam non pollicetur divitias, studiorum finem : est autem e contrario pollicitans contemtum [D. 89, 90; Q. 72].

Imperiosum diadema sapientis, philosophia; quoniam in mente sua[11] est, præmium et menti intendit[12] [D. 91].

Promittit fortuna corpori, ipsa non in corpore. Hanc imperitum vulgus videt, quia solo utitur oculo corporeo, [in] corpore sitam, quæ corporis sunt pollicitantem. Illam autem intuentur, quos mens altior erexit, studium provexit, oblectamentum attraxit [D. 92, Q. 74].

Ex Atrebat. cod. n. 305, olim Sanvedast. C, 24, nunc in bibliotheca Atrebatensi publica. Est denuo recensitus, opem præbente amicam D. *Van Drival*, S. Theol. profess. in seminario diœcesano, collatisque sententiis tum a Vincentio *Devit* (*Sentent. Varron. inedit.* Patav. 1843), tum a J. Quicherat (*Bibl. de l'Ecole des Chart.*, 1849) editis. Utrumque ex initialibus litteris D aut Q agnoscere est. Uncis continentur quæ codici aliena sunt. In his vero secundis curis ne actum agamus, missa facimus ea omnia quæ in editore gallico codicem nostrum accurate referunt; omittimus variorum editorum recensionem; nullas, nisi omnino dandæ lectioni codicis necessarias, notas ponimus; obtestamur demum ne unam quidem sententiam hic rescribi a nobis, initio vix excepto, quæ non fuerit aut neglecta ab editore gallico, aut utrique ignorata, aut verborum depravatione, trajectionum importunitate, rerumve interturbatione adeo pessumdata, ut nullum inde omnino sensum vel ex diligenti lectione elicueris.

(1) *Paxianum.* Cod. Patav. 3. Iterum mirari lubet quî fiat ut dum viri docti V. Devit, Fr. Œhler, H. Klotz hunc Paxianum undequaque requisierint, non ierint ad Paxamum Varroni coævum (Cf. Suidas ad h. v, Athen. IX, p. 376; Columell. lib. XII, c. 4; *Geoponica*, passim), quin immo Varronianæ eruditionis sectatorem, forte alumnum; idem quippe, teste Suida, scripsit non tantum quæ minus decent *de arte culinaria* et *venerea*, sed et *de arte tinctoria* lib. II, et *de re rustica* lib. II. De eo nemo fusius egit quam Car. Gottl. *Kuehn* in *additamentis* ad Elenchum med. Fabrician. n. XXI, a. 1836, p. 1. — (2) *Se prima* cod. et supra lin. eadem manu : *vel si.* — (3) *Relictis nil falsa* cod. — (4) *Veri* forte. — (5) *Magis ducunt* cod. Cæteri supra : *Sic audiendi*, melius. — (6) *Vel mortibus* supra lin. — (7) *Erit quod o. p. oratione nulli apperiendum.* — (8) *Numquam* ib. — (9) *Contenta cum libet* ib. — (10) *Invenit. spectaculum sapienti pulcherrimum philosophiam inutilem mentientes, quoniam n. p. d.* Ita legitur et distinguitur in cod. — (11) *Sita* D forte rectius. — (12) *Insedit* forte. Cod. dubie *intend'* vel *incend'*.

Imperabis regibus, si imperes fortunæ, qui scies et contemnere ipsam [D. 93].

Non quæcumque auris, et suscipit memoria [D. 101].

Nusquam deveniet, qui quot videt sequitur calles [D. 102].

Omnia omnibus vel pene adimas: pauperculum ex non ademtis divitem appellabis? Est igitur pauperies, ampliores minorum aliorum divitiæ [1] [D. 103].

Felicitas et infelicitas ex comparatione, non secundum se sunt. Si nemo plus minusve alio possideat, jam hæc nihil sunt.

Ex invidia igitur paupertatis nomen profectum. Non essemus pauperes, si nesciremus quid esset paupertas [V. 105, Q. 86].

Nescire quid sit paupertas, optimus est ad summas divitias progressus [D. 106].

Non est miser, nisi qui se esse credet [D. 107, Q. 88].

Ex minimis morum sumere signa licet [D. 109].

Dum vulgus colat justitiam, nil interest utrum vera [an falsa [2]] prædices [D. 110].

Timorem mortis vulgo non demi, sed augeri, uti expedientius, oportet [D. 111].

Lingua mente cuique nocentius est [D. 114].

Non rimaberis viscera, ad videndum quid senseris [D. 115, Q. 92].

Ad mores et opiniones audientium prudens vocem formabis [3] [D. 116].

In singulis excellere, et nullum profiteri, tam laudabile, quam difficillimum est [D. 117].

Innatum est cuique suis bonis gloriari; differt autem quod sapiens apud se, imperiti in publico [D. 118].

Dignus est decipi, qui cujus rei auctor, ejus et laudator est [D. 119].

Numquam illi ars proderit, cui non primum profuit exercitatio [D. 124].

Nulla jactura gravior est scienti, quam temporis. Se utitur, qui tempore [D. 125, Q. 96].

Non vivit quicum bene agitur, si vivat [4]. Vita non sui causa fit, sed ut ea præclarum aliquid fiat. Viatores non eunt, ut eant [D. 126, Q. 97].

Ad quod niti socordia non patitur, id otiosi votis sibi attribuunt [D. 127].

Ex illaborato [5] maxime attingere desiderat omnis otiosus [Q. 98].

Sic diligendi sunt amici, ut non eos nobis odio haberi posse putemus, sed amicos [6] [D. 129].

Ne bonus sit quærit, qui otii causas sectatur.

Qui in magnis excellit, invitus et laudabitur [D. 130, Q. 101].

Numquam ad summa tendentem laus frustrata est.

Nil laudabile, quod a quolibet esse potest [D. 135].

Non est felicitas quæ secum recipit miseriam; non ergo felicem faciunt divitiæ [D. 136, Q. 108].

Adulationis est speculum, quum laus postulationem præcessit [7] [D. 137, Q. 103].

A peritis non observatorum plurima imperitiæ debentur [D. 138].

In his excellere quæ nemo novit, pulcherrimum est in sciente [8] miraculum [D. 139].

Gloria est scientis, stupor admirantium [D. 140, Q. 108].

Quod experimentum docuit, scripto recognoscitur; quod usu non compertum, ex scripto [cognitu] non est facile. Quod fieri facile est, dictu intelligi facillimum [D. 141].

Non tam quæ prosunt, quam quæ attinent considerentur [D. 143].

Citra perfectionem omne est principium. Ultra veritatem est, qui in planis quærit offendiculum [D. 144].

Quum verum subdolæ excedunt disquisitiones, et interminatæ, inefficaces, [contentiosæ, et nil proficientes [9]], sunt sapientibus tamen pulcherrima spe[cta]cula [D. 145, Q. 110].

Auditis, non disquisitis gloriari, in nullo laudabilius, quam si, cervo a venatore tibi dato, egregie a te aliquid factum putes [D. 154, Q. 117].

Alienum est quod auditur [D. 155].

Sic studendum, ut propter id te putes natum.

II. Recensio codicis victorini [10].

Incipiunt sententiæ Varronis ad Papirianum Athenis commorantem.

Expedit vulgo timor mortis [D. 2, Q. 1].

Non est pejus nasci quam mori [D. 3, Q. 2].

Ratio est... est et e contra [*sententiæ sequuntur eædem cum* D. 10, 11; Q. 9, 10].

Ne bonus sit quærit, etc. [*ut supra*].

Numquam illi ars [*ut supra*, D. 124].

Sequuntur sententiæ D. 13, 14, 15, 16, 17, 18; Q. 11, 12, 13, 14, 15, *cum hac una varietate:* Extorquere est plus quam semel rogare.

Amici divitum paleæ sunt areta [circa?] grana [D. 22, Q. 18].

Post sententias D. 23, 36; Q. 19, 30, *legitur, ut supra:*

Non refert quis, sed quid dicat. *Deinde inseritur* D. 125, Q. 96. Nulla jactura gravior est scienti, quam temporis.

Qui in magnis excellit, invitus etiam laudabitur [D. 130, Q. 101].

(1) *Divitiæ*. In cod. Ampliores *mior. aliorum.* legit *minoribus* D. — (2) *Falsa* D, quod necessarium. — (3) *Formabit* cod. — (4) *Non vivit qui cum bonum a. si vivat* cod. *Bene* D. — (5) « Utile, sed ingloriosum est *ex illaborato* in alienos succedere labores. » Alia est Varron sententia, D. 159, Q. 118. — (6) *Ut non eos nos nobis* cod. malim in fine: *sed nos amicis.* — (7) *Postulatione* ib. — (8) *Inscientiæ* forte. — (9) *Proficientes*. Sapit gloss. — (10) E cod. S. Victor. Paris. 640, fol. 289.

Nihil est laudabile, quod a quolibet est, posse [D. 135].

Repetita sententia D. 36, Q. 30, *cæteræ, ordine mutato, sequuntur* D. 26, 37, 151, 38, 39, 41, 42, 44, 47, 60; Q. 22, 31, 115, 32, 33, 35, 38, 41, 52, *neque ulla est quæ a codice Vedastino variet.*

Non tam laudabile est meminisse, quam invenisse. Illud enim alienum, hoc proprii muneris [*editis nec plura. Sed hæc elegantiora quam* D. 48, Q. 42, *in quibus sequentia omnia desiderantur.*]

Decet quemque honorem quem gerit nomine, moribus exhibere; — Vos præcipue colere et observare justitiam, qui æquitatem populis dare suscepistis.

Nec licet delinquere, qui æquitatis regula creditur alios continere.

Modus ubique laudandus est.

Laborem non refugit, qui virtutis gloriam concupiscit.

Quod in juventute non discitur, in ætate matura nescitur.

Accipitres ipsi, quorum victus semper ex præda, fetus suos, novitate marcentes, e nido perturbant, ne molle [ad] otium consuescant. Alis verberant immorantes; cogunt pullos ad volatum teneros, ut celeres debeant exsistere, de quibus possit pietas præsumere.

Major in conservandis, quam inveniendis cautela adhibenda.

Mores graves in spectaculis quis requiret? Ad circum nesciunt convenire Catones.

Ex Epistola [1] XXVII. Quid gratius quam videre crescere publicum decus, ubi omnium utilitas in generalitate concluditur?

Majora principem decet tribuere, quam a serviente videatur accepisse.

Non est beneficium quod præstatur invitis, nec cuiquam utile videatur, quod adversa voluntate conceditur.

III. Gressum [2] seu volatum cucullus habet furtivum et remissum, quia prope terram... Est maximæ pigritiæ avis : nam numquam facit nidum, quia tædet eum laborare : immo ab aliis avibus inferioribus se factos invadit, et ova non sua comedit. Præterea habet a natura purgare hortos a bruchis sive erucis, quibus libentius vescitur : esto quod incipiat, statim resilit... quando cantum suum sentit irrisioni haberi per hominem simili voce sibi cantanti respondentem, post aliquam dissimulationem dimittit suum naturalem cantum : multiplicando vocem quasi per insultum, irridet ipsum hominem, et invehit in eum irridentem... Magnam vocem edit et multiplicatam, et continuatam eam cantibus uniformibus reddit, absque aliquo fructu.

IV. Cycnus [3] fortitudinem suam habet in alis. Instante morte, pennas in cœlo erigit [4], et sic dulce canit. Cholericæ complexionis est, et ideo iracundus. Cum uno pede natat, et cum alio se regit, veli modo. Quum piscibus nutritur, eis innoxius est; dentes habet minutissimos in rostro, unde cibos incidit. Super aquas nidificat, sollicitus in pullis educandis; avis oneris impatiens [5].

V. Pullos sollicite nutrit et educat, et eos rostro et sibilo protegit et defensat : et si quis adversus eos appropinquaverit, se opponere et interponere numquam cessat... Cycnus, quando est in amore, quærit feminam, et ei per complexionem colli blanditur, et eam attrahit ad se, et conjungit collum suum feminæ colligandæ. Post coitum vero femina percutit marem, et fugat ipsum. Balneat autem se mas post coitum; similiter femina, antequam cibum sumat... Quietem deligit, et raro volat... Sunt quidam ex eis silvestres, volantes volatu forti, alis extentis et pedibus ad posterius applicatis; sed non sunt tamen magni corporis, nec tantæ pinguedinis, sicut sunt domiti, qui juxta hominum habitacula sunt inventi [6].

(1) *Epistola.* Ea legebam continuo post sententias quæ damus supra; unde haud ægre in hanc adducar opinionem easdem omnes esse selectas ex litterarum commercio quod forte Varronem inter et διδάσκαλον, Athenis commorantem, intercesserat.—(2) *Gressum.* Anonymus auctor *Moralitatum* quem in t. præced., p. 359, et in *Prolegomenis* descripsimus, locum hunc et sequentes II, III, IV, VI præstitit, lib. IV, c. 10, d. 7; c. 11, d. 3, 4, 6, 7; c. 12, d. 4, 5, 11, 12, 13. Quem is adduxit locum de cycno, lib. III, c. 12, d. 4, 5, eumdem prius Thomas Cantipratanus, allegato disertissime Marci Varronis nomine, citaverat. Apud anonymum vero variis modis nomen idem depravatur, ac legitur *Martianus*, *Martius*, quin immo semel *Martinus*. Eumdem esse mihi compertum est. Nulla sit lectori anxietas de *Martiano* Capella, apud quem nihil omnino simile. In unum collegimus quod excerptor dissecuit, Varronianis verbis, ut nimium liquet, aut sublatis, aut oscitanter immutatis. Scripsisse de avibus Varronem innuit locus de accipitre, quem supra ex alio fonte hausimus.—(3) *Cygni.* Inter *Logistoricos* et *Satyrarum* libros Varronis, *Cygnum* seu περὶ ταφῆς Oehler recensuit p. 106. Hunc locum descripsimus juxta Cantipratani excerpta, *De Naturis rer.*, lib. V, c. 26. Quæ præcedunt, clare secernuntur illo alius auctoris indicio : *Ut dicit Experimentator.* — (4) *Pœnam in cerebro figit* cod. corr. Dübner. — (5) *Impatiens.* Sequitur apud eumdem clausula quæ solet locum absolvere : *Ut dicit Marcus Varo* (sic); tum proxime alludit ad alia quæ mox proferimus, in sequentibus : «Nec libenter volat, sed in stagnis requiescere delectatur. In capite percussus, facile moritur, qui tamen multas alias potest sustinere læsiones.» — (6) *Inventi.* Huc usque anonymus; cæterum, ut fidem exonerem meam, non negaverim eumdem cum catenarum editoribus hunc morem communem habuisse, non solum multa in excerpendo resecandi, sed et liberius mutandi, sive ut sententia vulgarius fluat, sive ut aptius allegoriis acommodetur.

LOXUS MEDICUS

DE PHYSIOGNOMIA.

ARGUMENTUM ET PROOEMIUM.

I. *Ex epitome sæc.* XI.

5 Ex tribus auctoribus quorum libros præ manu habui, Loxi medici [1], Aristotelis philosophi, Palæmonis declamatoris [2], qui de Physiognomia scripserunt, ea elegi quæ ad primam institutionem hujus rei pertinent et quæ facilius intelliguntur. Sane ubi difficilis mihi translatio vel interpretatio fuit, græca ipsa nomina et verba posui. Primo igitur constituendum est quid physiognomia profiteatur; itaque ex qualitate corporis qualitatem in se animi considerare atque ita prospicere [3]. Et Loxus quidem sanguinem animæ habitaculum esse constituit;
10 corpus autem omne et partes ejus, quæ signa dant pro vivacitate vel inertia sanguinis, et prout tenuis sive crassus magis fuerit, vel quum habuerit liberos ac directos meatus [4], vel quum perversos et angustos [5], dare signa diversa.

II. *Ex antiquo interprete.*

Sed multo magnum est judicium tam totius corporis quam singularum partium et omnis aspectus qui ex
15 omni circumstantia et qualitate corporis occurrit, ... quam auctores omnes physiognomiæ maximam partem constituunt. Ejus nominis significatio concipienda tibi est et dignoscenda: frequenter enim ad ea signa refer te. Nam timidum et audacem et impium, aptum et subdolum universi corporis facies judicabit; et singula quæ minuta sunt et parva in unam speciem conveniunt, ita ut aspicienti faciem proprietas aliqua quæ in eodem corpore constituta conspiciatur, quæ mentem et animi merita declarat. Nam et mox ad similitudinem animalis
20 alicujus inspicienti, ea quæ diximus occurrent ita in animo. Alium leoni, alium pardo, alium aquilæ, alium perdici esse similem, ubi maxime clara est masculini et feminini distantia, quorum discretionem sæpius exposuimus. Nec dubii erit pronuntiare de eo qui urso similis est quod violentus, quod fortior, quod simplicior; qui leopardo est similis, insidiosus, rigidus, sævus, audax; qui leoni est similis, rectus, jactans, honoris et laudis cupidi .... Ut autem proprietates possis animalium colligere, pauca ex Loxo exempla proponemus. Nam
25 Palemon partem hanc operosius, Aristoteles secundo obscurius; Loxus autem breviter quidem locum hunc, sed planius est exsequutus, quod homines sint animalibus similes.

I.

Equus animal erectum est atque exsultans in certando, animosum, victoriæ cupidum, non impatiens laboris. Homines ergo qui ad hujus animalis speciem referuntur, capillo erunt tenso, rubeo; genas habebunt majores, collum longius, nares magis pa-

Præfixum brevius argumentum desumitur e cod. Paris. Sangerm. 376, sæc. XIII, collato cum cod. 17, coll. S. Trinit. Oxon., sæc. XI. Reliqua omnia præstitit cod. Leodiensis 77, sæc. XI-XII, longe locupletior duobus cæteris qui tantum epitomen referunt vetusti libelli, in quo non desunt ethnicæ vetustatis indicia. Videtur idem compendium exstare in cod. Harleiano 3960, et ex antiquo indice ascribi libellus Apuleio, nec fortasse immerito.

(1) *Loxi medici*. Cod. Paris. De illo auctore, nisi fallor, quidquid in editis libris suppetit, sumseris tum ex Alberti M. *de Animalib.* tract. II [vid. *Proleg.* p. LIX not.]: tum ex Petri de Abano sive Padubanensis *Compilatione Physonomiæ* (sic) p. 1, dist. 2, libello perraro, cujus editionem principem legimus in Bibl. S. Genovef. n. 1875. Semel in utroque ad nostra provocatur, verba autem ipsa ne semel quidem referuntur. An vero Loxi nomen nonnullis visum bene est ex Arabum depravatione corruptum, quo lateret vetus quidam scriptor ignotus [Jourdain, *Rech. sur les anc. trad. d'Arist.*, p. 344]? Ego quidem malim a gnaro viro diligentius requiri quis ille sit medicus vetus, nomine *Lusius*, vel *Lisius*, vel *Lucius*, idem forte cum *Loxo*, cujus mentio apud Fabric., *Bibl. lat.* III, p. 537, et ad cujus libros IV *tardarum passionum*, non semel Cælius Aurelianus provocat; quem vid. lib. I. p. 365; II, p. 386; IV, p. 522, ed. Steph. — (2) *Declamatoris*. Idem, ut videtur, ac Rhemmius Palæmon, « cujus arrogantia, inquit Suetonius (*de Illustr. gramm.* 23) fuit tanta, ut Marcum Varronem porcum appellaret. » Aristotelis autem et Palæmonis libri a vetere interprete excerpti, græce integri exstant inter *Veteres physiognomoniæ scriptores*, quos una edidere Fr. Sylburg. et J. Franz. Altenburg. 1780. — (3) *Et prospicere*. Paris. — (4) *Quum l. a. d. m. habet*, ib. — (5) *Angustos*. Addit Oxon. *meatus*.

tulas, labium inferius demissum; erunt calidi in venerem, jactantes sui, contentiosi nimium, sapientes minus.

II.

Asinus animal est iners, frigidum, indo-
5 cile, tardum, insolens, vocis ingratæ. Qui ad hujus animalis speciem referuntur homines, necesse est sint : cruribus crassis, longo capite, auribus crassis, longis, labiis demissis, voce deformi; qui sunt tardi, fri-
10 gidi, penuriæ atque injuriæ contemtores.

III.

Bos animal est habens caput grande, frontem latam, oculos grandes, os latum, nares latas, latera grandia, ventrem pleniorem. Ad hujus animalis speciem homines
15 qui referuntur, erunt : indociles, consilii egentes, loquendi et agendi ignavi, tardiores, regi magis quam regere apti, non tamen sine honestate, nec injusti, sed fortes.

IV.

Cervus animal est timidum, velox, ira-
20 cundum, incautum. Qui ad hujus animalis speciem referuntur homines, erunt : longi, angustioribus membris, habentes genas majores, velociter ambulantes; quin etiam facile ad iracundiam provocantur, parvum
25 animum gerentes, instabiles et acuti nimium et inefficaces erunt.

V.

Leo animal est edendi avidum magis quam bibendi; sævum, quum irritatur; quietum, quum non impellitur; vehemens,
30 quum cibo indiget; tranquillum, quum satiatum est; forte, invictum, quum dimicat. Qui ad hujus animalis speciem referuntur homines, erunt : capite grandiores, oculis pellucidi, scissi ore, naribus capacibus, cer-
35 vice solida, humeris et pectore ingentibus, ilibus angustioribus, femoribus siccioribus, pedes imos et manus habebunt discretas atque sejunctas, rubei aliquantum, refracto capillo; in his ingenii affectus nullus, nulla fides amicitiæ, nulla religio.

VI.

Canis animal est quod facile irascatur, facile blandiatur; cibis suavibus deditum; offenditur facile, vigilat facile. Qui ad hujus animalis speciem referuntur, erunt : acuti vultus, proscissi oris, longi corporis, oculorum eminentium; maledici, callidi, leves, facile irascentes.

VII.

Simia est animal malignum, ridiculum, turpe. Qui ad hujus animalis speciem referuntur, erunt : parvi, cavis oculis, malæ barbæ, brevibus cervicibus, parvorum oculorum, rugosi vultus; imitatores ingeniorum aliorum, ipsi imperfectum ingenium habentes.

VIII.

Anser animal est audax, pigrum, inane, clamosum. Qui ad hujus animalis species referuntur homines, erunt : latis pedibus, cruribus brevibus, grandibus calcaneis, naribus longis et directis, capite propemodum rotundo, oculis rotundis, splendidis, dorso lato. Hujusmodi hominibus nihil est commendandum, non enim reddent; fidem autem minus repræsentant, ex eo magis quod edaces sunt, parum fideles. Iidem ipsi et quod dederunt, reposcere negligunt.

IX.

Lupus est animal rapax, iracundum, insidiosum, audax, violentum. Qui ad hujus animalis speciem referuntur, ita erunt : naribus obuncis, deorsum detractis, superciliis conjunctis, hispidis, oculis parvis, clausis, subcavis; capite parvo, rotundo; hispido corpore; protensis capillis; reductis ac restrictis cruribus. Hujusmodi homines callidi, impii, gaudentes sanguine, ad iracundiam faciles; moribus pravi usque adeo sunt, ut quod datur vel offertur non accipiant; quod non datur rapiant.

X.

Testudo est animal iners, stultum, vorax, quod neque sibi aliquid, neque cuiquam alteri prodest. Mulier quæcumque ad

hujus animalis speciem refertur, ita est : collo brevi, dorso lato, pedibus latis, rugoso vultu, et maxime malis; hujusmodi mulier inepta, inefficax, ingrata.

XI.

Coluber animal est sævum, nocens, insidiosum; quum constiterit animum, terribile; quum timuerit, fugit; gulæ deditum. Qui ad hujus animalis speciem referuntur, ita erunt : capite parvo, tenaci, rotundo; oculis parvis, rotundis, lucidis; collo longo; tenui ore, præciso; prolixo corpore; pectore acuto [1]; caput velociter et facile commovebunt. Homicidæ quoque ejusmodi homines erunt, audaces, timidi, studentes malitiæ.

XII.

Noctua animal est ignavum, irritabile, numquam in iisdem permanens locis, sine affectu, adeo ut pullos non ipsa educat : masculus enim educat filios; cum pullis convenit; variis locis habitat; in muris commoratur, adeo pigra est. Mulier quæ ad hujus similitudinem refertur, ita erit : obuncis naribus, genas magnas habebit, oculos magnos, rotundos, humeros fortes, dorsum latum, crassum. Hujusmodi mulier nec fidelis filiis, nec marito; parcimoniæ ignara, manu iners, linguæ indulgens.

XIII.

Pavus animal est pulchritudini studens, stultum, posteriores partes sui corporis referens, clamosum, femininæ vocis. Quicumque ad hujus animalis speciem referuntur, erunt : graciles, non indecori corpore, capite prope rotundo, speciosis oculis, cervice procera, incessu pulchri; iidem ipsi erunt faciles ad largiendum, mœchi, cinædi.

XIV.

Gallus animal est ineptum, in venerem calidum, speciei ac vocis suæ gerens fiduciam magnam. Qui ad hujus animalis speciem referuntur homines, ita erunt : oculo rotundo, nitenti capite, parvo, mobili, subrecti collo, lenibus humeris, in quibus vis et calor [2] eorum omnis constitutus est; interdum coma capitis gloriabuntur; erecta habebunt crura, barbam honestam; vocales; honorem sibi plurimum deferentes, quos necesse est et certamina [3] celebrando superbos esse, aliena libenter assumere, non esse contentos matrimoniis propriis, sine gravitate, sine consilio, sine reverentia esse.

XV.

Juxta hæc exempla, etiam cæterorum animalium proprietates tam animi [quam] corporis [4], consideratas ad species humanorum morum, prout cuicumque animali quisque proximus fuerit, instrueris. Retinendum autem quod interdum ex diversis animalibus de quibus indicavimus signa, conveniant in unum hominem : quæ res difficilis quidem ad considerationem; sed tamen ad speciem suam singula referenda sunt [5], nec dubitandum pluribus animalibus unum hominem similem pronuntiare. Si enim ita invenerit ut et equi et simiæ signa conveniant, non dubitabunt eidem et equi insolentiam et simiæ malignitatem assignare. Vel si tribus animalibus proximus quis fuerit, trium animalium mores illi confidenter ascribe. Certum autem est inspectionem hominum ex eo difficilem esse, quod homo unusquisque vitium suum celare nitatur. Sed et studia et conversationes satis humana ingenia obscurant, idque ipsum de quo nunc agitur, frequenter evenit, ut multiforme sit unius hominis ingenium.

(1) *Astuto* cod. Leod. — (2) *Color*, ib. — (3) *Certamina*. Ne omittas hanc prisci temporis notationem. — (4) *Tam minimi corporis* cod. Leod. — (5) *Sunt*. Quoties hujusmodi argumentum Albertus M. attigit, toties fere in medium attulit nescio quem Platonis librum, sive sincerum, sive spurium, qui Loxiana præclare confirmat aut imitatur. Eumdem vero Platonem alium non esse putem quam Apuleium sive Platonem Apuliensem cui ascribunt libros *de Herbarum virtutibus*, *de piscibus et animalibus*. Cf. *Prol.*, p. LVII. Cæterum vix mihi persuaserim ipsamet nostra non fuisse sub Boethii oculis, dum hæc scriberet : « Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? *Lupi* similem dixeris. Ferox atque inquies, linguam litigiis exercet? *Cani* comparabis. Insidiator occultis surripuisse fraudibus gaudet? *Vulpeculis* exæquetur. Iræ intemperans fremit? *Leonis* animum gestare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? *Cervis* similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? *Asinum* vivit. Levis atque inconstans studia permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immundisque libidinibus immergitur? Sordidæ *suis* voluptate detinetur. » *De Cons. Phil.*, l. IV, pr. 3.

DAMIGERON

ET VARII ETHNICÆ VETUSTATIS SCRIPTORES

DE VIRTUTIBUS LAPIDUM.

MONITA ET TESTIMONIA.

Plinius. Nunc gemmarum confusa genera dicemus, a laudatissimis orsi. Nec vero id solum agemus, sed majore utilitate vitæ obiter coarguemus Magorum infandam vanitatem, quando illi vel plurima prodidere de gemmis, medicinæ ex his blanda specie prodigia transgressi. *Hist. natur.* lib. xxxvii, 14.

Tatianus. Καὶ ὁ μάγον Ὀστάνην καυχώμενος, ἐν ἡμέρα συντελείας πυρὸς αἰωνίου βορᾷ παραδοθήσεται. Καὶ ὑμεῖς 5 δὲ τοῦ γέλωτος ἢν μὴ ἀποπαύσησθε, τῶν αὐτῶν ὧνπερ καὶ οἱ γόητες τιμωριῶν ἀπολαύσετε ... Πάθος οὐκ ἔστι δι' ἀντιπαθείας ἀπολλύμενον, οὐδὲ ὁ μεμηνὼς σκυτίδων ἐξαρτήμασι θεραπεύεται. *Contra Græcos* xvii, p. 273 c, d, ed. BB.

Tertullianus. Auctrix opinionum istarum magia sonat, Hostanes, et Typhon, et Dardanus, et *Damigeron*, et Nectabis, et Berenice. *De anima*, 57.

Arnobius. *Adv. Gent.* lib. i, 18 al. 52. Age nunc veniat, quæso, per igneam zonam Magus interiore ab orbe 10 Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori, Bactrianus; et ille conveniat cujus Ctesias res gestas *Historiarum* exponit in primo, Armenius, Zostriani Nepos et familiaris Pamphilus Cyri, Apollonius, *Damigero*, et Dardanus, Velus, Julianus et Bæbulus, et si quis est qui principatum et nomen fertur in talibus habuisse præstigiis.

INCIPIT LIBER DAMIGERONIS [1] PERITISSIMI DE LAPIDIBUS.

Evax, Arabiæ rex, Tiberio imperatori, salutem [2].

Magnifica dona tua accepi per centurionem Lucinium Frontonem quæ dignatus es mittere ad me. Nam et ego tibi invicem misi quodcunque per terram de omnibus lapidibus remediorum [3].

INCIPIT DE LAPIDIBUS ET EORUM GENERIBUS [4].

15 Lapiden ad septem signa pertinent; subditi etiam et septem lapides quos ad curam hominis in phy-

E cod. Reg. 7418, sæc. xiv, f. 116, cujus scripturæ menda, lacunas, barbariem ex altero codice longe vetustiori derivata putaverim. Meminerit lector quæ in *Prolegomenis* hac de re obiter disseruimus, veterem scilicet libellum de lapidum virtutibus, non solum tritum ante Marbodum, Rabanum, Isidorum fuisse, sed ad ipsius Plinii tempora assurgere. Quo quidem non leviter mihi videtur confirmari cl. Lessingii sententia [*Collect.* i, p. 227], Evacem fuisse unum e magis quos secum Romam adduxerat Tiridates eumdemque librum suum non Tiberio, sed Neroni Claudio scripsisse, quo nemo avidius arti magicæ favit, teste Plinio, *H. N.* xxx, 5, 6. Sed si qua fides titulo proœmioque nostro et aliis locis, Damigeron erit Evace antiquior. Cæterum libellum attente legenti perspicuum erit translatum illum e græco fuisse, eoque indubia contineri ethnicæ impietatis vestigia; referri passim mores et superstitiones quæ florentem adhuc idolorum infamiam palam profitentur; hæc quantumvis inepta et ἀσύστατα, non parum tamen inservire sive temporum historiæ, sive auctorum recensioni, sive rei symbolicæ illustrandæ. Omnia tamen omnino describere piguit aliquando, aliquando puduit; pauca vero non tam missa, quam euphemismis commutata fecimus, quæ pudicis auribus ingratiora accidissent: « Utcumque ferent ea fata minores;» verbis enim utimur et exemplis cl. A. Maii sæpe similia tractantis. At quæ puram putam ethnicitatem sapiunt, audacter collegimus, tametsi a Plinio usque ad Vincentium Bellovacensem ea quasi consulto consilio videantur fuisse constanter suppressa. Hujus autem libri auctorem codex noster clare designat *Amigeronem*, quem nihil hæsitans dico eumdem esse ac famosum Damigeronem, apud Græcos Δαμογέροντα, Tertulliano notum et Arnobio, Apuleii laude mactatum (*De magia*, xc), inter *Geoponica* persæpe adductum. Cf. *Prol.*, p. lix, n. 2.

(1) *Amigeronis* cod. — (2) *Salutem.* In codice et in Marbodo edito præmittitur illic alia epistola, quam vide in Beckmanni recensione, monacho nescio cui per divinationem attributam. De palea non litigandum. In hac vero breviore, forte paulo melioris notæ, Claudium pro *Tiberio* scribere mavult Lessing. At *Neroni* Marbodus ibidem legit. Quod ad Evacis nomen attinet, non usque adeo peregrinum Lobeckio visum est quin recte illud a græco εὐάζω deduxerit. — (3) *Remediorum.* Editi frigidius : *Quodcumque carius per terram .... remediorum nomen exsistit.* — (4) *Generibus.* Nolim hisce immorari proœmiis, quæ libenter ævo sequiori assignabo, magorum tamen veterum manifestis referta ineptiis. Post hæc in codice titu-

lacteriis habere debent : sunt enim sani et potentes. Lapis primus qui dicitur chrysolithus, leonis. Lapis secundus qui dicitur astroselinus, cancri. Lapis tertius qui dicitur æmathites, arietis. Lapis quartus qui dicitur keraunius, sagittarii. Lapis quintus qui dicitur demos [1], tauri. Lapis sextus qui dicitur arabicus [2], virginis. Lapis septimus qui dicitur ostrachitis, capricornii. Hi quærendi tibi erunt, ut habeas per omne tempus vitæ tuæ custodiam divinam, et sanus eris, et securus semper.

I. *Lapis Aetites.*

Aetites vero lapis [3], maximum naturæ tutamentum : donavit Deus hunc primum lapidem hominibus munimentum, gratia salutis. Quemque aquila apportans, cum in nidum suum ab extremis partibus orbis terrarum, custodiendorum ovorum suorum causa, [traducit [4]]. Aetites est lapis colore puniceo, visu asperrimo; et habet intra se alterum lapidem, veluti prægnans [5]. Utilis est mulieribus prægnantibus : circumligatus enim brachio sinistro, non permittit feminam abortum facere. Est autem idem ad velocitatem partus aptissimus. Nam, periclitante muliere, introductus et tritus, et super lumbaginem ejus positus, continuo partu liberabitur [6]. Præterea conservabit gerentem se : sobrium enim efficiet atque omnia superantem; rebus familiaribus augebit, et opinionem bonam diffamabit, et gratiosissimus erit. Qui hunc lapidem gerit, erit introitu [7] facillimus omnibus, Deo et hominibus. Amplius infantes puellasque conservat. Iste lapis a Castore et Polluce [inventus est [8]]. Lymphaticisque et terroribus nefandis efficit, ut nec visum somnientur, nec frequenter cadant. Si quem suspicaveris esse venenarium in domo tua, mitte hunc lapidem in pulmentario, et invita suspectum ad cœnam : tunc si talis fuerit ille, nihil manducabit; et si ausus fuerit devorare, non poterit : tantam potentiam habet iste lapis. Quem si sustuleris ex pulmentario, incipiet ille maleficus manducare et jucundare. Iras quoque potentium summe delinit gestatus. Hic lapis est genus tutamenti [9]; hoc medicamento utitur aquila, ne quæ fraus attingat. Hunc enim lapidem a perenni flumine aquila [10] apposuit corporibus sui nidi, ne violentur ab aliqua volucre, utque progeniem conservaret, munitorem instituit. Qui hunc lapidem gerit, omnes gentes inviolatus evadit, et adversarios suos male mulctatos [11] exsuperat.

II. *Lapis Heliotropius* [12].

Heliotropius lapis nascitur in Æthiopia et Cypro et Libya. Est autem colore smaragdino, sanguinis habens venas [13]. Appellatur autem Heliotropium, eo quod vertit solem. Missus enim in pelvem argenteam, aqua plenam, et positam contra solem, vertit eum et facit quasi sanguineum et obscurum. Consecratus enim [14], videbis divinam potentiam. Continuo enim pelvis incipiet aquam confundere, turbidus esse aer cum tonitruis et fulgoribus et pluviis et procellis, adeo ut etiam imperiti [15] potentia lapidum terreantur et conturbentur. Tantas vires et divinitates lapis iste habet. Præterea vaticinatur et prænuntiat [16] futura per fluvios perennes, et vocaliter per carmina. Ad salutem conservat cuicumque vivendi facultatem et corpus incolume; et bonam existimationem præbet gestantibus et omnem

lus fusius rescribitur : *Incipiunt indicia valetudinis de lapidibus et eorum virtutibus Amigeronis doctissimi.* —(1) *Demos.* Ignotus plane.—(2) *Arabicus*, f. margarita, quæ a Plinio dicitur *indica* et *arabica*, l. XXXVII, 16.—(3) *Ethiten vero lapidem* cod. Cf. Marbod. c. 25. In hoc initio morosius quam in cæteris variationes congerere placuit, ut lectoris ob oculos apertius sistatur tum rara scriptoris indoles, tum latini interpretis, ut patet, græcissantis vetusta barbaries. — (4) *Ob horum suorum causa* ib. — (5) *Prægnans.* Plinius : « Aquilis inædificatur nido lapis aetites, ad multa remedia utilis, nihil igne deperdens. Est autem lapis ille prægnans, intus, quum quatias, alio velut in utero, sonante. » *H. nat.* x, 4, 1. — (6) *Partus liberabitur* cod. « Actitæ omnes gravidis adalligati mulieribus vel quadrupedibus, in pelliculis sacrificatorum animalium, continent partus, etc. » Plin. *ib.*, XXXVI, 39, 3. Conf. Isidor. *Etymol.* XVI, 4, n. 22.—(7) *Et introitum* cod. — (8) *Est.* Lacunam explevit Marb., v. 391. — (9) *Egenis tutamentum* forte. Deinde : *Quod utitur aquila* cod. qui in margine rejicit sequentia, ut totus locus depravatus videatur. — (10) *Aliqua* cod. — (11) *Mulctatus* ib. — (12) *Heliotropio* cod. Cf. Marbod. 29. — (13) *Venas.* Vide an legerit hæc Plinius, immo rescripserit : « Heliotropium nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro, etc. » Ib. 60, 1. Cf. Isid. ib. 7, n. 8. —(14) *Consecrato* forte. Sed frequens in hac scriptiuncula nominativus absolutus. — (15) *Imperita potentia* cod. Forte *qui imperant*, aut aliud simile.—(16) *Vaticinantur et prænuntiant* cod.

veneni ablationem, et universi generis terriculas amovet. Nam qui hunc lapidem gerit, numquam decipitur : tanta est hujus lapidis gratia, a Deo concessa hominibus. 5 Hic lapis Heliotropius vertit solem, involuta nubila [1]. Igitur et iste lapis imbres evocat, et cætera [2].

III. *Lapis Adamas* [3].

Adamas autem lapis durissimus ferro; et 10 optimus nascitur in India, secundus post hunc in Arabia, cæteri in Cypro. Præterea in Philippico auro inveniuntur [4] similes, omnes tamen et colore et magnitudine propemodum pares : apti sunt vero ad omnem 15 magicam actionem, et vires easdem habent, sed a quibusdam lapis iste dicitur Ananchitis [5], quod cogat et perficiat omnia, in quibus eum desiderabis. Hunc lapidem adeptus, include in cote argentea, et conse- 20 cratum porta, et invictum te præstabit et indomitum adversus inimicos et hostes et maleficos, et ab omnibus superbis hominibus, quia efficieris universis formidolosus. Repellit autem omnem metum et visiones 25 incertorum somniorum et simulacra umbrarum et venena et lites. Conficies itaque armillam ex auro, argento et ferro et æramento; tortilem fac, et gere circa sinistrum brachium. In hunc enim lapidem magnum 30 est a Deo auxilium.

IV. *Lapis Memnonius* [6].

Memnonius vero lapis maximum actum et valentissimum habet; venena parata et morbos et languores et tumores et inimici- 35 tias, hæc omnia expellit. Fidelem, verum et firmum et eloquentem et modestum et grata facie [7] circa omnes efficit gerentem, insuper invictum in omni re et in omni certamine. Et ne mireris quod tantas res eum tibi scribo habere : laudant eum multi reges : experti sunt eum adversus hostes et ad validas pugnas. Viri enim fortes et gladiatores in arena et athletæ eum habentes victoriam gratam sunt sequuti. Sed vero multi apud judices eo usi sunt, capitales causas habentes. Tantam efficaciam iste lapis habet ut magnum [sit] munimen [8] vincendi semper. Hunc autem lapidem usus, omnia superabis quæ dico, et omnes iras effugies [9], et, naufragio facto, enatabis, et contemnes Neptunum [10] in aquis. Verum etiam multi homines, victoriæ causa gerentes, eum obtinuerunt. Valentiores [sunt apud] Syros.

V. *Lapis Diadochon* [11].

Diadochon lapis similis est beryllo : utilissimus est divinationibus per aquam, et adductionibus umbrarum, tamquam non alius lapis. Præterea et effigies hominum diligenter ostendit, ad mortuum [12] ne adhibeas eum : resistit enim defunctis. Nam desursum est et sanctus iste lapis, et sanctificatus perpetua consecratione.

VI. *Lapis Smaragdo* [13].

Smaragdo lapis pulcherrimus, et validissimus et ad omnem aquariam divinationem. Persuasionem habet in omni negotio, portatusque adauget substantiam et corpus et sermonem, caste aptus [14]. Maxime autem subvenit et liberat a tempestatibus. Nam quicumque perfecerit et consecraverit eum, omnimodo impetrabit [15] libertatem. Oportet autem eum perficere sic : adeptus lapidem,

(1) *Inviolata* (primum *involvata* scriptum) *nomina*, ib.—(2) *Cætera*. Caute suppressa videntur quæ Plinius et Isidorus una et acerrima censura proscindunt : « Magorum impudentia vel manifestissimum in hac quoque exemplum est, quoniam admixta herba Heliotropio, quibusdam additis præcantationibus, gerentem conspici negent. » Vid. l. l. Arnoldi *lapidarius* apud Vincent. Bellov. lacunam forte implebit : «Porro si jungatur cum herba ejusdem nominis, valet in fallendo visum hominis, dum hoc modo se videri prohibet homo. » Ib. lib. IX, c. 67. — (3) *Adamans* cod. cf. Marbod. c. 1. — (4) *Inveniuntur*. « Macedonicum in Philippico auro repertum. » Plin. ib. 15, 3. — (5) *Anathitis* cod. Legimus ut Plinius : « Adamas et venena muta facit, et lymphationes abigit, metusque vanos expellit a mente, et ob id quidam eum *ananchiten* vocavere. » Ib. Et alias : « *Ananchitide* in hydromantia dicunt evocari imagines deorum. » Alii *anancitis*, ut sit ab ἀνάγκη; Salmas. in Solinum : *anagogitis*, ut ab ἀνάγω. Cf. Isid. l. l. 16. n. 22. — (6) *Mennonio* cod. Apud Plin. ib. 65; Marbod. 66, ed. Beckm. — (7) *Ingressa facie* cod. — (8) *In magnum ne munus* ibid. —(9) *Effugat* ibid. — (10) *Neptunum maris* in cod. forte legendum, ob compendia inusitata.—(11) *Diadochon*. Marbod. 57. — (12) *In mortuum ne adhibeas* ib. Correctionem Marbod. confirmat. — (13) *Smaragdo*. Marbod. 7. — (14) *Aptatus* aut *gestus*. — (15) *Imperabit* cod.

jube sculpere scarabeum [1], deinde sub ventre ejus stantem Isidem [2]; postea pertundatur in longitudinem. Tunc autem in fibulam missum [3] dicato, porta, consecrato; et fac locum quemdam bonum præparari, et ornare tu, et cætera quæ tua sunt, et videbis gloriam lapidis, quamque ei Deus concessit.

VII. *Lapis Corallius* [4].

Corallius lapis maximas habet vires, et magicam tractationem et in majora negotia moventes. Est enim tenax, et omnia expellit somniorum ludibria suo remedio. Maximum autem tutamen adversus iras Dominorum [5]. Sculptum nomen noctilucæ, hoc est Hecates signum [6], aut Gurgonis personam portans, numquam capietur a nullo medicamento nec a fulminea umbra immissa; et in bello quoque et pugna maximum adjutorium est. Invictum et efficacem et impenetrabilem [7], sine timore et securum facit gestantem eum, et facile impetrantem, et introitum facile habentem. Præterea consecratus, et contritus, et seminatus cum frumento aut hordeo aut aliquo fructu, amovet de terra grandinem et omnem perniciosam tempestatem; insuper in vineis aut olivetis dispersus [8], repellit omnem exitiosum impetum ventorum [9]. In domo autem positus, conservat ab omni maleficio et umbris dæmoniorum et vanis somniis et fulminum ictibus. In nave hoc si habueris, multum efficacior eris : resistit autem ventis et tempestatibus et turbinibus. Tantam sortitus est potestatem iste lapis remedii contra adversas partes. Consecratus vero a Deo et sanctis locis hoc tutamentum ut sit maximum die ac nocte; hora diurna vel nocturna bonumque præsidium corallius lapis habet.

VIII. *Lapis Exebenus* [10].

Exebenus lapis albus est et speciosus, cum quo solent aurifices aurum limpidare [11]. Curat autem stomachum, maxime in potu aspersus cum aqua. Præterea insanos aut passos in potu persanat. Et ad amantes similiter in potu dabis; insuper ad veneris voluptatem congruit mirifice. Insolvit etiam vesicæ dolorem; aptissime enim subvenit. Nam gestatus partum sine ægritudine conservat, et velocitatem parturientis facit, circumligatus dextro femori. Consecratus perpetua consecratione.

IX. *Lapis Æmathites* [12].

Æmathites lapis est optimum donum naturæ; datum est omnibus a Deo. Ad omnem corporis integritatem utilis est; etiam tutamentum bonum salutis est : est enim perennis lapis iste, et oculis maxime aptus est. In oculorum eventationibus [13], contritus cum attico melle non fumigato, inunctus sanat; et omnem oculorum dolorem infusus cum lacte mulieris curat; præterea, ulcera oculorum et morsum anguium [14]. Potatus cum aqua, omnis serpentis vulnus eximie sanat, et fluxum sanguinis sine intermissione fluentis. Circumligatum autem vel umbilicum unguendo aut per potionem dabis lapidem, curationis gratia. Amplius per stillicidia meientibus urinam, persolvit et sanat [15].

(1) *Adeptum l. J. sculpire scarabeum* cod. Plinius contra : « Decreto hominum iis parcitur, scalpi vetitis, » ib. 16. Porro eadem asservavit cod. 8454 : « Fac in eum scarabeum sculpi et sub eo Isidem stantem (*ea posita constantem* cod.) ; deinde pertundatur in longitudinem, sicque in aurea fibula discoopertus, sit consecratus. » — (2) *Stantem incidem* cod. —(3) *Tunc autem fibulam missam dico* cod. Melius forte *porta consecratum*. — (4) *Corallios* cod. Marbod. c. 20. Plin. XXXVI, 11. — (5) *Dominorum* sic etiam p. 328 pro *deorum* aut *dæmoniorum*, ut paulo post. — (6) *Sculptum n° noctiluce, h. e. etate signum aut Gurgonis p^am portans autem eum*, ita omnino cod. — (7) *Invictum, efficax et i.* ib. Cf. Plin. XXXVII, 59, 2. — (8) *Dispersum* cod.—(9) *Ventorum*. Cf. quæ infra Metrodorus. Hæc respiciunt Geoponica, lib. II, 50, p. 171, ed. Niclas. -- (10) *Exebeno* cod. Marbod. c. 63, ed. Beckm. —(11) *Limpidare*. Plinius Zoroastri ascribit eadem, pene ad verbum : « Exebenum Zoroastres speciosam et candidam tradit, qua aurifices aurum poliunt. » Ib. l. l. 58, 2. Eadem Isidorus l. l. 10, n. 11. — (12) *Hæmathites* rectius. Eadem Marbod. c. 32. — (13) *Eventationibus*. Nimirum græcum ἐξαμαυρώσεις vitiose legisse ἐξαερώσεις videtur. Hæc nota Dübneri. — (14) *Anguium, id est serpentium, positus cum* cod. glossema simul et sphalma.— (15) *Sanat*. Hæc aut similia Plinius diserte refert ad Zachaliam Babylonium, Mithridatis regis coævum, se-

X. *Lapis Chelidonius* [1].

Chelidonius lapis invenitur in ventriculis hirundinum; genera eorum sunt duo, nigrum et rufum. Cape hirundinem (sed meliores sunt qui ex nidis sumuntur), et, fissis eorum ventriculis, aufer [2] lapides : utiles sunt tibi : rufus quidem sanat lunaticos et insanos et languidos. Facies autem sic : accepto panno lineo, puro, alliga eum ibi, et circumda in sinistro brachio male habenti, et in die tertio curabitur. Præterea gratissimos facit portantes illum et facundos, etiam amabiles et idoneos. Niger autem gestatus similiter negotiis omnibus fines optime imponit, nec non ad omnes minas et iras regum et dominorum portatus obsistit. Nam qui habet eum secum omnibus hominibus placebit, et omnes ad arbitrium suum perducit; fidem enim eis accommodat. Sed si cui dolent oculi, tere eum cum aqua, et inunge, et salvabitur. Et quum tollis de nido, observa ut nec pater eorum aut mater prope sint : meliores enim habebis effectus eorum [3]. Niger autem lapis, missus in panno lineo, croco tincto, tertianam et quotidianam febrem compescit, et adversus omnem tumorem excellenter est aptus.

XI. *Lapis Chelonites* [4].

Chelonites autem lapis est ad prænoscenda futura : habens enim eum sub lingua, quæcumque volueris, dicis. Quum autem acceperis eum, antea [melle ?] os dilue. Valet præ nuntio [5] eo usque ad horam sextam. In prima vero luna, valet per totum diem; verum quinta decima, similiter; decrescente autem luna, ante solis ortum valet. Inciditur autem lapis iste de oculis testudinis indicæ [6]. Si vis scire hoc verum esse, mitte supra thuribulum tres candentes carbones, et incensum sacrificabis, et super ponis lapidem istum, confundens nihil omnino læditur.

XII. *Lapis Ceraunius* [7].

Ceraunius iste lapis, quem Ægyptii Smaragdo vocant; invenitur autem in illis locis ubi fulminis jactus fit : narratur tamen ex contritione nubium inter se fieri, et pro hac causa hoc nomen meruit. Hunc si quis cum castitate portat, numquam a fulmine ferietur, nec domus, nec villa in qua fuerit. Præter[ea] si habuerit eum aliquis navigans, non periclitabitur per fulmen aut turbinem. Ampliusque ad omnem victoriam et certamen qui portat eum, exsuperabit in omnem rem. Sed et oracula dat obsecranti, in somnis bona somnia, tanta est virtus hujus ceraunii lapidis [8].

XIII. *Lapis Jaspidis* [9].

Jaspis autem lapis multis locis nascitur et multorum colorum est. Omnium autem optimus et validissimus; in colore est lucidissimus. Perfectus est tantum consecratus, et caste portatus iste lapis. Imbrium enim est perfector [10], et invocatus imbres facit [11].

XIV. *Lapis Sapphirus* [12].

Sapphirus vero lapis honorificatus est vehementer a Deo. Dicitur autem apud quosdam Ormiseum [13]. Hunc lapidem solent reges gestare circa cervices; maximum enim

mel ibi, neque ulli cuiquam memoratum; locum exscribere est : « Zachalias Babylonius, in his libris quos scripsit ad regem Mithridatem, humana gemmis attribuens fata, hanc non contentus oculorum et jecinorum medicina decorasse, a rege etiam aliquid petituris dedit, et litibus judiciisque interposuit, in præliis etiam exsangui [ex ea ungi *alias*] salutare pronuntiavit. » L. l. 60, 3. Isidorus : « De qua promittunt Magi ad coarguendas barbarorum insidias. » L. l. 8, n. 5. — (1) *Chelidonio* cod. Marbod. c. 17. Plin. xxxvii, 56. — (2) *Auferis* cod. — (3) *Eorum.* Eadem Evaci ascribit cod. Paris. 1854. — (4) *Cheloniten* cod. Marbod. c. 39. Plin. xxxvii, 56. — (5) *Prænumptio* cod. Horum saltem vetustatem commendabit aspera censura Plinii, quæ et nostra illustrat : « Chelonia oculus est indicæ testudinis, vel portentosissima magorum mendaciis. Melle enim colluto ore, linguæ impositam, futurorum scientiam præstare promittunt, quinta decima luna, et silente, tota die; decrescente vero, ante solis ortum; cæteris diebus, a prima in sextam horam. » L. l. 4. Cf. Isid. l. l. 15, n. 23. — (6) *Indicis* cod. — (7) *Ceraunius.* Marbod. c. 28. Plin. l. l. 51. — (8) *Lapidis.* Hunc lapidem præ cæteris considerari testantur loca Zenothemis, Sotaci, apud Plinium, qui nec nostra omisit. Cf. Isid. l. l. 13, n. 5. — (9) *Yaspidis* cod. Marbod. c. 4. Plin. l. l. 37. — (10) *Perfectus* cod. conjiciebat aliquis *pellector.* Sed præplacet *perfector*, Tullio non ignota vox. — (11) *Facit.* Brevior cæteris articulus, sed augendus e consimili art. xxiii, ubi vide Plinii et Isidori censuram. — (12) *Saphiro* cod. Marbod. c. 5 Plin. l. l. 39. — (13) *Hormesion.* Plin. l. l. 60, 3.

tutamen est. Habet autem vires has : inviolatum ab omni livore conservat hominem, et amabilem Deo efficit, et corpora præbet integra et boni caloris; et sudorem multum fluentem circumligatus compescit, et ardorem omnem interioris partis amovet ab eo qui portat. Præterea ad vetera ulcera, contritus cum lacte et superpositus, magnam medelam dat, et ἐπιφορὰς [1] oculorum sanat, et motus frontis. Et si [quis] in viscera torsiones habuerit, cum lacte positus, sanat. Et si quis vulnus in intestinis habuerit, trito lapide cum lacte, circumungis intestinum, et sanabitur. Si quis autem lingua vexatus fuerit, similiter ex contrito lapide linis linguam, et curabitur. Omnia quoque vulnera, sive recentia, sive inveterata, curat, eodem modo contritus et superunctus cum lacte. Resistit autem ad omnem invidiam vehementer, et corpus conservat. Sed etiam sanctos deos propitios facit præclara cum impetratione et honore [2]. Facit autem et ad divinitatem per aquam intelligere sancta responsa. Divinantibus quoque valde optimus est; nam qui habet eum perfectum in formam scarabæi, omnia vera divinabit, et fidelia habebuntur. Et placabilis erit Deo et hominibus qui hunc gestat cum castitate.

XV. *Lapis Epistites* [3].

Epistites autem lapis est rubicundus et delucidus. Nascitur vero in Corintho, apud templum dei. Habet autem virtutes istas maximas : iste lapis missus in aquam ferventem, continuo tepidiorem reddit; si autem permiseris eum in aqua [lique] fieri [4], omnem ardorem tollet, et frigidam aquam facit. Istum vero lapidem habentes malefici, removent a fructibus [5] grandines et nebulas et turbines nocivos, sed et locustas. Et deos [6] propitios facit per suam potentiam. Præterea quum retinet eum aliquis in manu dextra contra solem, radios emittet, et ignem evomet sua voluntate, ut videntes mirarentur. Aptus est autem ad potentiores et seditiosos : nam qui portat eum tutamentum circa sinistrum brachium, omnes asperitates et omnes turbas contemnit.

XVI. *Lapis Ortites* [7].

Ortites vero lapis est specie non nigerrimus, rotundus, quem alii Sideriten vocant. Aptus est autem ad curandos morsus bestiarum. Contritus enim et superillinitus cum roseo unguento super vulnera bestiarum, validissime curat; sed et nervos conjungit alligatus. Si quis homo eum secum habuerit, omnem bestiarum impetum expellit. Hunc portantes Magi per solitudinem iter faciunt, et non vexantur a feris.

Est vero et alter lapis Ortites, viridis et subcandidus, maculas habens : scies autem si verus sit iste lapis : pone super thuribulum carbones igneos ardentes quam plurimos, et superpone multa grana lapidum diversissimorum, et istum inter eos, et dimitte ut comburatur una hora. Deinde si hunc integrum et illæsum videris, habebis eum in tutamentum, et omnia pervincit, omneque periculum et omnem timorem effugat.

Est etiam [8] tertium genus, quasi ferrea lamina ex uno latere lenis, ex altero velut acutus : habet virtutes maximas : nam circumligatus regis concubinis, facit ut nec concipiant, nec pariant : tantum remedium sterilitatis natura genuit hunc lapidem. Cave autem ne gravidæ eum circumligent : cogit enim eam ejicere infantem.

XVII. *Lapis Achates* [9].

Achates vero lapis potentias habet optimas; sed quum similem habet colorem pelli leonis, valet ad scorpionis morsum [10]; alligatus enim, vel illinitus cum aqua, statim tollit dolorem; et viperarum morsum cu-

(1) *Epyphoras* cod. — (2) *Sed. e. s. dei propitius esto facit præclaros cum imperatione et honore*, ib. Puncta sub vocula *esto* expungendam eam esse significant : cæteris, ut valui, medicam adhibui manum. — (3) *Epistitem* cod. Marbodo et Plinio deest. — (4) *In aquam fieri* codex, qui legere non sinit *fervere*. — (5) *A fluctibus* cod. — (6) *Ds propitius facit* cod. et paulo infra : *aptus est ad potentiores et seditiosus*. Utrumque eodem modo et jure corrigi oportuit. — (7) *Orites* Plin. l. l. 65, 1; Marbod. c. 45. — (8) *Est enim ferream laminam* cod. — (9) *Achates*. Marbod. c. 2; Plin. l. l. 54. — (10) *Morsum*. Plinius ferme consentit : « Putant eam contra araneorum et scorpionum ictus prodesse. Quod in Siculis utique crediderim,

rat : tritus verum supra vulnera, sparsus, et datus in potione cum vino, sanat. Portatus autem in tutamentum erit, et facundum et potentem et gratum et suadentem 5 facit eum qui portat, sed et robustum. Et colorem bonum facit, et ad Deum et ad homines amabilem.

XVIII. *Lapis Odontelycius* [1].

Odontelycius, id est lupi dentes, prosperi 10 sunt et utiles militibus et venatoribus et rapere aliquid volentibus ; et per aquam divinantibus aut per sensum divinalem [2], positus subtus fundo scyphi. Pro firmamento infantibus tutamen firmum præbet. Apti 15 sunt tandem maxime furibus, qui aliena furari cupiunt.

XIX. *Lapis Alectorius* [3].

Alectorius vero lapis invenitur in ventriculis gallinaceorum, modo fabæ, cry- 20 stallina specie, aut aquæ limpidæ. Hunc lapidem qui portat, invictus erit ab omni homine, tamen a multis tentatus et probatus est. Nec gladiator aut pugnator, habens in ore suo, superatus [4] permanebit et sine 25 exitu, et athletam et aurigam omnimodo vincit. Milo enim Crotoniensis [5], hunc lapidem portans, numquam est victus. Præterea multi alii per prælia cum habentes, fortiter belligerabant, et invicti permane- 30 bant. Et reges expulsi sunt a regno suo, et receperunt [6] dominationem, non solum suam, verum etiam alienam. Facit etiam securos et gratos et placentes, gestantes eum. Præterea circa venereas voluptates reddidit [7]. Sed 35 et mulieribus proderit portantibus eum, qui volunt viris placere : communis enim lapis est. Gestatus quoque firmitatem in oratione præbet. Facit etiam portantem speciosum et magnanimum et probum et bonum, omnia proposita obtinentem fortibus tutamentis.

XX. *Lapis Gagates* [8].

Gagates vero lapis invenitur in flumine quod appellatur Gagano [9]. Est autem sublineo colore, magisque longius. Habet autem virtutes magnas et optimas. Mulieribus autem si non fluxerint menstrua, si hunc lapidem conteres et pones super carbones ardentes, deinde jubeas mulieri circumgredi, et sic purgabitur, et sine noxio, et sine dolore. Si quis autem mancipia mercatur, et vult scire, ut non sit ex eis caducus, aut lunaticus, succende lapidem, et si aliquis tale vitium habuerit, in ipso vitio cadet : tantam virtutem habet iste lapis. Omnem fraudem et ligamenta persolvit, et succensus omnes angues et viperas et serpentes effugat ex loco.

XXI. *Lapis Medius* [10].

Medius lapis niger est; tritus autem emittit croceum colorem. Multas bonas et malas potentias habet. Si quis gaudium comparat ad vindictam inimicorum aut latronum [11]. Hic ergo lapis tritus super craticulam [12] medicinalem, cum lacte mulieris quæ semel creavit in primo partu puerum, inunctus, albuginem oculorum curat, et omnem oculorum dolorem tollit; etiamsi videre desperatus fuerit, sanat. Præterea podagros, eodem modo cum lacte ovis tritus quæ semel genuit masculinum fetum, ungit et sanat [13]. Et renes et anhelitus et interiores partes sic curat. Hoc medicamentum

quoniam primum hujus provinciæ afflatu scorpionum pestis exstinguitur. » L. l. 54, 1. Et paulo infra pene Nostrum αὐτολεξεὶ allegat : « Aliæ apud Magos differentiæ : *Leoninæ pelli similes potentiam habere contra scorpiones dicunt.* » Ib. 5. Notus Marbodi ludus, aut lepidus error, v. 75 : « Hoc Anchisiades comitante pericula vicit. » — (1) *Odontolycio* cod. Plin. et Marbod. non habent. — (2) *Per sensum divinare positus subtus fundus scisi* cod. Divinatorem Magum locus exspectat. Vide an forte malueris : *aut per incensum*? —(3) *Alectorio* cod. Marbod. c. 3 ; Plin. l. l. 54. — (4) *Insuperatus* cod. — (5) *Contronense* cod. Relatum id quoque apud Plin. l. l. Et Isidorus : « Hac in certaminibus invictos fieri Magi volunt, si credimus. » L. l. 13, n. 9. — (6) *Recipuerunt* cod. — (7) *Reddidit.* Nec plura in cod. — (8) *Gagaten* cod. Marbod. c. 18 ; Plin. xxxvi; 34.— (9) *Gagates nomen habet loci et amnis* Gagis *Lyciæ.* Plin. l. l., ubi ipse τερατείαις indulget liberius et fusius quam Magi, quos tamen sub finem censoria virga de more tangit. Plura e nostris rescripsit laudatus cod. 8454.—(10) *Medius.* Marbod. c. 36 ; Plin. xxxvii, 73. — (11) *Latronum.* Statim legitur in codice : « Ita homines debent tam ad bona quam in mala, si fortuna tulerit, parati esse. Scies autem bene quidem agentes in locum impiorum non pervenire.» Lacinia huc temere, nescio unde, invecta omissorum locum occupat. Suspicor non pauca capitis xxx ex hoc xxi detracta pessime esse, ab hisce verbis : *Medium* vero de nomine *Mediodon*, etc. Sed quum in Marbodo eadem rerum ratio aut confusio occurrit, nolui mutare quidquam. — (12) *Cuticulam* cod. constanter. — (13) *Unguis et sanatur* cod.

maximum est, et a multis probatum. Præparatum vero hoc medicamentum habebis in vitreo vase vel argenteo, et jejunus perficies [1]. Ad vindictam vero, lapidem supra craticula teris, et cum aqua dilue lapidem et craticulam, et dabis cuivis, et lavet faciem, et exæcabitur. Si quis autem biberit ex eo, pulmones evomet. Oportet autem bibenti paululum dare, quo non satietur. Hic lapis inventus est in Media; unde vocabulum habet. Nascitur vero in locis apud flumen Phasin.

XXII. *Lapis Syrtius* [2].

Syrtius vero lapis, qui et Sapphirus appellatur, inventus est in extremis Libyæ partibus, circa syrtes, expulsus a mari per tempestates. Idem nascitur et in Apuliæ regione, apud Lucaniam [3]. Damigeron scribit :

Hic integer et potens vicisset omnes virtutes lapidum, qui maximas potentias habet, et in primis tutamentis numeratur. Qui habet ergo hunc lapidem, armatus est adversus omnem fraudem, et omnibus maleficiis, et apud insidias aliorum lapidum, resistit. Hujus tamen naturalis potentia esse divina dicitur. Si quis a rege [4] vel præposito mittitur in vinculum, propter delendam vitam, et voluerit aliquis educere eum de vinculi, si fieri potest, tange capita vinculi, statimque rumpentur, et quum solutus fuerit, veni ad ostium, et tange hoc cum lapide, et a semetipso ostium aperitur, et vadat ubicumque voluerit, a nullo enim aspicietur. Est autem circa gratiam et amicitiam conciliandam optimus.

XXIII. *Lapis Caphnites* [5].

Caphnites lapis similis est crystallo; sed multum distat ab eo. Portantibus autem optimus est. In obsequio erga Deum, et homines cognitos facit. Facundum [6] vero et formosum facit gerentem se. Curat hydropicos, circumligatus sinistro brachio. Utilis est ad formidines et minas amovendas. Nam qui habet eum, [apud] omnes gentes in gratiam venit, et minas mitigat.

XXIV. *Lapis Optallion* [7].

Optallion lapis circa oculos efficax est; nam qui gerit eum, numquam oculis laborabit. Aptus est autem et furibus, ut non teneantur : obscurat enim aspectum proximorum, ut non videant furantes. Hunc furones usi sunt gestare.

XXV. *Lapis Obsyontes* [8].

Obsyontes vero lapis, sicut majores nostri aiunt, disparis naturæ est. Est enim optimus, et magnopere adversus somnia incerta resistit, ut nullus alius lapis. Præterea volentibus aliquid lædere, subvenit. Si quis in eo sculpserit solem et lunam, et gestaverit eum consecratum, bonam vitam exigit.

XXVI. *Lapis Geracites* [9].

Geracites lapis in primis numeratus et probatus est a Magis. Est autem niger modice et idoneus. Habebis autem sic eum. Ubi volueris aliquid præscire, lava os tuum cum melle optimo, et pone sub lingua lapidem, et disces quid de te [10] [sit], aut quid sapiat vel cogitet aliquis, futura omnia. Sed impetrationibus maxime congruit : gestatus enim, ne[mo] tibi contradicit aliquid postulanti. Verum amatoria quoque et suasoria per necessitatem efficit super alios lapides. Alliga ergo tibi lapidem, et vadis ad pueros sive ad feminam, et non tibi contradicit. Quod si volueris scire quia verus est iste lapis, sic cognoscere poteris : lacte et melle commixto, circumfunde lapidem, et pones eum, et non sedebit ibi musca, sic eam ex-

(1) *Perficiet* cod. — (2) *Syrtios* ib. Plin. l. l. 67. — (3) *Lucaniam*. Interpolatio Pliniana. Cf. XXXVII, 67, 2. Isid. l. l. XIV, n. 10. In codice : *Amigeron scribit : Vir integer et potens vincisset*. — (4) *Agere*, et infra : *aliquid educere* ib. — (5) *Caphniten* cod. Marbod. c. 62, Beckm. — (6) *Faciendum* cod. quæ mutari, ut legimus, jubet aperte censura Plinii de jaspide fumo infecta, quam et Capniaten dici monet : « Libet obiter, inquit, vanitatem magicam hic quoque coarguere, quoniam hanc concionantibus utilem esse prodiderunt. » L. l. 37, 4. Nec mitior Isidorus, a quo nostra vel propius carpuntur : « Volunt autem quidam jaspidem gemmam et gratiæ et tutelæ esse gestantibus; quod credere non fidei, sed superstitionis est. » L. l. 7, n. 8. — (7) Ὀπάλλιος est veterum, juxta Beckmann, ad Marbod. XLIX *de Ophthalmio*. Cf. Plin. l. l. 21. Isid. l. l. 12, n. 3. — (8) *Obsyontes*. Siluisse de illo veteres reor, nisi sit idem cum *Obsiano*, in appendice Marbodi et Ὀψιανῷ quem infra commendat Astrampsychus. — (9) *Geracit n*. Marb. *Geranites* c. 50; Plin. l. l. 72. — (10) *Quid de te, aut* cod. Forte ordo depravatur et sic restituendum : *aut futura omnia*.

pellit. Nec putetur hanc ludibrium esse. Ex eadem mixtura circumfunde alterum lapidem qualem volueris, et videbis quanta multitudo muscarum circumvolvitur. Super hæc gratissimos facit gestantes et facundos ad omnes.

O imperator piissime, non credunt legentes veras esse potentias lapidum, quia non experiuntur : omnia tamen dicta a nobis et scripta [1], veniunt sanctificata.

XXVII. *Lapis Carsydonius* [2].

Carsydonius lapis sanctificatus et circumligatus aquaticos curat. Præterea qui portaverit eum a pueritia, numquam mergitur, neque vexatur. Pulchrum quoque facit gestantem et fidelem et potentem et omnia perficientem. Sculpere oportet Martem armatum aut Virginem stolatam, veste circumfusam, tenentem laurum. Consecratur perpetua consecratione.

XXVIII. *Lapis Lithites* [3].

Lithites lapis speciosus, colore subvitreo, mundo, adversus nyctalapas [4], id est adversus nocturnas aves, hoc est strigas, sive cananas [5], aptus collo et idoneus, persanat eos. Præterea in lineo panno missus, et in fronte ligatus, fluxum sanguinis stringit. Sciet autem qui eum portat, futura prædicere, et infirmos prohibet aliena loqui, et languores expellit. Circumligatus, nervos etiam et verrucas corporis sanat, applicatus ea parte ubi dolor est. Insuper, si quis eum consecratum habuerit in domo quæ incenditur, si cauma contigerit, continuo extinguit incendium. Iste autem lapis Vulcano est consecratus.

XXIX. *Lapis Topatozontes* [6].

Topatozontes lapis tutamentum optimum est. Ad divinationes aquatiles aptissimum est. Quod si quis uvæ marinæ [7] vinum biberit, et insaniat, trito lapide super craticulam, cum aqua da furioso bibere. Deinde apta ei lapidem circa collum, et sanabitur. Sacrificantibus etiam propitiantibusque Deo utile est. Suasionem enim habet secum et impetrationem, et gratos facit gestantes. Sanctificatus perpetua consecratione.

XXX. *Lapis Magnitis* [8].

Magnitis lapis magnas virtutes habet. Plenus est spiritu, hoc est attrahit quod appositum ferrum [et] retinet. Invenit autem eum Cholchis [9]. Hoc dicunt usum in magica. Medium vero nomine, de Mediodon [10], præter quem quærendus. Inde Medi qui per omnem horam eo usi sunt ex claritate duodecim signorum... Hujus lapidis potestatem vere omnes Magi confirmaverunt, quasi maximas habentem potentias, et sic invenerunt quemadmodum tentarent uxores suas de charitate erga se, an benivolentiam semper custodirent, et cognoverunt diligenter [11]... Dormientis uxoris subtus caput posuerunt latenter lapidem, ut, si erat adultera, de lecto in pavimentum caderet. Concordia secum quoque habet, quum rex per eum maritos cogit reverti ad mulieres, sed etiam uxoribus maritos restituit... Hic lapis gratiosum et obsequentem facit portantem

(1) *Scripta* cod. forte *stricta*. Ea vero partim in margine, partim mutila. Etsi vix meminit obiter Geraciten Plinius, non intactam reliquit Magorum vesaniam : huc enim refer quibus apud eumdem ii vapulant, supra p. 328, n. 2. — (2) *Carsydonio* cod. et Marb. 6; Plin. l. l. 39? — (3) *Lathiten, lythiten* cod. In Marbodo et Plinio non comparet. — (4) *Nyctalopas* melius. Significat quoque morbum. Inde notatur apud Marcellum Empiricum, n. 8 : « Ad nuctalopas abolendas lychnitem lapidem adhiberi. » Eadem in cod. 8454, paulo brevius ex alia versione : « *Lychnites* ... adversus noctilepas, i. e. nocturnas aves, i. e. strygas, collo gestatus valet. Missus in lineo mundo et collo ligatus, sanguinem sistit. Qui autem eum gesserit futura prædicet; alienationes ab infirmis pellit. Insuper s. q. e. c. h. et domus accendatur casu, continuo e. i. » — (5) *Cananas*, glossariis vox inaudita, forte deducenda e glossa barbara : *χάνειν, perdere, ἀπολλύναι*. — (6) *Topatontes* al. — (7) *Uva marina* (œufs de seiche, Littré ad Plin. IX, 1, 3; XXVII, 49; 53, 7). In quibus locis videtur intelligere sepiarum ova, quæ simul juncta, uvarum botryones repræsentant. — (8) *Magnitis*. Marbod. c. 19; Plin. XXXIV, 42; XXXVI, 25. — (9) *Cholchis*. Forte notandum Nostri silentium tam de magnetis inventore quem refert Nicander, quam de India patria hujus lapidis, teste Lucretio ; immo quum hic diserte asseritur inventorem esse nomine Cholchim [an Medeam?], videant eruditi an dirimatur quæ nonnihil eos facessivit controversia ad Plin. XXXVI, 25, 2, ubi cum Salmasio legunt optima exemplaria : *Lapis Idicus* et *in Ida ita primum*, dum ibidem alii retinent : *Lapis Indicus* et *in India*. — (10) *Mediodon*. Cf. supra c. 21, *Medius*, not. 9. Lacunas punctis demonstrare satis erit. Totus hic locus variis vitiis laborat in codice, ubi legere videor : *Pt'que quem quærend' inde Medi qui per omnem horam eo usi sunt claritatem ex duodecim signorum. Hic lapis potestas n̄o* [uo forte] *omnes magi confirmaverunt*. — (11) *Diligenter*. Eadem de magnete

Ex codd. Parisiens. 2424, 2421, 2422 [A, B, Γ], sæc. XIV, XV, XVI, ultimo e secundo, secundo ex antiquiore descriptis; quibus continentur astrologica opera Astrampsycho ascripta. Ad calcem eorum exstat ultimum *de Lapidibus* caput, sive opusculum quod mox daturi sumus: quod porro excipiunt loca Damostrati et Timothei, cæteraque ἀλιευτικά. Teste vero Suida, post Ælianum, scripsit Damostratus *de Re piscatoria* lib. XX, unde forte ea quæ hactenus inedita, neque fallimur, producimus. Plinius quoque eumdem disseruisse *de Lapidibus* innuit, lib. XXXVII, 11, 4. Solent esse veterum hujusmodi φυσικὰ sensu planiora quam ut qualicumque indigeant interpretatione.

(1) Ὅτι φώκης. Non est cur habeantur ea tamquam jejuna rerum capitula, quum Æliano, aliisque rerum naturalium scriptoribus frequens admodum sit, vel ab initio integræ θέσεως, ea uti particula ὅτι, qua brevius dicant quæ [illegible], sive [illegible], data occasione, sive numquam eadem repetere in animo sit. Ut quæque invenimus, cum consensu trium codicum damus, cæteris, si lubet, discutienda. Cf. Plutarch. *de fluminib.* ubi laudatur Damostrati lib. III *de fluminib.* et Timothei τὰ περὶ Ποταμῶν et *Argolica*. — (2) Ἀπαμβλύνονται A Γ. — (3) *Timotheus*. Quæ doctissimus Orelli eidem viro competere non dubitavit Arnobii, Taciti, Plutarchi testimonia, ea Nostro lubet vindicare, donec certiora nostris certo constent. — (4) Παῖδας B, Γ. — (5) Ἔκφυσιν codd.

III. Ὅτι εἰ πυκνὰ διατρήσαις τὸ δέρμα τῆς φώκης, χρήσαιο ἅτε κοσκίνῳ· τῶν σπερμάτων τὰ διελθόντα χωρίον τι περισπείραις ἀραιὰ καταβάλλων[1]· ὥστε ὀλίγον τι ἐξαρκέσαι 5 μέτρον μεγάλῳ κύκλῳ. Χάλαζαν ἀδύνατον ἐπ' ἐκείνῳ πεσεῖν[2] τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου· τὴν δὲ ἐπ' ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ κατιοῦσαν χάλαζαν ἀνάγκη τοὺς γείτονας ὑποδέχεσθαι.

IV. Ὅτι ἐν σκιαίνῃ λίθοι φύονται δύο· ὧν 15 ὁ μὲν δεξιὸς, ἰᾶσθαι λέγεται τὰ δεξιὰ ἀνθρώπου κεφαλῆς· τὰ δὲ ἀριστερὰ, ὁ ἀριστερός.

V. Ὅτι ἁλίσκεταί τις κόχλος ἐν θαλάσσῃ ἐπιμήκης, πῦρ δὲ καλεῖται, ἀνθρώπου χειρὶ ἐοικὼς οὕτως[3] ἐχούσῃ· οὗ ἡ σὰρξ καθεψηθεῖσα ὕδατι, κατέχει τὸ ὕδωρ ἀνθρώπου νοῦν καὶ φωνὴν, καὶ λήρου καὶ μανίας[4] ἀπαλλάτει νοσοῦντας.

VI. Ὅτι τὸ ὄστρακον περιαπτόμενον γαστρὶ γυναικὸς κυούσης, φυλάσσειν αὐτὴν λέγουσιν εἰς τὸν ὡραῖον τόκον· ἐπέχει δὲ καὶ τόκον γυναικὸς ἐν ὠδῖσιν.

VII. Ὅτι ἔλο [l. ἔλλοψ] ἑψηθεὶς ἐχθροὺς εἰς φιλίαν συνάπτει.

VIII. Ὅτι κέπφου αἷμα χρισθὲν τὰ νεῦρα καὶ ἄρθρα ἀνθρώπου εἰς δρόμον ἐπελαφρύνεται.

IX. Ὅτι κύκνων ἁπαλοὺς[5] νεοττοὺς ἐλαίῳ καθεψήσαντες ἄκος νεύροις ποιοῦνται μέγα.

III.

15 *Eorumdem, ut videtur*, ἁλιευτικὰ καὶ τὰ ἄλλα.

I. Ὀκτάπουν ἁλιεῦσαι εἰ θέλεις, λαβὼν κλάδους ἐλαίας[6], ἀποκρέμασον εἰς τὴν θάλασσαν, ὅπου κρημνός ἐστι καὶ αἰγιαλὸς θαλάσσης πετρώδης. Καὶ ὅσοι ἂν ὦσι, συμπλακή-20 σονται τοῖς κλάδοις, σὺ δὲ αὐτοὺς ἀνάσπασον.

II. Ἰχθύας ἐν θαλάσσῃ ἐὰν θελήσῃς εἰς ἕνα τόπον συναγαγεῖν, οσ[.....]κύρτην κυκλεύειν, καὶ λαμβάνειν[7] πάμπολλα.

III. Ἰχθὺν ἐν θαλάσσῃ κείμενον εἰ θέλεις 25 ἐν βρώματι λαβεῖν, λαβὼν τιθυμάλλου γάλα καὶ κυκλαμίνου βοτάνης, καὶ συγκόψας φύρασον πάντα σὺν ἀλφίτοις, καὶ βάλε ἰχθύσι φαγεῖν, ὅπου ἂν ἴδῃς τὸ πλῆθος αὐτῶν, καὶ φαγόντες οὕτω κρατοῦνται, καὶ πλέουσιν ὡς οἱ νεκροὶ, καὶ τῇ χειρὶ συνάγῃς αὐτούς.

IV. Ἐάν τις τὴν καρδίαν τῆς ἀλκυόνος τοῦ ὀρνέου σὺν τῷ δέρματι τοῦ ὀρνέου [ἐν]ειλήσας[8] ἐναποκλείσῃ ἐν σωληναρίῳ χρυσοῦ, καὶ φορῇ, οὐ βλαβήσεται ἀπὸ κεραυνοῦ [ἢ ἀστραπῆς]. Περίαπτον[9] δὲ πρὸς κεραυνὸν ἕξεις· ἐὰν εἰς λίθον κεραύνιον ἐπιγράψας, ἔχῃς ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἈΦΊΑ. ἈΦΡΎΞ.

IV.

METRODORUS ET ZOROASTER.

Plinius. Gorgonia nihil aliud est, quam curalium. Fulminibus et typhoni resistere affirmant. *Hist. nat.* xxxvii, 59, 2.

30 Hujus lapidis [Coralli] hæc est virtus, ut ait Zoroaster[10] et Metrodorus: portantibus salubris est; fulmina, typhona et aquaticos serpentes fugat a nave, vel a

(1) Καταβάλων A', καταβαλὸν Γ'. — (2) Πεσεῖ B' Γ'. — (3) Ἐοικὸν οὕτως B'. — (4) Ληρὸν καὶ μανείαν A'. — (5) Ἀπαλός Γ'. — (6) Ἔλαιον A'. — (7) Κυκλεύειν καταλαμβάνειν codd. — (8) Ἀνειλίσας vox fere omnino evanida in cod. A'. Unde pariter omittitur tam in B' quam in Γ'; quos ex A' descriptos, id ostendit. — (9) Περιαπτῶν A; post. corr. περιάπτ. — (10) *Zodaster* cod. Per me sane licebit alterutrum quæras, sive Chium, sive Scepsium Metrodorum, utrumque Tullio et Plinio notum. Priori ascribitur ἐπιτομὴ τῶν ῥιζοτομουμένων et liber περὶ φύσεως (Cicero, *Acad. quæstion.*, p. 58, Lem.; Plin., *Hist. nat.* viii, 14; xx, 8; xxv, 4;

tecto vel ab agro, quocumque geratur. Tritus et aspersus in vineis et inter olivas, avertit grandinem, dat illis fertilitatem, pellit umbras dæmonicas et monstra quælibet. Dat bona initia ad quælibet officia, perducit ad finem incœpta : novem sunt virtutes [1].

5

ASTRAMPSYCHUS.

Diogenes Laertius in procemio testatur fuisse multos quosdam Magos hac successione, *Ostanas*, *Astrapsychos* (sic), *Gobryas*, et *Pazatas*, donec Persarum regnum ab Alexandro deletum est [2].

I.

Ὅσοι τῶν λίθων εἰς ἀνακωχὴν ζάλης καὶ τρικυμίας θαλάσσης.

I. Ἄνθραξ καὶ καλχηδόνιος, ἀπὸ παιδίου 10 φορούμενος, ναυαγήσαντας ὑποβρυχίους οὐκ ἐᾷ γενέσθαι.

II. Ἀδάμας καὶ ὁ γλαῦκος καλούμενος, ὁ ἐν Μακεδονίᾳ περὶ τὸ Πάγιον ὄρος, ὃς χαλάζῃ ἔοικεν, ἀποτρόπαιος μεγίστου κλύδωνος καὶ 15 τυφῶνος. Τὰ ὅμοια δὲ δύναται καὶ ὁ παρὰ Ἰνδοῖς εὑρισκόμενος ὁ τῷ εἴδει πυῤῥὸς καὶ ἀργυροειδής· κρείσσων δὲ ὁ σιδηρίζων [3].

III. Βήρυλλος, ὁ διαυγὴς καὶ λαμπρὸς, ὁ θαλασσόχροος· γλυφέσθω ἐν αὐτῷ Ποσει-20 δῶν ἐφ' ἅρματι διπώλῳ βεβηκὼς, καὶ αὐτοῖς διὰ θαλάσσης ὁδεύουσιν ἀπήμων ταῖς ταραχαῖς ἔστω [4].

IV. Δρύοψ λίθος, ἔχων τὸ μέσον λευκὸν, ἁρμόζει καὶ αὐτὸς πρὸς εὐπλοΐαν.

V. Κουράλλιος σὺν δέρματι φώκης εἰς τὸ καλχήσιον [5] τοῦ πλοίου περιαπτόμενος, ἀντιπάσχει ἀνέμοις καὶ κλύδωσι καὶ ἀκαταστασίαις παντοίων ὑδάτων [6].

VI. Ὀφιόκοιλος λίθος, γενόμενος ἐν τοῖς ὄρεσι τῆς Αἰγύπτου, ἔχων ἐν ἑαυτῷ φολίδας διεζωσμένας καθάπερ ὄφεως κοιλία· τοῦτον ἐάν τις ἔχῃ, ἀκίνδυνος ἐν ζάλῃ θαλάσσης διαφυλαχθήσεται.

VII. Ὀψίανος λίθος μέγας οὐ λίαν, ἀλλὰ ὑπόχλωρος, εὑρισκόμενος ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ Γαλατίᾳ, ὃς καὶ πίσσα καλεῖται, διὰ τὸ προστριβόμενον αὐτὸν ὀσμὴν παρέχειν πίσσης· χρήσιμος δέ ἐστι φορούμενος τοῖς κατὰ θάλασσαν καὶ ποταμοὺς τὴν πορείαν ποιουμένοις [7].

xxxvii, 11). Posterioris omnia, paucis exceptis, collegit C. Muller in *Fragment. Historic. græc.*, t. iii, p. 205. Cf. Cicero, *de Orat.* ii, 88; iii, 20; Athen. xii; Plin. ib. passim et xxxvii, 15, ubi de adamante, et 66, ubi de lapide magico, cui nomen Pancros, similia excitantur. Quin immo, ecce tibi nostra Plinius digito monstrat in verbis pro argumento relatis. — (1) *Virtutes.* E cod. Paris. reg. 8817, fol. 28, ubi ponitur is locus e regione similium versuum Marbodei, qui procul dubio eumdem hunc locum præ oculis habuit. Cf. quæ supra p. 327. — (2) *Est.* Respuenda omnino non est sententia nonnullorum, vel sub tempore Ptolemæi Philadelphi plerosque Magorum libros in græcam transiisse linguam existimantium; in quorum utique librorum catalogum velim recenseras tam hujusce auctoris τερατολογίας, quam Evacis, Damigeronis, Ostanis, Zoroastri, et aliorum, una rerum magicarum infamia conspirantium. Recentiores sane aut Alexandri Severi aut Antoninorum tempora vix non attingunt. Cur autem tam vesana proferre nihil moremur, multorum exempla sequuti, ea præcipua est causa, quod discrimen quam immane sit christianorum inter et gentilium σύμβολικά, clare inde demonstratur. Cæterum confutantur satis istiusmodi ineptiæ, ubi palam prædicantur. Ea vero vicissim conferre, quod in hoc tomo cuique promtum est, erit interpretationis instar et loco commentarii. — (3) Σιδηρίζων. Cf. supra Damigeronis c. iii, p. 326, *Physiolog.*, c. xi, p. 362. — (4) Ἔστω. Cf. Damiger., c. xxxv, p. 55. — (5) Χαλκήσιον codd. — (6) Ὑδάτων. Cf. ibid. vii, p. 55. — (7) Ποιουμένοις. Cf. ibid. xxv, 55.

II.

ΧΡΗΣΜΟῚ ΚΑῚ ΣΗΜΕΙ͂Α [1].

	ιγ.	Θεοῦ χράτος [*forte*		μζ.	Ἀζαρίας.	λγ.	πϐ.	Ναάσσων.	νη.
		Ἰεζεχιὴλ].	χ.	μη.	Φαλὴχ.	ε.	πγ.	Σαλμὼν.	πε.
	ιδ.	Ἀδὰμ.	ρα.	μθ.	Λῶμνα.	με.	πδ.	Βοὸζ.	πζ.
5	ιε.	Εὐὰ.	μδ.	ν.	Ῥεϐμὸν.	ρ.	πε.	Ῥεφὰν.	χς.
	ις.	Λοὺδ.	ςη.	να.	Ὁρὰμ..	μα.	πς.	Ῥαάσσων.	ξς.
	ιζ.	Ἀζουνᾶ.	ιθ.	νϐ.	Σεροὺχ.	λθ.	πζ.	Ἰοϐία.	ξζ.
	ιη.	Ἐνὼς.	ςγ.	νγ.	Μελχὰδ.	ια.	πη.	Μωυσῆς.	θ.
	ιθ.	Ναοὺμ.	οθ.	νδ.	Ναχὼρ.	οδ.	πθ	...	...
10	χ.	Καϊνὰν.	λε.	νε.	Ἰεσϐὰ.	ι.	ς.	Ἰησοῦς.	οϐ.
	χα.	Μαγωδὰδ.	η.	νς.	Θαῤῥὰν.	μθ.	ςα.	Φουσῆ.	ιγ.
	χϐ.	Μαλαλεὴλ.	μς.	νζ.	Θωϐὲλ.	πγ.	ςϐ.	Γοθονιὴλ.	πα.
	χγ.	Ἀρουὴλ.	χδ.	νη.	Ἀϐραὰμ.	ςδ.	ςγ.	Ἀδὲρ.	ιϐ.
	χδ.	Ἰαρὲδ.	χζ.	νθ.	Σάῤῥα.	πς.	ςδ.	Σεμεγὰρ.	νζ.
15	χε.	Βαραχίας.	οα.	ξ.	Ἰσαὰκ.	ξα.	ςε.	Μαρὰ.	χθ.
	χς.	Ἐνὼχ.	ιη.	ξα.	Ῥεϐέκκα.	οε.	ςς.	Δεϐόῤῥα.	χε.
	χζ.	Ὑνσὰ.	ιε.	ξϐ.	Ἡσαῦ.	ςϐ.	ςζ.	Βαρὰχ.	πθ·
	χη.	Μαθουσαλὴμ.	λζ.	ξγ.	Μεσραὴμ.	ς.	ςη.	Γεδεὼν.	οζ.
	χθ.	Ἐλιαχεὶμ.	νς.	ξδ.	Ἰακὼϐ.	μϐ.	ςθ.	Θολὰ.	νδ.
20	λ.	Λαμὲχ.	ρϐ.	ξε.	Ἐλία.	οη.	ρ.	Ἰαὴρ.	ξε.]
	λα.	Βοσὸρ.	λη.	ξς.	Ῥαχὴλ.	μη.	ρα.	Ἐδὼμ.	ογ.
	λϐ.	Νῶε.	λδ.	ξζ.	Ζελφὰ.	νθ.	ρϐ.	Χὰμ.	λϐ.
	λγ.	Λαμϐρὴ.	γ.	ξη.	Βάλλα.	ζ.	ργ.	Ἰωρὰμ.	ις.
	λδ.	Σὴμ.	ξη.	ξθ.	Ῥουϐὴμ.	α.	ρδ.	Ἰωνάθαν.	ϐ.
25	λε.	Σεϐουᾶ.	ος.	ο.	Συμεὼν.	ςε.	ρε.	Μηχὰ.	να.
	λς.	Χὰμ.	ν.	οα.	Λευὶ.	ς.	ρς.	Ἰουδὴθ.	χη.
	λζ.	Σαϐὰθ.	νγ.	οϐ.	Ἰούδας.	ιζ.	ρζ.	Φινεὲς.	λς.
	λη.	Ἰαφὲθ.	δ.	ογ.	Ἡσάχαρ.	χϐ.	ρη.	Σαμψὼν.	ξγ.
	λθ.	Ἀδαμὰ.	ςς.	οδ.	Ζαϐουλὼν.	π.	ρθ.	Ἄννα.]	πϐ.
30	μ.	Ἀρφαξὰδ.	μ.	οε.	Δίνα.	ξ.	ρε.	Ἔλκανα.	πη.
	μα.	Σαρασὰρ.	χα.	ος.	Θαμάρ.	πδ.	ρια.	Σαμουὴλ.	ςα.
	μϐ.	Καϊν.	χγ.	οζ.	Φαρὲς.	μγ.	ριϐ.	Ἰεσσαὶ.	ςϐ.
	μγ.	Μολὼχ.	ο.	οη.	Ζαρὲς.	ιδ.	ριγ.	Δαυὶδ.	ςζ.
	μδ.	Σαϐὰ.	ςθ.	οθ·	Ἐσρὼμ.	νε.	ριδ.	Βηρσεϐεὲ.	ργ.
35	με.	Μεμφιϐοσὴθ.	ξϐ.	π.	Ἀρὰμ.	λ.	ριε.	Μελχὰ.	μζ.
	μς.	Ἔϐερ.	λὰ.	πα.	Ἀμηναδὰϐ.	ξδ.	ρις.	Σολομὼν.	ξθ.

(1) Σημεῖα. Ex iisdem codd. Parisiensib. n. 2424, 2421, 2422. Exstat in primo, p. 228. Nihil in iis ab initio deest, quod omissis numeris ad IB respondeat. Cæterum ut cabbalisticis istiusmodi columnis lux aliqua daretur, non solum omnia Astrampsychi opera quæ latent, sed alia bene multa simul essent in lucem edenda, quod nec ego, neque alius certe faciet. Qualiscumque vero sit horum χρησμῶν auctor, qualisve sensus, non abs re sit inde deducere Judæos inter et magos vetus intercessisse commercium impiumque συγκρητισμόν.

ORIGENES.

FRAGMENTA ET BIBLICÆ INTERPRETATIONES

E GLOSSARIO ANSILEUBI EXCERPTA.

I. Achrabin interpretantur Scorpiones.

II. Aman interpretatur Iniquitas.

III. Amatheus interpretatur Delinquens.

IV. Amorrhæi interpretantur In amaritudine adducentes vel Loquentes.

Amorrhæus interpretatur Amarus, vel Amaritudo.

V. Amoth interpretatur Aqua paterna.

VI. Aoth — Habitatio.

VII. Araba — Insidiæ.

VIII. Aram — Altus.

IX. Aaron — Arcus.

X. Arothei — Scotomatus [1].

XI. Asaph — Congregans.

XII. Aunam — Mœror eorum.

XIII. Azer — Occisus.

XIV. Balla — Inveterata.

XV. Bamoth — Adventus noctis.

XVI. Basan — Siccitas.

XVII. Baasa — Pinguedo.

XVIII. Beelsehon — Ascensio speculæ, vel Speculam [habens].

XIX. Beelfegor Species turpitudinis interpretatur.

XX. Butyrum ex animalium lacte colligitur. Quaqua autem sit lactis natura, tamen jam pinguior et crassior et solidior materia est. Quod tamen aut frequenti agitatione aut concussione assidua cohibetur in se, atque solidatur. Denique quum fit serum de lacte, separatur et oleum delibutum efficitur.

XXI. Cades interpretatur Sanctum vel Sanctificans vel Sanctificatio.

XXII. Chaldæi Feroces interpretantur.

XXIII. Caleth interpretatur Quasi cor.

XXIV. Chaos locum vel habitaculum esse novimus contrariarum virtutum, quarum rex et princeps est Zabulus.

XXV. Carmin interpretatur Vinea mea.

XXVI. Cascama — Uberatio.

XXVII. Cebron — Conjunctio vel Conjugium.

XXVIII. Cobar — Primitivus.

XXIX. Coccum græce, nos Rubrum seu Vermiculum dicimus : quamquam autem una sit cocci et purpuræ materia, id est lana, magna tamen distantia est intra coccum et purpuram : nec enim purpura tali lumine illuminata, ut tanto splendore prævaleat, licet ruborem et ipsa commodet. Sed si cocci muricem subleves, relucet elevatus, fulgorem excutit [3], ut dixi, una materia, id est lana; tamen ut hæc pulcherrima de colore, ita et illa de nitore sublimior.

XXX. Eliphaz interpretatur Domini contemtor.

XXXI. Phace interpretatur Os aperiens.

XXXII. Gai [4] — Chaos.

XXXIII. Gog et Magog [5], id est Gog Te-

E codd. Parisiens. olim Sangerm. 12, 13, sæc. VIII, et cod. Turon. sæc. XI. Contuli ad similia Hieronymi opuscula, ut multa videatur e nostris accepisse, multa reliquisse intacta, quæ vetus ille glossarii auctor, quem Ansileubum dicunt, sedulo collegit. Neque etiam putem eum Rufini aut Hieronymi versiones Origenianas defloravisse tantum; potius enim ipsummet Origenis librum de Nominibus hebraicis, aut aliam et locupletiorem quam editam ejusdem operum interpretationem ad manum habuit, qualem, ut vidimus in *Spicileg.*, t. I, p. II, sive Joannes diaconus, sive Victor Capuanus, auctores sæc. VI, in suis collectaneis partim inseruerunt. Cf. *Spicil. Prolegom.*, t. I, p. 30 sqq. Scripturam codd. Sangerm. stricte servamus.

(1) *Scotomatus.* Ansileubus suimet erit interpres, neque inelegans : « Scotoma, inquit ad h. v. ab accidente nomen sumsit, quod repentinas tenebras ingerat oculis, cum vertigine capitis. Scotomatici sunt qui gyros patiuntur, aut ante oculos assidue volitare caliginosa volumina circa ora (*horam* cod.) sibi videntur. » Notum aliunde verbum *Scotomatare* a Theodoro Prisciano. Jam vero quid *Arothei*, vel *Azothei* sit, totum me fugit. Absonæ videntur aut depravatæ interpretationes 3, 5, 10, 13, 26, 28, 36, 42, 52, quas excutere longum erat. — (3) *Relucet elevat fulget excussit* cod. vitiose. — (4) Γαών in lexico Origeniano apud Hieronym. — (5) *Magog.* Præmittitur in glossario : *Origenis in Levitico.* Nihil simile exstat in editis.

ctum, Magog De tecto [1]; gentes significantur, in quatuor cardines terræ diffusæ, in quibus diabolus nunc in abyssum inclusus tegitur, quia non tantum quantum vult nocere permittitur. Postea vero, in apertum ad nocendum valde veniens, detegetur. Gog super tecta interpretatur, et in loco isto non pro gentis alicujus nomine, ut putatur, positum est; sed, ut in aliis nonnullis [locis], ipse sermo Hebræus non interpretatus relictus est, et ob hoc quasi de gente [2] aliqua dictum videtur. Est ergo sermonis consequentia talis : « Et exaltabitur super terram regnum ejus, et crescet regnum ejus. »

XXXIV. Jacob interpretatur Luctamen.

XXXV. Joab — Inimicus.

XXXVI. Joachaz — Robustus.

XXXVII. Johas — Sperans vel Domini robur.

XXXVIII. Kahat — Confirmatio.

XXXIX. Maceloth — Principatus.

XL. Machæras petrinas, in Jesu Nave, hoc est cultros petrinos [intelligunt?].

XLI. Magdalum interpretatur Turris.

XLII. Mateca — Nova mors.

XLIII. Mesopotamiam Elevatam vocationem quidam interpretati sunt.

XLIV. Nabuchodonosor, Prophetia lagunculæ angustæ, sive Prophetans (istiusmodi signum, pro somnio scilicet futurorum quod vidisse narratur, et Daniel interpretatus est), sive Sessio, in agnitione angustiæ, pro his qui in captivitatem ab eo ducti sunt. Duo autem Nabuchodonosor fuere, unus qui transmigravit Jerusalem, alius qui miserat Holophernem quem occidit Judith.

XLV. Nachor Requies luminis interpretatur.

XLVI. Psalterium, genus organi musici est, quod artifex manu continet, licet per ordines symphoniarum psallente spiritu, modulamine quodam expressa sonorum suavitas, quasi cantatio, videatur amœnum canticum : sed psalmus de psalterio nominatur, canticum vero simplici voce cantantis exprimitur.

XLVII. Raphael interpretatur vel Medicina [vel Spiritus] Dei; ubicumque enim curandi et medendi opus necessarium est, hic archangelus a Deo mittitur, et inde medicina Dei vocatur; unde et ad Tobiam idem archangelus missus, oculis ejus curationem adhibuit, et cæcitate detersa, visum restituit. Nominis interpretatione et angeli officium designatur.

XLVIII. Rafidim interpretatur Laus judicio. Rafidim, Sanitas judicii.

XLIX. Ramesse in nostra lingua interpretatur Comestio tineæ.

L. Rathma Visio consummata interpretatur.

LI. Remnon fares [Remmon phares] in nostra lingua Excelsa interpretatur.

LII. Ressa, quod apud nos dici potest Visibilis.

LIII. Salamin interpretatur Pacifici.

LIV. Salmana — Umbra commotionis.

LV. Senane — Abundantia.

LVI. Sidones — Venatores.

LVII. Sileat, Metuat in Zacharia : « Sileat omnis caro a facie Domini. »

LVIII. Sin Rubus intelligitur, sive Tentatio.

LIX. Tibin [3] genus est vasculi in modum scrinii, ex virgultis agrestibus textum, de quo in Exodo dicitur : « Sumsit autem mater Moysis tibin, et linivit eam pice et bitumine, et misit infantem in ea, et posuit eam ad ripam fluminis. » Hoc autem vasculum ex hebræa lingua alii Capsam, alii Cistulam interpretati sunt, quod nos expressius, ut jam dixi, scrinium appellamus, quia illic plerumque omnia solent scripta reponi. Denique hoc vas ex multis virgultis silvestribus in unitate sui contexitur. In lingua Ægyptia *Invarius merses* (*sic*) dicitur.

(1) *Detectum* cod. — (2) *Detegente* cod. — (3) *Tibin.* Juxta LXX qui vocem hebraicam retinuere : ἔλαβεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θίβιν תיבה [Exod. II, 3]. Id quidem editoribus Origenis notatum, iisdem vero defuit luculenta nostra expositio. Eo loco pariter illustratur Is. XVIII, 2, ubi LXX : Ὁ ἀποστέλλων ἐν θαλάσσῃ ὅμηρα, καὶ ἐπιστολὰς βιβλίνας ἐπάνω τοῦ ὕδατος. Ibidem veteres lat. interpretes : *Qui mittis in mari obsides, et epistolas biblinas super aquam.* Quibuscum consentit arabicus interpres. Coptica quæ in fine attinguntur, velim periti excutiant.

TICHONIUS AFER.

SEPTEM SCRIPTURÆ S. REGULARUM SIVE CLAVIUM EPITOME.

Hæc sunt Tichonii.

I.

Prima regula est de Domino et de corpore ejus; id est quod de uno ad unum loquitur, atque in una persona modo caput, 5 modo corpus ostendit. Una enim loquitur, dicens : « Sicut sponso imposuit mihi mitram, et sicut sponsa ornavit me ornamento [1]. » Primo notandum est in Scripturis, quando specialiter caput scribitur, 10 quando corpus et caput, quando autem ex utroque transeat ad utrumque, aut ab altero ad alterum; sicque quid capiti, quid corpori conveniat, prudens lector agnoscat.

II.

Secunda, de Domini corpore vero et per-15 mixto. Sic enim ad omnes sub una persona loquitur Scriptura, ut boni redarguantur cum malis, et mali laudentur cum bonis. Ad hoc pertinet in Canticis : « Fusca sum, sed formosa, ut tabernacula Cedar, ut pelles 20 Salomonis [2]. » Et hoc est propter communem sacramentorum et temporariam commixtionem, intra una retia piscium bonorum et malorum. Non tamen semper in uno erunt; ipse est quippe ille servus comme-25 moratus in Evangelio, cujus Dominus, quum venerit, dividet eum, et partem cum hypocritis ponit [3].

III.

Tertia regula est de littera et spiritu, id est de lege et gratia : lege, per quam ad facienda præcepta monemur; gratia, per quam ut operemur, vivamus. Vel quod lex non tantum historice, sed et spiritualiter intelligenda sit. Namque et historice oportet fidem tenere, et spiritualiter legem intelligere, ut lex fidei, fides jungatur legi.

IV.

Quarta regula est de genere et specie, per quam pars pro toto, et totum pro parte accipitur. Pars est aliquis populus vel civitas; totum, universus orbis. Et sæpe transitus fit de genere ad speciem, de specie ad genus, quemadmodum Dominus ad Babyloniam loquens, transit ad universalem mundum, dicens : « Et disperdam omnem terram, et visitabo super orbem mala [4], » et cætera ad intentionem mundi pertinentia. Rursus ad eadem, quasi de genere ad speciem, vertitur dicens : « Ego suscitabo super eos Medos [5]. »

V.

Quinta est de temporibus, per quam aut pars maxima temporis per partem minorem intelligitur, aut pars minima per majorem. Sic de triduo Dominicæ sepulturæ est, dum nec tribus diebus aut noctibus plenis jacuerit in sepulcro. Duobus autem modis valet hæc regula : aut tropo synecdoche, quod expositum est; aut legitimis numeris, quos eminentius divina Scriptura commendat. Sic septenarium, et denarium et quid-

E codice Sangenovefano CC. l. 2, sæc. xii, fol. 19, collato cum duobus Bruxellensib. 1485 et 1494. Tichonii Donatistæ laudes non omisere Gennadius (c. 18), Augustinus (*Epist. Parm.*, lib. i, c. i; *de Doctrina christ.*, lib. iii, c. xxx, n. 42; epist. xli, 2, etc. Cassiodorus (*de Justit. D.* l. x). Quanti porro fecerint ejusdem regulas de interpretandis Scripturis nihil præclarius testatur quam quod eosdem tum Augustinus Magnus, tum doctissimus Isidorus in compendio redactas suismet intexuerunt voluminibus (Cf. Aug., *de Doct. christ.*, lib. iii, c. 30-37; Isid, *de Sentent.*, lib. i, c. 19.) Ecce autem ab utraque tantorum virorum epitome omnino nostra differt, priore quidem multo brevior, fusior vero posteriore, nec alterutra, uti videtur, multo recentior : quin auctor hic noster quicumque sit, sua cæteris ignorata profert.

(1) *Ornamento.* Is. lxi, 10, secund. lxx. — (2) *Salomonis.* Cant. i, 4. — (3) *Ponit.* Luc. xii, 45; xix, 21; Matt. xxiv, 51. Hic propius ad Augustinum accedit. — (4) *Mala.* Is. xiii, 10, 7. — (5) *Medos.* Is. xiii, 17.

quid alii sunt, qui pro universitate ponuntur, vel per se, vel per multiplicationem, quos non ad tempora, sed ad homines constat pertinere.

VI.

Sexta est recapitulatio, quum in aliqua narratione ad priora quæ prætermissa sunt, latenter revocatur narratio. In qua nisi intelligitur, erratur. Sicut in Genesi : « Et plantavit, inquit, Deus paradisum, et posuit in ea hominem, et produxit ad huc Deus de terra omne lignum speciosum [1]. » Ita videtur dictum, tamquam id factum sit, postea quam posuit hominem in paradiso; quum breviter utraque commemorat [2], 15 id est, quod plantavit Deus paradisum, et quod posuit ibi hominem; recapitulando redeat ad id quod prætermissum erat, scilicet quomodo plantavit paradisum, quia « produxit adhuc de terra omne lignum specio- 20 sum; » et sequutus adjunxit de ligno vitæ, de ligno scientiæ boni et mali, et alia per ordinem, quæ pertinent ad instructionem [3] paradisi; quam ubi terminavit, repetivit illud quod jam dixerat. Et revera hoc sequebatur : « Et consumsit Deus hominem quem finxit, et posuit in paradiso. » Post ista enim facta, ibi positus est homo; non post hominem positum, ista facta, sicut prius dictum putari potest, nisi recapitulatio ibi vigilanter [4] intelligatur, quia reditum est ad ea quæ fuerant prætermissa.

VII.

Septima est de diabolo et ejus corpore. In hac sicut in prima vigilandum est, quum de una eademque persona loquitur quid capiti, quid corpori conveniat. Sicut in Isaia, ubi dum contra Babyloniam dixisset sermo propheticus, rursus ad caput, id est ad diabolum, sententia dirivatur, decens : « Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, mane oriens [5] ? » Et cætera.

S. NILUS SENIOR.

EPISTOLA S. NILI MONACHI AD NEMERTIUM SCHOLASTICUM, ANASTASIO, UT VIDETUR, INTERPRETE.

ARGUMENTUM.

25 Quid significent in ecclesiis luteres, columna, porta, lapides, throni, gradus.

Quædam Ecclesiæ symbola interpretari tibi rogasti. Propter quod scribo, quia luteres indicant purgationem animæ.

Columnæ autem divina significant do- 30 gmata.

Porta vero, quæ illucescit ad orientem, glorificationem characterizat sanctæ et consubstantialis et adorandæ Trinitatis.

At vero lapides bene stabilitarum et pro- 35 ficientium animarum protestantur collegium.

Porro throni et gradus atque sedilia diversas animas designant, in quibus Sancti Spiritus donationes insident, sicuti et prius, in his quæ circa beatos erant apostolos, super quos linguæ sederunt tamquam ignis.

Cæterum episcopalis thronus qui in medio cunctorum presbyterorum est, cathedram insinuat magni pontificis, Domini nostri, Jesu Christi.

Usque ad hæc consuluisti, et usque ad hæc et ego compendio fere scripsi.

(1) *Speciosum*. Genes. II, 8. Totum hoc exemplum, quod Tichonio deest, de Augustino Noster accepit. — (2) *Utroque commemorata*. August. — (3) *Institutionem, paradisi quod ubi*. August. — (4) *Violenter* cod. — (5) *Oriens*. Is. XIV, 12.

E cod. Camerac. 711, sæc. IX, in quo nihil inest quod non sit impigerrimi Anastasii opus; unde et epistolii versionem eidem interpreti assignare par est, quæ utique Anastasianam vertendi scribendique rationem, teste gnaro quolibet, luculenter exprimit. Necesse erit alia nobis sit occasio ad illum codicem et ea quæ eo continentur, revertendi. Manum igitur de tabella.

SANCTUS PATRICIUS,

HIBERNORUM EPISCOPUS.

PROLOGUS AD LIBRUM DE TRIBUS HABITACULIS.

Incipit prologus sancti Patricii episcopi libri.

I.

Perge, carina :
Per mare longum,
Christus in unda
Sit tibi ductor.
5 Remige tuto,
Sidere sudo,
Curre, carina.
Per mare curvum
Palidulumque,
10 Discute fructus
Roscida tetros,
Nauta regente,
Flamine dextro.

II.

Perge, libelle :
15 (Angelus adsit)
Per mare latum,
Visere sedem,
Præsulis istam
Scilicet almam.
20 Si valet ille,
Dignus honore,
Dulcis amore,
Pelle mœrorem ;
Gaudia pange,
25 Nocte dieque,
Voce canora,
Solis adusque
Sidera summa.

III.

Pagina, curre :
30 Per crucis altæ
Robora sancta,
Vela tumescant ;
Per freta pura,
Disce marinos,
35 Tuta carina,
Currere campos.
Assimilare
Dira, marina,
Monstra, natatu,
40 Æquore mira.

IV.

Perge, libelle :
Lætus in undis
Ibis et austris.
Squamea turba
45 Te comitabit,
Atque celeuma,
Carmine dulci,
Æquoris imo,
Forte sonabit.

Ex cod. Trecensi, n. 1562, sæc. XIII, olim Cl. V. Bouhier, qui sua manu ad Patricii versiculos enotavit hæc : « Patricii, Hibernorum episcopi, *liber de Tribus habitaculis*, cum prologo metrico, quem in editis omnibus deesse puto. Sane non comparet in *Append.* t. VI. Opp. S. Augustini a gallis Benedictinis edit. p. 159. » Neque etiam ejusdem prologi vel ulla mentio inest nuperrimæ et locupletissimæ editioni operum omnium S. Apostoli Hibernorum, quam procuravit Villanueva, Eboraci, 1835. Quidquid statuatur de auctore elegantis sane poematis, nolui a titulo in codice præfixo recedere.

V. 6. *Sudo*, *siccum* enotavit Boherius in margine. — V. 8, 9. *Per mare cavum*, *pallidulosque* cod. — V. 18. Respicit Præsulem in Britannia degentem, diserteque infra, v. 57, memorat *Anglica* rura. Quid plura jam, ut auctor certe Patriciano ævo recentior habeatur? — V. 40. *Æquora mira* cod. — V. 46. *Celeuma*, cantus nautarum, maxime in prosperis. Vid. Cang. *Nota Boherii.*, v. 49. *Sonabis* cod.

V.

50 Curre, carina,
Læta per undas :
Cornua veli
Sint tumefacta
Flatibus Euri,
55 Nec nube flabra
Obruat error;
Anglica rura
Tramite recto
Usque feraris.

VI.

60 Pagina, perge :
Mente sequaci
Te comitabor.
Ducor amore
Pacis, alumnos
65 Visere caros;
Christicolisque
Præsidis almi.
Omnibus æque
Solve trigenas
70 Rite salutes,
Ordine pulchro.

VII.

Perge, libelle,
Carmine claudo;
Patriciique
75 Mente fidelis
Rite sodali
Mille coronas
Posce salutis.

Explicit Prologus.

Incipit liber S. Patricii episcopi. [Ut in edit. S. August. Bened. t. VI, p. 159.]

Invocatio Sancti Patricii episcopi.

O Deus omnipotens, cœlorum dyndima [1] complens,
Remige glaucicomos Thetis alti comprime fluctus.

SANCTUS EUCHERIUS,

EPISCOPUS LUGDUNENSIS.

FORMULÆ MINORES.

Incipiunt glossæ spirituales juxta Eucherium episcopum.

1 Agricola. . . . . Deus.
2 Ager. . . . . . . mundus.
3 Aures Domini . . Exauditio divina.
4 Arcus. . . . . . . Intentio comminationis Domini.
5 Arma Domini . . Adjutorium ejus in sanctos.
6 Aquilo. . . . . . Diabolus, vel homines infideles.
7 Aquilo. . . . . . ventus... [Diabolus.]
8 Auster. . . . . . Calor fidei.
9 Aer . . . . Inanis enuntiatio.
10 Æstas. . . . . . Venturæ jucunditatis præfiguratio.

(1) *Dyndima, excelsa cœli tabernacula*, nota codicis.

Ex duobus codd. Bruxellens. 9358, sæc. X (A); 5456, sæc. XII (B); — et tribus codd. Leydens. scilicet *Univers. publ.* 67, sæc. fere VIII (C); uno *Vossian.* 38, sæc. IX, fol. 196 (D); *Vossian.* altero 44 (E). Is ultimus recentior, manu Nansii, juxta apographum Vossii, cujus est hæc nota eidem præfixa : « Glossarium vetus membranaceum nactus sum olim, velut laceram tabellam e naufragio celeberrimæ bibliothecæ quæ erat Gandavi, in Abbatia S. Bavonis, cujus nulla fuit in Belgio veterum codd. mss. copia atque præstantia par. Hujus exempli est quod subjicitur. » Transumtum vero fuisse Vossianum apographum ex antiquissimo exemplari conjicere libet ex multarum vocum scriptura, qualia sunt *costodia, tortor, attinuatio, triboli, parvolus, scabillum, bipinnis, diabolos,* etc. Piget addere dimidiam fere glossarum partem ab initio in illo codice deesse.

5. *Adjutoriæ* B. *Adjutoria* C. — 7. Mutila videtur

11	Anni	pro Æternitate accipiuntur.
12	Arida.	Infructuosa hominis caro.
13	Arbor.	Homo.
14	Aqua.	Populi.
15	Amici.	Concordes in Deo.
16	Aures.	Obaudientia fidelis.
17	Adeps.	Pinguedo gratiæ divinæ.
18	Arma.	Interiores homines.
19	Azymum	Sine fermento malitiæ.
20	Acetum.	Asperitas corruptæ mentis.
21	Abyssus.	Profunditas Scripturarum.
22	Abyssus.	Aquæ immensitas.
23	Abyssus.	Ineffabilia judicia Dei.
24	Abyssus.	Infernus.
25	Abyssus.	Corda hominum.
26	Abyssus.	Sapientia.
27	Ascia.	Pravorum persequutio.
28	Annulus	Signaculum fidei.
29	Aurum	Interior Scripturarum sensus.
30	Argentum. . . .	Eloquia divina.
31	Aer.	Vanitas, vel Inanitas fidei.
32	Ædificare. . . .	Bona opera facere.
33	Ambulare. . . .	Ad Dominum tendere.
34	Ascensus.	Profectus in Deum.
35	Areta et districta	in tribulationibus.
36	Aspera	Inobedientia.
37	Arca	Ecclesia.
38	Area.	Caro Dominica, vel Corda sanctorum.
39	Altare.	Fidei altitudo.
40	Ægyptus	Mundus, vel Gentilium plebs.
41	Æthiopia	Ecclesia de gentibus.
42	Brachium Dei. .	Filius, per quem operatus est.
43	Baculus Dei. . .	Sustentatio consolationis Dei.
44	Botrus	Ecclesia, vel Corpus Domini.
45	Bestia.	Diabolus, vel Homines mali.
46	Boves.	Apostoli.
47	Bipennis.	Geminata ultio.
48	Byssus	Castitatis, continentiæ candor.
49	Babylonia. . . .	Mundus.
50	Bravium	Consummatorium.
51	Currus Dei . . .	Sedes Dei.
52	Carbones	Ignis charitatis.
53	Cœli	Apostoli.
54	Coruscationes. .	Splendores Evangelii.
55	Caligo.	Divinorum secretorum operimentum.
56	Colles.	Sancti, vel Minores merito.
57	Campi.	Sancti, sive Scripturæ divinæ.
58	Cultura.	Sancti.
59	Condensa	Opaca, vel Contecta [Scripturæ divinæ].
60	Cedri.	Excelsioris potentiæ viri.
61	Corvus	Nigritudo peccatoris.
62	Columba	Spiritus sanctus.
63	Cervus.	Spiritus, vel Sancti.
64	Camelus.	Divitiæ sæculi.
65	Capræ.	Veluti ex gentibus venientes.
66	Canis.	Diabolus, vel Judæus.
67	Cadavera	Infidelium corpora.
68	Caput.	Christus.
69	Capilli	Ornatus justitiæ.

distinctio et ab edito supplenda. — 12. *Infructuosi homines, caro* E. — 15. *Concordis a Deo* C. — 18. *Anteriores hominis* C, D. Editus integrior : *Arma interioris hominis* in Apostolo : « Induti loricam [Eph. vi, 13], etc. » — 25. In solo D. — 38. Deest in A. *Corda hominum* C. — 36. In solo D. — 40. *Gentilium populus* C. — 42. *Brachium Domini* codd. minus bene. — 44. *Deest in* C. *Ecclesia et corpus* A, B, D. — 43. *Baculum* codd. — 48. *Continentiæ candor* C, D. — 50. *Brachium* A, C. — 56. *Sancti, sed* A, B *Sanct. sunt* C. Hæc frequentia. — 59. *Opaca vel contecta* C, D, cf. edit. 744 C. — 60. *Excelsiores* A, B, C.

	No.	Vox	Significatio
	70	Caro	Homo exterior.
	71	Calcaneum . . .	Supplantatio.
	72	Cilicium	Pœnitentiæ testimonium.
	73	Cingulum. . . .	Spiritualis operis connexio.
5	74	Calceamenta. . .	Præparatio pacis.
	75	Coagulatum. . .	Vitiis concretum.
	76	Calix.	Domini passio.
	77	Cibus.	Sermo, vel Voluntas Domini.
	78	Cophini.	Apostoli.
10	79	Cathedra	Doctrina.
	80	Cinis.	Humanæ fragilitatis vetustas.
	81	Candelabrum . .	Ecclesia.
	82	Clavis.	Adapertio scientiæ.
	83	Clavis.	Justitiæ reseratio.
15	84	Chlamys	Laudis ornatus.
	85	Currere.	In operibus bonis proficere.
	86	Chirographum. .	Conscriptio hominis.
	87	Circumcisio. . .	Exspoliatio vitiorum.
	88	Cornu	Fortitudo, vel Regnum.
20	89	Cives	Fidelis.
	90	Cœnaculum. . .	Altitudo fidei.
	91	Columna	Firmamentum.
	92	Cithara.	Pectus devotum.
	93	Chorus	Concordia.
25	94	Cymbala.	Labia.
	95	Corona.	Æterna gloria.
	96	Dextera Domini.	Filius Dei.
	97	Dexter.	Diabolus.
	98	Dama.	Christus, vel sancti.
30	99	Draco.	Diabolus.
	100	Dives	Fideles.
	101	Dextera	Opera bona.
	102	Duo Lapides. .	Duo testamenta.
	103	Duo Cherubim.	Duo testamenta.
35	104	Destruere . . .	Mala opera exercere.
	105	Dormire. . . .	Transitus apud Christum.
	106	Dormire. . . .	Peccatorum sopor.
	107	Descensus . . .	Defectus a Deo.
	108	Directe.	A præceptis Dei.
	109	Doctrina. . . .	Secretiora.
	110	Domus.	Anima.
	111	Decachordum .	Præcepta decem.
	112	Elephantus. . .	Peccator immanis.
	113, 114	Erinaceus vel Lepus	Gens invalida, in malam partem.
	115	Equus.	Vir sanctus.
	116	Filius	Populus credentium.
	117	Filia.	Anima fidelis, sive Ecclesia.
	118	Fames.	Judicii intellectus.
	119	Fel	Amaritudo malitiæ.
	120	Fæx.	Ultimum judicium.
	121	Farina.	Opus bonum.
	122	Festuca	Peccatum levius.
	123	Funis	Sursum hæreditas.
	124	Funes	Peccata.
	125	Funes	Hæretici, vel Pseudoprophetæ.
	126	Ferrum	Tribulatio.
	127	Fictile.	Fragilitas carnis.
	128	Fovea	Dolus, vel Lapsus.
	129	Filii Sion . . .	Filii Ecclesiæ.
	130	Fundamentum.	Christus, vel Fides.
	131	Fenestra. . . .	Visus, vel Auditus.
	132	Framea	Ultio divina in impios.
	133	Fulgura	Virtutes, vel Verba Christi.
	134	Finis.	Vitæ vel Sæculi consummatio.
	135	Fenum	Caro, vel Vana gloria.
	136	Flores.	Christus, vel Sancti.
	137	Folium	Sermo doctrinæ.
	138	Ficus	Synagoga.
	139	Fontes.	Baptismus.
	140	Flumina. . . .	Infidelium populi.
	141	Fluctus	Tentationes.
	142	Formica. . . .	Providus, vel Operarius.

86. *Syngraphum* C. — 94. *Labia Deum confitentia* B. — 97. Distinctionem vide expositam in Eucherio col. 740 D. — 105. *Transitum* codd. 106. In uno B. — 112. *Elephantes* C. — 113. *Erinacius vel lupus* C, D. Ps. CIII, 18. — 115. *Vir sanctus et in mala parte* D. — 117. *Anima vel fideles qui sunt in Ecclesia* A, B. — 119. *Amaritudo lætitiæ* C, D. — 127. *Carnis* deest in A, B.

143 Frater. . . . . Sanctus, vel Proximus.
144 Fumus. . . . . Ira Dei, vel Vanitas.
145 Gressus Domini. . . . . . Adventus, vel Visitatio ejus.
146 Gladius . . . . Vindicta, vel Sermo Domini.
147 Grando . . . . Comminatio Domini.
148 Glacies. . . . . Duritia peccatorum.
149 Gallus. . . . . Dominus, aut Vir sanctus.
150 Gallina . . . . Sapientia, vel Ecclesia, vel Anima.
151 Genua. . . . . Confessio humilitatis.
152 Gressus . . . . Profectus operum.
153 Gradus . . . . Spiritualis ascensus.
154 Gentes. . . . . Vitia.
155 Hiems. . . . . Persequutio, vel Tribulatio.
156 Hora . . . . . Quingenti anni in judicio.
157 Hordeum . . . Legis littera.
158 Herba. . . . . Jucunditas, vel Finis.
159 Harundo. . . . Peccatorum fragilitas in fide.
160 Harena maris. . Multitudo gentium.
161 Hirci. . . . . . Peccatores, sive Gentiles.
162 Hædi . . . . . Peccatores.
163 Juvenes . . . . Alacres in Deum.
164 Interior homo . Anima rationalis.
165 Ignis. . . . . . Spiritus sanctus.
166 Ignis . . . . . Charitas.
167 Ignis . . . . . Flamma ejus.
168 Ignis . . . . . Tribulatio.
169 Ignis . . . . . Ira.
170 Ignis . . . . . Voluptas.
171 Jubilæus. . . . Ventura quies.
172 Jubilatio. . . . Clamor spiritualis.
173 Inimici. . . . . Diaboli, vel Satellites ejus.
174 Lingua. . . . . Sapientia.
175 Lac . . . . . . Mentis sinceritas.
176 Linum. . . . . Spiritualis fortitudo.
177 Lampades . . . Animæ justæ.
178 Lucerna. . . . Ecclesia, vel Anima.
179 Laqueus. . . . Dolus.
180 Lapides pretiosi. . . . . . Apostoli.
181 Lapides . . . . Homines mali.
182 Languor. . . . Vitiorum morbus.
183 Lepra. . . . . Peccatorum contaminatio.
184 Lex . . . . Præcepta.
185 Meretrix. . . . Anima peccatrix.
186 Mercenarii. . . Servientes Domini.
187 Medicus. . . . Christus, vel Doctor.
188 Mortui. . . . . Peccatores.
189 Manus. . . . . Opus.
190 Mel . . . . . . Dulcedo præceptorum Dei.
191 Merum . . . . Sinceritas judicii.
192 Mola. . . . . . Vitæ conversatio.
193 Modius . . . . Corpus humanum, vel leges.
194 Mensa. . . . . Altare, vel Ratio spiritualis.
195 Margarita . . Doctrina evangelica.
196 Mundare. . . . Vitiis expurgare.
197 Myrrha.. . . . Mortalitatis indicium.
198 Muri. . . . . . Monumenta Scripturarum.
199 Nubes. . . . . Prophetæ, sive Sancti.
200 Nebula. . . . . Velamenta mysteriorum.
201 Nives . . . . . Candor justitiæ.
202 Nox. . . . . . Iniquitas, vel Infidelitas.
203 Nidus. . . . . Ecclesia, vel Bona conscientia.
204 Nycticorax. . . Christus, vel Sanctus.
205 Notitia. . . . . Charitas.
206 Nudus. . . . . Carens baptismo.

147. *Communicatio* D. — 150. *Sapientium Ecclesia* C. — 159. *Peccatorum vel fragilitas* A. *Fragiles in fide* D. — 166. *Charitatis* B. — 167. *Flammæ ejus* B. — 180. *Lapides speciosi* D. — 181. In uno C. — 185. *Animæ peccatorum* C, D. — 190. *Dei* deest in A, B. — 194. *Vel relatio* C, D.

207	Nares	Spiraculum fidei.
208	Navis	Ecclesia.
209	Navicula	Homo.
210	Nautæ	Cogitationes hominem gubernantes.
211	Oculi Domini	Inspectio divina.
212	Os Domini	Sermo ad homines.
213	Oriens	Salvator.
214	Olea	Sanctus misericordia abundans.
215	Oleaster	Homo sine fructu.
216	Onager	Eremita.
217	Oves	Populi fideles.
218	Operarii	Apostoli, vel Prædicatores Evangelii.
219	Oculi	Intellectus fidelis.
220	Os	Sermo ipse.
221	Ossa	Firmitas animæ.
222	Oleum	Misericordia, vel Spiritus sanctus.
223	Olla	Tribulationis excoctio.
224	Olla	Prosapia.
225	Ostium	Adapertio fidei.
226	Organum	Homo.
227	Pedes Domini	Stabilitas æternitatis.
228	Pluvia	Præcepta, vel Mandata Dei.
229	Pruina	Abstinentia.
230	Pulvis	Peccatores.
231	Petra	Christus.
232	Pascua	Refectio spiritualis.
233	Palea	Peccatores.
234	Palmites	Apostoli sancti.
235	Poma	Sanctorum fructus.
236	Palma	Profectio, vel Victoria.
237	Pisces	Sancti.
238	Pennæ	Scripturæ divinæ.
239	Pulli	Sancti, sive in malam partem.
240	Pellicanus	Deus Christus.
241	Perdix	Diabolus.
242	Passer	Dominus, vel Vir sanctus.
243	Pardus	Diabolus.
244	Pecora	Simpliciores homines.
245	Pater	Dominus.
246	Proximi	Fide propinqui.
247	Parvulus	Mente humilis.
248	Pastor	Dominus, vel Apostolus.
249	Piscatores	Apostoli, vel Doctores.
250	Pauperes	Humiles et beati.
251	Pectus	Organum intelligentiæ.
252	Pellis	Signum mortalitatis.
253	Pedes	Cursus vitæ, vel Stabilimentum.
254	Panis	Christus, vel Sermo Domini.
255	Porcina	Peccata.
256	Pix	Inquinamentum [delictorum].
257	Plana	Obedientia præceptorum.
258	Pectus	Exordium peccatorum.
259	Pecunia	Verba divina.
260	Plumbum	Pondera peccatorum.
261	Prava	A Dei præceptis devia.
262	Puteus	Diabolus, vel Infernus.
263	Pactum	Confœderatio gratiæ divinæ.
264	Præputium	Vita gentilis.
265	Purpura	Martyrii species.
266	Pascha	Prænuntiatio Dominici transitus.
267	Portæ	Scripturæ sanctæ.

210. *Hominum gubernantium* D. — 214. *Sancti m. abundantes* D. — 220. Ex Eucherio supplendum : *Os Domini, sermo ad homines.* — 224. Tantum in C, D. — 236. *Persequutio vel victoria* B. *Profectio* editus Eucherius, minus bene forsitan, ob glossam mox ab eo additam : « Palma enim tarde *proficit*, etc. » — 243. *Partus* A, B, C. — 244. *Pectora* A, B, D. — 251. *Organum intelligentis* A. — 263. *Confœderatio divina* D, C. — 266. *Domini vel transitus* in codd. A, B.

268 Platea. . . . . Beatitudo dilatata sanctorum.
269 Paries. . . . . Structura bonorum operum.
270 Pavimentum. . Humiliatio delicti.
271 Pugna. . . . . Certamen adversus iniquitates spirituales.
5 272 Pax . . . . . . Christus.
273 Pax. . . . . . . Carnis spiritusque concordia.
274 Quadragesima. . Figura præsentis vitæ.
275 Quinquagesima. Manifestatio futuræ beatitudinis.
276 Romphæa. . . Gladius.
10 277 Ros. . . . . . Verbum Domini.
278 Rosæ. . . . . . Martyres.
279 Radix. . . . . Origo.
280 Ramus. . . . . Successio.
281 Rubus. . . . . Mariæ virginis caro.
15 282 Rhinoceron . . Fortis.
283 Ranæ. . . . . Dæmones.
284 Rex. . . . . . Dominus.
285 Regina. . . . . Ecclesia.
286 Renes. . . . . Superior sensus.
20 287 Retia. . . . . . Gubernatio.
288 Rota. . . . . . Volubilis, vel Instabilis.
289 Rota. . . . . . Orbis.
290 Rationale . . . Doctrinæ vel Rationis a pectore declaratio.
291 Scutum. . . . . Protectio divina.
25 292 Sagittæ. . . . . Præcepta divina.
293 Sedes. . . . . . Angeli sancti.
294 Sol. . . . . . . Dominus Jesus Christus.
295 Stellæ . . . . . Sancti angeli.
296 Sulci. . . . . . Corda sanctorum.
30 297 Semen . . . . . Prædicatio divina.
298 Stipula. . . . . Arida fides vel Inanis.
299 Silvæ. . . . . . Gentes.
300 Spinæ . . . . . Divitiarum curæ.
301 Struthio. . . . Philosophus, vel Hæreticus.
302 Scarabeus . . . Dominus.
303 Sues. . . . . . Peccatores.
304 Serpens. . . . . Diabolus.
305 Scorpio. . . . . Diabolus.
306 Soror. . . . . . Ecclesia.
307 Sponsus . . . . Christus.
308 Senex. . . . . . Vir consummatæ justitiæ.
309 Sepulcrum. . . Corpus peccatoris.
310 Sinistra . . . . Opera mala.
311 Sanguis . . . . Operatio carnalis.
312 Stola. . . . . . Indumentum baptismi.
313 Similago. . . . Puritatis donum.
314 Subcinericium. Humilitas, subjectio.
315 Sal. . . . . . . Condimentum sapientiæ.
316 Sicera. . . . . . Confectio nequitiæ.
317 Sacculus. . . . Thesaurizatio.
318 Scabellum. . . Humiliatio.
319 Statera. . . . . Æquitas.
320 Sera. . . . . . Repagula [adversus impios].
321 Spongia. . . . Cava infidelitas.
322 Scalæ. . . . . . Sanctorum perfectio.
323 Scopæ. . . . . Cura superstitionis per vanam gloriam.
324 Stare. . . . . . Fide consistere.
325 Sedere. . . . . Gloriosum fieri.
326 Spatiosa (via) . Illecebris dilatata.
327 Sanitas. . . . . Mentis integritas.
328 Sion. . . . . . Ecclesia.
329 Sacrificium. . . Oblatio justitiæ.
330 Sabbatum. . . . Requies spiritualis.
331 Tuba Dei. . . . Vox divina.
332 Tonitrua. . . . Voces Evangelii.
333 Throni. . . . . Angeli sancti.
334 Tempestas. . . Persequutio.
335 Tempora. . . . Opportuna distributio.
336 Terra. . . . . . Homo ipse.

270. *H. delectationis* C. — 286. *Superiores sensus* D. *Interiora sensus* edit. — 293. *Angeli vel sancti* C. *Evangelium sanctum* D. — 295. *Sancti vel angeli* C, D. — 321. *Judæorum* edit. add., cætera nostris similia. — 324. Deest in A, B, nec nisi mutila et absona in C, D, E. — 326. *Illecebris delecta* A. — 335. Deest in A, B.

337	Triticum. . . .	Sancti, vel Electi Dei.
338	Torculare.. . .	Altare.
339	[Torculare] . .	Tribulationis pressura.
340	Tribuli.	Spinæ peccatorum.
341	Torrens	Persequutionis incursus.
342	Turtur.	Spiritus sanctus.
343	Tigris.	Femina.
344	Tauri	Principes.
345	Talpa	Idola, vel Hæretici.
346	Trabes.	Peccatum.
347	Tabernaculum.	Corpus Domini.
348	Tabulæ lapideæ.	Duo testamenta.
349	Testamentum .	Confirmatio voluntatis divinæ.
350	Templum . . .	Corpus.
351	Turres.	Apostoli, vel Perfecti.
352	Tympanum. . .	Attenuatio corporis.
353	Tuba.	Vocis exaltatio.
354	Verbum Dei . .	Filius Dei.
355	Uterus Domini.	Secretum ex quo filius processit.
356	Vestigia Domini.	Operum secretorium.
357	Virga Domini .	Conceptio disciplinæ.
358	Venti	Animæ sanctorum.
359	Ver..	Vitæ renovatio.
360	Umbra.	Protectio.
361	Valles.	Contritiones cordis humilium.
362	Ventilabrum. .	Examen justitiæ.
363	Victoria. . . .	De diabolo.
364	Vinea..	Ecclesia, vel Populus.
365	Vitis.	Christus.
366	Uvæ.	Fructus justitiæ.
367	Vindemia. . . .	Consummatio sæculi.
368	Violæ	Confessores.
369	Unda.	Tentatio.
370	Volatus	Sanctorum excessus.
371	Vespertiliones .	Idolorum cultores.
372	Vestitus	Baptismi fides.
373	Unguentum . .	Diffusa nominis Christi gratia.
374	Vivi.	Justi.
375	Vertex.	Summitas justitiæ.
376	Venter.	Capacitas rationis.
377	Umbilicus. . .	Appetitus concupiscentiæ.
378	Viscera	Affectus pietatis.
379	Vestigia. . . .	Signa virtutum.
380	Vinum.	Sermo Domini.
381	Victus.	Sollicitudo.
382	Vellus.	Populus.
383	Utres.	Vasa vel Vani corporis.
384	Umbra.	Peccata.
385	Umbra.	Aliquando pœnarum.
386	Umbra.	Dilectio peccatorum.
387	Vigilare	Custodiam cordis adhibere.
388	Via	Christus.
389	Zizania	Scandala, vel Male viventes.
390	Zelum	Indignatio.

Explicit. Amen.

339. Initium supplevit edit. textus. — 341. *Persequutionis vel incursus* B, D. — 344. Sive arrogantia, juxta Job IV, 11, in edit. — 345. *Dolosi vel hæretici* E. — 359. *Vir* in codd. — 361. *Contritio cordis humilis* D. *Contriti corde vel humiles* E. — 370. *Excessus in Deum*, edit. sive ascensus per contemplationem. — 383. *Vas. alium* (sic) D. — 386. *Delectatio peccatorum E.*

TEXTUS
SANCTORUM EVANGELIORUM
PICTAVIENSIS.

RHYTHMUS IN EUSEBII CANONES.

In nomine Divino, trino atque uno.
Quam in prima pretiosa quadriga
Homo. Leo. Vitulus et Aquila
Septuaginta uno et capitulo
5 Conloquuntur paria de Domino.

LXXI.

In secundo subsequente protenus.
Homo. Leo loquitur et Vitulus.
Quibus inest ordinate positus
Decim in se atq. novem numerus.

XVIIII.

10 Tum deinde tertio in ordine.
Homo. Pecus loquitur cum Volucre.
In numero quo consistunt antiquæ
Alfabeti Hebreorum litteræ.

XXII.

IV° loco fatentur in pagina una.
15 Homo. Leo atque Aquila.
Uno ore loquentes capitula
Verbi summi sena atq. vicena.

XXVI.

Ex cod. Pictaviensi 171, splendide et pulcherrime unciali littera scripto, quem ad VI aut VII sæculum, videlicet ad S. Radegundis ætatem, libenter ego referam, neque per me stet quin κειμήλιον illud elegans sacræ ejusdem supellectili accenseatur. Quod ad sensum et ordinem rerum attinet, præ oculis sint decem Eusebiani canones de concordia evangeliorum, planumque jam erit et expeditum omne hujusce poematii artificium : cui quidem perinde ac gemmulæ quum vix licet extremam acum admovere, ut inveni, sic totum dedi ; ut legi, sic integrum, ne omissis quidem apice vel puncto, distinctis tantum lineis juxta normam litterarum majorum, titulisque marte proprio præfixis, rescripsi. Dicturus vero alias, Deo favente, de poesi rhythmica, hic ab omni commentario super veteres illos rhythmos, quin immo forsan omnium vetustissimos, saltem in Gallia, supersedeo. Duo tantum velim monitum lectorem : unum, in secundo versu paulum obscuriore esse legendum ac si scriberetur : *Quam pretiosa in prima quadriga ... colloquuntur*, vel, si maluerit : *In quam pretiosa prima quadriga... colloquuntur paria*, etc. ; alterum, novem quidem Eusebii canones in nostris vers. 1 35, decimum vero quadripartitum in quatuor nostris sectionibus ultimis sic repræsentari, ut quotquot singulis in canonibus Eusebianis στίχοι computantur, eos recenseant numeri quos vides continuo clausulis nostrarum στροφῶν affixos ; quibus demum numeris perpensis, necesse est aut alius sit quam vulgo editus ordo illorum canonum, aut corrigendi veniant quos edidere Martianæus et Vallarsius in Bibliotheca divina Hieronymi (*Opp.* t. x, p. 552, ed. Migne).

Quinta vice concordant in loquela.
Homo prudens atq. mitis Hostia.
20 Ihū Xr̄i eminentes agmina.
Juda sine salvatore credula.

LXXXII.

Ecce sexto pari sonante clamore.
Natus Adam cum clamoso Leone.
Computati traditis pro munere
25 Sacerdotum oppidis in honore.

XLVIII.

En loquuntur septies in septimo.
Homo. Avis consona de Domino.

[VII].

In octavo nunc Leonis catulus.
Dei verba profert atq. Vitulus,
30 Quorum verbi conprobatur numerus
Adjecto Paulo apostolicus.

XIII.

Nonus ordo in quo duo pariter
Conloquuntur Vitulus et Volucer.
Inspirati sensu spiritualiter.
35 Conloquuntur ternum septimpliciter.

XXI.

Homo nempe verbum profert proprium
Sexaginta et per duo numerum.

LXII.

Rugientemq. Leonem audies
Solū. sane decies et nonies.

XVIIII.

40 Bovem solum fatentem invenies.
Verba Dei bis et septuagies.

LXXII.

Subvolantem ad astra repperies.
Nonagies loqui atq. sexies.

LXXXXVI.

S. GREGORIUS MAGNUS.

GREGORIANÆ FORMULÆ AD SPIRITUALEM SCRIPTURÆ SACRÆ INTELLIGENTIAM.

De littera A.

i. Aer, *vide* t. iii, p. 410.
ii. Aurum, ii, 275.
iii. Avis, ii, 471.
iv. Auster, ii, 79.
v. Abyssus, ii, 151.
vi. Abies, ii, 352.
vii. Accipiter, ii, 495.
viii. Acetum, iii, 410.
ix. Acus, iii, 246.
x. Adamas, ii, 340.
xi. Adeps, iii, 410.
xii. Ager, ii, 126.
xiii. Agnus, iii, 29.
xiv. Ala, ii, 475.
xv. Altilia, iii, 410.
xvi. Amygdalus, ii, 379.
xvii. Anima, ii, 192.
xviii. Animalia, iii, 2.
xix. Annulus, iii, 161.
xx. Annus, iii, 411.
xxi. Antemurale, iii, 173.
xxii. Angelus, iii, 411.
xxiii. Apis, ii, 512.
xxiv. Aper, iii, 411.
xxv. Aquila, ii, 480.
xxvi. Aquilo, iii, 411.
xxvii. Aqua, ii, 148.
xxviii. Aries, iii, 24.
xxix. Arista, ii, 451.
xxx. Aspis, iii, 411.
xxxi. Astrum, ii, 67.
xxxii. Asinus, iii, 12
xxxiii. Atrium, iii, 190.
xxxiv. Arma, ii, 298.
xxxv. Arbor, ii, 352.
xxxvi. Arcus, ii, 89, 305.
xxxvii. Arca, iii, 210.
xxxviii. Argentum, ii, 285.
xxxix. Armilla, iii, 160.
xl. Arcturus, ii, 72.
xli. Arvina, ii, 245
xlii. Antra, iii, 411.

De littera B.

xliii. Barba, ii, 30.
xliv. Baculus, ii, 386.
xlv. Bases, iii, 204.
xlvi. Balteus, iii, 156.
xlvii. Bestia, iii, 49.
xlviii. Binarius,
xlix. Bos, iii, 15.
l. Buxus, ii, 362.
li. Brachium, ii, 8, 229.

De littera C.

lii. Caput, ii, 195.
liii. Capilli, ii, 198.
liv. Caro, ii, 239.
lv. Cartilago, ii, 248.
lvi. Calcaneus, ii, 266.
lvii. Clavus, ii, 314.
lviii. Carbo, ii, 184.
lix. Caligo, iii, 411.
lx. Calamus, ii, 420.
lxi. Caverna, ii, 137.
lxii. Campus, ii, 127.
lxiii. Camelus, iii, 10.
lxiv. Canes, iii, 75.
lxv. Cœlum, ii, 51.
lxvi. Calix, iii, 411.
lxvii. Cervix, ii, 195.
lxviii. Cedrus, ii, 357.
lxix. Cincinnus, ii, 198.
lxx. Cinis, ii, 185.
lxxi. Civitas, iii, 169.
lxxii. Columba, ii, 484.
lxxiii. Corvus, ii, 498.
lxxiv. Coluber, iii, 91.
lxxv. Consules, iii, 257.
lxxvi. Corpus, iii, 411.
lxxvii. Collum, ii, 221.
lxxviii. Costæ, ii, 255.
lxxix. Colles, ii, 145.
lxxx. Convalles, ii, 129.
lxxxi. Cortex, ii, 394.
lxxxii. Columnæ, iii, 204.
lxxxiii. Cubitus, iii, 411.
lxxxiv. Cubile, iii, 412.
lxxxv. Cutis, ii, 256
lxxxvi. Clypeus, ii, 300.
lxxxvii. Cristallum, ii, 340.

De littera D.

lxxxviii. Deus, ii, 1.
lxxxix. Dextera, ii, 31.
xc. Dentes, ii, 29, 211.
xci. Digitus, ii, 9, 254.
xcii. Dies, ii, 94.
xciii. Diluculum, iii, 412.
xciv. Dorsum, ii, 255.
xcv. Domus, iii, 178.
xcvi. Duces, ii, 257.
xcvii. Draco, iii, 90.

De littera E.

xcviii. Æs, ii, 290.
xcix. Equus, iii, 7.
c. Eruca, iii, 412.
ci. Electrum, ii, 282.
cii. Æstas, iii, 412.

De littera F.

ciii. Facies, ii, 217.
civ. Femur, ii, 261.
cv. Fenestra, iii, 199.
cvi. Ferramenta, ii, 295.
cvii. Ferrum, ibid.
cviii. Fialæ, iii, 225.
cix. Ficus, ii, 372.
cx. Ficulnea, iii, 412.
cxi. Folium, ibid.
cxii. Fons, ii, 162.
cxiii. Fovea, iii, 275.
cxiv. Fossa, ibid.
cxv. Fulgur, ii, 85.
cxvi. Fores, iii, 195.
cxvii. Fumus, ii, 185.
cxviii. Flamma, iii, 412.
cxix. Flos, ii, 396.
cxx. Frons, ii, 395.
cxxi. Firmamentum,
cxxii. Fluvius, ii, 157.
cxxiii. Flumen, ii, 157.
cxxiv. Fluctus, ii, 167.
cxxv. Fruges, iii, 412.
cxxvi. Frumentum, ii, 126.

De littera G.

cxxvii. Gazophyl. iii, 415.
cxxviii. Gladius, ii, 302.
cxxix. Glebæ, ii, 141.
cxxx. Gressus, iii, 415.
cxxxi. Genæ, ii, 216.
cxxxii. Gurgites, ii, 169.
cxxxiii. Grando, ii, 85.
cxxxiv. Gallus, ii, 488
cxxxv. Gallina, ibid.

De littera H.

cxxxvi. Harundo, iii, 415.
cxxxvii. Hasta, ii, 310.
cxxxviii. Herba, ii, 405.
cxxxix. Herodius, ii, 496.
cxl. Hiems, ii, 116.
cxli. Homo, ii, 190.
cxlii. Humerus, ii, 227.

De littera I.

cxliii. Ignis, ii, 178.
cxliv. Infans, iii, 112.
cxlv. Intestina, ii, 33, 256.
cxlvi. Invia, iii, 415.
cxlvii. Imber, ii, 87.
cxlviii. Jaculum, ii, 311.
cxlix. Jumentum, iii, 4.

De littera L.

cl. Luna, ii, 65.
cli. Leo, iii, 52.
clii. Leæna, iii, 53.
cliii. Lingua, ii, 209.
cliv. Labia, ii, 429.
clv. Læva, ii, 231.
clvi. Lumbi, ii, 258.
clvii. Lutum, ii, 138.
clviii. Lacus, ii, 166.
clix. Lancea, ii, 311.
clx. Lignum, ii, 348.
clxi. Lapis, ii, 330, 333.
clxii. Lux, ii, 101.
clxiii. Lucerna, ii, 182; iii, 215.
clxiv. Lac, iii, 36.
clxv. Lactuca, ii, 425.
clxvi. Lamiæ, iii, 79.
clxvii. Limen, iii, 198.
clxviii. Lilium, ii, 406.
clxix. Lampas, iii, 415.
clxx. Lagena, ii, 174; iii, 225.

De littera M.

clxxi. Manus, ii, 9, 251.
clxxii. Mamma, ii, 251.
clxxiii. Mare, ii, 153.
clxxiv. Mala, ii, 373.

Ex duob codd. uno Paris. 672, sæc. xiii, altero olim abbatiæ Bellevallensis, nunc in Bibliotheca Caropolitana, in diœc. Remensi, n. 115, sæc. xiii; ab initio quidem hujus tabulæ usque ad expositionem vocis *campus* misere mutilo. Utrumque secuti sumus, et in hoc loco ad editionem nostram retulimus.

CLXXV. Mane, II, 99.
CLXXVI. Maceria, II, 459; III, 173.
CLXXVII. Maxilla, II, 215.
CLXXVIII. Medullæ, II, 248.
CLXXIX. Messis, II, 429.
CLXXX. Mensis, II, 113.
CLXXXI. Meridies, II, 104.
CLXXXII. Milvus, II, 497.
CLXXXIII. Myrtus, III, 413.
CLXXXIV. Myrrha, II, 409.
CLXXXV. Mons, II, 142.
CLXXXVI. Mulier, III, 104.
CLXXXVII. Muscæ, III, 413.
CLXXXVIII. Murus, III, 173.

De littera N.

CLXXXIX. Nardus, II, 412.
CXC. Nasus, II, 204.
CXCI. Nares, ibid.
CXCII. Navis, II, 171.
CXCIII. Nervus, II, 248.
CXCIV. Nebula, III, 413.
CXCV. Nix, II, 88.
CXCVI. Nox, II, 109.
CXCVII. Nubes, II, 73.

De littera O.

CXCVIII. Oculus, II, 28, 201.
CXCIX. Os, II, 7, 206.
CC. Os, ossis, II, 245.
CCI. Ovis, III, 26.
CCII. Onager, III, 66.
CCIII. Onocentaurus, III, 68.
CCIV. Obryzum, II, 278.
CCV. Oliva, II, 280.
CCVI. Oriens, II, 81.
CCVII. Ostium, III, 195.
CCVIII. Ordeum, II, 428.
CCIX. Olla, III, 224.

De littera P.

CCX. Palma, III, 413.
CCXI. Paliurus, II, 368.
CCXII. Palea, II, 432.
CCXIII. Palpebra, II, 203.
CCXIV. Passer, II, 492.
CCXV. Paries, III, 188.
CCXVI. Pavimentum, III, 189.
CCXVII. Pectus, II, 249
CCXVIII. Pes, II, 33, 263.
CCXIX. Pecunia, II, 286.
CCXX. Pili, II, 198.
CCXXI. Porta, III, 194.
CCXXII. Porri, III, 413.
CCXXIII. Pueri, III, 112.
CCXXIV. Pulvis, II, 124.
CCXXV. Platea, II, 130.
CCXXVI. Planta, III, 413.
CCXXVII. Pleiades, ibid.
CCXXVIII. Princeps, III, 237.
CCXXIX. Profundum, 414.
CCXXX. Puteus, II, 164.
CCXXXI. Plumbum, II, 291.
CCXXXII. Prunæ, III, 414.
CCXXXIII. Pulvillus, III, 166.
CCXXXIV. Pharetra, II, 308.

De littera Q.

CCXXXV. Quaternarius, 414.
CCXXXVI. Quinarius, ibid.

De littera R.

CCXXXVII. Radix, II, 383.
CCXXXVIII. Rami, II, 391.
CCXXXIX. Renes, II, 259.
CCXL. Rex, III, 234.
CCXLI. Regulus, III, 93.
CCXLII. Reptilia, III, 82.
CCXLIII. Rhinoceros, III, 57.
CCXLIV. Rivus, II, 160.

De littera S.

CCXLV. Saliva, II, 214.
CCXLVI. Sanguis, II, 241.
CCXLVII. Sagitta, II, 308.
CCXLVIII. Salices, II, 365.
CCXLIX. Sapphirus, II, 338.
CCL. Sardonicus, ibid.
CCLI. Serpens, III, 87.
CCLII. Semita, II, 132.
CCLIII. Senarius, III, 414.
CCLIV. Septenarius, ibid.
CCLV. Sinistra, ibid.
CCLVI. Securis, II, 313.
CCLVII. Sycomorus, II, 367.
CCLVIII. Sol, II, 61.
CCLIX. Solitudo, II, 136.
CCLX. Sinapis, II, 424.
CCLXI. Sulcus, III, 414.
CCLXII. Superliminare, III, 198 et 414.
CCLXIII. Scirpus, II, 421.
CCLXIV. Scintillarum, II, 181.
CCLXV. Struthio, II, 503.
CCLXVI. Stipula, II, 433.

De littera T.

CCLXVII. Tonitru, II, 83.
CCLXVIII. Taurus, III, 17.
CCLXIX. Tigris, III, 414.
CCLXX. Tinea, III, 86.
CCLXXI. Tolus, II, 266.
CCLXXII. Terra, II, 121.
CCLXXIII. Torrens, II, 160.
CCLXXIV. Talenta, II, 281.
CCLXXV. Thesaurus, II, 286.
CCLXXVI. Topazius, II, 339.
CCLXXVII. Tenebræ, II, 109.
CCLXXVIII. Turris, III, 174.
CCLXXIX. Tabernaculum, III, 182.
CCLXXX. Templum, III, 184.
CCLXXXI. Thalamus, III, 414.
CCLXXXII. Ternarius, 415.

De littera V.

CCLXXXIII. Venti, II, 77.
CCLXXXIV. Volucres, 415.
CCLXXXV. Vaccæ, III, 21.
CCLXXXVI. Vitulus, III, 20.
CCLXXXVII. Viperæ, III, 94.
CCLXXXVIII. Vermes, III, 85.
CCLXXXIX. Vir, III, 103.
CCXC. Uxor, III, 107.
CCXCI. Vidua, III, 415.
CCXCII. Vertex, II, 25.
CCXCIII. Ubera, II, 33, 251.
CCXCIV. Uterus, II, 254.
CCXCV. Venter, II, 254.
CCXCVI. Viscera, II, 256.
CCXCVII. Umbilicus, II, 257.
CCXCVIII. Unguis, II, 268.
CCXCIX. Ungula, II, 268.
CCC. Via, II, 132.
CCCI. Urtica, II, 422.
CCCII. Vinea, II, 449.
CCCIII. Unum, III, 415.
CCCIV. Virga, II, 388.
CCCV. Vas, III, 220.
CCCVI. Vesper, II, 106.
CCCVII. Uter, III, 223.
CCCVIII. Umbra, III, 110.
CCCIX. Vestibulum, III, 199.

De littera Z.

CCCX. Zelus, III, 416.

I. Aeris nomine fluxa mentis mobilitas designatur, ut in Job : « Subito cogitur aer in nubibus [1]. » Aer enim in nubes cogitur, quum mobilitas mentis virtute solidatur.

VIII [2]. Aceti nomine acris reprehensionis invectio exprimitur, ut ibi : « Acetum in vitro, et qui cantat carmina cordi pessimo [3]. » Sicut enim nitrum aspersione aceti ebullit et æstuat, ita cor pravum ex infusione dignæ correctionis insania gravioris malignitatis inflammat. Est autem nitrum lapis ex aquis gelidis solidatus, qui in Nitria provincia oritur.

XI. Adipis nomine superbiæ crassitudo exprimitur, ut in Job : « Viscera ejus plena sunt adipe [4]. » Et in psalmo : « Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum [5]. » Quasi enim ex adipe iniquitas prodiit, quum ex timore superbiæ colluvies iniquitatis erumpit.

XV. Altilia, patres novi Testamenti, ut in Evangelio : « Tauri et altilia occisa sunt [6]. »

(1) *Nubibus*. Job XXXVII, 21. — (2) VIII. Refer ordinem et numeros ad superiorem tabulam. — (3) *Pessimo*. Prov. XXV, 20. — (4) *Adipe*. Job XXI, 24. — (5) *Eorum*. Ps. LXXII, 7. — (6) *Sunt*. Matt. XXII, 24.

XX. Annus, prædicatio supernæ gratiæ, vel multitudo fidelium. Hic est in Isaia, annus placabilis Domini, qui tunc prædicatur, quum futura plebs fidelium, virtutum gratia illuminanda, prædicatur.

XXII. Angelus, quilibet prælatus Ecclesiæ, ut in Apocalypsi : « Angelo Laodiceæ scribe [1]. » Et in propheta : « Legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est [2]. » — Angelus, Christus, ut in Job : « Si fuerit pro eo angelus, loquens unum de similibus [3]. » Christus enim unum de similibus loquitur, qui sæpe interpellans pro nobis in sola veritate naturæ, sine admixtione culpæ, Patris vultui præsentatur : ipse enim est et angelus testamenti, de quo legitur in propheta. — Johannes Baptista, non communione naturæ, sed officii dignitate, ut ibi : « Ecce mitto angelum meum [4]. » — Angelorum nomine prædicatores accipimus, ut in Job : « Quum sublatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur [5]. » Quia quum diabolus supremi judicii turbine rapitur, immenso terrore percussi et supernæ patriæ nuntii contremiscunt, et ab omni peccatorum rubigine ipso tunc pavore purgantur.

XXIV. Aper, potentiæ mundanæ ferocitas, ut ibi : « Exterminavit eam aper de silva [6]. »

XXVI. Aquilonis nomine malignus spiritus figuratur, ut in Job : « Qui extendit aquilonem super vacuum [7], » id est diaboli potentiam super inanes animos reproborum. — Gentilitas, ut in Job : « Ab aquilone aurum venit [8] ; » quia pretiosa fides sanctorum a gentilitate quondam frigida enitescit. — Frigiditas peccatorum, ut ibi : « Ventus turbinis veniebat ab aquilone [9] ; » quia videlicet peccatorum causa exigit, ut districti judicii concussio omnia simul elementa perturbet.

XXX. Aspidis nomine diabolus designatur, ut ibi : « Delectabitur infans ab ubere in foramine aspidis [10]. » Facit enim per gratiam suam Dei Filius incarnatus, ut in illo suas delectationes inveniat, in quo prius diabolus, velut aspis in foramine suo per occultam malitiam habitabat. — Quilibet verbi Dei surdus auditor, ut in psalmo : « Sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas [11]. » Unam quippe aurem terræ applicat, alteram oppilat cauda, ut posterioribus et terrenis intentus, nec ad anteriora se extendat, nec cœlestibus appetendis assurgat. — Blandæ suggestiones, vel subitæ immundorum spirituum tentationes, ut in Job : « Caput aspidum suget [12], » id est, iniquæ suggestionis initium in palatum cordis assensu sorbente trajiciet.

XLII. Antrum, cor pravum, ut in Job : « Ingreditur bestia latibulum suum, et in antro suo morabitur [13]. » — Bonorum corda seu cogitationes, ut ibi : « Numquid capies leænæ prædam, aut animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, et in speluncis insidiantur [14] ? »

XLVIII. Binarius duo testamenta pronuntiat, ut ibi : « Duos cherubim aureos et productiles facies ex utraque parte oraculi [15], » quia quod testamentum vetus, ante Christi incarnationem, de ejus adventu promittit, hoc etiam novum, quasi ex parte altera constitutum, impletum ostendit.

LIX. Caligo, confusio erroris, sicut de antiquo hoste per beatum Job dicitur : « Occupet eum caligo [16]. » Quia enim a lucis intimæ ordine cedit, nunc semet ipsum intrinsecus erroris caligine confundit.

LXVI. Calix, dolor passionis, ut ibi : « Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum [17] ? »

LXXVI. Corpus, quælibet actio nostra, ut ibi : « Lucerna corporis tui erit oculus tuus [18]; » quia nimirum per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionum.

LXXXIII. Cubitus, operatio; unde Eze-

(1) *Scribe*. Apoc. III, 14. — (2) *Est*. Malach. II, 7. — (3) *Similibus*. Job XXXIII, 23. — (4) *Meum*. Matt. XI, 10. — (5) *Purgabuntur*. Job XLI, 16. — (6) *Silva*. Ps. LXXIX, 14. — (7) *Vacuum*. Job XXVI, 7. — (8) *Venit*. Job XXXVII, 22. — (9) *Aquilone*. Ezech. I, 4. — (10) *Aspidis*. Is. XI, 8. — (11) *Suas*. Ps. LVII, 5. — (12) *Suget*. Job XX, 16. — (13) *Morabitur*. Job XXXVII, 8. — (14) *Insidiantur*. Job XXXVIII, 40. — (15) *Oraculi*. Exod. XXV, 18. — (16) *Caligo*. Job III, 5. — (17) *Sum*. Matt. XX, 22. — (18) *Tuus*. Matt. VI, 22.

chiel : « Et in manu, inquit, ejus cubitis sex consummabis [1]. » Electorum namque Ecclesia, quia cuncta quæ operanda sunt, perficit in sex cubitis, quasi in perfectione operum, civitas spiritualis ostenditur ; quia vero æternorum contemplatio hic non perficitur, mensura septimi cubiti non expletur.

LXXXIV. Cubile sive cubiculum, interius mentis nostræ secretum, ut ibi : « Intra in cubiculum tuum, et, clauso ostio, ora Patrem tuum [2]. » — Cubilia, corda gentilium, ut ibi : « In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci [3], » id est doctorum scientia et obedientia subditorum.

XCIII. Diluculum, præsens Ecclesia, ut ibi : « Numquid post ortum tuum præcepisti diluculo, et ostendisti auroræ locum suum [4]? » Dum enim Redemtor noster umbram mortalitatis nostræ suscepit, lumen suæ nobis æternitatis infudit; quia vero diluculum a tenebris in lumen vertitur, bene per diluculum Ecclesia designatur. — Cognitio veritatis, ut ibi : « Visitas eum diluculo, et subito probas eum [5]. » Dominus enim quos diluculo visitat, et subito probat, quia quos illuminando ad virtutem provehit, subito recedendo, concuti tentatione permittit.

C. Eruca, luxuria, sicut per Joel dicitur : « Residuum erucæ comedit leo [6]. » Sæpe enim, quum luxuries a mente recedit, inanis gloria animum subdit. Nam qui jam per amorem carnis non sternitur, quasi sanctum se ex castitate gloriatur.

CII. Æstas, regnum cœli, ut ibi de arboribus dicitur : « Quum producunt jam fructum, scitis quoniam prope est æstas [7]. » Bene autem regnum Dei æstati comparatur, quia, eo adveniente, et mœroris nostri nubila transeunt, et vitæ dies æterni solis claritate fulgescunt. — Dies judicii, ut de pigro dicitur : « Mendicabit æstate, et non dabitur ei [8]. » Frustra enim in vitæ mercedem sperat, qui hic interim in bonis operibus non laborat.

CX. Ficulnea, Synagoga Judæorum quæ, quia fructum pietatis auctori non protulit, gratiam internæ viriditatis amisit.

CXI. Folium, levitas mentis, ut ibi : « Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam [9]? » Ac si diceret : cur tanta rectitudine impetis, quem sic infirmum in tentatione cognoscis? — Verbum; unde : « Et folium ejus non defluet [10]. » Quod de Christo, qui est lignum vitæ, dictum est, cujus folium vere non defluet, quia verbum ejus non præteribit. Hujus ligni folia sunt ad salutem gentium, quia in verbo ejus medicina et salus est languentium animarum.

CXVIII. Flamma, æstus carnalium desideriorum, ut ibi de iniquo dicitur : « Ramos ejus arefaciet flamma [11]; » quia videlicet studia et actiones ejus, in quas vita ejus, velut in ramos arbor, expanditur, carnalium desideriorum æstu siccantur.

CXXI. Firmamentum, Redemtor noster, ut in Ezechiele : « Et similitudo, super capita animalium, firmamenti quasi aspectus crystalli [12]. » Natura enim nostra, quæ in primo homine terra fuit, in Christo firmamentum facta est, cujus utique corpus, quia usque ad mortem passionibus subjacuit, aquæ simile juxta aliquid fuit. Sed quia per resurrectionem in virtute convaluit, quasi crystallus ex aquis obduruit.

CXXV. Fruges, Judæi conversi, sive gentiles, ut ibi : « Veni ad transmigrationem, ad acervum novarum frugum [13]. » Quia enim propheta non priori populo, sed filiis ejusdem populi verba intulit, quasi ad novarum frugum acervum venit; quod autem bonæ animæ fruges Dei appellatæ sint, alius propheta testatur, dicens : « Sanctus Israel Domino : primitiæ frugum ejus [14]. » Quia enim Israel prius Domino credidit, recte hunc propheta primitias frugum ejus appellavit.

(1) *Consummabis.* Genes. VI, 16. — (2) *Tuum.* Matt. VI, 6. — (3) *Junci.* Is. XXXV, 7. — (4) *Suum.* Job XXXVIII, 12. — (5) *Eum.* Job VII, 18. — (6) *Leo.* Joel I, 4. — (7) *Æstas.* Luc. XXI, 30. — (8) *Ei.* Prov. XX, 4. — (9) *Potentiam.* Job XIII, 25. — (10) *Defluet.* Ps. I, 3. — (11) *Flamma.* Job XV, 30. — (12) *Crystalli.* Ezech. I, 22. — (13) *Frugum.* Ezech. III, 15. — (14) *Ejus.* Jerem. II, 3.

CXXVII. Gazophylacia, corda doctorum, sapientiæ atque scientiæ divitiis plena, ut ibi : « Eduxit me ad atrium exterius, et ecce gazophylacia et pavimentum stratum lapide, in atrio, per circuitum : triginta gazophylacia in circuitu pavimenti [1]. »

CXXX. Gressus, cogitationum motus, ut ibi : « Oculi ejus super vias hominis, et omnes gressus eorum considerat [2]. »

CXXXVI. Harundo, carnalis animus, qui mox ut favore vel detractione tangitur, in partem alteram inclinatur; unde per remotionem de Joanne dicitur : « Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam [3]? »

CXLVI. Invia, gentilitas, sicut in Job : « Quis dedit vehementissimo imbri cursum, ut impleret inviam et desolatam, et produceret herbas virentes [4]? » Quod utique Deus fecit, quum exteriori prædicationi internam aspirationem contulit, ut corda gentilium implerentur et germinarent.

CLXIX. Lampas, mediator Dei et hominum homo, Christus Jesus, ut in Job : « Lampas contemta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum [5]. » Nemo hanc lampadem, dum latet, sicut Herodes, despiciat, ne contemtores suos, quum de cœlo fulserit, exurat : cui enim nunc non ardet ad veniam, tunc procul dubio ardebit ad pœnam. — Lampades, sancti, qui et sibi per fervorem spiritus ardent, et aliis per exempli famam lucent, ut ibi : « Similitudo animalium et aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium et quasi aspectus lampadarum [6]. » — Opera nostra, ut ibi : « Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas [7]. »

CLXXXIII. Myrtus, quia temperativæ virtutis est, eos significat, qui afflictionibus proximorum compati sciunt, eorumque tribulationem compatiendo temperant.

CLXXXVII. Muscæ, insolentes curæ carnalium desideriorum, ut ibi : « Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti [8]. » Tota enim spiritualis unctionis suavitas perditur, ubi harum muscarum importunitas dominatur.

CXCIV. Nebula, mens peccati caligine involuta, ut ibi : « Nebulam sicut cinerem spargit [9]; » id est, peccatricem mentem in cognitionem fragilitatis suæ per pœnitentiam reducit.

CCX. Palma, quilibet justus; unde : « Justus ut palma florebit [10]. » — Ecclesia, in cujus persona Job dicit : « Ut palma multiplicabo dies meos [11], » quæ etsi tarde proficit, semper tamen in sua viriditate perdurat. — Crux Christi, quæ rigida quidem et hispida videtur in ostensione corticis, sed dulcissimos fructus habet in exhibitione salutis; unde sponsus in Cantico : « Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam fructus ejus [12]. »

CCXXII. Porri sive cæpe difficultatem præsentis vitæ significant, quæ a dilectoribus suis non sine luctu agitur, et tamen cum lacrymis amatur; unde quidam dicebant : « In mentem nobis venerunt cucumeres et porri et cæpe et allium [13].

CCXXVI. Planta, primus justus, sicut in persona Job de Domino dicitur : « Percussit eum Satan a planta pedis usque ad verticem [14]. » Ab ipso enim mundi exordio Redemtoris nostri corpus expugnare conatus, prius ab Abel inchoavit, et sic usque ad ipsum caput Ecclesiæ sæviendo pervenit. — Actio vitæ, ut ibi : « Planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli [15], » denotans videlicet venerationem in gravitate, fortitudinem in opere, discretionem in ungulæ divisione. — Finis vitæ, sicut de iniquo per Eliphaz dicitur : « Tenebitur planta ejus laqueo [16]. » Cujus enim vita in culpa concluditur, ejus planta laqueo tenetur.

CCXXVII. Pleiades, sancti, ut ibi : « Num-

(1) *Pavimenti*. Ezech. XL, 17. — (2) *Considerat*. Prov. V, 21. — (3) *Agitatam*. Luc. VII, 24. — (4) *Virentes*. Job XXXVIII, 27. — (5) *Statutum*. Job XII, 5. — (6) *Lampadarum*. Ezech. I, 13. — (7) *Suas*. Matt XXV, 7. — (8) *Unguenti*. Eccle. X, 1. — (9) *Spargit*. Ps. CXLVII, 16. — (10) *Florebit*. Ps. XCI, 13. — (11) *Meos*. Job XXIX, 18. — (12) *Ejus*. Cant. VII, 8. — (13) *Allium*. Num. XI, 5. — (14) *Verticem*. Job II, 7. — (15) *Pedis vituli*. Ezech. I, 7. — (16) *Laqueo*. Job XVIII, 9.

quid conjungere valebis micantes stellas pleiades [1]? » Illæ etenim stellæ vicinitate sibi junctæ sunt et tactu disjunctæ; ita sancti aliis atque aliis temporibus apparentes disjuncti sunt et conjuncti per intentionem mentis. —Pleiades, quia septem sunt, septem dona Spiritus sancti evidenter exprimunt, quæ ille solus in semet ipso conjunxit, qui Spiritum non ad mensuram accepit, et omnes simul ejus operationes exercuit.

CCXXIX. Profundum, altitudo cogitationum, ut in Job de diabolo dicitur: « Fervescere faciet quasi olla profundum maris [2]. » — Infernus, ut ibi: « Qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati [3]. »

CCXXXII. Prunæ, mentes terrena concupiscentia ardentes, ut ibi: « Halitus ejus prunas ardere faciet [4]. »

CCXXXV. Quaternario numero aliquando quatuor evangelistæ, aliquando quatuor principales virtutes designantur.

CCXXXVI. Quinarius numerus aliquando libros legis seu ipsam legem, aliquando sensus corporis figuraliter exprimit.

CCLIII. Senarius numerus in plerisque locis pro perfectione ponitur; unde per eum activæ vitæ perfectio designatur, ut ibi: « Si emeris servum hebræum, sex annis serviet tibi, et septimo egredietur liber gratis [5]. » Servus hebræus emittitur, quando aliquis ab hoc sæculo mente transiens, Dei obsequio mancipatur. Sex annis servit, et septimo egreditur liber gratis, quando per activam vitam quam perfecte exhibuit, ad contemplativæ libertatem sine molestia transit. — Senario numero sex ætates sæculi designantur, ut ibi: « Sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem: et uniuscujusque vas interitus in manu ejus [6]. » Sex viri sex ætates sunt, quæ de via portæ superioris veniunt, quia a conditione paradisi serioribus generationibus evolvuntur. Una autem quæque generatio in sua operatione habuit, unde interitum damnationis incurrit.

CCLIV. Septenario numero aliquando summa perfectionis, aliquando requies æternitatis, aliquando universitas Ecclesiæ, aliquando plenitudo gratiæ spiritualis exprimitur.

CCLV. Sinistra, præsentis vitæ gloria, ut ibi: « Quum facies eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera [7]. »

CCLXI. Sulci, fideles populi, vomere prædicationis exculti; unde Job: « Si adversum me terra mea clamat, et cum ipsa sulci ejus deflent [8]. »

CCLXII. Superliminare, mentis intentio, quæ quasi portæ, supereminet actioni; unde per Moysen dicitur: « Sument de sanguine agni, et ponent super utrumque postem et in superliminaribus domorum in quibus comedent illum [9]. » In utroque poste ponitur, quando et ore sumitur, et corde cogitatur. Qui autem intentionem mentis ad imitationem Dominicæ passionis dirigit, in superliminari domus agni sanguinem ponit, sicut et qui fronti signum crucis imprimit, superliminare suum agni sanguine munit.

CCLXIX. Tigridis nomine quilibet hypocrita designatur; unde Eliphaz beatum Job tamquam maculas simulationis varium arguens, dicit: « Tigris periit [10], eo quod non haberet prædam. » Ac si aperte dicat: varietas tuæ simulationis exstructa est, quia, et adulatione laudis ablata, etiam tua hypocrisis prædam non habet, quia percussa divinitus, favoribus caret humanis.

CCLXXXI. Thalami nomine, et sancta Ecclesia vel quælibet anima valde amans Deum, designatur, sicut per Ezechielem dicitur: « Et mensus est thalamum, cubitum unum in longum et unum in latum [11]. » Mensuratio longitudinis longanimitatem patientiæ designat, et mensuratio latitudinis charitatis aptitudinem erga proximum demonstrat.

(1) *Pleiades*. Job XXXVIII, 31. — (2) *Maris*. Job XLI, 28. — (3) *Liberati*. Is. LI, 10. — (4) *Faciet*. Job XLI, 12. — (5) *Gratis*. Ex. XXI, 2. — (6) *Ejus*. Ezech IX, 2. — (7) *Dextera*. Matt. VI, 3. — (8) *Deflent*. Job XXXI, 38. — (9) *Illum*. Exod. XII, 7. — (10) *Periit*. Job IV, 11. — (11) *Latum*. Ezech. XL, 7.

CCLXXXII. Ternarii nomine tres speciales virtutes, fides et spes et charitas, designantur, sicut de beato Job dicitur : « Natique sunt ei septem filii et tres filiæ [1]. » Septem quippe nobis filii nascuntur, quum per conceptionem bonæ cogitationis sancti Spiritus septem in nobis virtutes oriuntur. Sed habent in nobis filii tres sorores suas, quia nimirum quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, fidei, spei, charitatique conjungunt : neque enim ad denarii perfectionem septem filii pervenirent, nisi in spe, fide et charitate fuerit omne quod agunt. — Tria peccati genera, operationis videlicet, loquutionis et cogitationis designantur, ut ibi : « Chaldæi fecerunt tres turmas, et invaserunt camelos, et tulerunt eos, nec non et pueros percusserunt gladio, et ego effugi solus, ut nuntiarem tibi [2]. » Per camelos bonæ rerum temporalium dispensatores intelliguntur; quasi enim contra camelos tres turmas facere, est terrenarum dispensationum studia modo illicito opere, modo superflua loquutione, modo inordinata cogitatione vastare. — Tria vitæ præsentis tempora, videlicet ante legem, sub lege, sub gratia designantur, ut in Evangelio voce veritatis dicitur : « Arborem fici homo plantavit in vineam suam, et venit quærens fructum in ea, et non invenit, etc. [3] » Quid arbor fici, nisi humanam naturam, signat? Quumque fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit. Venit autem Dominus tertio ad ficulneam, semel [4] ante legem, quia per naturalem intellectum, quid unusquisque exemplo sui, qualiter erga proximum agere debuisset, innotuit. Venit in lege, quam præcipiendo docuit. Venit post legem per gratiam, quam pietatis suæ præsentiam exhibendo monstravit. In tribus annis fructum non invenisse conqueritur, quia quorumdam pravorum mentes, nec inspirata lex naturalis corrigit, nec præcepta erudiunt, nec incarnationis ejus miracula convertunt.

CCLXXXIV. Volucrum nomine aeriæ potestates designantur, ut in Evangelio : « Semen quod seminatum est in via, cœli volucres venerunt, et comederunt illud [5]. » Maligni spiritus humanas mentes obsidentes, dum cogitationes noxias ingerunt, verbum vitæ a memoria evellunt. — Spiritualium mentes, ut in Evangelio : « Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod homo misit in hortum suum, et crevit, et factus est in arborem magnam, et volucres cœli insederunt in ramis ejus [6]. » Ipse est granum sinapis, qui in horti sepultura plantatus, arbor magna surrexit. Granum namque fuit, quum moreretur; arbor, quum resurgeret. In ramis ergo ejus volucres requiescunt, quia sanctæ animæ quæ quibusdam virtutum pennis æterna cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab hujus vitæ fatigatione respirant. — Superborum mentes, sicut in libro Job : « Qui docet nos super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos [7]. » Jumenta terræ sunt qui usu vitæ carnalis ima appetunt; volucres cœli sunt qui superbæ curiositatis studio sublimia perscrutantur. Docet nos Deus super jumenta terræ, et super volucres cœli erudit nos, dum hoc quod sumus agnoscimus, nec carnis infirmitas dejicit, nec superbiæ spiritus extollit.

CCXCI. Vidua, anima; unde Job, « Pavit sterilem, et quæ non parit; viduæ autem non bene fecit [8]. » Caro non solum sterilis, sed et quæ non parit dicitur, quia suo sensu bonas cogitationes gignere nec in ultimis valet. Hanc iniquus pascit, quia carnis desideriis serviens, curam animæ vitamque contemnit.

CCCIII. Unius nomine initium bene vivendi; unde Job : « Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille [9]. » Qui cum auctore contendit, unum pro mille respondere non sufficit; quia qui de perfectione se erigit, habere se bene vivendi nec initium ostendit. Unum pro mille respondere non possumus, quia quum de

(1) *Filiæ*. Job I, 2. — (2) *Tibi*. Job I, 17. — (3) *Invenit*. Luc. XIII, 6, 7. — (4) *Sed* codd. Plura hujusmodi tacito corriguntur. — (5) *Illud*. Luc. VIII, 5. — (6) *Ejus*. Luc. XIII, 19. — (7) *Nos*. Job XXXV, 11. — (8) *Fecit*. Job XXIV, 21. — (9) *Mille*. Job IX, 3.

bonæ vitæ perfectione extollimur, hanc nos nec inchoasse monstramus.—Unus, Redemtor noster : « Sicut per Ezechielem dicitur : « Et cubitus unus finis utrorumque. » Hoc 5 est : et quem lex prædixit, apparuit in carne, et ipse quem nunc testamentum novum loquitur, in gloria majestatis apparebit.

CCCX. Zelus, amor Dei, ut in Zacharia : « Zelatus sum Jerusalem, dicit Dominus, et Sion zelo magno, irascar super gentes opulentas. » — Zelus poni solet pro invidia, sicut per Isaiam dicitur : « Zelus apprehendit populum ineruditum. » Ac si aperte dicat : dum verba prophetarum populus voluit discutere, sed credulitatem suam verbis invidentium dedit, zeli igne periit, quia in alienæ invidiæ se flamma concremavit.

10

PHYSIOLOGUS ÆTHIOPICUS.

SERMO XXXVIII.

De fortibus tribus pueris et Daniele, qui postquam missi sunt in foveam et projecti Leonibus, salvi facti sunt, laudantes Deum verum. Quandoquidem isti salvi facti sunt, nullum miraculum vim sanctorum exsuperat : ipsi mortuos susci-15 tant, transferunt montes, si Dominus juverit eos.

Ejusdem capituli textus græcus restitutus.

Περὶ τῶν ἁγίων τριῶν παίδων.

Θωμάσιόν ἐστι περὶ τῶν γενναιοτάτων τριῶν ἁγίων παίδων, τῶν εἰς τὴν κάμινον [1] 20 ὑμνούντων [2] [Θεὸν, τὸν ὄντα ἀληθῶς]. Ἐὰν γὰρ καὶ νεκροὺς ἤγειραν καὶ μείζους δυνάμεις ἐποίησαν, ὡς καὶ τοὺς δικαίους [λέγει] ὄρη μεθιστάναι ἐν τῇ θαλάσσῃ.

Admiranda res est in fortissimis tribus sanctis pueris, qui in fornace Deum unum eumque verum hymno collaudant. Per eos siquidem licuit mortuos suscitari et majores fieri virtutes, sicut etiam a justis [ait Christus] montes in mare transferri.

Foliolum vacuum libuit exiguo assumento implere. Physiologus æthiopicus exstat integerrimus et eleganter descriptus in codice Parisiensi 123, qui et codicem nostrum græcum A, sive 2426, ita presse sequitur, ut ex eo translatus pene diceretur (vid. *Prolegom.*), uno tantum excepto capite, *de Tribus SS. Pueris,* quod placuit conferre cum simili textu græco. quem unus nobis exhibuit codex Baroccian. Oxon. 95, fol. 235, faventibus iterum tum H. Coxe, optimo viro, tum E. Renan, ad obsequia pronissimo, cui acceptam refer interpretationem Physiologi æthiopici.

(1) Κάμινον ἐμβληθέντων καὶ ὑμνούντων suspicabatur Dübnerus, respectu, opinor, ad Dan. III, 6, 11, 15 : ἐμβληθήσεται εἰς τὴν κάμινον. Eumdem vero non fugit vim præpositionis in hoc loco non majorem esse quam in fine, ubi legitur cum ablativo : μεθιστάναι ἐν τῇ θαλάσσῃ : utroque enim loco innuitur auctor qui hisce præpositionibus εἰς et ἐν promiscue utebatur. — (2) Ὑμνούντων θῶμα ἦν ἀληθῶς codex, prout ad usus nostros fuit fideliter descriptus. Unde procul dubio non uno vitio locus is laborat. Æthiops ad litteram : *Deum qui* [est] *vere.* Pro θῶμα ἦν videtur legisse θεὸν τὸν ὄντα ἀληθῶς, forte melius : tota sententia apud Æthiopem sanior videtur. Hæc nota cum docto interprete. Quem excipiat Dübneri conjectura subtilissima, feracissimo ingenio frequens : « Scribam ἀληθῶς· ἐσώθησαν, θως et σωθ, pronunciata σος, sibi offecerint, et Cαν transierit in Єαν (nisi malis ἔζησαν γὰρ, quod et ipsum recte dicitur) : ἐσώθησαν γὰρ καὶ νεκροὺς ἤγειραν. Sed iterum mihi, ipso jam Æthiope suadente per generalem quam fingit sententiam. videtur ἂν ἤγειραν aptissime legi hoc sensu : « Salvati enim sunt, atque jam *poterant* et mortuos suscitare, etc. » Hæc ille, qui et alia sphalmata subodorabatur, vir emunctæ naris.

S. ISIDORUS HISPALENSIS.

DE LAUDIBUS SALVATORIS,

FRAGMENTUM INEDITUM E LIBRO DE ORTU ET OBITU PATRUM.

Jesus-Christus, quod interpretatur Salvator-unctus; Jesus namque hebraicum nomen est, quod græce σωτήρ dicitur; Christus autem græcum est, quod hebraice Messias vocatur, latine vero Unctus dicitur. Hic est filius David, filii Abraham... Ipse est Deus a semet ipso et in semetipso, Deus excelsus, Deus in Deo, Deus cum Deo, Deus in homine, et Homo in Deo. [Ipse est pater et patriarcha omnium patriarcharum [1], et propheta præcipuus omnium prophetarum. Ipse est rex regum et Dominus dominantium. Ipse est Deus Abraham in terra Chaldæorum, ipse hospes Abraham in forma trium virorum. Ipse est Deus Isaac, et in Isaac immolatus. Ipse est Deus Jacob, et cum Jacob luctatus. Ipse est Deus Joseph, et in Joseph venumdatus. Ipse ignis in rubo, in conspectu Moysis. Ipse est Deus fortissimus, in plagis magnis Ægypti. Ipse est columna nubis, et via in Rubro mari. Ipse columna ejus dies [2], et dux populi sui. Ipse serpens in virga, serpentem superans; et petra mellis in deserto, populum potans [3]. Ipse est Melchisedech, et Melchisedech pater. Ipse secundus Adam, et primi Adam frater. Ipse est filius David, et ipse David Pater. Ipse est quem nemo novit, nisi solus pater. Ipse est apud Isaiam leprosus et vulneratus, et virga aridissima, plena septem floribus. Ipse est apud Ezechiel sedens super igneum thronum, qui adhærebat [4] capitibus quatuor animalium. Ipse est apud Zachariam lapis septem oculos habens, et candelabrum aureum septem lucernas sustinens [5]. Ipse est apud Danielem vetus dierum, et in tempore Herodis homo natus.] Præcepit Dominus Jesus Christus Ecclesiæ suæ facere quæ ipse fecit, credere quod docuit, sperare quod promisit. Qui dignatus est ad nos humiliter venire, et inter nos XXXIII annos et VI menses carnaliter et clementer habitare. Cujus conceptio et passio in æquinoctio vernali; et cujus nativitas in solstitio hiemali; kalend. Jan. ejus circumcisio; et ejus baptismus in Januario; die VI Kal. Aprilis ejus resurrectio; III Non. Maii ejus in cœlum ascensio, ubi regnat cum Patre et Spiritu sancto in sæcula.

E cod. Colmariensi, olim Murbacensi, quem cyclus quidam paschalis in eo descriptus referre suadet ad A. C. 768, scriptura quoque ad sæc. VIII. Locus noster inest fol. 31, 32. Contulimus cum simili codice Vaticano quem Arevalus edidit inter *Opp.* Isid. t. VII, app. XX. Edidit vero ea tantum quæ uncis non includimus; cætera Arevalo et codici suo ignota.

(1) *Patriarcharum.* Tæderet hic regerere similia quæ jam pluries in I, II et III *Spicileg.* tomis, sive sub Irenæi, sive sub Melitonis nomine, sive in Physiologi allegoriis protulimus; ultimo tamen hoc loco ultima indicamus conferenda, quæ scilicet S. Aileranus, Scoto-Hibernus Abbas, sæc. VIII, præmittebat suæ mysticæ interpretationi progenitorum Christi. Sub initio enim ait: « Qui in patriarchis patriarcha, in sacerdotibus sacerdos, in judicibus judex, in prophetis propheta, in ducibus dux, in apostolis apostolus, in angelis magni consilii angelus dicitur. » *Bibl. PP.* XII, p. 39. Similia demum occurrebant in cod. Sangerm. 144. — (2) *Dies.* Forte *die ac nocte.* — (3) *Superantem, potantem* cod. — (4) *Quod adhæreat* ibid. — (5) *Habentem, sustinentem* cod. ut supra.

ANSILEUBUS ET EBARCIUS,

I.

FRAGMENTA E PHYSIOLOGO,

IN GLOSSARIO ANSILEUBI INSERTA.

I. *Hoc physici dicunt.* ADAMAS lapis [1] ferro durior, de quo Physiologus ita dicit, si tamen credendum est : Est lapis, qui dicitur Adamas; iste in monte quodam in oriente invenitur, ita tamen ut noctibus quæratur, non per diem, quoniam in nocte lucet ubi fuerit; per diem autem non lucet, quoniam sol obtundit lumen ejus. Hunc lapidem nec ferrum nocet, nec ignis, nec alius lapis ei potest prævalere. De hoc lapide dicit propheta : « Vidi virum stantem super murum adamantinum, et in manu ejus lapidem adamantem [2]. « Et iterum : « Ecce ego immittam lapidem adamantem in medio populi mei Israel. »

II. AQUILA [A. MAII *Class. auct.*, t. VI, p. 589].

III. ASIDA [3] [*ibid.*].

IV. ASPIDO CHELONE [*ibid.*, p. 590].

V. ASPIDES [*ibid.*, p. 591].

VI. AUTOLOPS [*ibid.*].

VII. CALADRIUS avis, quæ in Deuteronomio præcipitur non manducari. Physiologus dicit de hoc, si tamen credendum est, quia totus albus est, nullam partem habens nigram, cujus interior fimus curat caliginem oculorum. Istud in atriis regum invenitur [4] [*cætera*, *ut ibid.*, p. 592].

VIII. CASTOR [*ibid.*].

IX. CONCHUS [5] [*ibid.*].

X. *Hoc physici dicunt.* ELEPHANTI ingentia quædam sunt animalia, forma truces, odore graves, mole terribiles. Physiologus dicit de Elephante, si tamen creditur, quoniam intellectum in se habet magnum, concupiscentiam vero coitus minime habet. At tempore suo, quum voluerit filios parere, vadit ad orientem cum femina, usque in proximo paradisi. Et est arbor, quæ dicitur mandragora. Prior ergo femina gustat de fructu illius arboris, et sic illa seducit masculum. Ut est ille persuasus, manducat. Postquam vero manducaverint ambo, tunc conveniunt sibi invicem, et statim femina in utero concipit. Quum autem venerit tempus illi ut pariat, vadit ubi est stagnum, id est lacus magnus, et ingreditur in aqua usque ad ubera sua, et ibi parit super aqua, propter draconem, quia insidiatur illi, ut si extra aqua peperit, rapiat pecus illud et devoret. Ideo in aqua alta ingreditur et ibi parit. Masculus autem non recedit a femina sua, sed custodit eam parturientem propter serpentem, quoniam nimis inimicus est elephantis.

Hinc et ossa sive pellis de Elephante, si fuerit in quocumque loco vel domo incensa, statim odor eorum expellit inde et fugat

Ex tribus codd. 1° Paris. olim Sangerm. 12, 13, sæc. VIII, charactere longobardico; 2° Cameracensi ejusdem sæculi ac simillimi scriptura, sed alia manu forsan vetustiore; 3° Turonensi, sæc. XII.

(1) *Lapis.* Cf. supra *Physiolog. græc.* C.— (2) *Adamantem.* Amos VII, 7, 8, juxta LXX. Operæ pretium est conferre Physiologum græcum, c. XL, p. 562, cum illo veteri interprete qui græca verbo tenus sequitur. — (3) *Asida.* Speciminis loco sint quædam lectiones cum Maianis variantes : « Physiologus dicit, si creditur, hoc animal quasi voluntarium esse ... pedes vero habet similes camelo, et ideo græce struthiocamelon dicitur. Hoc ergo animal ... videt num stella illa quæ dicitur Vergilia ascendat ... Æstus est circa — (4) *Istud in vasis regum invenitur*, sic l. l. Quod ita refingere ausus nemo fuit, nisi male feriatus quidam notarius aut typotheta. — (5) *Conchus.* Editis adde : « Lapis est in mari, græco vocabulo [κόγχη (παρὰ τὸ κεχηνέναι, auctore Athenæo, sive ἀπὸ τοῦ χαίνω *hisco*) dictus] appellatus ab eo quia concavus est et rotundus, etc. » — (6) *Animal.* Vide iterum Physiologi verbum verbo expressum, supra, p. 364, l. 15. *Proscium*, novum, nisi fallor, vocabulum hisce respondet : καὶ θεωρεῖ μακρόθεν.

serpentes, vel si quæ fuerint noxia et venenosa reptilia, non ibi accedunt [1].

XII. *Hoc physici dicunt.* FOENIX avis est in Indiæ partibus, de qua dicit Physiologus, si tamen credendum est, quia expletis quingentis annis vitæ suæ, intrat in lignis Libani, et replet utrasque alas diversis aromatibus. Et quibusdam indiciis significatur hoc sacerdoti civitatis Heliopoleos, id est mense nono Nisan aut Adar, id est Farmoth aut Famenoth, quod est aut Martio aut Aprili mense. Quum autem hoc significatum fuerit sacerdoti, ingreditur, et implet aram de lignis sarmentorum. Quum autem advenerit volatile illud, introit in civitatem Heliopolim, repletum omnibus aromatibus in utrisque alis suis; et statim videns factam struem sarmentorum, super aram ascendit, et circumvolvens se de aromatibus, ignem sibi ipse incendit, et se ipsum exurit. Alia autem die, veniens sacerdos videt exusta ligna, quæ composuerat super aram. Scrutans vero invenit ibi vermiculum modicum suavissimo odore fragrantem. Secunda vero die, veniens invenit etiam aviculam figuratam. Rursum tertia die, veniens sacerdos invenit eam jam statu suo integram atque perfectam avem phœnicem, et statim evolat et pergit ad pristinum locum suum [2].

Hoc physici dicunt. FORMICÆ minutissima sunt animalia... Quando autem recondent grana in speluncam suam, divident illa per medium, ne hieme madefacta humus semina illata infundat [*cætera*, l. l., p. 593].

XIV. *Hoc physici dicunt.* FULICA volatile est satis intelligibile et prudentissimum super omnia volatilia; non cadaveribus vescitur; non alibi pervolat atque oberrat, sed in uno loco commoratur et permanet usque in finem. Et ibi escam suam habet, et ibi requiescit, sicut David dicit : « Fulicæ domus dux est eorum [3]. »

XV. IRINACIUS [*Cl. auct.* t. v, p. 392].

XVI. PANTHER [*ibid.*, p. 593].

XVII. PELICANUS [*ibid.*, p. 594].

XVIII. RHINOCEROS [*ibid.*].

XIX. SERRA [*ibid.*, p. 593].

XX. *Ex libro Physiologorum.* SERPENTES nomen acceperunt eo quod occultis accessibus serpunt. Physiologus dicit quatuor naturas habere serpentem.

Prima natura : quum senuerit, caligant oculi ejus; et si voluerit novus fieri, abstinet se a cibis, et jejunat diebus XL et noctibus [XL], donec pellis ejus in eo relaxetur, et quærit petram, in fissura angusta [4]; et inde se vehementer coarctat atque contribulat corpore, deponit senectutem et novus iterum fit.

Secunda autem natura : quum venerit bibere aquam ad fontem, non secum affert suum venenum, sed in cubili suo eum deponit, et sic aquam insitienter bibit.

Tertia vero natura : si viderit serpens hominem nudum, timet valde accedere ad eum. Si autem vestitum viderit, insilit in eum.

Quarta quoque natura serpentis : quando venerit homo, et voluerit eum occidere, totum corpus tradit ad pœnam; caput autem suum custodit [5].

Serpens ubi oculos obduci senserit, nota remedia petit, nec fraudatur effectu. Nam pastu feniculi cæcitatem repellit exceptam. Fertur [6] autem quia rubi folia superjecta serpenti, interemit eum. Jejuni quoque hominis sputum si serpens gustaverit, morietur.

XXI. VIPERA [*ibid.*, p. 595].

XXII. VULPIS [7] [*ibid.*]

(1) *Accedunt.* Neque etiam hæc ultima græco Physiologo desunt, cuncta videre est p. 364, l. 25; p. 365, col. 1, l. 1 16; col. 2, l. 15, 16. — (2) *Suum.* Gutta guttæ non similior quam cum Ansileubi ἐκφρασις phrasis Physiologi, quam habes supra c. IX, p. 345, C. — (3) *Eorum.* Ps. CIII, XVII. Cf. supra c. XLVI, p. 366. — (4) Καὶ ζητεῖ πέτραν καὶ ῥαγάδα στενὴν ibid. c. XIII, p. 348. — (5) *Custodit.* Huc usque e græco Physiologo interpres latinus, ab illo vel ungue non recedens. Cætera aliunde, partim ex Ambrosio. — (6) *Fertur* cod. — (7) *Vulpis.* Forte hic habetur vetustissimus Latinorum Physiologus, duobus et viginti constans animalibus, nulla accedente interpretatione, nisi illam lexicographus recenserit.

II.

EBARCIUS, S. AMANDI ELNONENSIS MONACHUS.

IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS

Incipiunt Scripturarum Claves, juxta traditionem seniorum.

A vox est ante verbum vel apex prima [1].
Aaron, mons fortitudinis, sive sacerdos [2].
Abyssus, ineffabilia judicia Dei, profunditas scripturarum, corda hominum, aquæ immen-
5 sitas, sapientia, vel infernus.
Adoneus, Kyrius, id est Dominus.
Adulescentulæ, ecclesiæ vel animæ, de numero gentium.
Æs, æramentum, fortitudo, vel mundicolus,
10 vel terræ congeries.
Agnus, Christus.
Agricola, Deus.
Aleph, Deus, hebr.
Allegoria, id est inversio alia dicens alieno
15 eloquio, seu investigando cogitationes sui geminata [3], aut aliud per aliud significans, vel figura, sive similitudo.
Altare, fidei altitudo.
Altaria, multæ fidei altitudo.
20 Anagoge, excelsa intelligentia.
Annulus, signaculum fidei.
Aqua, purificatio hominum.
Aquæ, populi.
Aquæ super cœlos, agmina angelorum.
25 Ascensus, profectus in Deum.
Aranea, *Lambis* [4].
Aquila, a communione accepit nomen, sed hoc gratiæ magisterio dictum. Amen [5].
Aurum, interior Scripturarum intellectus.
30 Argentum, eloquia divina, sive intellectus litteræ secundum storiam.
Aquilo, Diabolus, sive homines infideles.
Arbor, homo.
Area, caro Dominica.
35 Bibliotheca, ubi libri reconduntur toti, vel arca aut matericus [6], ubi libri reponuntur.
Bubo, quasi rustice *Bus* dicunt.
Cartilago, *Grungopa.*
Cleri, vetus et novum Testamentum.
Columnæ, salus.
Dextera, prospera, seu propria, aut virtus.
Duo Cherubim, duæ leges, vetus et nova.
Duo lapides, duo testamenta.
Ebs, stultus.
Historicus, pantomimus qui storiam scribit [7].
If, bibe.
Messores, angeli.
Messis, consummatio sæculi, sive populus...
Moralia, tropologia, id est sensus spiritualis aut moralis intelligentia.
Om, augurium.
« Osculetur me. » Ista sunt oscula quæ Ecclesiæ porrexit Christus, quam baptismi nidore mundatam, et ornatam per Spiritum sanctum, odoris sui gratia invitat ut sponsam.
Pax, Deus, vel quietudo.
Pentateuchus, quinque volumina Moysis vel libri quinque, de quibus dicit Apostolus, quinque verbis velle se in Ecclesia loqui.
Pentecostes, quinquagesima. Hujus quinquagesimæ figuram annus jubilæus gessit; quæ nunc iterum futuræ repromissionis et æternam requiem præfigurat.
Symbolum, signum.
Sinistrum, malum, contrarium.
« Solve calceamenta, » nihil mortale habeas in te.
Sol, Christus, dies, vel eo quod solus appareat, obscuratis suo fulgore cunctis sideribus.
In fine. Zona... Zoziaticum, sideralem [ζῳδιακόν]. Zyzania... Zyzygia.

EXPLICIUNT GLOSSÆ.

E cod. sancti Amandi K, 166, nunc A, 5, 58, in Biblioth. publica Valencennensi, sæc. circiter x, notario vetustiorem scribendi modum, quem studiose servamus, quasi VII aut VIII sæculi affectante. Epilogus, in fine, vix erui e membrana fere lacera potuit.

(1) *Prima*, hoc genere gaudet apex apud veteres; cf. supra p. 334, l. 33. — (2) *Sacerdos.* Hebraicæ glossæ sunt innumeræ et aliæ, quas omittimus. — (3) *Investiganda cogitatione sua* forte. *Suis geminata* cod. — (4) *Lambis.* Abundant in hoc lexico glossæ sive theotiscæ, sive celticæ.—(5) *Amen.* Est purum ænigma quibusque memet acutioribus propositum. Forte agitur de Aquila, interprete græco Scripturæ.—(6) *Matericus*, quod accedit ad *matriculum, matricum* et alia hujusmodi, quæ apud Cangium. — (7) *Scribit.* Respectu, opinor, ad popularium fabellarum repræsentationem, in qua partes præcipuas historicus agebat. Nondum enim erant historici nostri moderni.

Ergo [ego hæc scripsi] Ebarcius Diacon[us et mona]chus, non meis meritis præcedentibus. Cunctorum igitur servorum Dei servus, non omittere duxi quod sanctæ recordationis memoria beatissimus Hieronymus in quadam præfatione ita intulit, dicens : « Plurimi in domo Dei offerunt aurum, argentum, munera quæque pretiosa : ego igitur affero et offero in templo Dei 5 quod possum. » Hac de causa ego enim, illius exempli ductus amore, ad decorem et ornatum cœnobii almi patris Amandi, seu p[ropt]er remedium animæ meæ, hunc librum visus sum contulisse. Gratanter denique ego supplex deprecor omnium successorum dominorumque meorum, in quorum ditione liber ille pervenerit, ut, Dei nutu præcedente, in meo maneat jure, vita comite manente, causa tuitionis atque obedientiæ. Sed et hoc quoque omnino me placuit 10 inserere, videlicet ut si qua exstiterit persona, quæ hunc codicem de potestate sancti Amandi auferre conaverit, fiat igitur ideo ipse anathema, Maran Atha, quod est etiam perditio, in secundo adventu Domini.

SANCTUS PRUDENTIUS,

TRECENSIS EPISCOPUS.

ARGUMENTUM.

(PRUDENT. *Psychomach.* v. 821-844.)

FIDES.

« Munia nunc agitet tacitæ toga candida Pacis,
« Atque sacris sedem properet discincta juventus. »
15 Hæc ubi dicta dedit, gradibus regina superbis
Desiluit, tantique operis Concordia consors,
Metatura novum jacto fundamine templum :
Aurea planitiem spatiis percurrit arundo
Dimensis, quadrent ut quatuor undique frontes,
20 Ne, commissuris distantibus, angulus impar
Argutam mutilet per dissona symmetra normam.
Auroræ de parte, tribus plaga lucida portis
Illustrata patet ; triplex aperitur ad austrum
Portarum numerus ; tres occidualibus offert
Janua trina fores ; toties aquilonis ad axem
Panditur alta domus. Nullum illic structile saxum,
Sed cava per solidum, multoque forata dolatu,
Gemma relucenti limen complectitur arcu.
Vestibulumque lapis penetrabile concipit unus.
Portarum summis inscripta in frontibus auro,
Nomina apostolici fulgent bis sena senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, et electos vocat in præcordia sensus.
Quaque hominis natura viget, quam corpore toto
Quadrua vis animat, trinis ingressibus aram
Cordis adit, castisque colit sacraria votis.

INCIPIT TRACTATUS SUPER ÆDIFICIUM PRUDENTII.

I.

25 Gratia Dei adjutrice, vitiorum voragine annihilata, virtutum domicilium studuit nobis describere Prudentius doctor. Fides igitur, ubi finem verbis suis posuit, tamquam victrix et regina, descendens ad inferiora, gradu derelicto in quo prius steterat, dum sermonem pacificum ageret, suam domum collocavit super fundamentum indefectivum. Unde Apostolus : « Fundamentum aliud nemo potest ponere [1], » et cætera.

E cod. S. Ebrulfi 80, nunc 2 in Bibliotheca publica Alenconnensi, sæc. XI, de quo vide Montfaucon *Bibl. Bibl. mss.*, p. 1335. Præmisimus Tricassino Prudentio Prudentii alterius, nomine, origine et patria non dissimilis, carmina quæ Noster haud omnino impari commentario adornare aggressus erat. Neque me solum tædebit quod interrupta tantum aut mutila hæc interpretatio ad nos usque pervenerit, neque ullus ullibi gentium codex supersit, unde cætera quæ hic videntur deesse, suppleantur. Quid, si æstimentur esse homilia una integra, veris et plenis suis contenta terminis? Cæterum exstat Gerohi liber *de ædificio* Dei, longe alius argumenti, in Bern. Pezii *Thes.* t. II, p. 2, p. 275.

1) *Ponere.* I Cor. III, 11.

II.

Arundo autem per quam templum ab ipsa mensuratur, aurea esse perhibetur. Quid igitur per auream virgam, nisi regula justitiæ nobis demonstratur? Quæ bene aurea esse dicitur, quia quemadmodum aurum in sua natura cæteris præeminet metallis, omniaque quibus immiscetur, per ejus nitorem decorantur : ita quidquid ipsa discretionis lance deliberat, suam speciositatem interserendo, illuminat.

III.

Quatuor frontes domus ista habere dicitur : domus quidem nostra, in qua Deo militamus, sancta est Ecclesia, testante Domino, qui ait : « Domus mea, domus orationis vocabitur [1]. » Per quatuor igitur frontes non inconvenienter quatuor evangelistas intelligere possumus, præsidio quorum nisi hæc domus fulciatur, procul dubio sui ruinam patitur.

IV.

Est etenim in figura eorum aliud considerandum, quod sancta Ecclesia totis cordis nisibus desiderat adipisci, ut post carnis ergastula sponsi sui desideratissimi mereatur amplexibus perfrui. Unus autem ex eis faciem hominis portat; secundus, vituli; tertius, leonis; quartus, aquilæ; hæc sane quatuor : unusquisque ad supernam patriam anhelat, desudat ut habeat. Per formam hominis rationem mentis accipe, et scias te esse præditum ratione, qua debes uti in discretiva operatione. Et quid per figuram vituli, qui in sacrificio solebat mactari, nisi carnis mortificationem accipimus? Quid vero per leonem, quem fortiorem esse aliis bestiis Scriptura testatur, nisi constantia sanctorum insuperabilis innuitur? Per aquilam nempe, quæ oculis irreverberatis solem aspicit, unumquemque Dei amicum, magnis suspiriis et lacrymarum manatione contemplationi inhærentem, et dissolvi et esse cum Christo cupientem, nihil obstat intelligi.

V.

Hæc igitur quatuor si in beato Paulo apostolo poterint inveniri, videamus. Ratione nimirum tum temporis fungebatur, quum dicebat : « Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus [2]. » Itemque : « Non duxi me aliquid scire inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum [3]. » Et ne ipsius prædicatio tamquam a stulto prolata, vilissima ab eis reputaretur, quid prosequutus sit, audiamus. Ait enim : « Sapientiam loquimur inter perfectos. » Idem enim iste vitulus erat, quum nobis exemplum bonæ vitæ præbens, prædicabat : « Castigo corpus meum, et in servitudem redigo [4]. » Numquid non iste nobis leo esse dicitur, qui, omni humano terrore postposito, clamabat : » Quis poterit nos separare a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an gladius [5]? » Absit! Quid igitur mirum, si ille aquila fuerit, qui tot et tantis virtutibus præditus exstitit? Non parum utique modum humanum excesserat, qui ut æmulos suos reprimeret, aiebat : « Raptus sum usque ad tertium cœlum [6]; » et adeo quod confiteretur se nescire utrum in corpore an non, fuisset, ibique audiisse verba arcana, quæ non licet homini loqui.

VI.

Talibus igitur frontibus domus hæc munita consistit, quum parilitas quadrangulorum alludit. Consonantia autem mensuræ hujus concordia evangelistarum potest accipi, qui, licet in diversis provinciis alter ab altero segregatus, sumsissent Christi Evangelium, tamen nulla in eis potest reperiri controversia. Impar vero hujus ædificii mensura foret, si unius ex illis plus minusve dixisset, quam res gesta postularet [7]...

VII.

Sequitur : « Panditur alta domus; » limen cujus insignis quædam gemma complectitur. In primis quid sit istud limen, et postmodum quæ ista gemma complectatur.

(1) *Vocabitur.* Matt. xxi, 13. — (2) *Carnalibus.* I Cor. iii, 1. — (3) *Crucifixum.* I Cor. ii, 2. — (4) *Redigo.* I Cor. ix, 27. — (5) *Gladius.* Rom. viii, 35. — (6) *Cœlum.* II Cor. xii, 2. — (7) *Postularet.* Imma-

Quoniam quidem hoc ædificium sine lapidibus vel cæmento construitur, quid aliud per limen, nisi animæ principalitas demonstratur? Unde Dominus in Exodo ad Moysen dicit : « Sument Hebræi de sanguine agni, et ponent super utrumque postem et in luminaribus domorum [1]. »

Hoc liminare gemma cava circumcingit. Si cava, quomodo solida? Si dolata, quomodo integra? Per hanc gemmam divinam paginam accipiamus. Deinceps, si cava et solida alicubi potest inveniri, consideremus.

VIII.

Patet, nisi fallor, vobis omnibus quod Moyses, vagiens adhuc, in fiscella quadam juxta fluminis crepidinem positus, latuerit. Ecce, fratres, sensus historicus solidus est. Hunc autem ille cujus figuram Moyses delitescens gerebat, aperiat vobis et concavet. Moyses igitur qui Sumtus de aqua, vel Aquaticus interpretatur, Christum Dominum significat, qui Aquaticus potuit vocari : quum pro nobis formam suscipere voluit. Quod enim aqua corruptionem hujus vitæ significet, testimonio didicimus : « Aquæ enim, inquit, multæ populi sunt [2]. » Latet itaque Moyses in vasculo virgulis connexo; latuit Christus usque ad sui adventum in veteri Testamento, quod congrue virgis comparatur [3]..., quia nisi a superno doctore nobis aperiatur, quid intus jaceat, non videmus. Moyses juxta decursus aquarum jacet : irrigatio autem sancti Spiritus divinæ paginæ cohæret. Quod enim aqua spiritum significat, in Evangelio habes : « Qui credit in me, inquit Dominus, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc erat, inquit evangelista, de Spiritu sancto quem accepturi erant, credentes in eum [4]. Nunc quoniam spiritualis sensus exprimitur, nec soliditas historiæ violatur, tamquam cavatura quædam et soliditas in una gemma esse dinoscitur.

IX.

Sequitur : « Et dolata multo foratu. » Ac si diceret : elimata diversa inquisitione doctorum. Legis quilibet ⌈pe⌉ritus hebraicarum historiarum verba audit : sed medullam sententiæ non percipit, nisi prius sibi aperiat gratia Spiritus sancti; et sic tamquam foramen in eo quod prius clausum fuerat, videtur fieri. Quid igitur sunt aliud multa foramina, quam gratiæ divinæ dona diversa? Unde Apostolus : « Alius sic, alius autem sic. Spiritus enim sanctus singulis dividit, prout vult [5]. » Numquid enim Christus, surgens a mortuis, discipulis duobus, ad castellum quoddam euntibus, foramen in Scriptura fecit, ut refert evangelista : « Et aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas [6]? »

X.

Arcus qui limen hujus domus complectitur, moralis sensus competenter intelligitur. Aliter per arcum divinæ paginæ sacri baptismatis mysteria figurantur, nec vacat a mysterio, quod in arcu duo colores principales esse perhibentur, cæruleus videlicet ac igneus, quia per aquam in memoria passionis Christi lavamur, et sic gratiam sancti Spiritus suscipimus, qui per ignem figuratur; sicut Dominus dicit in Evangelio : « Ignem veni mittere in terram [7].

XI.

Aliter gemma illa cava et solida vitæ æternæ nobis desiderium monstrat, testante evangelista, qui inter alia, parabolam de quodam mercatore proferens, inquit : « Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa autem una [8], etc. » Quæ bene cava esse dicitur, quia nihil sibi retinens, nisi quod carnis natura exigit, liberrime se ad superna erigit, attendens quod Apostolus dicit : « Nemo militans Deo implicat se sæculari-

nem forte hic hiare lacunam suadent carmina Prudentii relicta sine commentario, quæ quidem Tricassini interpretis codici defuisse vix credibile est. — (1) *Domorum*. Exod. xii, 7. — (2) *Populi*. Apoc. xvii, 15. — (3) *Comparatur*. Iterum nonnulla hic excidisse credam. — (4) *In eum*. Joan. vii, 38. — (5) *Vult*. I Cor. xii, 11. — (6) *Scripturas*. Luc. xxiv, 45. — (7) *Terram*. Luc. xii, 49. — (8) *Una*. Matt. xiii, 46.

bus negotiis [1]. » Hæc autem multo foramine dolatur, quia dum mole carnis gravatur, diversis animæ desideriis quæ sentire nollet, velit, nolit, vulnerat; ut Apostolus dicit : 5 « Video aliam legem in membris repugnantem legi mentis meæ [2] : » qui tamen solidus exstitit dum suæ carni non acquievit; sed arcu lucifero præmunitus, divinæ paginæ videlicet refocillatione sustentatur, ne bonum 10 quod cœperit, desinat, dum talia patitur.

XII.

Quia vero arcus sacram Scripturam significet, in psalmographo habes : « Arcum suum tetendit [3], » et cætera. Duo capita in arcu, duo Testamenta significant. Chorda 15 vero quæ caput unius ad alterum reflectit, concordiam eorumdem designat. Sagittæ in arcu apostolos figurant; unde est illud : « Sagittæ tuæ acutæ [4], etc. » Et aliud notandum in arcu, quod a longe per- 20 cutit, et quanto magis retrorsum tenditur, tanto [5] inde quilibet, nisi caveat, vulneratur acrius. Longum siquidem tempus jam transit, quod iste arcus minas nobis intulit. Ait enim Apostolus ad illos [ad] quos ar- 25 cus iste extendit, quia « neque avari, neque molles, neque immundi, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt [6]. » Et psalmista : « Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus [7]. » 30 Quem, quamdiu vivimus, relaxare si voluerimus, possumus.

XIII.

Sequitur : « Unus lapis complet vestibulum penetrabile. » Per hunc lapidem Chris- « tus, qui fecit utraque unum [8], » figuratur; 35 per vestibulum autem, quæ adhuc peregrinatur Ecclesia accipitur. Tabernaculum sane in sacra Scriptura Ecclesiam significat. Et notandum quod milites in tabernaculis, non in domo sua habitant, quamdiu in expeditione morantur. Sed post belli victoriam, coronis decorandi redeunt exsultantes domum. Nos vero non habentes hic manentem civitatem, sed futuram inquirentes, sic in hac Ecclesia, tamquam in tabernaculo commorantes, Domino Deo militamus, ut post cursum stadii nostri, ad matrem nostram, quæ est cœlestis Jerusalem, laureati veniamus. Vestibulum istud ideo penetrabile esse dicitur, quia bonis et malis unus [9] patet aditus, neque quisquam extorris esse inde dijudicatur, nisi prius hæreticus denotetur. Igitur hujusmodi domus a Fide et Concordia fidelibus præparatur.

XIV.

Sequitur : « Quadrua vis animæ. » Hæc ara mens nostra est, in qua Deo hostias immolamus, quæ a quadrifida vi animæ præordinantur. Sacra Scriptura quatuor virtutes animæ principales esse commemorat : prudentiam, temperantiam, fortitudinem, justitiam. Quod si una[e] tribus defuerit, non jam virtutes, sed vitia debent nuncupari : quia si prudens, nec temperans, nec fortis fueris [10], prudentia vel fortitudo tua in stultitiam versa est. Quod si prudens et temperans, nec fortitudine corroboratus fueris, omnino prudentiam tuam atque temperantiam necesse est in nihilum redigi. Postremo si virtus prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis in te viguerit [11], nec eam ad summam justitiæ dirigere volueris, pro certo scias quia opera tua in pulverem redegisti. Verumtamen si hæc quatuor in te pari modo connexa fuerint, procul dubio idoneus eris ut possis ad aram offerre ingressibus trinis. Omnes ingressus tres motus animi vocat, quibus præcepit nobis Deum diligere, videlicet ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente. Cor ad cogitationes, anima ad carnis vivificationem, mens ad discretionem pertinet... *Cætera desiderantur.*

(1) *Negotiis.* II Tim. II, 4. — (2) *Meæ.* Rom. VII, 23. — (3) *Tetendit.* Ps. VII, 13. — (4) *Acutæ.* Ps. XLIV, 6. — (5) *Tanto magis* eod. — (6) *Possidebunt.* I Cor. VI, 10. — (7) *Arcus.* Ps. LIX, 6. — (8) *Unum.* Ephes. II, 14. — (9) *Una patet* cod. — (10) *Quasi prudens... fuerit,* ib. — (11) *Viguerint,* ib.

ADHELMUS PHILOSOPHUS,

JOANNIS SCOTI, UT VIDETUR, FRATER.

FRAGMENTA EX LIBRIS THOMÆ CANTIPRATANI

DE NATURIS RERUM DESCRIPTA.

Testimonium Cantipratani, in Prologo. Proinde isti sunt qui sequens opusculum eleganter illuminant. Primus omnium Aristoteles... ADHELMUM quoque Philosophum [inserui], qui, etsi pauca, tamen bona valde conscripsit.

I. *Ex lib.* III, *cap.* I.

Quoniam de monstruosis hominibus orientis liber sequitur, quærendum primo est, si homines illi de Adam primo homine descendunt. Et respondendum est quod non; nisi forte, sicut Adhelmus Philosophus dicit de onocentauris, quia per adulterinam commixtionem hominis et bestiæ, si tamen verum est, proveniunt. Cui opinioni illud contrarium est quod dicitur : monstra diu non posse vivere, ab homine et bestia generata.

II. *Ibid., cap. ult.*

Molossus homo fuit, monstruosus quem occisum Tiberis fluvius cooperire non potuit, et mare per multa spatia rubro sanguine infecit (ut dicit Adhelmus); cujus templum et statua Romæ facta est, quæ a nomine ejus Colossus dicitur.

III. *Ex lib.* IV, *cap.* 18.

Cacus monstrum est in Arcadia : hoc animal totum setosum est quasi porcus; et (sicut scribit Adhelmus) flammas de corpore suo eructat, id est anhelitum et spiritum flammeum; facit autem hoc maxime quum permotum fuerit [1].

IV. *Ibid.*, c. 50.

Leo... quum dormit (ut dicit Adhelmus), oculi ejus vigilant. Quum ambulat, operit cauda vestigia sua, ne a venatoribus percipiantur (ut dicit Plinius).

V. *Ibid.*, c. 64.

Molossus bestia est (ut dicit Adhelmus) admodum magna, quæ in pluribus orbis partibus reperitur. Hæc truculentos hostes, quasi ad hoc creata, persequitur. Rictus magnos et ingentes habet; dentes fortes et prominentes, cum quibus audaciter partitur bella cum adversariis. Quæ quum hominibus fortibus terribilis et horrenda sit, audacterque grassetur in obvios, tamen puerorum innocentiam et eorum parvitatem mirabiliter perhorrescit, fugitque eorum verbera et in hoc digne innocentiæ magnificentia comprobatur, et non mirum quia feritas bestiarum, non ad destruendam in-

E cod. Leodiensi 77 (Cf. p. 321, supra) et Mazarin. P. 1274, utroque sæc. XIV. Etsi pleraque hæc collectanea in Vincentii Bellovac. *Speculo naturali* inserta hic illic occurrunt, neque etiam omnia ex inedito Thomæ opere collegimus, quæ tamen hic damus satis esse reor ut novus auctor internoscatur, quæ fore ut lectori non ingrata sint, speramus.

(1) *Fuerit.* Ne ab argumento nostro omnino recedamus, juxta Thomam Cantipratanum allegoricam hujus loci expositionem referimus : « Cacus significat quosdam iracundos qui quidem ad modicum primum sibi irasci videntur interius; sed quum se ipsos, ira increscente, refrænare non possunt, quasi flammas, in proximum contumelias [eructant], adeo ut non solum se, verum etiam plures ad odium secum ira junctos inflamment : sicque occasione suæ nequitiæ multos ad inferni claustra trahunt; et hoc, gressu retrogrado, quia nullum rectum vel justum odium esse potest. Iracundus igitur non solum infestus est brutis hominibus ut eos ad iracundiam provocet, verum etiam aliquando rationabilibus et religiosis hominibus, quia quidem valde perfectus est quem quandoque ira non dejicit. »

nocentiam, sed ad premendam [1] nocentiam atque malitiam hominum est creata.

VI. *Ibid.*, c. 78.

Onocentaurus (ut dicunt Isidorus et Adhelmus), animal est monstruosum et natura biforme. Habet enim caput velut asini, corpus autem velut hominis. Dicit Adhelmus philosophus quod hoc monstrum non est tale creatum ab initio creationis inter cæteras bestias : sed [non] nisi, quod et quandoque visum est, ex adulterina commixtione hominis et tauri, vel hominis et equi nascitur [2].

VII. *Ibid.*, c. 79.

Sunt autem onagri (ut Adhelmus scribit) miræ magnitudinis et fortitudinis; præcipue et hoc quidem patet, quia exsultare fortitudine videntur. Saxa enim ingentia de rupibus evellunt; et hoc ad nihil aliud nisi ut fortitudinem suam et saxorum molem attentent.

VIII. *Ex lib.* v, *c.* 4.

Harpya avis est [(ut dicit Adhelmus) in remotis mundi partibus, in loco qui Strapodes [3] dicitur, in solitudine, juxta mare Ionicum; rabida fame, semper fere insatiabilis; et ungues habet aduncos, et ad discerpendum et rapiendum semper paratos. Hæc faciem habet tantum humanam, sed in se nihil virtutis humanæ; nam ferocitate grassatur ultra humanum modum. Hæc primum hominem quem viderit in deserto, fertur occidere; inde quum fortuito aquas invenerit, et faciem suam in aquis fuerit contemplata, mox sui similem occidisse se prospiciens, tristatur immodice, et hoc aliquando usque ad mortem, plangitque occisum omni tempore vitæ suæ. Hæc avis aliquando domesticata, loquitur docte humana voce, sed ratione caret.

X. *Ibid.*, c. 28.

Hoc avium genus [Ciconia] multifarie insidiatur serpentibus, et licet comedat eas et alia venenata, tamen (sicut Adhelmus dicit) non moritur. Bufones vero non nisi in magna fame comedit, et in hoc notatur naturale malum bufonis.

XI. *Ibid.*, c. 66.

Hirundines bis ovant; sed ova prima sæpius corrumpuntur propter hiemem. Si quis cæcaverit pullum hirundinum, revertuntur oculi eorum iterum (ut dicit Aristoteles, sed et Adhelmus philosophus idem dicit).

XII. *Ibid.*, c. 90.

Nycticorax dicitur (ut Adhelmus dicit) noctis corvus; avis est utique quam nos noctuam dicimus. Hæc noctis tenebras amat, solem vero videre non patitur. Lucifuga enim est.

XIII. *Ex lib.* vi, c. 35.

Luligo monstrum marinum (sicut Adhelmus dicit) adeo mirabile [4], ut ipsum in hoc lusisse certius credas qui hoc creavit. Omnibus fere marinis belluis præferendum : hoc enim animal, squamosum cute, cum gregibus piscium scrutatur profunda maris. Quum vero aquas maris fastidierit, elevat se cum alis pennigeris quas illi in hoc natura dedit, et cum volucribus scandit æthera; verumtamen elevatum in aere monstrum istud ventorum flatus sustinere non potest. Sed post modicum, ubi ventis concutitur obviis, ad aquas redire cogitur, et relabitur in profundum.

XIV. *Ibid.*, c. 40.

Perna animal marinum est; quod animal

(1) *Puniendam*. Cod. Leod.— (2) *Nascitur*. « Sed huic opinioni plurimi contradicunt. Hoc monstruosum animal vidit beatus Antonius in deserto, quærere pergens, ut scribit B. Hieronymus, gloriosum Paulum, primum eremitam. Sed dubium asserit si hæc diabolus finxerit, vel si hoc natura creaverit. Multi tamen dicunt hoc monstruosum animal esse in partibus orientis, et naturaliter creatum, ut multa alia monstra, in admirationem dignam et debitam conditoris. » CANTIPRATAN. — (3) *Stamperes*. Cod. Mazar. Legendum *Strophades*. — (4) *Mirabile*. sic. Leod. *Ut naturam in hoc*. Mazar.

monstruosum ac magnum est (ut dicit Adhelmus), et nascitur ostrearum more, inter conchas, quæ conchæ colorem habent cæruleum : hoc monstrum inter ipsas conchas vestitur veste nobilissimo, fulvo nimis ac rutilo : unde conficiuntur vestes pretiosæ ac decoræ in ornatum virorum ac mulierum. Pepla enim capitis fiunt [1] ex iis, quæ cedunt in ornatum et luxum feminarum. Sic in duplex ministerium habentur vellera prædicti animalis et cedunt in usus utriusque sexus.

XV. *Ibid.*, c. 45.

Sirenæ animalia vocifera sunt (ut dicit Physiologus [2]) a capite usque ad umbilicum figuram mulieris habent, procera magnitudine, facie horrenda, crinibus capitis longissimis ac fluentibus : apparent autem cum fetibus quos in brachiis portant. Mammis enim fetus lactant, quas in pectore magnas habent. Nautæ autem, quando vident sirenas, multum timent, et tunc projiciunt eis lagenam, ut ludant, et interim navis pertranseat. Hoc testati sunt illi qui eas se vidisse testati sunt. Reliquam vero (ut Adhelmus scribit) corporis partem, sicut aquilæ, sirenæ habent, et ungues in pedibus, ad laniandum habiles.

XVI. *Ibid.*, c. 47.

Scylla monstrum maris est, sicut sirenes. Istud quidem monstrum in eo mari Adhelmus philosophus manere veraciter dixit, quod Italiam et Siciliam intercludit. Nautis quidem et omni homini inimicum est, et eorum sanguine ac carnibus delectatur. Caput utique et pectus, ut virgo, formata habent, sicut sirenes, et rictus et oris hiatum ac dentes horridos, et bestialem uterum, et caudam ut delphini habent. Habent et illæ voces aliquantulum musicas, et carmine vel ipsæ belluæ mirifice delectantur.

XVII. *Ex libr.* VIII, *c.* 15.

De cerebro draconis (ut Adhelmus dicit) draguntia lapis exciditur, sed nequaquam præcisum dicunt, nisi viventi extrahatur. Inopinantes enim uno ictu ad æstum cubantes transverberantur in capite, et sic adhuc in pleno vigore palpitantibus lapis extrahitur.

XVIII. *Ibid.*, c. 28.

Salamandra (ut dicunt Augustinus et Adhelmus et Isidorus) vivit in igne, et non solum non uritur, sed etiam exstinguit incendium [3].

XIX. *Ex lib.* IX, *c.* 22.

Formicarum Leo, qui et Myrmicoleon dicitur ab Adhelmo (exponitur a μύρμηξ quod est Formica, et λέων quod est Leo, quasi Formicarum Leo), hic vermis est de genere formicarum, sed multo major. Quum adhuc parvus est et invalidus, pacem atque modestiam simulat; at quum accepit vires, robur ac magnitudinem corporis, despicit consortia pristina, et jam majorum turbam comitatur. Denique invalescens audacia, delitescit in abditis, et exemplo prædonum insidiatur formicis laborantibus ad communes usus, et ut raptor, rapit eorum onera, aut etiam ipsas jugulat et manducat. In hieme vero, quum sibi formicæ quasi in horreo collocaverunt cibos in terra, myrmicoleon qui nihil sibi in æstate ad usum vitæ paravit, diripit illarum labores ac destruit. Hoc genus animalium significat hypocritas et dolosos in claustro.

XX. *Ibid.*, c. 23.

Formicæ in India sunt circa montes Aureos, majores vulpibus [4], etc. De his formicis scribit Isidorus et Adhelmus.

XXI. *Ibid.*, c. 24.

Locusta parit ova (ut Plinius et Adhelmus dicunt), condensa autumni tempore, quæ durant tota hieme : exitu autem veris, erumpunt fetus, etc.

(1) *Capiunt ex iis.* Ib.—(2) *Physiologus.* Cf. supra p. 350.—(3) *Incendium.* Thomas huc adduxit Adhelmi Shirbrunensis ænigma de Salamandra, valemque a philosopho clare distinxit. —(4) *Vulpibus.* E Solino.

B. RABANUS MAURUS.

ALLEGORIÆ IN UNIVERSAM SACRAM SCRIPTURAM,

QUÆ RABANI MAURI NOMINE INSCRIBUNTUR.

I.

ADAMI PRÆMONSTRATENSIS

RECENSIO UNA CUM VULGARI ET CUM NOSTRA EDITIONE SIMUL COLLATA.

I.

Prologus magistri Adami, Præmonstratensis ecclesiæ canonici, in sequens opus incipit.

Quisquis ad sacræ Scripturæ notitiam desiderat [1], etc.

II.

5 De harum [2] vero dictionum diversis significationibus prout eas ab orthodoxis doctoribus in libris tam veteris quam novi testamenti expositas invenire poterimus, auctore Deo, loquemur. Quos etiam libros hic una cum ipsis dictionibus ponimus :

10 Vetus testamentum continet libros legales, libros prophetarum, libros hagiographorum.

Libri legales quinque sunt : Bresith, qui et Genesis; Helle Semoth [3], qui et Exodus; Vagera, qui Leviticus; Vagedaber, qui liber Numeri; Addebarim [4], qui 15 Deuteronomius et Secunda Lex dicitur. Hi sunt quinque libri Moysis, quos Hebræi Thorath, id est Legem appellant.

Libri prophetarum octo sunt : quorum primus est Josiæ; secundus Sophetim [5], qui et Judicum; tertius Samuel, qui primus et secundus est Regum; quartus Malachim, qui tertius et quartus Regum; quintus Isaiæ; sextus Jeremiæ; septimus Ezechielis; octavus liber duodecim prophetarum, qui Theore asra [6] dicitur, quorum hæc sunt nomina : Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Naum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias.

Libri hagiographorum, id est sanctorum scriptorum, novem sunt, quorum primus liber est Job; secundus Psalmorum; tertius Proverbiorum Salomonis, quem græci Parabolarum, hebræi Masloth appellant; quartus Coheleth, quem Græci Ecclesiasten, Latini Concionatorem dicunt; quintus Sira Asirim [7], quem nos Cantica canticorum vocamus; sextus liber est Prætermis-

---

Ex multis codicibus quos attenta manu versavimus in Bibliothecis Parisiensi, Trecensi, Pictaviensi, Brugensi, Bruxellensi, Montensi, Hagæ Comitis, etc., et variis quas inde collegimus notis, auctariis, procœmiis, pauca seligimus, quorum præcipua habemus e cod. Sangerm. Paris. 829, sæc. XIII; Pictaviensi 60, sæc. XIII; Trecensibus 539 et 1697, sæc. XIII; Montensi 18, sive 8358; Hagæ Comitis 44, sæc. XIV. Unus est Pictaviensis qui Adami Præmonstratensis recensionem asservaverit; unus Hagæ-Comitensis, qui præbuerit apparatum post Adami recensionem et indicem edendum.

(1) *Desiderat*. Codicis Pictaviensis A, Montensis B, et Trecensis 539 C varietates una proferimus, easque plerumque necessarias ut sensus aliquis edito restituatur; quas referre placuit ad nuperrimam Rabani editionem Minianam, t. VI, col. 849-851 : « Primo diligenter A. Quando tropologice, quando vero anagogice A, B, C. Intelligentias sapientiæ filias A, C. Ad cujus acquisitionem quum plena ipsarum cognitio totius ... secreti sit manifestatio ... nisi illarum prius acquisita cognitione A, B, C. Per has adoptionis filias B. Incipientibus quidem et teneris A, C. Bonis etiam strenue operibus insudantibus A, B, C. Per cœlestium sunt desiderium ... historia ad apertam p. quia et in ... quia per id quod loquitur de rei veritate, aliud quiddam ... aliquando dictis, aliquando factis, semper autem figuratis et velatis ostendit ... gaudiis tractat *Ibid.* Per sanctorum exempla quæ narrat A, C. Supernorum gaudiorum A, B, C. Per affectum puræ mentis ... in arcem veritatis ... investigat, erectum hoc de quo ... per moralitatis venustatem . . studiose considerandum ... nonnihil sibi naturaliter insitum habere solet ... Est aqua cujus ... psalmista orat, ne ejus eum ... Est item camelus ... naturaliter insitarum ... eas accipere debeamus ... modo secundum suas duas ... *Ibid.* Quæsita citius B, C. Invenire, dictiones pertinentes ad tres de quarum A. Ad eas pertinentes res de quarum C. Secundum ordinem alphabeti, et secundum etiam illum quo litteræ semivocales et mutæ vocalibus conjunguntur A, B, C. — (2) *De harum.* Is *Prologus* 2 in plerisque supra relatis codicibus inest. Describitur ex cod. Pictav. A. Varias hic damus lectiones ex Montensi B et Trecensi C. Conf. insuper Isidor. *Etymol.* lib. VI, c. 1. — (3) *Hellesemoth* C. — (4) *Addaberim* A. — (5) *Sothym* A, B. — (6) *Thare asra* C. *Thereazar.* Isid. — (7) *Sira syrym* A, C.

sorum, quem Hebræi Dabregarim, Græci Paralipomenon nuncupant; septimus est liber Danielis; octavus, Esdræ; nonus, Esther.

Sunt et alii veteris testamenti, qui tamen in canone non sunt, liber scilicet Sapientiæ, quem Judæi Philonis esse affirmant; liber Ecclesiasticus, quem composuit Josuas, filius Sirach, liber Tobiæ et Judith, et duo libri Macchabæorum.

Novum testamentum continet libros evangelistarum, qui quatuor sunt, liber Matthæi, Marci, Lucæ et Joannis. Continet etiam libros Actuum apostolorum, quem Lucas evangelista scripsit, liber epistolarum Pauli, qui quatuordecim sunt, liber septem epistolarum canonicarum, quarum una est Jacobi, Petri duæ, Joannis tres, Judæ Jacobi una, liber quoque Joannis apostoli, qui Apocalypsis inscribitur. Scripta quoque Patrum ideo in canone non sunt, quia non tam novum aliquid adjiciunt, quam ea quæ prius dicta sunt, latius exponunt.

I.

*1. Angelus (cf. Rabani *Opp.* t. VI, col. 851.)
*2. *Anima.*
*3. Abyssus, *vid.* t. II, p. 151.
4. Abies, II, 362.
5. *Abortivum.*
*6. Accipiter, II, 495.
*7. Acetum, II, 464.
*8. *Acies.*
9. Acervus, II, 437.
10. *Accubitus.*
*11. *Acus.*
12. Adolescentulæ, III, 114.
13. Adeps, II, 243.
14. [Adversarius, III, 240.]
*15. *Aer.*
*16. Ager, II, 126.
*17. Agnus, }
18. Agna, } III, 29.
19. Agricola, II, 460.
*20. Altare, III, 218.
21. *Halitus.*
*22. Ala, II, 476.
23. *Altitudo.*
24. *Albugo.*
25. *Aloe.*
26. *Altilia.*
27. Amicus, }
28. Amica, } III, 136.
29. *Amphora.*
30. Annulus, III, 162.
31. Annus, II, 114.
32. Ancilla, III, 239.
*33. Antrum, II, 137.
34. *Antemurale.*
35. Animalia, III, 2.
*36. *Angulus.*
37. Apis, II, 512.
38. *Aper.*
*39. Aquilo, II, 80.
*40. Aqua, III, 149.
*41. Adamas, II, 340.
*42. Aquila, II, 480.
43. *Arcturus.*
*44. Arcus, II, 89, 306.
*45. *Arista.*

In hoc indice sedulo distinximus italico charactere quæ editioni nostræ desunt; et asterisco, quæ in editis libris aut depravata aut omissa, a codicibus nostris restituuntur. Inter uncos ponimus sive quæ editis omnino desunt, sive quæ a codicibus exsulant nostris; hæc vero, quasi spuria, insuper italico charactere inter uncos notamus. Numeros refer ad tomos nostros.

1. *Angelus. Editis addendum :* Fomes peccati, ut in Apostolo [II Cor. II, 7] : « Datus est mihi angelus Satanæ, qui me colaphizet, » id est fomes peccati qui me humiliet. — Episcopus, in Apocalypsi : « Angelo Ecclesiæ Smyrnæ scribe, » id est, episcopo illi annuntia verba mea. — Anima hominis, ut de Petro dictum est puellæ, nomine Rhode : « Angelus ejus est [Act. XII, 14], » id est non ipse, qui tenetur carcere, sed anima ejus, egressa de corpore. — Prædicatores, ut in Job [XLI, 16] : « Quum sublevatus fuerit, timebunt angeli, et territi purgabuntur, » quia quum diabolus, etc. [Cf. supra Gregorius M. p. 411. Inde enim auctaria fere omnia sua Adamus habuit]. — 2. *Anima.* Synagoga. Habacuc [II, 10] : « Peccavit anima tua, Deus, » id est Synagoga, quam quasi animam tuam diligebas. — Voluntas divina. Isaias [I, 14] : « Kalendas vestras odivit anima mea, » id est festivitates vestras exteriores reprobavit anima mea. » — 3. *Abyssus*, profunda Scripturæ mysteria, ut in psalmo [XXXII, 7] : « Ponens in thesauris abyssos, » id est in secretis sacræ Scripturæ profunda mysteria. — Diabolica astutia, ut in Job [XXXVIII, 30] : « Super facies abyssi constringitur, » quia diabolicæ astutiæ species quasi bona et solida ostenditur, ne in profundo latens malitia caveatur. [Cf. *Greg. M.* supra t. II, 151.] — 6. *Accipiter*, ab accipiendo dicitur; est autem avis circa pullos impia; nam quum videt eos posse tentare volatus, non pascit eos, sed pennis verberat et a nido præcipitat atque a tenero compellit ad prædam, ne forte adulti pigrescant. — 7. *Acetum*, verbum commotionis, etc. [*ut supra, in Gregorio M.* p. 410]. — 8. *Acies.* Exponuntur in A differentiæ inter *acies*, *exercitus*, *classis*, *nodus*, *cuneus*, *alæ*, *cornua*, *agmen*, fere pleraque juxta Isidorum. — 11. *Acus.* Per foramen acus transire, est Christum punctione doloris in cruce portare; ipse etenim per foramen acus transiit, quum per angustiam passionis victoriosissime de diabolo triumphavit. — 15. *Aeris* definitionem ponit A juxta Isidor. *Etymol.* XIII, 67. — 16. *Ager*, corpus hominis, ut in parabolis : « Præpara opus tuum et diligenter exerce agrum tuum, » id est sentes iniquitatum evelle et corpus ad frugem retributionis excole. Ager ab agendo, etc. Exponit A quid sint *ager*, *cultura*, *cinis*, *aratio*, *intermissio*, *incensio stipularum*, *stercoratio*, *occatio*, *runcatio*, *sulcus*, *veractum* [quasi *vere actum*, id est *vernum aratrum*], *satio*, *serere*, *seges*. Cf. Isid. et Hugon. S. Vict. t. II, p. 461 sqq. Ita ad n. 16. Quid agnus? *Isidor.* XII, 1, 12. Ad. n. 19. Quid altare? v. ib. — 36. *Anguli*, simulatæ mentes pravorum, etc. — 40. *Aquæ*, fluxus luxuriei, ut ibi [Gen. XLIX, 4] : « Effusus es, Ruben, sicut aqua. » Qui enim in luxuriam funditur, virtutum profectibus non augetur. — Mollia dudum corda Judæorum, ut in Job [XXXVIII, 30] : « In similitudinem lapidis aquæ durantur, » id est, Judæorum corda in duritiam sunt versa gentilium. — Lubrica pravorum desideria, ut in psalmo [XXXII, 7] : « Congregavit aquas quasi in utre, » id est refrænavit lubrica desideria in carnali mente. — Frigiditas actionis, ut in Job : « Ad calorem nimium transeat ab aquis nivium, » id est a frigore tepidæ actionis ad incendium æternæ combustionis. — 44. *Arcus*, dolus, ut in psalmo : « Peccatores, etc. » — Evangelistæ, ut in psalmo : « Posuisti, etc., » id est, fortes

46. Argentum, II, 284.
*47. Aries, III, 24.
*48. Armilla, III, 160, 208.
49. Arena, II, 171.
*50. Arma, II, 298.
51. Arca, III, 210.
52. *Armatus.*
53. *Artifex.*
54. *Arvina.*
55. *Artus.*
56. Area, II, 438.
*57. Arbor, III, 353.
58. Aromata, II, 402.
59. Areolæ, II, 401.
*60. *Aranea.*
61. *Armenta.*
62. *Arva.*
63. Aratrum, II, 480.
64. *Astra.*
65. Ascensus, II, 260.
66. *Ascensor.*
67. Asinus, } III, 12.
*68. Asina, }
69. Aspis, III, 93.
70. Atrium, III, 190.
71. Aurora, II, 99.
72. Auster, II, 80.
73. Aurum, II, 276.
74. Auris, II, 284.
75. Avis, II, 471.
76. *Axes.*
77. Azyma, II, 446.

II.

*78. *Babylon.*
*79. Baculus, II, 386.
80. Balteum, III, 257.
81. Barba, II, 30, 280.
*82. Brachium, II, 9, 229.
83. *Branchia.*
84. Basen, III, 204.
85. *Basiliscus.*
86. Bellum, II, 318.
87. *Beemoth.*
*88. Bestia, III, 49.
89. Byssus, III, 155.
90. *Bitumen.*
*91. *Binarius.*
92. *Botrus.*
*93. Bos, III, 15.
94. *Buccina.*
95. *Bruchus.*
96. Butyrus, III, 39.
97. Buxus, II, 362.

III.

98. *Cadaver.*
99. *Caligo.*
100. *Calor.*
101. Calix, II, 465.
102. Calamus, II, 420.
103. *Calumniator.*
104. Calcaneus, II 266.
105. *Calculus.*
106. *Callis.*
*107. Calceamentum, III, 164.
*108. *Clamor.*
109. *Clavi.*
110. *Clavis.*
111. Campus, II, 127.
112. Camelus, III, 10.
113. *Chamus.*
114. *Caminus.*
115. *Candelabrum.*
116. *Candor.*
117. *Canister.*
118. Canalis, II, 169.
119. Canis, II, 76.
*120. Caput, II, 25, 195.
121. Capillus, II, 37.
122. Capitella, III, 204.
*123. *Castellum.*
124. *Capparis.*
125. Caprea, } III, 33.
126. Capra, }
127. *Carcer.*
*128. Caro, II, 240.
129. *Carmen.*
130. *Carmelus.*
131. Cartilago, II, 248.
132. Carectum, II, 422.
133. *Carbunculus.*
134. *Caradrion.*
135. *Cardines.*
136. Carbones, II, 184.
137. *Craticula.*
138. *Crater.*
139. Caseus, III, 38.
140. Castra, II, 324.
141. *Cathedra.*
142. Catulus, III, 53.
143. *Catenæ.*
144. *Cataractæ.*
145. *Cauma.*
146. *Cauda.*
147. *Caverna.*
*148. Cedrus, II, 356
149. Cherubim, III, 209.
150. Cœlum, II, 51.
151. *Cella.*
152. *Cellaria.*
153. *Cælaturæ.*
154. *Cleri.*
155. *Cæmentarii.*
156. *Cœna.*
157. Cera, III, 41.
158. Cervus, } III, 69.
159. Cerva, }
160. Cervix, II, 295.
161. Cerastes, III, 95.
162. *Cetus.*
163. *Cibus.*
164. *Cibaria.*
165. *Cicatrices.*
166. Cycnus, II, 500.
167. *Cilicium.*
168. Clibanus, II, 447.
169. Clypeus, II, 300.
170. Cymbalum, III, 148.
171. *Scyphus.*
172. Cinis, II, 185.
173. *Cynomia.*
174. *Cinnamomum.*
175. *Cincinni.*
176. Cingulum, II, 42.
177. *Cyniphes.*
178. Cyprus, II, 412.
179. Cypressus, II, 359.
180. *Circulus.*

operarios meos fecisti evangelistas inflexibiles. — Intentio, ut in psalmo [LXXVII, 57] : « Patres eorum conversi sunt in arcum pravum, » id est prædecessores eorum habuerunt intentionem malam. — Spiritus sanctus, ut in Ezechiel [I, 28] : « Velut arcus quum fuerit in nube in die pluviæ. » Hic arcus quidem ex duplici colore fulget, quia et per aquam baptismatis abluit, et ignem divini amoris accendit. — 45. *Arista.* [Vid. *Gregor. supra* II, 431.]— 47. *Arietes.* [*Ibid.* III, 24.] — 57. *Arbores*, tota simul reproborum massa, ut in Evangelio [Matt. III, 10] : « Securis ad radicem arborum posita est; » quia justus judex Christus, qui tenetur ex manubrio humanitatis, et incidit ex ferro divinitatis, omnes reprobos consumet. — Hic mundus, ut in Evangelio [Luc. XXI, 29] : « Quum producunt arbores ex se fructum, scitis quia prope est æstas, » quia ex ruinoso fructu mundi proprie cognoscitur omne regnum Dei. — 60. *Aranea*, vanitas vitæ nostræ, ut in psalmo : « Anni nostri, sicut aranea, » id est anni nostri vanitate pleni sunt. — 78. *Babylon*, caro nostra, ut in psalmo [CXXXVI, 8] : « Filia Babylonis misera, » id est nutritura carnis per peccata confusæ, quia Babylon Confusio interpretatur. — 79. *Baculus*, lex, ut in IV libro Regum [IV, 29] : Elyseus mittit puerum Giezi ad mortuum cum baculo, quia ad mortuum in peccatis genus humanum Christus Moysen cum lege transmisit. — Diabolus, ut in Isaia : « Contrivit, etc. » — 89. *Byssus. Post Hildeberti distichum*, Byssus, decus virtutum etc. — 91. *Binarius.* [Vid. *Gregor. M. supra* p. 411.] — 107. *Calceamentum*, exempla bona, exempla mala [*vide et corrige quæ supra*, p. 165, l. 5, 6; et *ed. Alleg. col.* 881, l. 3, 4, 5]. — 108. *Clamor*, cupiditas pravorum, ut in Genesi, etc. — 152. *Cellaria*, gaudia æterna, ut in Cantico [I, 3] : « Introduxit me rex in cellaria sua, » id est per contemplationem fecit me introire in gaudia.

181. Cisterna, II, 166.
182. Crystallus, II, 340.
183. Cyathi, III, 223.
184. Cythara, III, 142.
*185. Civitas, III, 170.
186. *Cives.*
187. Coccus, III, 155.
188. Chorus, III, 146.
189. *Cophinus.*
190. Collum, II, 221.
*191. Columba, II, 485.
192. Columna, III, 204.
193. *Color.*
194. Coluber, III, 93.
195. Colles, II, 145.
196. *Comæ.*
197. *Compages.*
198. *Concentus.*
199. *Concubinæ.*
200. *Concupiscentia.*
201. *Cognitio.*
202. *Comedere.*
203. *Confessio.*
*204. *Confusio.*
205. Consules, III, 237.
206. *Consiliarii.*
207. *Contentio.*
*208. *Convalles.*
209. *Cor.*
*210. Corpus, II, 25.
211. Corvus, II, 498.
212. *Corona.*
213. *Cornu.*
214. Cortina, III, 204.
*215. *Cortex.*
216. Crocus, II, 412.
217. Costa, II, 253.
218. Coturnix, II, 508.
219. *Cubitus.*
220. *Cubile.*
221. *Culmus.*
222. *Culex.*
223. *Cultrum.*
224. Currus, III, 232.
225. Crus, II, 35, 261.
226. Cutis, II, 237.

IV.

227. *Damula.*
228. *Damascus.*
229. Dragma, II, 280.
*230. Draco, III, 90.
*231. Deus, II, 2.
232. *Deliciæ.*
233. Denarius, II, 279.
234. *Defectus.*
*235. Dentes, II, 212.
236. Desertum, II, 136.
*237. Dextera, II, 9, 31, 232.
238. Dextralia, III, 160.
239. *Diadema.*
*240. Dies, II, 94.
*241. *Diluculum.*
*242. Digitus, II, 10, 31, 234.
243. *Dilectus.*
244. *Diluvium.*
245. Dives, } III, 247.
246. Divitiæ, }
247. *Dominus.*
*248. Domus, III, 178.
249. *Dromedarius.*
250. Dorsum, II, 235.
251. *Dormitio.*
252. Dux, III, 237.

V.

253. *Ebur.*
254. *Ebrietas.*
255. *Ecclesia.*
256. Ædus, III, 34.
257. *Edom.*
258. *Ægyptus.*
259. Elatæ palmarum, II, 376.
260. Electrum, II, 248.
261. *Æmulatio.*
262. *Emunctoria.*
263. *Ensis.*
264. *Engaddi.*
265. Equus, III, 7.
266. *Eques.*
267. Ærugo, II, 290.
268. *Eruca.*
269. Erinacii, } III, 73.
270. Ericius, }
*271. Æs, II, 290.
272. *Esebon.*
273. *Esca.*
274. Æstas, II, 116.
275. *Æthera.*
276. *Æternum.*
277. *Æthiopia.*
278. *Æthiopes.*
279. *Exactor.*
280. *Exploratores.*
281. *Exercitus.*
282. *Exitus.*

VI.

283. Pharetra, II, 308.
284. Faber, II, 296.
285. Facies, II, 7, 218.
286. *Fasciculus.*
287. *Falx.*
288. *Flamma.*
289. Fames, III, 256.
290. Farina, II, 441.
*291. Frater, III, 132.
292. *Fragmen.*
293. *Framea.*
294. Favus, III, 40.
295. *Fauces.*
296. *Favilla.*
297. Fel, III, 232.
*298. Femur, II, 261.
299. *Femina.*
300. *Feminalia.*
301. Fenum, II, 403.
*302. Fenestra, III, 199.
303. *Fera.*
*304. Fermentum, II, 446.
*305. Ferrum, II, 293.
306. *Ferculum.*
307. *Frenum.*
308. Festuca, II, 395.
309. *Fæx.*
310. Fiala, III, 223.
311. Ficus, II, 372.
*312. Filius, } III, 109.
*313. Filia, }
314. *Fimbria.*
*315. *Finis.*
316. *Firmamentum.*
317. Fistula, II, 412.
318. *Fiscella.*
319. Folium, II, 393.
*320. Flos, II, 396.
321. Fons, II, 162.

191. *Columba*, totus Christus; id est, caput et corpus. In lege et typo nostri sacrificii, columbæ guttur non penitus abscidi præcipitur, ut post mortem caput corpori adhæreat. Ex eo enim quod caput nostrum pro nobis mortem pertulit, verius nos sibi in ipsa sua morte conjunxit. — 204. *Confusio* est bona et mala, ut in Parabolis: « Est confusio adducens gloriam, et confusio adducens peccatum. » — 208. *Convalles* [*apud Greg. M.* t. II, p. 129]. — 210. *Corpus*, qualibet actio nostra, ut ibi [Matt. VI, 22]: « Lucerna corporis tui est oculus tuus, » quia per bonæ intentionis radium merita illustrantur actionum. — 215. *Cortex*, tegimen humilitatis [*ut apud Gregor. M.* t. II, p. 394]. — 230. *Dracones*, dæmones sive vitia [*Greg. M. supra*, p. 90]. — 231. *Deus*. Qualiter loquatur Deus per semet ipsum et qualiter per angelos, invenitur in II et in XXVIII *Moralium* libro; qualiter videatur aliquando per subjectam creaturam, aliquando puro intellectu, invenitur in epistola S. Augustini ad Italicam et in epistola ejusdem ad Paulinum, *de videndo Deo*, nec non et in libro XXII *de Civitate Dei*, et in libro *Moralium* XVIII. — 241. *Diluculum*, præsens Ecclesia ... cognitio veritatis [*Greg. M. supra*, p. 412]. — 252. *Duces*, prædicatores; unde in Isaia [XIII, 2]: « Ingrediantur portas duces, » id est audiantur in Ecclesia prædicatores. — 271. *Æs*, prædicatio, ut in Ezechiele: « Quasi aspectus æris candentis, » id est prædicationis. — Vera fortitudo, constantia longanimitatis [*Greg. M.* t. II, p. 290]. — 302. *Fenestra*, est os hominis, ut in Josue, etc. [*Inde corrige quæ supra*, p. 199.] — In-

*322. *Foramen.*
323. Forceps, II, 315.
324. Fortis, III, 245.
325. *Fortitudo.*
5 326. *Frons.*
327. Fornax, II, 295.
328. Fossa, } III, 275.
*329. Fovea, }
330. *Fuga.*
10 331. *Fulgor.*
332. *Fulgur.*
333. *Fulmina.*
334. Flumen, } II, 158.
335. Fluvius, }
15 336. Fluctus, } II, 167.
337. Fluenta, }
338. Fumus, II, 183.
339. Funda, II, 309.
340. Fundamentum, III, 186.
20 341. *Funis.*
342. *Funiculus.*
343. Fur, III, 46.
344. *Frigus.*
*345. *Fructus.*
25 *346. Frumentum, II, 426.

VII.

347. *Galaad.*
348. *Galbanus.*
349. Gallus, } II, 488.
*350. Gallina, }
30 *351. Galea, II, 312.
*352. Glacies, II, 85.
*353. Gladius, II, 303.
354. *Glarea.*
355. Gradus, III, 200.
35 356. *Gramina.*
357. *Granum.*
*358. Grando, II, 85.
359. Gazophylacium, II, 286.
360. Gelu, II, 85.
40 361. Genæ, II, 316.
*362. Genua, II, 261.
363. *Generatio.*
*364. *Gens.*
365. *Glebæ.*
45 366. Grex, III, 43.
367. *Gressus.*
368. *Gibbus.*
369. *Gigas.*
370. *Gomor.*
371. Gurges, II, 169.
50 372. *Gurgustium.*
373. *Guttur.*
374. *Guttæ.*
375. *Galilæa.*

VIII.

*376. *Hamus.*
377. *Hastile.*
*378. Hasta, II, 311.
*379. *Habitaculum.*
380. *Harundo.*
*381. Harena [cf. 48].
*382. Herba, II, 403.
*383. Hædus, III, 34.
384. Herodius, II, 496.
385. *Heremus.*
*386. *Hermon.*
387. *Hydropicus.*
*388. *Hiems.*
389. *Hyena.*
390. *Hinnuli.*
391. *Hirundo.*
*392. Hircus, III, 32.
*393. Homo, II, 190.
394. *Horribiles.*
395. *Humus.*
*396 *Humilitas.*
397. *Humor*
398. *Humeruli*
399. Humerus, II, 227.
400. *Holocaustum.*
401. *Herodes.*
402. *Hodie.*

IX.

403. Jacere, II, 269.
404. *Hyacinthus.*
*405. Jaspis, II, 337.
406. *Janua.*
407. *Ibices.*
408. *Idumea.*
*409. *Jerusalem.*
410. Ignis, II, 178.
411. *Imago.*
412. *Impetigo.*
413. *Impius.*
414. Imber, II, 87.
415. *Incus.*
416. *India.*
417. *Inauris.*
*418. Infans, III, 112.
419. *Infernus.*
420. *Insulæ.*
421. Intestina, II, 256.
422. *Institores.*
423. *Jordanis.*
424. *Juncus.*
*425. *Juniperus.*
*426. *Jugum.*
427. *Justitia.*
*428. Judices, III, 242.
*429. Judicium, III, 242.
*430. Jumenta, III, 4.
*431. Juvenes, III, 114.
432. *Juventus.*
433. *Ira Dei.*
434. *Iniquitas.*

X, XI.

435. *Kalendæ.*
436. Labia, II, 29.
437. *Labrum.*
438. *Labruscæ.*
439. Lac, III, 37.
*440. Lacus, II, 166.
441. Lactuca, II, 423.
442. Lacerta, III, 95.
443. Laguncula, III, 223.
444. Lagena, II, 174, 223.
445. *Lamina.*
446. Lamia, III, 79.
447. Lana, III, 152.
448. Lamea, II, 311.
*449. Lapis, II, 330, 333.
450. Lampas, II, 182.
451. *Laqueus.*
452. *Laquearia.*
453. *Later.*
454. *Latus.*
455. *Latitudo.*
456. *Latomi.*
457. *Latrones.*
*458. Leo, } III, 53.
459. Leæna, }
460. Lectus, } III, 268.
461. Lectulus, }
462. *Lex.*
463. *Legislator.*
464. *Legatio.*
465. *Legatus.*
466. Lepus, II, 74.
467. *Lepra.*
468. *Leprosi.*
469. *Læva.*
470. *Leviathan.*
471. *Libanus.*
*472. Lingua, II, 7, 209.
473. Lignum, II, 348.
*474. Lilium, II, 406.
475. Limen, II, 198.
476. Linum, III, 152.
477. *Linea.*
478. *Littus.*
479. *Lippus.*
480. *Liber.*
*481. *Locus.*
482. Locusta, II, 515.
483. *Loculus.*
484. *Longitudo.*

ternæ cogitationes. — Intimæ contemplationes, etc. [Cf. *ib.*] — 322. Item per *foramina* intelliguntur vulnera Christi. — 473. *Lignum,* incarnata Sapientia ... per fidem incarnatam confitetur. — Si securis fugerit manum... signa, cogitationes mundæ, etc. — 481. *Locus,* innocentia, ut in psalmo [CII, 16] : « Non cognoscet amplius locum suum, » quia quum ceciderit aliquis, per se non redibit ad amissum innocentiæ statum. — Pœnitentia, ut in Parabolis : «Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris [Eccle. x, 4], » id est, si serpentis sibilus tibi in aliquo prævaluerit, humilem pœnitentiam ne derelinquas. — Sollicitudo mentis, ut in Job [XXXVI, 18] : « Nec multitudo locorum [*al.* donorum] inclinet te, »

*485. *Lorum.*
*486. Lux, II, 101.
487. *Lucifer.*
*488. Lucerna, } III, 215.
489. Lumen, }
490. *Lumbi.*
491. *Lumbare.*
492. Luna, II, 65.
493. Lupi, III, 63.
494. Lutum, II, 138.
495. *Luter.*

XII.

496. Maceria, II, 459; III, 173.
497. *Macula.*
498. Malum punicum, } II, 374.
499. Malogranata, }
*500. *Malum.*
501. *Mammæ.*
502. Mane, II, 99.
503. *Matutinum.*
*504. Manus, II, 20, 231.
505. *Manna.*
506. Manipuli, II, 437.
507. *Mandragoræ.*
508. *Margo.*
*509. Mare, I, 153.
510. *Marmor.*
511. Margarita, II, 341.
512. *Masculus.*
513. Mater, III, 129.
514. Malleus, II, 317.
*515. Maxilla, II, 215.
516. *Medulla.*
517. Mel, III, 40.
518. *Membra.*
519. Mensis, II, 113.
*520. Mensa, III, 213.
521. *Mœnia.*
522. Meridies, II, 104.
523. Mercenarius, II, 45.
524. Meretrix, III 124.
525. Messis, } II, 429.
526. Messores, }
527. *Micæ.*
528. *Milites.*
529. *Militia.*
530. Milvus, II, 496.
531. Mirrha, II, 409.
532. Myrtus, II, 366.
533. *Myrica.*
534. *Mitra.*
535. *Moab.*
536. *Modius.*
537. Mola, II, 440.
538. *Monilia.*
*539. Mons, II, 143.
540. Mors, III, 272.
541. *Morus.*
542. Mortariolum, III, 221.
543. Mulier, III, 104.
544. Mulus, III, 9.
545. *Munitiones.*
546. Murus, III, 172.
547. *Murenulæ.*
548. *Musca.*
549. *Mustum.*
550. Mustela, III, 80.

XIII.

551. Nares, II, 204.
552. Nardus, II, 412.
553. Nasus, II, 204.
*554. Navis, II, 171.
555. *Navicula.*
556. *Nebula.*
*557. Nervus, II, 248.
558. Nemus, II, 351.
559. Nycticorax, II, 506.
560. Nidus, } II, 477.
561. Nidulus, }
562. *Nigredo.*
563. *Nitrum.*
564. Nix, II, 88.
565. Noctua, II, 506.
566. *Novacula.*
567. Nox, II, 110.
*568. Nubes, II, 75.
569. Nuptiæ, III, 121.
570. *Nurus.*
*571. Nuces, II, 378.

XIV.

572. Obryzum, II, 278.
573. *Obstetrices.*
*574. Oculus, II, 201.
575. Occidens, II, 81.
576. *Odor.*
577. Oliva, } II, 380.
578. Oleum, }
*579. *Olla.*
580. *Onocentaurus.*
581. *Onager.*
582. *Onycha.*
583. *Optimates.*
584. *Orbis.*
585. *Ordeum.*
586. Organum, III, 144.
587. *Oriens.*
588. *Oriones.*
589. Ortus, II, 399.
*590. Os, II, 7, 206.
*591. Os, ossa, II, 245.
592. Osculum, III, 137.
*593. Ostium, III, 196.
594. Ovum, II, 478.
*595. Ovis, } III, 27.
596. Ovile, }

XV.

597. Pax, } II, 320.
598. Pacificus, }
599. Palma, II, 376.
600. Palmites, II, 455.
601. Pallium, II, 39.
602. Palpebræ, II, 204.
603. Paleæ, II, 432.
604. *Paludes.*
605. *Paliurus.*
*606. Pallor, III, 44.
607. *Plaga.*
608. Planta, II, 267.
609. Platanus, II, 361.
610. Platea, II, 130.
*611. Panis, II, 443.
612. *Panni.*
613. *Papyrus.*
614. *Paradisus.*
615. Paries, III, 188.
616. Pardus, III, 58.

id est sollicitudo mentis, non incurvet te.—485. *Lorum*, vincula, etc., quod fortis custodiæ vinculis prælati ligant subditos.—486. *Lux*, gloria vitæ... qui se miserum deputat. Lux, gaudium cordis, etc. — 498. *Malum punicum*, Ecclesia homines continens diversæ professionis. — 500. *Malum* est adversitas, peccatum, damnum, tormentum, tentatio, quæ definiuntur in A.—502. *Mane*, est tempus incarnationis; unde Isaias : « Venit mane, » id est appropinquat tempus incarnationis. — Adventus judicis [*ut in Greg.* t. II, p. 99]. — 504. *Manus*, misericordia Dei. — 505. *Manna*, corpus Christi; quod in deserto vitæ præsentis viaticum habemus. — 509. *Mare* ... qui superat sævitiam mundi. — Mare voluptas sæcularium, ut in Job [XXVIII, 14] : « Et mare loquitur : Non est mecum, » quia in illis qui voluptatem sæculi diligunt, sapientia non moratur. — Mare, mens prava, ut in Job : Fervescens, etc. » — 516. *Medulla*, nobilitas regni, ubi de aquila legitur quæ venit ad Libanum et tulit medullam cedri, quia rex Babylonis nobilitatem judaici regni captivavit. — 539. *Mons*, angeli, ut in psalmo [LXXXIX, 2] : « Priusquam montes fierent, » id est angeli crearentur. — Montes, prophetæ, ut in psalmo : « Fundamenta, etc. » — Vitæ eminentia [*supra*, II, 145]. — 566. *Novacula* ... occulte et expedite, quibuscumque ... — 568. *Nubes*, soliditas mentis ... mobiles [*Greg.* II, 75]. — 571. *Nuces* sunt sancti viri, ut in Canticis [VI, 10] : « Descendi in hortum meum, » qua Christus Ecclesiam suam indesinenter visitat, in qua sancti viri commorantur. — 578. *Oleum* ... mundam debemus uni Deo offerre devotionem. — 579. *Olla*, carnalia opera, ut ibi : « Sedebamus ad olla carnium [*Exod.* XVI, 3]. » — 589. *Hortus* lege ... ubi ego sum, o anima. — 590. Est *os* carnis, os hominis, os dilecti, etc — 595. *Ostium*, divinæ cognitionis initium, ostium papilionis [*Greg.* II, 195]. — 596. *Ovile*, sancta Ecclesia,

617. *Pastus.*
618. Passer, II, 493.
619. Pater, III, 127.
620. Pavimentum, III, 190.
621. Paxillus, III, 217.
622. Pectus, II, 249.
623. Pecus, III, 42.
624. *Peccatum.*
625. Pes, II, 263.
626. Pellis, II, 237.
627. Pellicanus, II, 505.
628. *Plectæ.*
629. Penna, } II, 476.
630. Pennulæ, }
631. *Pepones.*
632. *Pera.*
633. *Peregrinus.*
634. Perdix, II, 510.
635. *Præda.*
636. *Prædones.*
637. *Pessulum.*
638. Petra, II, 327.
639. Pictura, III, 188.
640. Pili, II, 198.
*641. *Pilosi.*
642. Pinus, II, 362.
643. *Primogenitus.*
644. Princeps, III, 237.
645. Piscina, }
*646. Piscis, } Append.
647. Piscatores, }
648. Poma, II, 375.
649. *Pontifex.*
650. Porta, III, 195.
651. *Porticus.*
652. Porri, II, 425.
653. Porci, III, 47.
654. Propitiatorium, III, 312.
655. *Procurator.*
656. *Propugnator.*
657. *Propugnacula.*
658. *Postes.*
659. *Potentes.*
660. Puer, III, 112.
661. Pullus, II, 479.
662. Pulvis, II, 125.
663. *Pulvillus.*
664. *Plumbum.*
665. Pluvia, II, 85.
666. *Punctum.*
667. *Pupilla.*
668. *Pupillus.*
669. Purpura, III, 155.
670. Pruina, II, 85.
671. *Prunæ.*
*672. Puteus, II, 164.

XVI.

673. *Quadriga.*
674. *Quadrans.*
675. Quercus, II, 364.

XVII.

*676. Radix, II, 385.
677. Ramus, II, 392.
678. *Ramnus.*
679. Ranæ, III, 83.
680. *Rapina.*
681. *Rationale.*
682. Rex, } III, 234.
683. Regina, }
684. *Regnum.*
685. *Regula.*
*686. Regulus, III, 93.
687. *Reclinatorium.*
*688. *Renes.*
689. *Reptilia.*
690. *Rete.*
691. *Reticula.*
*692. Rinoceros, III, 57.
693. *Retributio.*
694. Risus, III, 138.
695. Rivi, } II, 160.
696. Rivuli, }
697. Ros, II, 90.
698. Rosa, II, 415.
699. Rota, II, 175.
700. *Rubor.*
701. Rubus, II, 370.
702. *Rubigo.*
703. *Rugitus.*
704. *Ruga.*
705. Rupes, II, 146.

XVIII.

706. *Sabbatum.*
707. Sacerdos, III, 227.
708. Saccus, } III, 249.
709. Sacculus, }
710. *Scala.*
711. Scapula, II, 9.
712. *Scarabeus.*
713. *Scabies.*
714. *Scabellum.*
715. Saga, III, 206.
716. *Sagittarius.*
717. Sagittæ, II, 308.
718. Sagena, *app.*
719. Sapphirus, II, 338.
720. Sal, II, 342.
721. Salsugo, II, 146.
722. *Saliunca.*
723. Salices, II, 365.
724. *Psalterium.*
725. Sanguis, II, 241.
726. *Sanies.*
727. *Squamæ.*
728. Sartago, III, 221.
*729. Stercora, II, 140.
730. *Sterquilinium.*
731. *Sternutatio.*
732. *Sibilus.*
733. Sycomorus, II, 367.
734. *Siclus.*
735. *Signaculum.*
736. Silva, II, 351.
737. *Siliquæ.*
738. *Silex.*
739. Similago, II, 441.
740. *Symphonia.*
741. *Sindo.*
742. *Sinus.*
743. Sinistra, I, 232.
744. Scintillæ, II, 181.
745. Spicæ, II, 431.
*746. Spina, II, 369.
747. *Sentes.*
748. Sepis, II, 391.
749. Sepulcrum, III, 276.
*750. *Spelunca.*
751. *Spherulæ.*
752. *Speculum.*
753. *Speculator.*
754. *Specus.*
755. *Species.*
756. Servus, III, 239.
757. Serpens, III, 88.
758. *Serra.*
759. *Stellio.*
760. Stella, II, 68.
761. *Sterilis.*
762. Sardonicus, II, 338.
763. *Stabulum.*

ut in Cantico, etc. — 641. *Pilosus,* quilibet humilis, et vilis in se, ut in Regum, Elias, vir pilosus et zona pellicea accinctus, quia stabilis et humilis atque vilis erat in oculis suis et castitate corporali roboratus. — 650. *Porta. In margine* A *additur :* Tres sunt portæ ædificii; una ad orientem, fides, quæ est inchoantium et non post fidem acceptam graviter peccantium; altera ad aquilonem, id est spes, quæ est lapsorum vel pœnitentium; alia ad austrum et meridiem, scilicet charitas, quæ est ferventium spiritu. Per has tres portas ad gaudia æterna intratur. — 668. *Pupillus.* .. peccatum dominari permittit. — 692. *Rhinoceros* est potens hujus sæculi, ut in Job « Numquid volet rhinoceros servire tibi? » quia Dei solius est superbum et potentem ad suum servitium convertere. — 729. *Stercora.* [Hic in editis incipit, usque ad vocem *Sardonicus*, ordo alius quam in omnibus fere codicibus, qui quidem videtur commodior : *stercus* enim in codicibus in duas dividitur partes et bis ponitur. Sed lege in editis : *stercus est humilitas.* Vide jam distinctas duas harumce allegoriarum syllogas.] —746. *Spina* [similiter in variis codicibus reperitur et in duas partes secatur]. —750. *Spelunca,* corpus nostrum, ut in Regum [III, c. XIX, 13] : « Egressus Elias stetit in ostio speluncæ, » quia in rectitudine vitæ consistens corporæ habitationis claustra per contemplationem egrediebatur.

764. *Stactes.*
765. Stagnum, II, 392.
766. *Stamen.*
767. *Statera.*
*768. *Statura.*
769. *Stratus.*
770. *Saxum.*
771. Securis, II, 313.
772. Sedes, II, 14.
773. *Segor.*
774. Semen, II, 435.
*775. *Semita.*
776. Senex, III, 114.
777. Senectus, III, 115.
778. *Senatores.*
779. Spiritus, II, 46.
780. *Sirenæ.*
781. Scirpus, II 422.
782. Sitis, III, 255.
783. Stipula, III, 433.
784. *Stellio.*
785. *Stylus.*
786. *Stillæ.*
787. Stillicidia, II, 169.
788. *Socrus.*
*789. *Sol.*
790. Solium, II, 14.
791. *Solitudo.*
792. Somnus, III, 270.
793. *Sonus.*
794. *Spolia.*
795. *Sportæ.*
796. Stola, II, 39.
797. Scorpio, III, 95.
798. Soror, III, 132.
799. *Subula.*
800. Scutum, II, 300.
801. *Sculptura.*
802. *Sudes.*
803. *Sulphur.*
804. *Sulci.*
805. *Sunamitis.*
806. *Superhumerale.*
*807. Superliminare, III, 198.
808. *Superbus.*
809. *Superbia.*
810. *Sus.*
811. Struthio, II, 504.

XIX.

812. Tabernacula, III, 182.
813. *Tabulæ*
814. Talentum, II, 281.
815. *Trabes.*
816. Thalamus, III, 121.
817. Tauri, III, 18.
818. Tectum, III, 188.
819. *Tela.*
820. Templum, III, 184.
821. *Tentatio.*
822. *Tentorium.*
823. Terra, II, 181.
824. Thesaurus, II, 286.
825. *Testa.*
826. Tigris, III, 62.
827. *Tigna.*
828. *Thymiama.*
829. *Thiara.*
830. Tympanum, III, 144.
831. Tinea, III, 86.
832. *Tintinnabula.*
833. *Tincturæ.*
834. Tribulus, II, 369.
835. *Triticum.*
836. *Tonitruus.*
837. Thorax, II, 312.
838. Torrens, II, 160.
839. Topazion, II, 339.
840. *Torna.*
841. Torcular, II, 458.
842. Thronus, II, 14.
843. Tuba, III, 147.
844. Tunica, II, 39.
845. Turtur, II, 490.
846. Turris, III, 175.
847. *Thuribula.*
848. *Trulla.*
849. Thus, II, 412.
850. *Truncus.*
851. *Tres.*

XX.

852. *Vah!*
853. Vacca, III, 21.
854. *Vagina.*
855. *Vallis.*
856. *Vapor.*
857. Vas, III, 220.
858. *Vectis.*
859. *Velum.*
860. *Vellus.*
861. *Vena.*
862. *Venti.*
863. Venter, II, 254.
864. Ventilabrum, II, 439.
865. Vepres, II, 369.
866. Vermis, III, 85.
867. *Vertex.*
*868. Ver, II, 116.
869. Vestimentum, } II, 38.
870. Vestis, }
871. Vestigia, II, 266.
872. Vestibulum, III, 192.
873. Vespera, II, 107
874. Vespertilio, II, 507.
875. *Vesica.*
876. Via, II, 132.
877. *Viatores.*
878. *Vici.*
879. Vidua, III, 107.
880. Vigiles, III, 271.
881. Villa, III, 176.
882. Vinum. II, 451.
883. Vinea, II, 448.
884. *Vincula.*
885. Vipera, III, 94.
886. Vir, III, 104.
887. Virgo, III, 117.
888. Virga, II, 388.
889. *Virgula.*
890. *Virentia.*
891. *Virtutes.*
892. *Visio.*
893. *Viscera.*
894. Vitis, II, 458.
895. Vitta, III, 207.
896. Vita, }
897. Vitulus, } III, 272.
898. Vitula, }
899. *Vitrum.*
*900. Vindemia, II, 457.
901. *Volucres.*
902. Vomer, II, 315.
903. *Vox.*
904. *Vultus.*
905. Vultur, II, 502.
906. *Vulnus.*
907. Vulpis, III, 65.
908. Ubera, II, 33.
909. *Ulcus.*
910. *Ululæ.*
911. *Ulmus.*
912. Umbilicus, II, 257.
*913. *Umbra.*
914. Ungula, II, 268.
915. *Unica.*
*916. Unguentum, II, 383.
917. *Urna.*
918. *Urtica.*
919. Ursus, III, 61.
920. Uterus, II, 254.
921. Uter, III, 223.
922. Uva, II, 456.
923. Uxor, III, 107.

XXI-XXIII.

924. *X.P.C*
925. *Hyades.*
926. *Hydriæ.*
927. *Hydropicus.*
928. *Hissopus.*
929. *Zelus.*
930. Zizania, II, 437.
931. *Zona.*

768. *Staturæ* proceræ est, id est maximæ fortitudinis. Cod. — 775. *Semita.* [Cf. *Greg.* II, 152.]—789. *Sol,* sanctitas conversationis, ut in Apocalypsi : «Angelum, etc.» Ib. —913. *Umbra*, mors corporis, ut in psalmo : « Cooperuit nos umbra mortis,» quia sanctos martyres sola mors corporis occidit.—Obscuritas infernalis, ut in Job : « Terra miseriæ et tenebrarum ubi umbra mortis, » quia infernus omni est miseria et caligine plenus.

II.

APPARATUS ANONYMI CUJUSDAM SCHOLASTICI [1],

AD VULGAREM RABANI ALLEGORIARUM EDITIONEM.

I. Notanda sunt duo præambula, sine quibus vix lector vel auditor idoneus esse potest sanctarum Scripturarum, quæ diligenti animo sunt advertenda, et ferventi desiderio memoriæ commendanda : quorum primum est de distinctione ac declaratione multiplicis sensus sacræ Scripturæ; secundum de traditione multiplicium regularum exponendi sacram Scripturam.

II. Quantum ergo ad primum, sciendum quod inter cæteras prærogativas, quas divina Scriptura habet præ scripturis aliis, una nobilis est, videlicet quod sub uno conceptu litterarum plures contegit sensus. Unde beatus Augustinus, lib. III, *Super Genesim ad litteram*, dicit : Quod in divinis eloquiis largius et uberius potuit divinitus provideri, quandoque ut eadem verba pluribus intelligantur modis quos aliis non minus faciant approbari [2]. Cujus ratio hæc est, quia Deus, auctor scilicet Scripturæ, omnium rerum sciens conditiones et proprietates, ita decrevit, ut in ea non solum voces significatum ad placitum institutæ, ut characteres litterarum, sed etiam res per voces hujusmodi importatæ, secundum suas proprietates, mysterium significarent. Propter quod Magister Sententiarum in initio sui libri dicit, veteris ac novæ legis convenientiam diligenti indagine esse [etiam] atque etiam considerantibus nobis, prævia [3] Dei gratia, innotuit, sacræ paginæ tractatum circa res et signa præcipue versari [4]. Humana enim fragilitas aliter de Deo audire aut intelligere non potest, nisi ut sibi res et vocabula nota sunt scriptorum. Ex quibus elicitur quia prima facie occurrunt duo sensus in intelligentia sacræ Scripturæ. Primus sensus est qui per significationem vocum accipitur, et ille vocatur sensus historicus sive litteralis. Secundus sensus accipitur per ipsas res vocibus seu scripturis importatas, et ille appellatur sensus mysticus sive spiritualis.

III. Sed quare Deus voluit significare [res] in suis Scripturis, et non tantum voces aut scripta? Pro quo est advertendum quod homo, ad cujus doctrinam omnia scripta sunt, ut ait Apostolus : « Omnia quæ scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt [5]; » homo est animal rationativum ex sensibilibus, et non potest consueto modo manu duci in cognitionem rerum corporalium et sensibilium, nisi ratione similitudinis. Idcirco divina Sapientia habitudinavit sic mundum sensibilem, et partes ejus proprietavit, ut ipsæ creaturæ corporales et sensibiles, juxta omnium earum proprietates et habitudines, essent quædam apta signa et metaphoræ rerum spiritualium, moralium et divinalium : cujusmodi sunt Deus, angelus, diabolus, paradisus, infernus, Christus, Maria, apostoli, Ecclesia, species virtutum et vitiorum, diversi status, conversationes atque mores hominum, atque multa hujusmodi.

IV. Quas res sacra Scriptura frequenter exprimit, non tantummodo vocibus aut scriptis, sed rerum corporalium et sensibilium similitudinibus, quibus ipsæ res sensibiles invisibiles res significant : et hoc ex conformitate in naturalibus proprietatibus, et non ex voluntaria institutione. Verbi gratia esto : aquila significat Joannem; vitulus, Lucam; leo, Marcum, etc. Sic lapis, vitis, lux, leo, agnus, sponsus, etc. significant Christum. Et sic de aliis, proportionabili modo. Singulæ creaturæ e diversis proprietatibus, habitudinibus et respectibus consideratæ, sunt signa libri, seu facies quædam, dictas res spirituales repræsentantes. Unde Hugo, libro *de Operibus trium dierum*, dicit quod universus iste orbis sensibilis est quasi quidam liber scriptus digito Dei, et singulæ creaturæ sunt figuræ quædam, non

In codice Hagæ Comit. 44 inscripto, invenimus hæc proœmia ad Allegorias Rabani, quæ etsi sequioris ævi sint et a finibus Spicilegii paulo remotiora, publici juris facimus, utpote omnia bonæ frugis et viri minime indocti, neque historiæ litterariæ ac symbolicæ parum profutura.

(1) *Scholastici.* Ætas facile e scriptione designatur et cum ipsa scriptura charactere, sæc. scilicet XIV, satis convenit, nomen vero scriptoris me fugit. — (2) *Approbari. Opp.* t. III, p. 401.—(3) *Prævenia* cod. —(4) *Versari. Sentent.* lib. I, d. 1.—(5) *Sunt.* Rom. XV, 4.

humano placito inventæ, sed divino arbitrio institutæ ad manifestandam invisibilem Dei sapientiam et operum ejus alta et spiritualia mysteria [1].

V. Juxta hanc materiam, de modo quo res corporales servant spirituales, et e converso, ponuntur doctrinæ aliquæ universales.

Quarum prima sit ista : Omnis res sensibilis, illius spiritualis cui est similis, est quasi facies seu liber naturalis.

Secunda doctrina : Omnis spiritualis, illius corporalis cui est similis, est quasi sententia ipsius in ea lecta, seu intelligens.

Tertia : Una res corporalis secundum diversos respectus et proprietates potest plurium rerum spiritualium esse facies seu liber; et e converso, una res spiritualis potest esse plurium rerum corporalium sententia seu repræsentativum : sicut clare ostenditur esse in libro Alani *de Æquivocis mysticis*, seu *de æquivocis a consilio* [2], qui habetur apud religiosos in ordine Cisterciensi.

Quarta doctrina : Quod similitudo, ex proprietate rerum et conformitate exorta, est generalis via, qua pervenire oportet de communi cursu a visibilibus ad cognoscendum invisibilia.

Quinta doctrina : Ad hoc, quod res sensibilis, vi similitudinis, significet rem insensibilem, oportet eum cui A illo modo debet significare B, utriusque scilicet A et B præcognoscere proprietates et naturales habitudines ad invicem. Et hoc in triplici via contingit, scilicet : in via naturæ, in via artis et in via morum. Verbi gratia, de auro : consideratum secundum proprietates suæ naturæ absolutæ, ut ponderosum, imputrescibile, solidum, pretiosum, etc., si referatur secundum illas proprietates ad rem spiritualem, congruenter significat veritatem in sacra Scriptura contentam. Simili modo argentum, ut est politum, sonorum, fulgidum, etc., significat eloquentiam. Si vero consideratur aurum in via artis, ut in quantum scyphus aureus, calcar aureum, aut calix aureus, iterum repræsentare habetur secundum similitudines spirituales. Si autem consideratur in genere morum, ut in quantum denarius, donum, pignus, etc., secundum has connotationes potest conferri ad significandum aliquas [proprietates] spirituales.

VI. Ex quibus sequitur correlare : Ad hoc ut quis faciliter et prompte ex rebus corporalibus deveniat in cognitionem spiritualium, oportet ipsum in triplici genere doctrinæ esse exercitatum : puta, in doctrina naturali, in doctrina artificiali et in doctrina morali. Istud sequitur manifeste ex dictis. Et si secundum quamlibet dictarum doctrinarum considerationem investigentur subtiliter [rerum] proprietates et habitudines, potest ingeniosus et exercitatus in dictis doctrinis faciliter invenire quam plurimas aptas rerum significationes et transpositiones similitudinarias, ex quibus resultant sensus mystici sacræ Scripturæ. Verum est quod doctores nostri moderni minus exercitati aut consuetudinati sunt in adinventionibus dictarum similitudinum metaphoricarum, quam fuerunt doctores antiqui, ut Origenes, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius et Gregorius. Et hoc, propter dissuetudinem et abolitionem artis rhetoricæ, quæ pristinis temporibus multum viguit, nunc autem dormit; vel forte ex eo quia totus eorum labor fuit in convertendo Scripturas ad sensus mysticos.

VII. Ubi sciendum quod triplex distinguitur sensus mysticus in sacra Scriptura : moralis seu tropologicus, figuralis seu allegoricus, spiritualis seu anagogicus. Qui quidem triplex sensus mysticus ex significatione rerum modo prædicto sumitur, secundum quod homo triplici modo habet fieri : aut enim res, per voces sacræ Scripturæ significatæ, referuntur ad ea quæ sunt per nos agenda, sic est sensus moralis seu tropologicus; aut referuntur ad ea quæ sunt in nova lege credenda, sic accipitur sensus allegoricus; aut referuntur ad ea quæ speranda in beatitudine futura, et ita est sensus anagogicus. Et dicitur ab ἀνὰ græce, quod est sursum latine, et *gogos*, *ductio* [3], quasi Ducens sursum. Continentur autem isti tres sensus mystici spirituales una cum litterali in his metris :

Littera gesta docet; quæ credas, allegoria;
Moralis, quid agas; quo tendas, anagogia.

VIII. De his quatuor sensibus sive intelligentiis sacræ Scripturæ ponitur exemplum in hac dictione Jerusalem, quæ secundum litteralem sensum significat quamdam civitatem quæ fuit metropolis Judææ, fundata a Melchisedech, et postea per Salomonem amplificata et fortificata. Quantum vero ad sensum moralem, significat fidelem animam : secundum quam significationem capitur in Isaiæ : «Con-

(1) *Mysteria*. Non exstat inter edita Hug. S. V. opp. —(2) *Consilio*. De quo opere sæpius egimus, cf. *Indic. auctor* et *Proleg.* — (3) *Ductio*. Sic Noster cum multis ejusdem ævi. Nemo nescit derivari ἀναγωγή ab ἀνάγω

surge, consurge, induere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem [v. 1]. » Secundum vero sensum allegoricum, significat Ecclesiam militantem; secundum quem sensum accipitur Apocal. XXI : « Vidi civitatem sanctam, Jerusalem novam, descendentem de cœlo, sicut sponsam ornatam viro suo [v. 2]. » Quantum vero ad sensum anagogicum, scilicet Ecclesiam triumphantem, id est cœtum beatorum angelorum et hominum, ita capitur ad Galatas IV : « Et illa quæ sursum est Jerusalem, libera, quæ est mater nostra [v. 26]. »

IX. Et sicut jam positum est exemplum illorum quatuor sensuum in una dictione, ita ponatur in una oratione, verbi gratia : « In principio creavit Deus cœlum et terram. » Si ibi cœlum et terram accipiantur pro illis rebus quæ nos vulgariter vocamus cœlum et terram, scilicet pro elemento infimo et corporibus cœlestibus, sic est sensus litteralis. Si vero accipiantur cœlum et terra pro notitia matutina et vespertina, quæ a principio fuerunt in angelis et nunc sunt in beatis, est sensus anagogicus. Si vero accipiantur pro natura corporali et spirituali, est sensus allegoricus, in quo per unam rem alia intelligitur. Si pro vita activa et contemplativa, est sensus tropologicus. Propter istos multiplices sensus mysticos, secretos et latitantes in unico sensu litterali, de libro sacræ Scripturæ dictum est Ezechielis II : « Ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus et foris [v. 9]. » Et Apocal. V : « Vidi in dextera sedentis juxta thronum librum scriptum intus et foris [v. 1]. » Hujus libri scriptura exterior est sensus litteralis, qui est patentior, quia ut plurimum per voces significatur immediate; scriptura interior [1] est sensus mystici vel spirituales, qui latentiores sunt, quia per res signatas vocibus designantur, modo quo dictum est super.

X. Pro dilucidatione et declaratione hujusmodi duplicis Scripturæ, interioris scilicet et exterioris, quantum ad dictos quatuor sensus in ea intelligendos, providit Spiritus sanctus Ecclesiæ suæ de quatuor doctoribus : quorum singuli in uno quatuor sensuum enixius altero laboravit, ut patet per eorum scripta. Unde beato Hieronymo appropriatur sensus litteralis; sensus tropologicus attribuitur beato Gregorio; sensus allegoricus, Ambrosio; et sensus anagogicus, beato Augustino, qui inter cæteros de cœlestibus et de his quæ sunt futuri sæculi magis loquutus est.

XI. Pro ampliore declaratione dictorum sensuum quatuor, quos in sacra Scriptura proficere volentem prænoscere oportet, aliqua quærenda sunt et dubitanda. Primo quæritur utrum isti quatuor sensus dicti, videlicet litteralis sive historicus, tropologicus, allegoricus et anagogicus, in eodem contextu litteræ coincidant. Hoc est quærere utrum unius litteræ sensus historicus [2] litteralis sit simul et tropologicus, allegoricus, etc. Respondetur breviter quod tres sensus mystici, seu spirituales, non coincidunt : quia distinguuntur ex objectis, quoniam tropologicus sensus est de agendis, allegoricus de credendis, et anagogicus de sperandis, ut supra tactum est. Sed quilibet istorum trium quandoque coincidit cum sensu historico sive litterali : exempli gratia, sicut est illud Isaiæ LXI : « Non esurient, neque sitient; sed lætitia sempiterna erit super capita eorum [v. 7]. » Illius textus sensus litteralis est sensus anagogicus, quia de supercœlestibus tantum. Item quum dicit de Christo Daniel : « Lapis abscisus est de monte sine manibus [3], » ibi est sensus litteralis et allegoricus, quia per litteralem lapidem [4] intelligitur. Item Christus quum dicitur Ezechielis III : « Speculatorem dedi te domui Israel [v. 17], » ibi sensus moralis sive tropologicus est litteralis, et e converso.

XII. Quia facta est mentio de distinctione quatuor sensuum sacræ Scripturæ, pro ampliori declaratione potest fieri una divisio artificialis : quoniam omnis sensus Scripturæ vel est litteralis, vel mysticus seu figuralis aut metaphoricus, quod idem est. Litteralis, secundum Honorium *Super psalterium* [5], subdividitur in sensum litteralem historicum, et in sensum litteralem non historicum. Sensus litteralis non historicus subdividitur in sensum et sententiam, et in sensum pure grammaticalem non sententialem. Istam ultimam divisionem tangit venerabilis Hugo in suo *Didascalico*, in secundo libro [6], circa finem, dicens : Sensus Scripturæ, alius congruus, alius incon-

(1) *Interior*. In codice : *Scriptura authentica*, nescio quo sensu. — (2) *Historiacus*. Codex hic et infra, non tamen constanter. — (3) *Manibus*. Dan. II, 74. — (4) *Per litteram per lapidem* cod. — (5) *Psalterium*. Respicere videtur ea quæ Pezius edidit in *Thesauri* sui t. II, p. I, p. 101. — (6) *Libro*. Nunc eadem leguntur in lib. VI, c. X. Vide *Opp.* t. III, p. 58, ed. Rothom.

gruus. Incongruus, alius incredibilis, alius impossibilis, alius absurdus, alius falsus. Et subdit multa hujusmodi inveniens in Scripturis sanctis; ut est illud : « Comederunt Jacob [1]. » Et illud : « Sub quo curvantur qui portant orbem [2]. » Et illud : « Elegit suspendium anima mea [3]. » Ubi patet quod venerabilis Hugo sumit sensum pure grammaticalem pro sensu qui consurgit ex primaria terminorum significatione, non habendo respectum ad intentionem auctoris; sententiam autem sumit pro sensu quem auctor Scripturæ principaliter intendit. Illa sententia, seu sensus sententialis numquam est incredibilis, nec absurdus, nec falsus, licet sensus pure grammaticalis sæpe sit hujusmodi, sicut patet in exemplis ante positis et consimilibus.

XIII. Sensus vero mysticus, metaphoricus seu figuralis subdividitur in moralem et spiritualem. Sensus spiritualis subdividitur in allegoricum et anagogicum. Volo quærat aliquis hic quo modo sensus litteræ pure grammaticalis agnosci et discerni habeat a sensu sententiali, seu a sententia quam auctor principaliter intendit, ubi illi duo sensus non coincidunt. Respondetur quod studiosus inquisitor sensus Scripturæ sacræ litteralis debet primo considerare quæ præcedunt et quæ sequuntur, et ad invicem conferre similiter circumstantias : videlicet locum, tempus, negotium, personas et causas circumstantiarum; et sic ex illis debite consideratis poterit elicere sententiam litteralem Scripturæ, ab auctore principaliter intentam. Secundo, debet considerare usualem terminorum significationem idiomatis in quo Scriptura est originaliter dictata, simul et modum loquendi vulgarem ipsius idiomatis, quum, experientia teste, quammulti sunt modi loquendi vulgares, qui in uno idiomate sunt benesoni et in alio satis dissoni et absurdi. Tertio, debet considerare modum loquendi Scripturæ grammaticalem, utrum sit planus vel transumtivus seu figurativus, quorum multos docet Grammatica figuralis, quæ ad hoc est valde utilis.

XIV. His tribus consideratis, vera sententia litteralis, ab auctore intenta, et certa habebitur in Scripturis. Omnis autem alius sensus verus Scripturæ, etiam a Spiritu sancto intentus, sic non expressus, nec etiam tribus præmissis considerationibus investigabilis, mysticus est dicendus : quoniam ille nec ex forma Scripturæ, nec ex circumstantiis negotii signatur, nec ex modo et usu loquendi Scripturæ, nec probatur Scripturam ad talem sensum exponendam esse, saltem primarie et immediate. Ex quo patet quod sensus mysticus Scripturæ sacræ est quasi præter sensum primarium qui litteralis dicitur.

XV. Ex his dictis inferri possent plura, e quibus infero tantummodo tria corollaria.

Primum, sententia litteralis Scripturæ sacræ non semper sumitur secundum primariam significationem vocum seu terminorum, sed multotiens secundum eorum acceptionem transitivam; [patent] ista in multis partibus, ut ibi : « Vendiderunt Jacob [4], etc. »

XVI. Secundum, quamvis Judæi infideles convinci possint, quia sacra Scriptura ex intentione Dei singulariter sit exponenda; tamen de hoc super tribus sensibus mysticis, puta tropologico, allegorico et anagogico, non possunt convinci ex eorum scriptura. Prima pars patet ex Scriptura novi testamenti, per quam Christus aperuit [5] librum veteris testamenti, scriptum intus et foris, signatum sigillis septem. « Et vidi angelum fortem, prædicantem voce magna : Quis est dignus accipere librum et aperire signacula ejus? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperire librum, neque aspicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus est inventus aperire librum, neque videre eum. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, qui dignus est aperire librum, et solvere septem signacula ejus [6]. » Simile in multis aliis locis Scripturæ legitur, ubi scriptura veteris testamenti exposita est allegorice in novo testamento ad sensus a Spiritu sancto intentos, sicut apparet manifeste, nedum per sanctos Ecclesiæ doctores, potissimum per quatuor superius nominatos; sed etiam hoc clare patet per apostolos et evangelistas. Unde Apostolus, Rom. VII, probat quod nos sumus jam soluti a lege veteri; « ita ut serviamus Deo in novitate spiritus et non in vetustate litteræ [v. 6]. » Item II Cor. dicit : « Sufficientia nostra ex Deo est, quoniam idoneos nos fecit ministros novi testamenti, non littera, sed spiritu; littera enim occidit, spiritus autem vivificat [7]. » Et loquitur

(1) *Jacob*. Ps. 78, 7. — (2) *Orbem*. Job IX, 13. — (3) *Mea*. Job VII, 15. — (4) *Jacob*. Fortasse legendum, ut supra : *comederunt Jacob*. — (5) *Aperuerit* cod. — (6) *Ejus*. Apoc. V, 2. — (7) *Vivificat* I. l. III, 5.

ibi Apostolus de spirituali sensu litteræ, prout distinguitur contra litteralem, quod expressius ponit in I Cor. dicens : « Nolo enim ignorare vos, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in nube et mari, [x, 1]. » Subdit : « Hæc autem omnia in figura contingebant. » Item ad Galatas IV inquit : « Dicite mihi, qui sub lege vultis esse : numquid legem legistis? An non scriptum est: Quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, et unum de libera? sed qui de ancilla, secundum carnem natus est; qui autem de libera, per repromissionem : quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta [21-23]. » At idem est illud dictum Christi, Matth. XII : « Generatio mala et adultera signum quærit, et non dabitur ei signum, nisi signum Jonæ prophetæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, etc. [v. 39]. » Et ita de multis similibus.

Secunda pars secundi corollarii patet, quoniam ipsi non recipiunt novum testamentum pro authentico, cujus vetus est figura.

XVII. Tertium corollarium : Ex sensibus Scripturæ sacræ pure spiritualibus non potest sumi efficax argumentum contra infideles Judæos aut alios christianæ fidei æmulos. Istud patet ex corollario secundo et ejus declaratione : quoniam non possunt sufficienter convinci ex eorum scripturis, quod fuerit intentio auctoris Dei, ut Scripturæ sic exponendæ essent. Quoniam [1]..., ut supra visum est, multotiens sensus litteralis ex quo contra eos efficax argumentum potest sumi, coincidit cum sensu allegorico, tropologico, anagogico, ut exemplatum fuit; nihilominus tamen, etsi non inter infideles, attamen inter fideles qui novum testamentum recipiunt, firmatur conveniens testimonium fidei. Immo ita apostoli et evangelistæ in testimonium et confirmationem fidei in novo testamento reperiuntur sæpe allegasse Scripturas veteris testamenti allegorice : ut patet [per] illud Joannis XIX : «Os non comminuetis ex eo [v. 36], » allegatum ab Exodi XII capitulo, ubi scribitur de agno paschali : « Os illius non confringetis [v. 46]. » Apostolus etiam sæpe usus est allegoricis Scripturis veteris testamenti, ut patet intuenti scripta sua, potissime in epistolis suis ad Romanos et ad Hebræos. Item quod [sit] expositio allegorica Scripturæ veteris testamenti, apparet ex hoc quod omnia facta veteris testamenti tam convenienter et pertinenter correspondent factis novi testamenti, tamquam figuræ suis figuratis et tamquam umbra luci : ita quod ex hujusmodi convenientia et pertinenti correspondentia merito debet certum esse et indubium unicuique sanum judicium habenti, Dominum Deum per facta veteris testamenti intendisse et designasse allegorice gesta et fienda in novo testamento.

XVIII. Sed forte mussitabit hic aliquis, dicens : Videtur quod prædictæ mystificationes sunt quodam modo voluntariæ, modo humano introductæ ; et per consequens, pro testimonio fidei minus efficaces. Nam et consimiliter historiæ humanæ, fabulæ poeticæ et opera naturæ possunt mystificari, videlicet tropologizari in apparentem confirmationem fidei; quemadmodum de facto, fabulæ Ovidii allegorizatæ et moralogizatæ sunt [2] pro factis Christi. Videtur ergo quod fides christiana per hujusmodi dictas mysticationes potius decollaretur, quam confirmaretur. Respondetur quod ratio prædicta bene probat quod mysticis allegoriis non est utendum directe, immediate et principaliter ad convertendum infideles, seu etiam ad fundandum initialiter in aliquo fideli fidem christianæ religionis : sed hoc potius fieri habet ex veris sententiis litteralibus sacræ Scripturæ, sicut dicit beatus Augustinus. Quum hæc tamen stat aperta concordantia gestorum et cæremoniarum antiqui testamenti respectu gestorum et veritatum novi testamenti, quæ in scripturis utriusque reperitur, debet esse verisimilis manuductio qua per hujusmodi facta veteris testamenti, tamquam per figuras et similitudines quasdam, gesta et gerenda, similiter et credenda in novo testamento fuerunt mirabiliter a Deo ab initio mundi usque ad adventum Christi in carne designata.

XIX. Nec est simile de moralizationibus et allegorizationibus fabularum poeticarum : quia constat quod poetæ suas fictiones et fabulas ad alium finem, quam ad fundandam fidem christianam ordinaverunt, quoniam ad utilitatem rei publicæ aut ad delectandum populum hujusmodi fabulas adinvenerunt, juxta illud [3]:

Aut enim prodesse volunt aut delectare poetæ.

Quin immo talium fictionum tropologizatio et allegorizatio est extorta, indigna et impertinens Scripturis sacris et factis Christi. Et id-

(1) *Quoniam.* Hic excidere nonnulla. — (2) *Sunt.* Exstant hujusmodi *integumenta*, ut aiebant, *Ovidii fabularum*, adscripta J. Guallensi, J. Thomson, J. Ridevallo, etc. — (3) *Illud.* Horat. *Art. poet.* v. 333.

circo prædicatores qui hujusmodi allegoriis poeticalibus plus innituntur quam plenitudini allegoriarum de veteri testamento, quales habendi sint, judicate. Certe puto quod Judæi perfidi, gentiles, increduli et cæteri christianæ professionis æmuli derident in hac parte fidem Christi; ex eo quod prædicatores christianorum ex talibus fictitiis testimonium fidei suæ mendicent : quasi [1] non habentes Scripturas sacras, a Spiritu sancto provisas et ad hoc ordinatas, ut moraliter et spiritualiter exponantur ad ædificationem fidelium et ad infidelium conversionem. Et forte tales prædicatores laborant videri et reputari ab hominibus. Ideo titillant prurientes audientium aures quibusdam anilibus, vanis et derisibilibus fabulis. Quos quidem prædicatores Apostolus notasse videtur II ad Timoth. IV, ubi, quum de bonis prædicatoribus præmisisset in persona Timothei : « Tu vero permane in his quæ didicisti, quæ tradita sunt tibi, sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ possunt instruere ad salutem per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis enim scriptura, etc.; » et continue de malis prædicatoribus edisserens, subdit: « Erit enim tempus quum sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt magistros sibi prurientes auribus; et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur [III, 16; IV, 3. 4]. » Hoc ibi.

XX. Secundo quæritur, principaliter circa dicta venerabilis Hugonis superius tacta, utrum aliquis passus sacræ Scripturæ mysticus seu parabolicus sit de virtute sermonis falsus dicendus : videtur quod sic de passibus per venerabilem Hugonem superius allegatis. Item Judicum IX scribitur : « Convenerunt ligna silvarum ut ungerent super se regem, dixeruntque olivæ : Impera nobis. Quæ respondit : Numquid possum deserere pinguedinem meam qua et dii utuntur et homines, et venire ut inter ligna promovear? Dixeruntque ligna ad arborem ficum : Veni et super nos regnum accipe, etc. [V. 8 sqq.]. » Respondetur ad quæstionem breviter negative, quia non. Pro cujus declaratione dicit doctor ille antiquus Alexander de Hallis [2], quod veritas in sermone est dupliciter, aut quantum ad illud quod dicitur, aut quantum ad illud propter quod dicitur. In hujusmodi autem parabolis est veritas quantum ad illud propter quod dicuntur, videlicet significationes alicujus facti seu rei secundum veritatem. Et istæ parabolæ non assumuntur quantum ad significationem primariam vocum, sed magis ad significationem secundariam, sive transumtivam ipsarum, humano modo consuetam [3].

XXI. Tertio quæritur, principaliter circa dictos sensus sacræ Scripturæ, a quo istorum sensuum et qualiter sit inchoandum studium sacrarum Scripturarum? Ad quod respondet magister Nicolaus de Lyra, in II° *prologo super Genesim*, quod, quia omnes sensus spirituales præsupponunt sensum litteralem tamquam basim et fundamentum, propter quod sicut ædificium declinans, [ita sententia?] discrepans a sensu litterali, reputanda est indecens et inepta. Et ideo dicit ipse volentibus proficere in studio sacræ theologiæ necessarium incipere ab intellectu sensus litteralis; et maxime quia ex solo sensu litterali, et non ex mysticis sensibus, potest sumi argumentum validum ad declarationem alicujus dubii apud fidelem vel infidelem, ut beatus Augustinus in epistola contra Vincentium Donatistam. Et consequenter dicit idem doctor Nicolaus de Lyra, quia verus sensus litteralis a quo est incipiendum, multipliciter offuscatus est diebus modernis : primo, propter vitium scriptorum, qui propter similitudinem litterarum in multis locis aliter scripserunt quam haberet veritas textus. Secundo, propter imperitiam aliquorum correctorum, qui in pluribus locis fecerunt puncta ubi non debebant, et versus inceperunt vel finierunt ubi non debebant incipi aut terminari; et per hoc sententia est variata. Tertio, ex modo translationis, propter quem in multis locis aliter habent nostri libri quam textus hebraicus, prout declarat beatus Hieronymus in libro *De hebraicis quæstionibus*. Quarto, quia Judæi in defensione sui erroris corruperunt aliquos passus, maxime ubi Scriptura loquitur de divinitate Christi et de sequentibus ad illam. Quinto, sensus litteralis seu originalis divinæ Scripturæ offuscatus est propter modum exponendi Scripturam, quia sensus mystici Scripturæ tam multiplicati sunt, ut sensus litteralis Scripturæ quasi suffocatus et alienatus sit. Propter prædicta quinque ante dictus doctor

(1) *Quando* cod. et paulo post : *et moraliter*. — (2) *Hallis*. Forte respicit *Summæ* p. IV, q. 3. Membr. 5, art. 1. Ed. Venet, 1575. — (3) *Consuetam*. Inde regerit prolixius eadem, quæ omittimus, quum jam nihil videatur notandum, nisi quod assurgat in opinionem quorumdam novellorum laicorum temere inquirentium : *Utrum sacra Scriptura in se contineat aliqua falsa*, quod satis supra expositum.

nisus est declarare sensum litteralem Scripturæ totius canonis Bibliæ, potius quam ea exponere mystice. Et in hoc tantum laboravit, ut nullus doctorum ante eum in hujusmodi intentione cum effectu eum excessiset, quoniam ipse solus inter cæteros doctores totum corpus Bibliæ a principio usque in finem exposuit.

XXII. Juxta dictam materiam de sensibus Scripturæ, quæritur quarto principaliter utrum quilibet passus sacræ Scripturæ quadruplicem habeat sensum. Ad hanc quæstionem respondet negative venerabilis Hugo, in libro sui *Didascalici*, c. xvii, dicens [1] : Sane non omnia quæ in divino eloquio reperiuntur ad hanc retorquenda sunt interpretationem, ut singula historiam, allegoriam, tropologiam et anagogiam simul continere credantur. Et si in multis congrue assignari possint, ubique tamen hoc observare aut difficile est aut impossibile. Et ponendo exemplum, comparat scripturam citharæ in qua quidem non omnia faciunt illas tres consonantias perfectas, scilicet diapason, diapente et diatessaron, tribus spiritualibus sensibus comparatas ; sed solum ex tactu chordarum consonantiæ illæ prodeunt. Alia vero multa quæ præter chordas in cithara sunt, faciunt bene ad meliorem sonoritatem, ut chordarum connexus aut tenacula. Et simili [2] modo in divinis eloquiis quædam posita sunt quæ tantum spiritualiter intelligi volunt ; quædam vero morum honestati deserviunt ; quædam vero quæ solum secundum simplicem sensum historicum dicta sunt ; nonnulla autem quæ et historice et allegorice et tropologice convenienter exponi possunt. Oportet ergo, ut dicit Hugo, sic tractari divinam Scripturam, ut nec ubique historiam, nec ubique allegoriam, nec ubique tropologiam quæramus. Sed singula in suis locis, prout ratio postulat assignari. Sæpe tamen, ut dictum est, in una eademque littera omnia simul reperiri possunt. Hæc ille.

XXIII. Sed forte dubitat hic quis quando et ubi sacra Scriptura exponenda est ad litteram et litteralem sensum vel spiritualem, et penes quid hoc discrimen habeatur. Ad hoc respondet beatus Augustinus, lib. ii *super Genesim*, contra Manichæos, dicens, quod quisquis voluerit omnia quæ dicta sunt in divina Scriptura secundum litteram recipere, et non aliter interpretari quam littera sonat, et poterit vitare blasphemias, et omnia congruere catholicæ fidei prædicare, non solum est ei attendendum, sed præcipuus multumque laudabilis lector habendus. Si autem nullus exitus datur ut pie et digne de Deo quæ scripta sunt intelligantur, ea tunc figurative et ænigmatice intelligamus. Ex quo dicto beati Augustini habentur duo documenta : primum, sensus litteralis maxime est commendandus, dummodo tamen sensus ille sit consonans fidei catholicæ et factis religionis christianæ. Secundum documentum, quod sensus ænigmaticus seu spiritualis est tunc requirendus, quando non patet sensus litteralis rationalis sine blasphemia, vel errore, aut apparentia fatuitatis.

XXIV. Item ad idem, quando spiritualis intelligentia fit, ait Hugo, libro ubi supra, dicens : sunt loca quædam in divina Scriptura ubi, licet sit aperta verborum significatio, nullus tamen sensus esse videtur, vel propter inusitatum nobis modum loquendi, vel propter aliquam aliam circumstantiam quæ legentis intelligentiam impediunt, ut est illud Isaiæ iv : « Apprehendent septem mulieres virum unum. » Plana sunt et aperta verba intelligenti satis ea : sed fortasse quid hoc totum signare velit, intelligere non vales : videlicet, an hoc propheta in bonum promiserit, vel malum comminatus fuerit. Et inde evenit ut spiritualiter tantum intelligendum credas, quod qualiter ad litteram dictum sit, non vides. Dic [3] ergo septem mulieres septem esse dona Spiritus sancti, quæ unum virum apprehendent Christum, qui solus earum opprobrium aufert, quum solus ea per plenitudinem, sive quamcumque perfectionem susceperit. Verum est quod propheta per prima verba potuit etiam ad litteram significare aliquid, utpote nimiam paucitatem virorum propter futuram cladem quæ ibi comminatur : ita quod tot viri interficerentur quod vix septem mulieres unum virum invenirent, quum ante quælibet unum haberet. Et subdit Hugo multa hujusmodi inveniens in Scripturis et maxime in veteri testamento, secundum idioma proprium illius linguæ, scilicet hebraicæ dicta, quæ quum ibi aperta sunt, nihil tamen apud nos significare videntur, et tamen cum delectatione et quadam jucunditate leguntur.

XXV. Propter quod dicebat Richardus de Sancto Victore, in libro *de* xii *Patriarchis :* « Dignum admiratione est quod sæpe passus sacræ Scripturæ delectabilius blandiuntur, quando juxta sensum litteræ nihil significare

(1) *Dicens*. Quære in lib. v, c. ii, p. 29 laud. edit. — (2) *Et suo modo* cod. — (3) *Dicis ergo* cod.

videntur, quale est illud : « Capilli tui, sicut greges caprarum quæ ascendunt de monte Galaad. Nasus tuus, sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum. Caput tuum ut Carmelus. Comæ capitis tui sicut purpura regis tincta canalibus [1]. » Et hujusmodi alia, quæ quum audiantur vel legantur, jucunda valde esse videntur. Et tamen in his omnibus si solum litteræ sensum sequimur, in his nihil invenimus quod digne miremur. Sed forte in his dictis, hoc est quod tam libenter amplectimur, quia ex jucunda quadam, ut ita dicam, fatuitate ad spiritualem intelligentiam surgere coarctamur. Ex quibus potest sumi argumentum contra Judæos et cæteros carnales homines spiritualium æmulos, quod multi sunt passus veteris Scripturæ allegorice de Christo vel anagogice de cœlesti regno exponendi; quoniam multi sunt litterales, qui vel nihil sonant ad litteram, vel fatuum sensum faciunt, quasi quem non est verisimile a tantis viris, quanti fuerunt doctores sacri et auctores, intentum esse [2].

XXVI. Circa jam dicta surgit quæstio quædam in hac materia, utrum omnia facta Christi, gloriosæ Virginis, apostolorum et Ecclesiæ, sint in veteri testamento designata allegorice. Respondet Abbas Joachim quod sic, qui ex Scripturis, tamquam ex fundamento quodam spirituali in quo scribuntur futura in mundo usque ad ejus finem, conatus est de omnibus statibus et accidentibus Ecclesiæ usque ad finem sæculi ostendere futura, ut patet in libris suis *super Jeremiam*, et *super Apocalypsim*, et ex libro ejus qui vocatur *Seminarium Scripturarum* [3]. Quidquid sit de hoc, æstimo verius quod quæstio sit vera, dumtaxat quantum ad principalia facta Christi, Virginis gloriosæ, apostolorum et Ecclesiæ, quum fidelibus sufficit et fidei ac devotionis eorum congruebat, quod omnia talia sint in veteri testamento mystice designata.

XXVII. Similiter potest fieri quæstio, utrum omne morale documentum sit, in veteri testamento, sive in divinis Scripturis, mystice designatum? Ad quam quæstionem respondere censeo affirmative, videlicet, quod omnia moralia documenta humanæ saluti necessaria, quæ philosophi tetigerunt, expressa sint in sacris Scripturis, aut ad litteram vel secundum tropologiam; et, ultra illa, multa alia morum documenta quæ in philosophis numquam inveniuntur. Istud est planum discurrenti per libros sapientiales Bibliæ et ipsorum expositiones. Ut ergo bene dixit beatus Augustinus, in libro II *de Doctrina christiana* [4], quod quidquid extra Scripturam sacram discitur, in ea plenius invenitur, et quædam in ea reperiuntur quæ alibi nusquam habentur. Item Augustinus, in eodem libro : Philosophi, si qua forte vera et fidei nostræ accommoda dixerint, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tamquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Nam quidquid homo extra divinas Scripturas didicerit, si noxium est, ibi damnatur; si utile est, ibi invenitur [5]. Item Apostolus : « Omnia vestra sunt [6]. » Item : « Quæcumque scripta sunt, etc. » Inde figura ad accommodationem de filiis Israel capientibus vasa Ægyptiorum, ut legitur Exodi, III.

XXVIII. Ultimo, similiter quæritur utrum status cœlestis patriæ sit in Scriptura plene designatus anagogice. Respondetur breviter negative ad quæstionem, quum Scriptura dicat : « Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit [7], etc. » Cui tamen placet, potest respondere affirmative ad quæstionem, sub isto intellectu, quod status cœlestis patriæ, in Scripturis, et historice et anagogice sufficienter descriptus et designatus est, prout sufficit statui hujus vitæ mortalis. Et tantum de primo præambulo.

XXIX. Jam tandem de secundo et ultimo præambulo, quod erit de quibusdam regulis, multipliciter ad exponendam Scripturam divinam congrue et pertinenter dirigentibus; et quia maxime ista respicit ad habendas considerationes de modo procedendi in addiscendo et in intelligendo, et consequenter alios docendo, et exponendo divinas Scripturas, ideo primo in generali, de modo addiscendi illas dicetur, ultra ea quæ de hoc antea habita sunt. Secundo, in speciali, regulæ intelligendi easdem ponentur.

XXX. Quantum ad primum, scilicet de modo addiscendi Scripturas, dicit venerabilis Hugo in libro suo *Didascalicon*, ubi supra : Quia opor-

(1) *Canalibus*. Cant. IV, 1; VII, 4, 5. — (2) *Esse*. Rich. S. V. *Opp*. p. 114, ed. 1650. — (3) *Scripturarum*. Remansit edendus iste liber, quem in schedis nostris habemus prælo paratum, et multo minus quam cætera quæ publici juris sunt, censura dignum. — (4) *Christiana*, c. 42. August. *Opp*. t. III, col. 65. — (5) *Invenitur*. c. 40, ib. col. 65. — (6) *Sunt*. I Cor. III, 22. — (7) *Ascendit*. I Cor. II, 9.

tet divinum lectorem spiritualis intelligentiæ veritate solidatum esse, ut eum litterarum apices, quæ et perverse nonnumquam intelligi possunt, ad quælibet diverticula non inclinent. 5 Immo debet prudens Scripturarum lector curare, ut antequam illa spatiosa Scripturarum volumina persequatur, sit de singulis quæ magis ad salutem et professionem veræ fidei pertinent, instructus; ut quæcumque postmodum 10 invenerit, tute superædificare possit. Vix enim in tanto librorum pelago et multiplicibus sententiarum anfractibus, quæ et numero et multiplici obscuritate animum legentis sæpe confundunt, quod unum verum is colligere potest, 15 qui prius summatim, in unoquoque, ut ita dicam, genere, aliquod certum principium, firma fide subnexum, ad quod cuncta referantur, non agnovit. Disce ergo, inquit, prius breviter et dilucide quid tenendum sit de fide Trinita- 20 tis, quid sane profiteri et credere veraciter debeas semper in singulis theologicis facultatibus et difficultatibus; ut, quum postea legere cœperis libros, et multa obscure, multa aperte, multa ambigue scripta inveneris, scias quo- 25 modo interpretata conveniant tuo fundamento. Quæ omnino obscura sunt, resera, si potes; et si ad intellectum eorum penetrare non vales, transi, ne dum conaris quod non sufficis, periculum erroris incurras. Ne ea contemnas, 30 sed potius venerare, quia audisti quod scriptum est prius : « Posuit tenebras latibulum suum [1]. »

XXXI. Vides quid dicit venerabilis Hugo, multos Scripturas legentes, qui, quia hoc modo 35 fundamentum veritatis sibi non posuerunt, in errores varios prolapsos, totiens fere mutare sententias quod legerunt : de quibus Apostolus : « Semper addiscentes et numquam ad perfectum venientes [2]. » Et alios vides qui secundum 40 illam consummatæ veritatis agnitionem qua intus firmati sunt, quaslibet Scripturas ad congruas interpretationes flectere noverunt, aut quid a fide sana et rectis moribus discordet, aut quid conveniat, judicare. Dicet forte quis : 45 quod et ubi est hoc fundamentum Scripturarum? Audiat Apostolum dicentem ad Corinthios III : « Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens architectus, fundamentum posui, » id est, fidelem Christi prædicationem : 50 « alius autem superædificat : unusquisque autem videat quomodo superædificet : fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat super fundamen- 55 tum hoc aurum et argentum, lapides pretiosos, ligna, ferrum, stipulam, uniuscujusque opus quale fuerit ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod superædificatum est, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur [3]. »

Sed dicas : ubi et quando illam summariam agnitionem quæ pro fundamento supponenda est, acquiram? Respondeo quod, intelligendo symbolum fidei, et frequentando theologicas scholas, et audiendo libros theologicos, et potissime librum *Sententiarum*, in quo omnes difficultates theologicæ, in aliis libris dispersæ, recollectæ sunt.

XXXII. Rursus, ut plenius ad intelligentiam Scripturarum perveniatur, etiam non parum facit ordo debitus audiendi libros divinos, scilicet primos priores ex debito ordine doctrinæ, deinde posteriores consequenter. Pro quo sciendum est quod non est idem ordo in hoc quoad sensum historicum et quoad sensum spiritualem et mysticum; nam historia ordinem temporis sequitur. Et ergo sensus historicus a libro Genesis potissime est inchoandus, et sic consequenter ab aliis libris historialibus. Quantum vero ad sensum allegoricum et anagogicum, qui fidem concernunt, magis respiciendus est ordo doctrinæ et cognitionis; et quia doctrina non ab obscurioribus, sed notioribus magis et ab apertioribus inchoari habet, ut patet, in procemio *Physicorum* et primo *Posteriorum*, ideo clarum est quod in expositione mystica et spirituali Scripturæ divinæ, novum testamentum, in quo manifesta prædicatur veritas, testamento veteri, in quo eadem veritas figuris obumbratur, et Ecclesia prænuntiatur, præponendum sit et prius audiendum. Spiritualis nempe veritas utrobique, scilicet tam in veteri quam in novo testamento, docetur. Sed in veteri testamento occulta, in novo autem manifesta; ibi, scilicet in veteri testamento, promissa; hic, scilicet in novo testamento, exhibita. Propter quod legitur in Apocalypsi quia liber signatus erat, et nemo inveniri poterat qui solveret signacula ejus, nisi leo de tribu Juda, id est Christus. Signata etiam erat lex Moysis; signatæ etiam erant prophetiæ, quia occulta tempora futuræ redemptionis prænuntiabant. Et quis putas, inquit Hugo, has antequam implerentur, scilicet lex et prophetæ, intelligere poterat? Venit ergo leo de tribu Juda, id est, Christus Filius Dei, et induit naturam nostram. Natus est de Virgine, crucifixus, sepultus; resurrexit, ascendit ad cœlos, etc.; ita quod illa adimplendo, quæ promissa erant in lege et prophetis, aperuit mysteria quæ ibi sub umbrantibus latuerunt figuris. Et ergo, nisi quis nativitatem Christi, ejus prædicationem, passionem, resurrectionem atque ascensionem,

(1) *Suum*. Ps. XVII, 12. — (2) *Venientes*, II Tim. II, 7. — (3) *Patietur*. I Cor. III, 16.

et cætera quæ in carne per carnem gessit ipse et sui, agnoverit, veterum figurarum mysteria penetrare non valebit. Ex quibus apparet quod, quantum ad sensum allegoricum et anagogicum Scripturarum, novum testamentum prius audiendum est quam antiquum, videlicet ad id quod fuit præpositum declarandum. Et tanta de hoc sint generaliter dicta.

XXXIII. Modo specialius ad intelligentiam divinarum Scripturarum descendendo, attentis duobus, notum erit opus esse quibusdam regulis directe dirigentibus intellectum studentis pro intelligentia et elucidatione earumdem Scripturarum. Primum est singularis involutio et textus constitutio. Secundum est conformis poeticæ arti loquutio. De primo, dicit venerabilis Hugo, ut supra: Novit, inquit, divinam Scripturam magis cæteris omnibus in textu suo concisam esse seu truncatam; quoniam aliquando littera perfecta est, et aliquid subaudiendum relinquitur; aliquando quasi superflua, quando vel propter inculcationem vel longam interpositionem, idem repetitur; aliquando transposita. Aliquando vero talis invenitur littera, ut nisi in aliam resolvatur, nihil significare, vel incongrua esse videatur, ut ibi : « Dominus in cœlo, sedes ejus [1], » vel : Sedes Domini in cœlo. Et ibi : « Filii hominum, dentes eorum arma et sagittæ [2], » id est, filiorum hominum dentes, etc. Et ibi : « Homo sicut fenum dies ejus [3], » id est, dies hominis sicut fenum. Et ita de similibus multis.

XXXIV. Quantum ad secundum, videlicet ad videndum de conformitate loquutionis Scripturæ sacræ ad modum loquendi poeticum, dicit venerabilis Cassiodorus *super Psalmos*, quod omnis splendor rhetoricæ eloquentiæ, omnis modus poeticæ loquutionis, quælibet varietas decoræ pronuntiationis ex divinis Scripturis sumsit exordium [4]. Et ergo opus est pro intelligentia illarum Scripturarum notitia de modis loquendi figurative et transsumtive poetarum et rhetoricæ et aliis variis regulis, prout stylus et processus proprie sacræ Scripturæ requirit et exposcit.

XXXV. Consueverunt ergo doctores, ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem sanam habendam, tangere septem regulas speciales ad hoc, quæ ponuntur a beato Augustino in libro *de Doctrina christiana*. Et illæ fuerunt inventæ a Tichonio, Donatista hæretico. Et vocantur a quibusdam *Claves*, quia per eas intellectus divinarum Scripturarum aperiri solet ; unde dicit Augustinus ubi supra : Tichonius, quum fuerit Donatista, quemdam librum fecit quem *Regularium* [5] vocavit, quia in eo quasdam septem regulas exsequutus est, quibus quasi Clavibus divinarum Scripturarum aperientur occulta. Hæc ille [6]...

XXXVI. Ad istas septem regulas Tichonii beatus Augustinus, ubi supra, addit tres [7], ita ut sint decem regulæ.

Prima Beati Augustini et octava in ordine est de Distinctione, quoniam aliquando in dictione relata ad clausulam præcedentem resultat loquutio hæretica, quæ relata ad posteriorem erit catholica, et e converso. Exempli gratia, in hac oratione : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, » sequitur secundum distinctionem Arii : « Verbum hoc erat in principio apud Deum, » nolentis confiteri verum esse Deum. Similiter ibi : « Quod factum est in ipso vita erat, » secundum Augustinum debet distingui sic : « Quod factum est in ipso vita erat, etc. » De hoc videbitur, per Dei gratiam, circa textum.

Nona regula in ordine, et secunda beati Augustini, est de Percunctatione, sive interrogatione, qua non debite intellecta, frequenter erratur in Scriptura, ut verbi gratia dicit interrogando Apostolus ad Romanos VIII : « Quis est qui condemnat? » Sed quid immediate sequitur? « Christus Jesus qui mortuus est [v. 34]? » Si intelligatur reversio, male intelligeretur; quia sic non esset interrogatio. Christus enim non condemnat, sed, ut vult Apostolus, Christus interpellat pro nobis.

Decima regula est de Observatione qua cavendum est, secundum beatum Augustinum, an propria sit loquutio aut figurativa. In qua regula maxime erraverunt Manichæi dicentes, quamcumque Scripturam divinam non proprie litteraliter intelligendam esse, sed spiritualiter tantum, ut Mariam dicunt non fuisse mulierem, sed significare Ecclesiam; Christum dicunt non fuisse verum hominem, sed Deum, effigie et modo humanis apparentem hominibus, et sic conversatum cum illis. Istis itaque decem regulis tamquam secreta Scripturæ aperiuntur et clauduntur in tantum, ut ipsa Scriptura sacra superbos irrideat et indignis sit clausa, cuilibet autem pateat et studiosis aperiatur. Et, ut dicit Gregorius, secundo *Moralium*, c. I : Ne sit plana, ut vilescat, et ne sit obscura, ut terreat.

Et tantum de his regulis, et per consequens de toto secundo præambulo.

(1) *Ejus* Ps. x, 5. — (2) *Sagittæ*. Ps. LVI, 5. — (3) *Ejus*. Ps. CII, 15. — (4) *Exordium*. Cf. ejusd. Præfat. in p. 15, 16. — (5) *Regularum* forte, ut editi. — (6) *Ille*. Deinde Noster, juxta ipsiusmet Augustini verba, septem Tichonii exprimit regulas, quæ in epitome referuntur supra p. 397; sed noluimus omittere alias regulas tres ex Augustino pariter exceptas. — (7) *Tres*. Cf. *De Doct. chr.* lib. III, c. 2, 3, 5.

VARIORUM GRÆCORUM ET LATINORUM

SACRÆ NOMENCLATURÆ.

I.

S. GREGORIUS NAZIANZENUS.

Τὰ φῶτα, ἅπερ ἀριθμεῖ ὁ θεολόγος Γρηγόριος.

De XIV Luminibus juxta Nazianzeni recensionem.

Φῶς, ἡ Τριάς.
5 Φῶς, Ἄνθρωπος.
Φῶς, τὸ ἐλάσαν τὸ πρωτόγονον σκότος [1].
Φῶς, ἡ τῷ πρωτογόνῳ, δοθεῖσα πρωτόγονος Ἐντολή.
Φῶς, ὁ γραπτὸς Νόμος.
10 Φῶς, τὸ τῆς βάτου [2] μυστήριον.
Φῶς, τὸ ἐν στύλῳ πυρὸς [3] ὁδηγῆσαν τὸν Ἰσραήλ.
Φῶς, τὸ τὸν Ἡλίαν ἁρπάσαν ἐν ἅρματι.
Φῶς, τὸ τοὺς ποιμένας περιαστράψαν.
Φῶς, τὸ ὁδηγῆσαν τοὺς Μάγους ἐν Βηθλεέμ.
Φῶς, τὸ ἀστράψαν [4] τοὺς μαθητάς [5].
Φῶς, ἡ Παῦλον περιαστράψασα φαντασία [6].
Φῶς καὶ ἡ ἐκεῖθεν λαμπρότης [7].
Φῶς δὲ καὶ ἡ τοῦ Βαπτίσματος κάθαρσις.

II.

XXXIV Christi nomina quæ singulis Hebræis, post annum XXV, tradita fuisse perhibentur.

Φασὶν ὡς ἄρα ἦν τις πάλαι νόμος Ἑβραίοις, οὐ πᾶσαν γραφὴν διδόναι τοῖς μαθητευμένοις· οὐ γὰρ ἦν τοῦτο λυσιτελέστερον· ὅτι μηδ᾽ εἶναι ληπτὴν τοῖς ὁπωσοῦν ά ἡλικίας [8]. Ἀλλὰ τὴν μὲν τοῖς πολλοῖς, τὴν δὲ 15 τοῖς ὑπὲρ εἰκοστὸν καὶ πέπμτον γεγονόσιν ἔτος πιστεύεσθαι τῶν Ἰησοῦ προσηγοριῶν·

Τοῦ Θεοῦ.
Τοῦ Χριστοῦ.
Τοῦ Ἰησοῦ.
Τῆς Εἰκόνος.
Τοῦ Λόγου.
Τῆς Σοφίας.
Τῆς Ἀληθείας.
Τοῦ Φωτός.
Τῆς Ζωῆς.
Τῆς Δυνάμεως.
Τῆς Ἀτμίδος [9].
Τῆς Ἀποῤῥοίας.

Ex cod. Paris. 1140 A, de quo supra, p. 338, desumitur is primus et qui proxime sequitur nominum catalogus. Uterque inseritur, fol. 46, in collectaneis quæ ignotus vir quidam, at certe minime ignarus, undequaque corrasit, jam semel antea ad Physiologum collata, neque semel deinceps, uti speramus, in usus nostros cedenda. Quibus præfigitur is titulus : Ἀπανθίσματα διάφορα ἐκ διαφόρων Brevis autem sacrorum luminum recensus instituitur ex Nazianzeni *Orat.* 40, n. 5, 6, ed. BB., t. I, p. 694. Eadem fere hinc inde repetentes, plura certo indicio correximus. Sequentes vero Christi προσηγορίας e fontibus veterum Judæorum ad fidem conversorum haustas fuisse si quis asseruerit, me cum eo sentientem haud ægre habuerit.

(1) Ὦ τὸ ἀρχέγονον ἠλάθη σκότος Nazianz.—(2) Βάτου. Scilicet in Exod. III, 2. — (3) Πῦρ melius.—(4) Περιαστράψαν forte, ut alias. — (5) Μαθητάς. Matt. XVII, 1. —(6) Φαντασία. Act. IX, 3.—(7) Λαμπρότης. Vita scilicet justorum, τοῖς ἐνταῦθα κεκαθαρμένοις, ut exponit Nazianzenus. — (8) Τῆς α᾽ ἀποσοῦν ἡλίκ. cod. Emend. Dübnerus et notavit : « Τοῖς ὁπ α᾽ ἡλίκ. *quibusque in prima ætate constitutis*, exquisite et ἀττικῶς dictum, ut ex bono scriptore petitum videatur. » — (9) Ἀτμίδος. Aperte respiciunt hæc et sequentia ad Sapient. VII, 25 : Ἀτμὶς γάρ ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ Δυνάμεως καὶ Ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ Παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής· διὰ τοῦτο οὐδὲν μεμιασμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει· Ἀπαύγασμα γάρ ἐστι Φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας καὶ Εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. « *Vapor* est enim *Virtutis* Dei, et *Emanatio* quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera, et ideo nihil inquinatum in eam incurrit ; *Candor* est enim *Lucis* æternæ, et speculum sine macula Dei majestatis, et *Imago* bonitatis illius. » Quod nemo luculentius exposuit, quam celeberrimus Bossuetius in suis Ἀναγωγαῖς *super Mysteria* (II sem. 3e élévat.). Cf. insuper Coloss. I, 15, 18.

Τοῦ Ἀπαυγάσματος.
Τοῦ Ποιητοῦ.
Τοῦ Βασιλέως.
Τῆς Κεφαλῆς.
Τοῦ Νόμου.
Τῆς Ὁδοῦ.
Τῆς Θύρας.
Τοῦ Θεμελίου.
Τῆς Πέτρας.
Τοῦ Μαργαρίτου.
Τῆς Εἰρήνης.
Τῆς Δικαιοσύνης.
Τοῦ Ἁγιασμοῦ.
Τῆς Ἀπολυτρώσεως.
Τοῦ Ἀνθρώπου.
Τοῦ Δούλου.
Τοῦ Ποιμένος.
Τοῦ Ἀμνοῦ.
Τοῦ Ἀρχιερέως.
Τοῦ Θύματος.
Τοῦ Πρωτοτόκου πρὸ [πάσης?] κτίσεως.
Τοῦ Πρωτοτόκου ἐκ τῶν νεκρῶν τῆς ἀναστάσεως.

III.

✠ Ὀνόματα τοῦ Χριστοῦ.

Duo et nonaginta Christi nomina.

α'. Ἀδωναΐ [1].
β'. Ἴα.
γ'. Τὸ τετράγραμμα, τὸ ἀνεκφώνητον[2] ὄν· τοῦτο δέ φασιν ἐπὶ τῷ πετάλῳ τῷ χρυσῷ ἐπὶ τοῦ μετώπου τοῦ ἀρχιερέως γεγράφθαι[3].
δ'. Ἤλ.
ε'. Ἐλωείμ.
ς'. Ἀδών.
ζ'. Σαβαώθ.
η'. Σαδδαΐ.
θ'. Ἰαϊέ.
ι'. Ἐσεριέ.
ια'. Ὁ ὤν.
ιβ'. Ἥλιος δικαιοσύνης.
ιγ'. Ζωή.
ιδ'. Φῶς.
ιε'. Νοῦς.
ις'. Λόγος.
ιζ'. Πνεῦμα.
ιη'. Ἀκτίς.
ιθ'. Φωσφόρος.
κ'. Ἄνθρωπος.
κα'. Λέων.
κβ'. Πάρδαλις.
κγ'. Ἄρκτος.
κδ'. Πέτρα.
κε'. Λίθος.
κς'. Ὕδωρ.
κζ'. Πηγή.
κη'. Σοφία.
κθ'. Μάχαιρα.
λ'. Ξύλον.
λα'. Ἄρτος.
λβ'. Κεφαλή.
λγ'. Βασιλεύς.
λδ'. Βασιλεία οὐρανῶν.
λε'. Κόλπος Ἀβραάμ.
λς'. Θησαυρός.
λζ'. Ζύμη.
λη'. Κόκκος σινάπεως.
λθ'. Ἀετός.
μ'. Δύναμις.
μα'. Νόμος.
μβ'. Ὁδός.
μγ'. Θύρα.
μδ'. Θεμέλιος.
με'. Οἶκος.
μς'. Μαργαρίτης.
μζ'. Εἰρήνη.
μη'. Ἀλήθεια.
μθ'. Δικαιοσύνη.
ν'. Ἁγιασμός.
να'. Ἀπολύτρωσις.
νβ'. Δοῦλος.
νγ'. Ἱλαστήριον.
νδ'. Ποιμήν.
νε'. Ἀμνός.
νς'. Ἀρχιερεύς.
νζ'. Θύμα.
νη'. Πρωτότοκος πρὸ[4] τῆς κτίσεως.
νθ'. Πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν τῆς ἀναστάσεως.
ξ'. Δάμαλις.
ξα'. Κριός.
ξβ'. Σκότος.
ξγ'. Προφήτης.
ξδ'. Ἱλασμός.
ξε'. Εἰκών.
ξς'. Νυμφίος.
ξζ'. Παντοκράτωρ.
ξη'. Ὕψιστος.
ξθ'. Ἅγιος.
ο'. Ἀπόστολος.
οα'. Ἄγγελος.
οβ'. Ἄναρχος[5].
ογ'. Ἀόρατος.
οδ'. Ἀκατάληπτος.
οε'. Ἀναφής[6].
ος'. Ἀσχημάτιστος.
οζ'. Ἀπερίληπτος.
οη'. Ἀπερινόητος.
οθ'. Ἀνεξιχνίαστος.
π'. Ἀνενδεής.
πα'. Ἄτρεπτος.
πβ'. Ἀνεκδιήγητος.
πγ'. Ἀκάματος.
πδ'. Ἀπρόσιτος.
πε'. Ἀπερίγραπτος.
πς'. Ἀέναος.

Ex cod. Paris. 39, fol. 164, 165. Initium in Catalogi usque ad nomen xi, in multis simile est cum fragmentis duobus ejusdem argumenti, quæ Martianæus edidit ad calcem Hieronymi *Opp.* t. ii (Vallart. iii, p. 1271); Martianæus Evagrio fragmentum posterius dedit. Utrumque iisdem omnino incipit, quæ forsan et nostro præmittenda : Διὰ τὴν ἑβραϊκὴν ἐπὶ τοῦ Κυρίου παρασημείωσιν ταῦτα λεκτέον· Δέκα ὀνόμασι παρ' Ἑβραίοις ὀνομάζεται ὁ Θεός· ἓν μὲν Ἀδωναΐ, κ. τ. ε. ex illis ipsa excerpta venirent. Inde vero Anonymus in aliam viam abit, et legit : [illegible] (sic apud ambos editores; quid illos vetuit ne promte legerent [illegible]?). Ἰαώ. Ἐλωΐ. Ἀδωναΐ. Σαβαώθ. Σαδαΐ. Ἰεῖ. [illegible]. Evagrius vero septem sequentia apud Nostrum nomina ad amussim refert. Nec plura ambo, præter hæc decem et vulgatissima ἑβραϊκά.

(1) Ἀδωναΐ. Præfigitur in cod. quoddam lemma ἑβραϊκὰ δέκα, qui numerus in hujuscemodi solemnis est. — (2) Τῶν ἀνεκφωνήτων cod. — (3) Γεγράφθαι. Proliviores sunt ibidem tum Evagrius, tum prior Martianæi Anonymus, apud quos nostra verbo tenus leguntur, ac si — (4) Περὶ τῆς cod. — (5) Ἄναρχος. Sequentia alphabetico ordine digesta innuunt auctorem in mente habuisse multo plura hujusmodi apponere : exstat sane in nova Maii Bibliotheca Theodori II Ducæ imperatoris prolixa oratio, quæ tota est in hisce epithetis congerendis ; neque tamen nostra, paucis tantum exceptis, continet, quam videsis t. vi, p. 259. — (6) Ἀναφεῖς cod.

πζ'. Ἀμετανάστευτος.
πη'. Ἀναλλοίωτος.
πθ'. Ἀμετάτρεπτος.
ϛ'. Ἀτελεύτητος.
ϛα'. Ἀνανταγώνιστος.
ϛβ'. Βιβλίον (1).

IV.

Τὰ ΚΒ' ὀνόματα τοῦ Προδρόμου καὶ Βαπτιστοῦ Ἰωάννου (2).

Sancti Joannis Præcursoris et Baptistæ nomina XXII.

Πρῶτον, Υἱός.
β'. Βρέφος.
γ'. Παιδίον.
δ'. Μέγας.
ε'. Ἰωάννης (3).
ϛ'. Ἄνθρωπος.
ζ'. Προφήτης.
η'. Ἡλίας.
θ'. Διδάσκαλος.
ι'. Ἑτοιμαστής (4).
ια'. Κύριος (?).
ιβ'. Φωνή.
ιγ'. Βαπτιστής.
ιδ'. Ὁμολογητής.
ιε'. Μάρτυρας.
ιϛ'. Τριάδος ὑπογραφεύς (5).
ιζ'. Δίκαιος καὶ ἅγιος.
ιη'. Ἀπόστολος.
ιθ'. Εὐαγγελιστής.
κ'. Νυμφαγωγός.
κα'. Λύχνος.
κβ'. Ἔλεγχος (6) Ἡρώδου.

V.

WIDO.

De Nominibus Christi (7).

[Sunt] decem nomina quibus apud Hebræos Deus nominatur, quæ ita græce et latine exprimuntur :

Primum est Hel, quod græce *Ischikros* (Ἰσχυρός), latine *Fortis* dicitur.

Secundum Heloim.

Tertium Heloe, quod iterum græce *Theos*, latine *Deus* dicitur.

Quartum Sabaoth, græce *Dinamion* (Δυνάμεων), latine *Virtutum*.

Quintum hebr[aice] Helion, græce *Ipselos* (Ὑψηλός), latine *Excelsus*.

Sextum Eserege, græce *O esti* (Ὅς ἐστι), qui est.

Septimum Adonai, græce *Kirrios* (Κύριος), latine *Dominus* generaliter.

Octavum Ia, quod tantum in Deo ponitur.

Nonum Tetragrammaton, id est quatuor litterarum, quod *Anecfoneton* (Ἀνεκφώνητον), id est *Ineffabile* putaverunt. Et his litteris scribitur Iod, He, Vau, Eht. Interpretatur iste Iod, *Principium;* He, *Passio;* Vau, *Vita;* Eht, principium *Passionis vitæ*.

Decimum Saddai, quod robustum et sufficientem ad omnia possumus perpetranda accipere.


Hebraice Messias, græce *Christus*, latine *Unctus*.

Hebraice Jesus, græce *Soter*, latine *Salvator*.

Odos, via.

Aletheia (Ἀλήθεια), veritas.

Elabe soson, pantocrator, khe eulogete Wuidonem [Sic forte legendum græce : Ἵλαθι (?) σῶσων, παντόκρατορ, καὶ εὐλογεῖτε *Widonem*.]



(1) Βιβλίον. Ecce, jam properante prælo, incidimus in cl. v. Boissonade *Anecdot* t. iv, p. 460, ubi omnia hæc *Nomina* legimus, quæ, primus ille et facile omnium princeps, edidit, ut solet, scite et eleganter, vir doctissimus. Cujus quidem vestigia sequi, vel inscii, quum lætamur, tum ipsius quoque verba, si quis rem nobis facesserit, licebit allegare : « Glossæ istæ, inquit alias, adeo breves sunt ut licet editæ, nequeant anecdota mihi qui promiserim, serio objici ab æquo lectore et quem præmonuerim. » — (2) Ex cod. Paris. 929, fol. 118. — (3) Ἰώννης. Sic aperte codex. — (4) Ἐτημαστής ib. — (5) Ὑπογραφῆς ib. — (6) Ἔλλεχος ib. — (7) Ex cod. Paris. 3877, sæc. ix circiter, cujus scripturam, vel ubi vitiatur, sequimur eo lubentius, quod auctor, paucis exceptis, græca latino charactere pro modulo suo attingit. Unde Wido ille, quicumque is demum fuerit, nec tempore nec indole recedit a Joannis Scoti discipulis, quibus græcissare solemne erat.

VI.

Rhythmus ad Deum, ex Dei nominibus.

I.

Deus, Pater piissime,
Jesu Christe, dulcissime,
Spiritus clementissime,
Non est, Deus, rex præter te.
5 Tu habitas, o Domine,
Incircumscripto lumine;
Æterne sine tempore,
Cum Filio, cum Flamine:
In Trinitatis nomine,
10 Sanctus, ave! Sanctus, vale!
Sanctus quoque, salve[1]!

II.

Tu sedes super cherubim,
Gloriosus in seraphim,
Abba Pater, *Ben* Filius,
15 *Ruah* amborum Spiritus:
Deus, deorum Dominus,
Exaudi me propitius.

III.

Hel, fortis rex, summe Deus,
Tu es primus, novissimus,
20 Præter te non est alius;
Pax hostium, vita, Jesus,
Æterni Patris Filius,
Magni consilii angelus;
Sancte, procedens, Spiritus,
25 Ab utroque, Paraclitus,
Patris, Natique Spiritus:
Trinus, unus, altissimus,
Tu lava me a sordibus,
Et a cunctis criminibus,
30 Et ab iniquitatibus;
Et de necessitatibus,
Et ab infirmitatibus,
Et tribulationibus,
Et a cunctis doloribus
35 Erue me propitius.

IV.

Clemens creator, Heloi,
Te tremunt omnes angeli,
Adorant et archangeli;
Verbum Patris ingeniti,
40 Τοῦ Θεοῦ ὁ μονογενής[2]
Panis et vita sæculi;
Tu digitus dextræ Dei,
Donum Dei altissimi[3],
Ruah Patris et Filii:
45 Trinus, unus, memor mei
Sis in Deum auxilii,
Et in domum refugii,
Inter procellas sæculi,
Fluctus hujus exsilii,
50 Mihi mergendo subveni.

V.

O Heloe, θεοφάγος[4],
Deus timoris Κύριος[5],
Ἀνάστασις, ἀθάνατος
Verbum Patris, veritas, os,
55 Tu destruxisti angelos,
Rex, apostatas superbos;
Spiritus sanctus, ὁ Θεὸς,
Spiramen sacrum, lumen, φῶς[6],
Super aquas Domini vox:
60 Trinus, unus, piissimos
Super me tuos oculos,
Rex, aperi dulcissimos.
Tu mitte sanctos angelos,
Ministros tuos inclytos,
65 Hodie mihi socios,
Custodes præclarissimos,
Adjutores fortissimos,
Ductores atque prævios,
Hostes ut pellant improbos,
70 Superbos, reos, noxios.

VI.

Deus excelsus, helion,
Deus deorum *pantheon*[7];
Immanuel, *pantacraton*,
Rerum creator, *ipsisthon*,
75 Pastorque *homoousion;*
Patri, Nato *cynagion*[8],
Amborum sacrum πνευμάτων,
Charitas, ignis, vivus fons:
Trinus, unus, tu de Sion
80 Succurre mihi, pater ὤν[9],
Per tuum nomen ἄῤῥητον[10]
Gloriosum Στρατευμάτων[11].

VII.

Rex Sadai, omnipotens,
Deus deorum præpotens,
85 Ad omnia sufficiens;
Justitiæ sol, oriens,
Lux, lumen indeficiens,
Sophia Patris sapiens;
Spiritus sanctus, procedens
90 Ab utroque, cuncta tenens,
Sciens, videns, intelligens:
Trinus, unus, cunctipotens,
Sis mihi pius et clemens,
Misericors et patiens,
95 Pius dator, largifluens.

VIII.

Qui creasti, rex Sabaoth,
Cuncta simul ex nihilo,
Tu es Deus Alpha et Ω;
Jesu, nostra redemtio,
100 Vita, [et] resurrectio,
Salus, vera defensio;
A Patre et a Filio
Es spiritalis unctio:
Trinus, unus es, obsecro,
105 Sis ut mea protectio,
Sis mea consolatio,
Sis criminum ablutio,
Peccatorum remissio

Ex cod. Parisiensi Sangerm. 352, fol. 158, sæc. XIII. Poeta vero ex affectatione græcanica referendus est ad ætatem auctoris præcedentis, videlicet Carolinam.

(1) *Salve.* Sic codex, deficiente utique rhythmo; idem et in præcedenti versu: *Sanctus ave, sanctusque vale.* Forte alicubi vocula exciderit, ut lectum fuerit in ultimo: *Sanctus quoque, Deus, salve*, aut in utroque:

Ter sanctus, ave! Sanctusque
Vale! Sanctus quoque salve.

— (2) Μονογενής. Periculum feci nonnihil arduum, corrigendo scripturam codicis, ubi latine et barbare legitur: *Tu teuh homo nogenu*, quibus quidem satis apte nostra respondent, nisi quod in fine rhythmus et scriptura vocant genitivum. Si μονογόνος liceret scribere, pro eo scilicet qui unum filium generat, legeretur commodius: τοῦ Θεοῦ, τοῦ μονογόνου. — (3) *Altissimi.* Nihil certe vetat quin ab antiquiore carmine hos duos versus hauserit, quisquis ille demum est, auctor hymni vulgaris *Veni, creator*, de quo cf. quæ supra p. 130. — (4) *Theophagos* cod. forsan scriptor confecerat, nec etiam bene: θεόφανος, quo facillime factum est θεόφαγος. Vix enim credam hic respici sacram Eucharistiam. — (5) *Kirrios*, cod. — (6) *For* ib. — (7) *Pantheon*, *ipsisthon* forte pro πάντων, ὑψίστων. An *pantacraton* quasi πάντα κρατῶν, aut pro παντοκράτωρ, mutata, ut fit, ultima littera? — (8) Συνάγιον πνεῦμα, verbo sit venia. Deinde *neomathon* cod. depravate. — (9) *Ilon* cod. — (10) *Arethon* ib. — (11) *Stratimathon* ib. *Deus sabaoth* scilicet, sive exercituum.

Meorum, Deus, obsecro!

IX.

110 Adonay mirabilis,
Magnus atque laudabilis,
Creator ineffabilis;
Fili Dei amabilis,
Via infatigabilis,
115 Vita [1] immarcescibilis,
Splendor inexstinguibilis;
Spiritus invisibilis,
Patri, Nato visibilis:
Trinus inseparabilis,
120 Unus indivisibilis,
Deus inenarrabilis,
Sis mihi invincibilis;
Ne sis mihi terribilis.
Custos inviolabilis,
125 Mihi Deus laudabilis,
Esto mihi placabilis,
Super me deprecabilis;
Libera me ab æmulis,
Ab impiorum loquelis,
130 Ab omnibus insidiis,
Et a cunctis periculis.

X.

Hely, Hely, rex, tibi est
Nomen quod sempiternum est;
Et nomen quod æternum est,
135 Moysi nomen quod est: Est,
Per angelum delatum est;
Per hoc nomen quod magnum est,
Aufer a me quod malum est
Et peccatum quod abs te est;
140 Dona mihi quod bonum est,
Illud, Pater, quod per te est.

XI.

Verus Deus, verus Hia,
Exaudi me et adjuva;
Ab omni malo libera,
145 Audi mea precamina,
Et dimitte peccamina;
Solve nexorum vincula,
Et da quieta tempora,
Per hæc sacrata nomina,
150 Tua, Deus, sanctissima.

XII.

Per hoc nomen sanctissimum,
Magnum nomen, fortissimum,
Gloriosumque, inclytum,
Per quod Adam, tartareum
155 Dum esset in supplicium,
In inferni patibulum,
Te reclamavit Dominum,
Factorem suum proprium,
Et habuit propitium.
160 Tuum nomen sanctissimum,
Rex, explicare nequeunt
Omnes linguæ viventium,
Nec mens, nec sensus hominum:
Nomen quod ἀνεκφώνητον [2],
165 Quod fronte tulit Aaron,
Scriptumque τετραγράμματον [3]:
Quatuor grammis in πέταλον [4]
Ioth, *he*, *vau*, et *heth*; [quorum]
Ioth dicitur *principium*,
170 He *ista*, vau *vita*, [quartum]
Heth *passionis obitum*:
Latine sic expositum,
Est Christus, vita omnium,
Ista vita, principium,
175 Per mortem, per patibulum,
Per passionis obitum.

XIII.

Per hoc nomen piissimum,
Esto salus, refugium
Mihi et adjutorium,
180 Et ubique præsidium.
Exsurge contra odium
Inimicorum omnium,
Me quoque persequentium,
Et in me insurgentium;
185 Tu destrue consilium
Illorum et eloquium,
Invidiam et odium,
Quo contra me insaniunt.

XIV.

Ergo per hoc nomen tuum
190 Mirabile, dignissimum,
Terribile, mitissimum,
Quod per crucis mysterium
Complevisti, rex, inclytum;
Per procedentem Spiritum
195 Ab utroque Paraclitum:
Quod hic te deprecatus sum,
Vel quæ deprecaturus sum,
Da mihi, factor omnium.

XV.

Tu Patris sapientia,
200 Cum ipso creans omnia,
Via, vita, [et] veritas,
Virtus Patris et charitas,
Regressus unde veneras,
In sinu Patris habitas,
205 Ubi omnis divinitas
Est et perfecta deitas,
Immortalis humanitas,
Coæqualis æternitas,
Deo Patri in gloria.

XVI.

210 Ibi te, Jesu, alloquor;
Ibi te, Jesu, deprecor,
Misericors vitæ dator;
Sis mihi, Deus, obsecror,
In prosperis moderator,
215 In adversis consolator.

XVII.

Jesu benigne, respice,
Sursum te quæro, Domine,
In sinu Patris, ἅγιε,
Ubi sedes, rex gloriæ,
220 Ad dextram Patris, Domine,
Tu in Patre, Pater in te,
Ibi, Jesu, obsecro te,
Interveni, quæso, pro me,
Apud Patrem, piissime;
225 Non voce dico, Domine,
Sed communi essentia,
Et æquali potentia,
Et pietate unica.

XVIII.

Tu, creator, creasti me,
230 Et tuo sancto sanguine
Redemtor, redemisti me;
Et ideo invoco te,
Et nomen tuum super me.
Verbum Patris, visita me;
235 Qui omnium pro salute,
Ex illibata Virgine
Humanam carnem sumere
Et sanguinem suscipere
Es dignatus, o Domine,
240 Jesu Christe, rex gloriæ.

XIX.

Rex regum, rex pacificus,
Rex dominator, Dominus,
Rex æternus, rex immensus,
Rex supremus, rex benignus,
245 Rex cœlestis, gloriosus,
Rex in regno tuo clarus,
Moderator rerum unus,
Qui gubernas cuncta solus,
Mihi clemens sis et pius,
250 Cui servit ordo supremus [5]
Et cœlestis exercitus.

XX.

Tibi Patri ingenito,
Natoque unigenito,
Spiritui paraclito,
255 Laus honor atque gloria,
Sit virtus et potentia,
Per infinita sæcula. Amen.

(1) *Vitis.* Cod. Hiatum forte scriptor nimis exhorruit.—(2) *Nomenque anecfenethon* cod.—(3) *Tetramathon* ib. — (4) *Pectalon* ibid. Deinde glossemata inter versus irrepserunt. — (5) *Ordo summus* cod.

VII.

De Nominibus beatæ Mariæ Virginis.

Sicut pratum picturatur
  Et ver vernis floribus,
Mater Dei figuratur
  Mysticis nominibus.

5 Hæc est nostra Sunamitis,
  Nostra tympanistria,
Via vitæ, vera vitis,
  Et cella vinaria.

Hæc est sponsa Salomonis,
10 Fermentatrix femina;
Qua vetusta Pharaonis
  Relevatur sarcina.

Hæc lucerna paradisi,
  Ostium et janua.
15 Hæc vervecis est occisi
  Genitrix ingenua.

Hæc est scala, qua descendit
  Calceata Divinitas.
Hoc est littus, ad quod tendit
20 Nostræ molis gravitas.

Hæc est mundi medicina,
  Mundi purgans lolium.
Hæc est rosa sine spina,
  Castitatis lilium.

25 Hæc est turris quam vallavit
  Incorrupta firmitas.
Hoc castellum quod intravit
  Sola Verbi veritas.

Hæc est scirpea fiscella,
30 Parvulum excipiens.
Hæc est parens, et puella
  Sine patre pariens.

Virgo, virga nuncuparis,
  Templum, vas, sacrarium;
35 Porta clausa, lux solaris,
  Cœli luminarium;

Rubus ardens, madens vellus,
  Gedeonis area;
Fons signatus, ferax tellus,
40 Granum sine palea;

Gemma, jubar, lac, talentum,
  Spes et laus prophetica;
Cinnamomus, ros, unguentum
  Quo fugantur toxica;

45 Gutta, nardus, mel, pigmentum,
  Radix aromatica;
Palma, palmes, pavimentum,
  Piscina probatica.

Botrus, uva, favus, hortus,
50 Thalamus, triclinium;
Arca, navis, aura, portus,
  Luna, lampas, atrium;

Vitrum, urna, claustrum, cella,
  Domus, aula, civitas;
55 Fons, fenestra, lumen, stella,
  Sol, aurora, claritas.

Tu columba, tu columna,
  Tu vitta coccinea.
Tu es altrix, tu alumna,
60 Tu Engaddi vinea.

Tui Patris tu, Maria,
  Mater es et filia.
Ergo Patri, Mater pia,
  Nos reconcilia. Amen.

Ex cod. Paris. 3156, sæc. xII, ad calcem, auctore plane ignoto, Adami S. Vict. æquali, ut videtur, et æmulo.

ANONYMUS ANGLUS,

CISTERCIENSIS MONACHUS.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM ET MORALIUM

LIBRI V.

Liber I.

1. Altare, *vid. t.* III, p. 218.
2. Anima, II, 193.
3. Ancilla, III, 239.
4. Aquila, II, 482.
5. Apis, II, 513.
6. Aries, III, 25.
7. Agnus, III, 30.
8. Avis, II, 472.
9. Asinus, III, 13.
10. Ager, III, 453.
11. Arbor, II, 354.
12. Auris, II, 225.
13. Adeps, II, 244.
14. Ala, II, 476.
15. Aqua, III, 454.
16. Aurora, II, 97.
17. Auster, III, 455.
18. Aquilo, III, 456.
19. Annus, III, ibid.
20. Arca, III, 211.
21. Atrium, III, 191.
22. Annulus, III, 162.
23. Arcus, II, 306.
24. Abyssus, III, 457.
25. Acetum, II, 464.
26. Aurum, II, 277.
27. Argentum, II, 284.
28. Arma, II, 298.
29. Brachium, II, 229.
30. Barba, II, 220.
31. Bos, III, 16.
32. Babylon, III, 457.
33. Bestia, III, 49.
34. Butyrum, III, 39.
35. Botrus, II, 456.
36. Baculus, II, 386.
37. Byssus, III, 155.
38. Bellum, II, 319.
39. Cœli, III, 458.
40. Civitas, III, 171.
41. Castellum, II, 324.
42. Caput, II, 195.
43. Collum, II, 222.
44. Cor, II, 250.
45. Capilli, II, 199.
46. Columba, II, 485.
47. Corvus, II, 499.
48. Caro, III, 458.
49. Calceamentum, III, 165.
50. Cervus, III, 458.
51. Canis, III, 459.
52. Cornu, III, 23.
53. Cera, III, 41.
54. Calix, II, 466.
55. Cibus, III, 257.
56. Campus, II, 188.
57. Cedrus, II, 357.
58. Calamus, II, 420.
59. Currus, III, 233.
60. Carcer, III, 460.
61. Caligo, ibid.
62. Casus, III, 461.
63. Carbo, II, 184.
64. Cinis, III, 461.
65. Corona, ibid.
66. Deus, III, 462.
67. Dentes, II, 213.
68. Dextera, II, 232.
69. Digitus, III, 462.
70. Dorsum, II, 235.
71. Dies, III, 463.
72. Diluculum, ibid.
73. Domus, III, 179.
74. Diluvium, III, 463.
75. Desertum, III, 464.
76. Draco, III, 91.
77. Dimissio, III, 464.
78. Denarius, II, 279.

Liber II.

79. Ecclesia, III, 464.
80. Esca, III, 465.
81. Æstas, II, 116.
82. Æternum, III, 465.
83. Equus, III, 8.
84. Euge, III, 465.
85. Æmulatio, ibid.
86. Electio, ibid.
87. Ægyptus, III, 466.
88. Fides, ibid.
89. Filius, ibid.
90. Frater, III, 132.
91. Filia, III, 91, 110.
92. Facies, II, 218.
93. Fons, II, 163.
94. Frumentum, III, 466.
95. Flumen, ibid.
96. Ficus, II, 372.
97. Flos, II, 396.
98. Fructus, III, 466.
99. Fenum, II, 403.
100. Folium, II, 393.
101. Favus, III, 42.
102. Flamma, III, 466.
103. Ferrum, II, 294.
104. Femur, II, 261.
105. Fundamen, III, 187.
106. Fortitudo, III, 467.
107. Foramen, ibid.
108. Fornax, III, 295.
109. Fumus, II, 295.
110. Fermentum, II, 447.
111. Fistula, III, 467.
112. Finis, ibid.
113. Gigas, ibid.
114. Guttur, III, 468.
115. Genæ, ibid.
116. Gladius, III, 469.
117. Generatio, ibid.
118. Gens, ibid.
119. Gallina, II, 489.
120. Grando, III, 469.
121. Glacies, ibid.
122. Homo, II, 192.
123. Humerus, II, 227.
124. Herba, III, 469.
125. Hamus, III, 470.
126. Harena, II, 172.
127. Hasta, II, 311.
128. Harundo, III, 471.
129. Hiems, II, 118.
130. Heremus, III, 471.
131. Hircus, III, 32.
132. Hædus, III, 35.
133. Jerusalem, III, 471.
134. Juventus, III, 115.
135. Justitia, III, 243.
136. Jumenta, III, 5.
137. Ira, III, 471.
138. Iniquitas, III, ibid.
139. Judicium, ibid.
140. Ignis, III, 472.
141. Janua, ibid.
142. Jugum, III, 473.
143. Imber, ibid.
144. Infernum, ibid.
145. Impetus, ibid.
146. Jejunium, ibid.

Liber III.

147. Lux, II, 102.
148. Lucerna, III, 216.
149. Luna, III, 474.
150. Lex, III, 475.
151. Liber, ibid.
152. Linum, III, 153.
153. Lana, III, 154.
154. Lac, III, 37.
155. Leo, III, 54.
156. Lilium, III, 475.
157. Lectum, III, 268.
158. Lutum, III, 476.
159. Lapis, II, 330.
160. Lignum, II, 349.
161. Lupus, III, 63.
162. Laqueus, III, 476.
163. Locus, ibid.
164. Locusta, II, 515.
165. Lingua, II, 210.
166. Labia, III, 477.
167. Lumbi, II, 259.
168. Lepra, II, 264.
169. Lego, III, 477.
170. Lampas, II, 182.
171. Mundus, III, 477.
172. Mulier, III, 105.
173. Manus, II, 477.
174. Mater, III, 130.
175. Mensa, III, 214.

Codicis nostri descriptionem nonnullamque de auctore notitiam habes in t. II, *Prolegom.* p. XXV et 92.

176. Mons, III, 478.
177. Mare, II, 154.
178. Mola, II, 440.
179. Manna, III, 478.
180. Messis, ibid.
181. Murus, III, 173.
182. Mane, III, 478.
183. Mel, III, 42.
184. Myrrha, II, 411.
185. Meridies, II, 104.
186. Mors, III, 273.

LIBER IV.

187. Nomen, III, 479.
188. Navis, ibid.
189. Nix, ibid.
190. Nox, III, 480.
191. Nubs, ibid.
192. Nardus, ibid.
193. Olea, II, 381.
194. Oriens, III, 480.
195. Occidens, ibid.
196. Os, II, 207.
197. Ovis, III, 27
198. Onager, III, 67.
199. Oratio, III, 480.
200. Onus, ibid.
201. Obedientia, ibid.
202. Ostium, III, 197.
203. Olla, III, 223.
204. Oculus, II, 202.
205. Ossa, II, 246.
206. Pennæ, III, 480.
207. Porta, III, 193.
208. Passer, III, 481.
209. Paulo minus, fere, etc., ibid.
210. Pes, II, 264.
211. Puer, III, 113.
212. Pulvis, III, 481.
213. Palma, II, 377.
214. Pallium, III, 481.
215. Pater, III, 127.
216. Purpura, III, 156.
217. Proximus, III, 481.
218. Piscina, III, 482.
219. Perpetuum, ibid.
220. Piscis, *in Append.*.
221. Pluvia, III, 482.
222. Plaga, ibid.
223. Panis, II, 444.
224. Res, III, 482.
225. Ratio, ibid.
226. Requies, ibid.
227. Rex, III, 233.
228. Rubus, II, 370.
229. Ros, II, 92.
230. Rosa, II, 415.
231. Regnum, III, 482.
232. Rota, II, 175.
233. Rana, III, 83.

LIBER V.

234. Spiritus, III, 483.
235. Sapientia, III, 261.
236. Stella, III, 483.
237. Saturitas, III, 484.
238. Spelunca, ibid.
239. Sepulcrum, III, 276.
240. Scutum, II, 301.
241. Semen, II, 433.
242. Salsugo, II, 147.
243. Sitis, III, 255.
244. Sinus, III, 484.
245. Somnus, III, 270.
246. Spinæ, II, 369.
247. Sol, III, 483.
248. Sanguis, ibid.
249. Tunica, III, 229.
250. Tectum, III, 189.
251. Templum, III, 186.
252. Tuba, 147.
253. Triticum, II, 427.
254. Thesaurus, II, 288.
255. Thus, II, 413.
256. Tabernaculum, III, 183.
257. Torrens, III, 485.
258. Terra, ibid.
259. Turtur, II, 491; III, 485.
260. Vestis, III, 151.
261. Venter, II, 255.
262. Vas, III, 221.
263. Uterus, II, 254.
264. Umbilicus, II, 257.
265. Vox, III, 485.
266. Visitatio, ibid.
267. Vetustas, ibid.
268. Vesperum, ibid.
269. Vitis, II, 453.
270. Vinum, III, 485.
271. Vinea, II, 451.
272. Via, II, 134.
273. Virga, II, 389.
274. Vita, III, 273.
275. Ventus, III, 486.
276. Vir, III, 105.
277. Y, *græca littera*, III, 486.
278. Hyssopus, II, 419.
279. Iris, III, 486.
280. Zelus, ibid.
281. Zona, III, 157.

Incipiunt Distinctiones monasticæ et morales.

ALTARE — ZONA.

Sint mihi cuncta bona quæ circuit aurea zona,
Quæ pectus cingit, quæ cor cum corpore stringit,
Ut sit clausa malis dilectio spiritualis.

Qui cupis hic aliquid, auctor tibi cuncta reliquit:
Ergo nihil deme, sed quod placet accipe de me.
Sit procul ille furor quem prodit dictio: Furor.
Cujuscumque manus rapit ista, sit ille profanus.

X. *De Agro materiali et Agro spirituali.*

Ager materialis quatripartitus est: socialis, consitivus, pascuus, florens. Sed quæ ab his figurantur, spiritualia sunt; et spiritualiter intellecta, spiritum pascunt.

Ager enim socialis est fidelis anima, semen verbum Dei avide suscipiens, susceptum copiose multiplicans, faciens fructum alium trigesimum, alium sexagesimum, alium centesimum. — Ager consitivus est militans Ecclesia, fideles homines tamquam fructiferas arbores continens; homo enim bene signatur per arborem. Nam homo græce dicitur ἄνθρωπος, quod interpretatur [flos, sive] arbor versa. — Ager pascuus est sacra Scriptura, animalia Dei rationabilia pascens. — Ager florens est Ecclesia triumphans, multiplici et varia sanctorum gloria, pro meritorum diversitate, tamquam variis floribus, fulgens.

Sed quia multæ sunt et aliæ agri significationes, assignemus eas et auctoritates aptemus:

Ager est

Mundus [1].
Corpus humanum [2].
Ecclesia universalis [3].
Cura rerum temporalium [4].
Inculta gentilitas [5].
Prædicatorum [6].
Ecclesia particularis [7].
Vita desidiosi [8].
Sacra Scriptura [9].
Peccator et Christus [10].
Terra viventium [11].

(1) *Mundus.* Quas quidem significationes in schemate, auctoritates vero in notis, sive in hoc, sive in sequentibus articulis, ponere satis erit; quippe quum aut eadem nec dissimili modo alibi fusius exponantur, aut quæ sunt nova e re symbolica non sint. Confer igitur eo loci Matt. XIII, 24. — (2) *Humanum.* Prov. XXIV, 27; I Cor. III, 9. — (3) *Universalis.* Ps. XLIX, 1; XV, 6. — (4) *Temporalium.* Luc. XV, 25. — (5) *Gentilitas.* Ps. CIII, 11. — (6) *Prædicatio.* Matt. XXIV, 40. Ibidem quidam versificator prave viventes prædicatores sic notat:

Qui præclare docent et vivunt turpiter, instar
Candelæ, fundunt in sua damna jubar.

— (7) *Particularis.* Prov. XXIV, 30. — (8) *Desidiosi.* Ib. XXI, 25. — (9) *Scriptura.* Matt. XIII, 44. — (10) *Christus.* Jerem. XXVI, 18; Is. LIII, 5. — (11) *Viventium.* Prov. XXXI, 16. Addito versiculo: « Non ditat Fragro (sic), qui Christi torpet in agro. »

XV. *De Aqua.*

Aqua spiritualis multiplex est. Est enim aqua gratiæ spiritualis; unde: « Qui biberit aquam quam ego do, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam [1]. » — Est aqua sapientiæ salutaris; unde: « Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutis potavit illum [2]. » Et iterum: « Aquæ Siloe vadunt cum silentio [3]. » Quia, sicut ait Origenes, verba sapientiæ in silentio et quiete discuntur [4]. — Est aqua sanctæ prædicationis; unde: « Egeni et pauperes quærunt aquas, et non sunt [5]. » — Est aqua compunctionis; unde Jeremias: « Quis dabit capiti meo aquam et fontem lacrymarum oculis meis [6]? » Et David: « Exitus aquarum deduxerunt oculi mei [7]. » — Est aqua Mosaicæ legis; unde: « Implete hydrias aqua [8]. » Hanc aquam vertit Deus in vinum, quia legem mutavit in Evangelium.

Hæc aqua dat sinum lactis puero puerinum,
Datque vino vinum, cui rigat illa sinum.

Hæc est aqua Marath, dulcorata per lignum crucis Christi, quæ est clavis sacræ Scripturæ, quoniam in passione Domini scissum est velum templi, et patuerunt ejus arcana, et aperta sunt monumenta, id est prophetarum obscura eloquia. — Est aqua consolationis; unde Dominus ad Simonem leprosum: « Aquam pedibus meis non dedisti [9]. » Aquam pedibus Christi dare, est infirmorum membrorum ejus, id est pauperum, qui hic abjecti sunt et extremi videntur, inopiam relevare. — Est aqua prudentiæ carnis; unde: « Quid tibi cum via Ægypti, ut bibas aquam Geon turbidam [10]? » Geon interpretatur hiatus terræ, et significat voluptatem carnis, quæ inexplebilis est. Nam « os vulvæ insatiabile [11]. » — Est aqua sapientiæ sæcularis, id est hujus mundi, quæ est stultitia apud Deum; unde: « Quid tibi cum via Assyriorum, ut bibas aquam fluminis [12]? » Hæc est doctrina Pharisæorum, qui dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. — Est aqua sapientiæ serpentis; hæc est doctrina hæreticorum. De hac aqua dicitur: « Aquæ furtivæ dulciores sunt [13], » stultis scilicet qui adulationibus hæreticorum delectantur. — Est aqua humanæ fragilitatis; unde de viro beato, id est Christo, prophetans sanctus David, ait: « Erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum [14]. »

More fluentis aquæ currunt mortalia quæque.

— Est aqua tribulationis; unde: « Intraverunt aquæ usque ad animam meam [15]. » Et Petrus: « Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas [16]. » — Est aqua mutabilitatis; unde:

Tempora prætereunt, more fluentis aquæ.
Omnia prætereunt, præter amare Deum.

— Est aqua prosperitatis; unde: « Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium [17]. » Quod exponens sanctus Augustinus ait: Si igne tribulationis non crepas, et aqua prosperitatis non dissolveris, in refrigerium transis. — Est aqua cupiditatis; unde: « Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum [18]. » Hæc aqua facit hydropicos, qui quanto amplius bibunt, tanto et sitiunt:

Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.
Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit[19].

Magister Alexander Nequam volens largitatem commendare Anglorum, ita versificatus est:

Quid sit avaritiæ pestis, gens anglica nescit:
Crescit amor dandi quantum ipsa pecunia crescit.

— Est aqua libidinis; unde: « Ruben, effusus es ut aqua, non crescas [20]. » De hac aqua ait Petrus Riga [21]:

Qui præceps in aquam, vel sæpe ruebat in ignem,
Hunc miserum mundum denotat ille miser.
Fluxus aquæ fluxum carnis miseræ notat; ignis
Ardor avaritiam: mundus utroque ruit.
Hæc duo sunt mundi tormenta, libido, cupido:
Hæc carnem, mentem subjugat illa sibi.

Item in aquis voluptatis, sive gulæ suffocati sunt porci, id est homines immundi. — Est aqua loquacitatis; unde: « Qui dimittit aquam caput est jurgiorum [22]. » Proverbium Vetulæ:

Si quæris pacem, linguam compesce loquacem,
Ossa terit lingua quæ tamen osse caret.

(1) *Æternam.* Joan. IV, 13. — (2) *Illum.* Eccli. XV, 3. — (3) *Silentio.* Is. VIII, 6. — (4) *Discuntur.* Locus deesse in editis videtur. — (5) *Sunt.* Is. XLI, 17. — (6) *Meis.* Jerem. IX, 1. — (7) *Mei.* Ps. CXVIII, 136. — (8) *Aqua.* Joan. II, 7. — (9) *Dedisti.* Luc. VI, 44. — (10) *Turbidam.* Jerem. II, 18; juxta LXX. — (11) *Insatiabile.* Prov. XXX, 16. — (12) *Fluminis.* Jerem. II, 18. — (13) *Sunt.* Prov. IX, 17. — (14) *Aquarum.* Ps. I, 2. — (15) *Meam.* Ps. LXVIII, 2. — (16) *Aquas.* Matt. XIV, 28. — (17) *Refrigerium.* Ps. LXV, 12. — (18) *Iterum.* Joan. IV, 14. — (19) *Crescit.* Juvenal. *Satyr.* XIV, 138. — (20) *Crescas.* Genes. XLIX, 4. — (21) *Riga,* in *Aurora,* ad Evangel. v. 2433-2438. — (22) *Jurgiorum.* Prov. XIV, 17.

Est aqua vilitatis et abjectionis; unde: « Sicut aqua effusus sum [1], » id est viliter occisus. — Est aqua dolositatis; unde: « Circumdederunt me sicut aqua tota die [2], » id 5 est latenter. — Est aqua pœnæ infernalis; unde: « Ecce gigantes gemunt sub aquis, [3] » id est, dæmones sub infernalibus pœnis. — Est aqua adulationis; unde: « Vinum tuum mixtum est aqua [4], » hoc est, quos pungere 10 debueras aspera increpatione, blanda demulces adulatione, et prave interpretando emollis rigorem Scripturarum, ob favorem audientium. — Est aqua refrigerationis; unde: « Emisisti vinctos tuos de lacu in quo non est 15 aqua [5], » quia in inferno nulla est refrigeratio. — Est aqua miserationis; unde: « Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum [6]. » Eleemosyna vero interpretatur aqua Dei, quæ exstinguit ignem diaboli, hoc 20 est peccatum. — Est aqua redemtionis, quæ exivit de forato Christi latere, pendentis in cruce. De qua ait Ezechiel: « Vidi aquam egredientem de templo, a latere dextro [7], etc. » Et Petrus Riga [8]:

25 Costa forata pluit laticem cum sanguine mundum:
Immundum mundat fusus uterque liquor.

— Est aqua consecrationis, quæ triplex est: scilicet aqua baptismatis, et major aqua benedicta quæ fit ab episcopo in dedicatione Ec- 30 clesiæ, et minor quæ a minoribus sacerdotibus benedicitur singulis diebus dominicis. — Est aqua subtilitatis et discretionis; unde: « Quomodo in aquis splendent vultus prospicientium, sic corda filiorum hominum manifesta 35 sunt prudentibus [9]; secundum hominem interiorem formatur exterior. »

In vultu legitur hominis secreta voluntas:
Est facies animi lingua secunda sui.

— Item: « Aquæ multæ populi multi sunt [10]. »

XVII. *De Austro.*

40 Sedulus in claustro placido perflatur ab austro:
Si quis amat claustrum, credo quod diligit austrum.

Auster, ventus calidus et penetrativus, in Scripturis sacris sæpe ponitur in designatione Spiritus sancti, ut: « Nonne vestimenta tua calida sunt, quum perflata fuerit terra austro [11]? » Sententia hæc spiritualiter intellecta valet doctoribus et prælatis Ecclesiæ ad humilitatis conservationem. Commonefacit enim eos conversionem vel conversationem discipulorum suorum, non suæ industriæ, sed gratiæ Spiritus sancti esse ascribendam. Dicitur ergo doctori: « Nonne vestimenta tua calida sunt, quum perflata fuerit terra austro? » Vestimenta doctorum sunt eorum boni discipuli, qui sunt ornamenta ipsorum; nam ex discipulis comprobatur magister, et « gloria patris est filius sapiens [12]. » Hæc vestimenta calida sunt, flante austro, quia dilectione Dei et proximi accenduntur, inspirante Spiritu sancto. Et apertius significatur auster in quadam sequentia de gloriosa Virgine virginum composita, scilicet in hoc versu:

Florens hortus, austro flante,
Porta clausa, post et ante,
Via viris invia.

Hortus siquidem virginalis uteri, austro flante, floruit, quia beata Virgo, superveniente in eam Spiritu sancto, florem generis humani, Christum, seris omnibus salvis et claustris integris, concepit. — Auster significat sanctum doctorem; unde Psalmista: « Transtulit austrum de cœlo [13]. » Dominus autem de cœlo transfert austrum, quando spiritualem doctorem de inquisitione seu contemplatione sublimium ad instructionem mittit parvulorum. Testis est ille post Christum doctorum doctor, Paulus, dicens: « Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis in Christo lac dedi vobis potum, non escam [14]. » Qui paulo post dicit: « Sapientiam autem loquimur inter perfectos. » — Auster autem videtur significare animam religiosam, calidam dilectione, lucidam cognitione, fervidam desiderio, splendidam verbo et exemplo. Unde: « Qui habitatis in terra austri, cum panibus occurrite fugienti [15]. » Fugientibus seculum et peccatum, cum panibus sacræ Scripturæ occurrendum est, ne, si jejuni dimittantur, deficiant in via [16]. — Auster significat juventutem, ut in Evangelio: « Multi venient ab Oriente et

(1) *Sum.* Ps. XXI, 15. — (2) *Die.* Ps. LXXXVII, 18. — (3) *Aquis.* Job XXVI, 5. — (4) *Aqua.* Is. I, 22. — (5) *Aqua.* Zachar. IX, 11. — (6) *Peccatum.* Eccle. III, 33. — (7) *Dextro.* Ezech. XLVII, 1. — (8) *Riga.* l. l. de *Passione D. N.* v. 714, 715. — (9) *Prudentibus* Prov. XXII, 19. — (10) *Sunt.* Apoc. XVII, 15. — (11) *Austro.* Job XXXVII, 17. — (12) *Sapiens*, forte. Prov. X, 1. — (13) *Cœlo.* Ps. LXXVII, 26. — (14) *Escam.* I Cor. III, 2. — (15) *Fugienti.* Is. XXI, 14. — (16) *In via.* Matt. XV, 32.

Occidente, ab Austro et Aquilone [1]. » Oriens est pueritia; Occidens, ætas decrepita; Aquilo, senectus; Auster, juventus. — Auster significat Judæos quondam ferventes et lucentes; unde : « Dicam Aquiloni : Da. Et austro : Noli prohibere [2]. » Et iterum : « Deus ab austro veniet [3]. » Nam Christus secundum carnem venit ex Judæis.—Auster significat martyres, ut in Apocalypsi : « Ab Oriente portæ tres, et ab Occidente portæ tres; ab Aquilone portæ tres, et ab Austro portæ tres [4]. » Id est fides Trinitatis a credentibus ex Judæis et ab ultimis fidelibus et a gentibus conversis et a martyribus. — Auster significat dissolutionem voluptuosorum, vel ipsos voluptuosos, carnis voluptatibus corruptos. Unde beatus Job : « Considerate semitas Theman, itinera Saba, et exspectate paulisper [5]. » Theman interpretatur Auster. Est autem prophetia, quod dulcedo carnalium in amaritudinem sit citius terminanda. Nec mirum si per austrum significetur corruptio, quia ipse corruptus est. Est enim naturaliter frigidus et accidentaliter calidus. Surgens namque in frigida Australi, [si] venit ad nostram habitabilem, transit per torridam et ibi calefit; unde et calidus venit ad nos. Sed quia quod naturale est, inseparabile est, non omnino sua natura privatus, ex natura frigida nocet floribus, teste Virgilio, qui in Bucolicis quemdam introducit sic loquentem [6] :

Heu! heu! quid volui misero mihi? Perditus austrum
Floribus, et liquidis immisi fontibus apros.

XVIII. *De Aquilone* [7].

Aquilo [8].

Diabolus.	Senectus.
Tentatio violenta.	Vultus redarguentis severitas [9].
Gentiles.	

XIX. *De Anno*.

Anni species, non juxta poetas vel computistas, sed secundum prophetas et evangelistas assignamus atque distinguimus. Est igitur annus qui nec habet initium nec finem; est annus qui habet initium et non habet finem; est annus qui habet initium et finem.

Annus qui nec habet initium nec finem, est annus æternitatis, de quo propheta dicit : « Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient [10]. » — Annus qui habet initium et non habet finem, est annus perpetuitatis, omnibus bonis bonus, et malis malus; de quo Dominus dicit per prophetam : « Dies ultionis in corde meo, annus retributionis meæ venit [11]. »—Annus qui habet initium et finem geminus est, id est tempus gratiæ, et mora vitæ nostræ. Tempus gratiæ est annus benignitatis; unde Psalmista : « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ [12]. » Mora vitæ nostræ est annus, quantum ad plures, vanitatis; unde psalmus : « Anni nostri sicut aranea meditabuntur [13]. » Aranea consumit viscera, ut capiat muscas : et nos curis anxiis et vehementibus studiis nos cruciamus et quodam modo eviscerамus, ut bona temporalia, vana et volatica, perquiramus. Annus iste noster, vanitati subjectus, in tres partes dividitur, scilicet ortum, progressum et finem; unde quidam ait :

Hæc tria sunt hominis : ortus, defectio, finis.

Et hæc tria a poetis gentilibus per tres parcas, quas fatales deas vocabant, sub integumento figurata sunt. Est autem integumentum genus loquutionis sub fabulosa narratione veritatis intellectum involvens. Tres illæ fatales deæ gentilium sic erant nominatæ : prima dicta est Clotho, et interpretatur Evocatio, per quam nativitas hominis evidenter exprimitur, qui nascendo de utero matris evocatur. Secunda dicitur Lachesis, et interpretatur Sors, propter nimiam incertitudinem. Nam, sicut quidam ait,

Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu.

Tertia nominatur Atropos, et interpretatur Sine conversione, per quam figuratur mors, quæ compellit hominem migrare de hoc sæculo et ad illud reverti non sinit, unde :

Clotho colum bajulat, Lachesis trahit, Atropos occat.

Hæc attendens versificator quidam de nostris, bene nobis consuluit, dicens :

Vita brevis, casusque levis, nec spes remeandi.
Quanta seres, hic tanta feres : sit cura parandi.

(1) *Aquilone*. Luc. XIII, 29. — (2) *Prohibere*. Is. XLIII, 6.—(3) *Veniet*. Habac. III, 5.—(4) *Tres*. Apoc. XXI, 13. — (5) *Paulisper*. Job VI, 19.— (6) *Loquentem*. Virgil. *Eclog*. II, 59. — (7) *Aquilonem*. Is. XIV, 13. —(8) *Aquilo*. Cant. IV, 16. — (9) *Severitas*. Prov. XXV, 23. — (10) *Deficient*. Ps. CI, 28. — (11) *Venit*. Is. XXXIV, 8. — (12) *Tuæ*. Ps. LXIV, 12.—(13) *Meditabuntur*. Ps. LXXXIX, 9.

XXIV. *De Abysso.*

Curam de bysso, lector, capias ab abysso :
Qui legit et spernit, tenebras lectum sibi sternit.

Abyssus

Aquarum [1].	Vitiosorum [6].
Mysteriorum [2].	Pertubationum [7].
Sacramentorum [3].	Gratiarum [8].
Tribulationum [4].	Tormentorum [9].
Vitiorum [5].	Ignorantiæ [10].

XXXII. *De Babylone.*

Babylon, capitalis civitas regni Assyriorum, a famosa illa turre Babel nomen accepit. Interpretatur autem Confusio, ob confusionem fabricatoribus præfatæ turris in divisione linguarum inflictam, quum alter alterius linguæ non haberet [intellectum]. Significat autem infernum, ubi summa confusio est, quia secundum beatum Job, « ibi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat [11]. » Nam sicut de Babylone per Jesum filium Josedech, sacerdotem magnum, populus Israel reductus est in terram promissionis, ita de inferno per verum Jesum, qui solus tanti mensuram nominis implet, electi ducti sunt et transvecti in locum beatitudinis. — Babylon significat massam reproborum, de quorum damnatione beatus Joannes in Apocalypsi prophetat, dicens : « Cecidit, cecidit Babylon [12] ! » Geminatio cadendi significat geminum casum reproborum, scilicet animæ et corporis, quia in utroque reprobi punientur. Vel geminatio cadendi significat casum culpæ, quia per casum primum reprobi cadunt in secundum. — Babylon significat istum mundum totum, id est totam congregationem hominum mundum istum inhabitantium, bonorum scilicet et malorum, in qua sicut est magna morum dissimilitudo, ita et non modica confusio. Nam mali et boni, sicut Atropos et Clotho, contendunt impare voto, de qua confusione ait Satyricus [13] :

Rusticus urbano confusus; turpis, honesto.

Item, in eodem plenius de eodem :

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.

Sed adhuc efficacius quidam de nostris :

Bella movent cum fraude fides, cum crimine virtus,
Cum pietate scelus, cum ratione furor.

Sed his omnibus vel congruentius, brevius, et validius rem explicuit noster Concionator, dicens : « Abominantur justi virum impium, et impii eos qui in recta sunt via [14]. » — Babylon significat pompam hujus mundi, propter erectionem inhabitantium in Babylone, qui tum ex rerum opulentia, tum ex regis eminentia in magnam erigebantur superbiam. Cujus superbiæ meminit Lucanus, dicens [15] :

Quumque superba foret Babylon spolianda trophæis
Ausoniis, etc.

De Babylone, id est pompa hujus sæculi, ait propheta : « Calix aureus Babylon, inebrians omnem terram [16]. » Babylon calix aureus dicitur, quia gloria mundi hujus amatoribus ejus speciosa et pretiosa videtur. Hic calix aureus omnem terram inebriat, id est omnem amatorem rerum terrenarum quodam modo mentis impotem facit. — Babylon Roma dicitur, forte propter similitudinem, quia sicut Babylon caput erat regnorum orientalium, ita Roma est caput occidentalium; vel, quod magis reor, propter similem confusionem vitiorum et vitiosorum. Quod Babylonis nomine Roma vocatur, habes ex illis verbis beati Petri apostoli, ad spirituales filios suos scribentis ita : « Salutat vos ecclesia quæ est in Babylone electa [17]. » — Babylon significat vitam carnalium, carnis desideria quæ militant adversus animam sequentium, temporalia æternis præferentium; unde caro filia Babylonis dicitur, secundum illud : « Filia Babylonis misera [18], etc. » Vel caro filia Babylonis, id est hujus mundi dicitur, quia ipsa originem habet a terra : unde beatus Gregorius dicit in quadam homilia, quod carnis locus proprius terra

(1) *Aquarum.* Ps. xxxv, 7. — (2) *Mysteriorum.* Ps. xli, 8. — (3) *Sacramentorum.* Genes. vii, 11. — (4) *Tribulationum.* Jon. ii, 6. — (5) *Vitiorum.* Exod. xv, 5. — (6) *Vitiosorum.* Ps. cxxxiv, 6. — (7) *Perturbationum.* Ps. cvi, 26. — (8) *Gratiarum.* Ps. lxxvii, 15. — (9) *Tormentorum.* Luc. viii, 31. — (10) *Ignorantiæ.* Auctor : Potest etiam nomine abyssi profunda ignorantia designari; unde quum quidam monachus ad alium monachum pro quodam negotio scriptum, quod indicium vocant, prænuntium direxisset, et nullum omnino responsum accepisset, iterum ad eumdem scribens, sic conquestus est :

Quæ quondam scripsi, quæ contenebrantur eclipsi,
Missaque cum misso tetra sorbentur abysso,
Nunc eadem repeto, superaddens : Care, valeto!

— (11) *Inhabitat.* Job x, 22. — (12) *Babylon.* Apoc. xiv, 8. — (13) *Satyricus.* Horat. *Art. poet.* 213; I Ep. xviii, 89. — (14) *Via.* Prov. xxix, 27. — (15) *Dicens.* Lucan. Phars. i, 10. — (16) *Terram.* Jerem. li, 7. — (17) *Electa.* I Petr. v, 23. — (18) *Misera.* Ps. cxxxvi, 8.

est[1].—Babylon significat confusionem, quam habet homo de manifestatione vitii sui, per quam vilior redditur, quæ electis est utilis; unde est illud propheticum : « Venies usque ad Babylonem, et liberaberis[2]. » Cui consonat illud Psalmographi : « Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine[3]. »

Est igitur Babylon exitiosa, Babylon tumultuosa, Babylon pomposa, Babylon voluptuosa, Babylon contumeliosa.

XXXIX. *De Cœlo.*

Nescio de cœlo quid possit dicere cæcum [cœcus?],
Præter quod cunctis esse bene constat amœnum.

Cœlum

Deus Pater[4].	Apostoli[10].
— Filius[5].	Immortalitas[11].
— Spiritus[6] sanctus.	Anima Christi[12].
	Spiritualia[13].
Angeli[7].	Sacra Scriptura[14].
Ecclesia triumphans[8].	Electi[15].
— militans[9].	Prælati[16].

Cœli materiales quatuor sunt, ut mihi videtur, scilicet aereum, æthereum, sidereum, empyreum. Si enim cœlum est aer, quod omnes fere sacræ paginæ testantur, quare non potius ignis, qui aere sublimior est et subtilior? de quo et insignis poeta, quum de divisione elementorum dissereret, inter cætera sic ait[17] :

Ignea convexi vis et sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.

Et noster christianus philosophus, Boethius scilicet, in libro de Consolatione[18] :

O stelliferi conditor orbis,
Qui, perpetuo nixus solio,
Rapidi cœlum turbine versas...

Si objiciatur de tertio cœlo ad quod raptus est Paulus, respondeo quod fortasse a cœlo sidereo, id est firmamento, quod Deus vocavit cœlum, [aliud]est illud tertium cœlum ad quod raptus est Paulus. Credo enim esse aliquid superius empyreo, quia lego Luciferum, quum esset in empyreo, dixisse : « Ascendam in cœlum[19], etc. » Quod sit istud vel quale, nescire me fateor, et inquirere non præsumo, sequens illud sapientis :

Mitte arcana Dei, cœlumque inquirere quid sit.

XLVIII. *De Carne.*

Caro significat

Hominem[20].	Legem peccati[26].
Propinquitatem[21].	Vitam carnalem[27].
Corruptibilitatem[22].	Carni deditos.
Fragilitatem[23].	Opera infirma[28].
Teneritudinem[24].	Mala opera[29].
Voluptatem[25].	Cruciatus carnis[30].

L. *De Cervo*[31].

Est autem natura hujus animalis, inter cæteras quas habet non paucas, quod natale solum præ amore alterius patriæ mutat. Propterea per cervos designati sunt patres nostri, id est sancti Patriarchæ, de quibus scriptum est quod advenæ fuerunt et peregrini super terram, præfigurantes se et suos similes non habere hic manentem civitatem, sed futuram inquirere. Unde et Dominus Jesus Christus, verus sponsus Ecclesiæ, hinnulo cervorum assimilatur in Canticis, secundum assumtam humanitatem, exponente beato Gregorio : Antiquorum filius Patrum[32], etc.— Cervus, quia lutosa et spinosa loca ex consuetudine transilit, mundi significat contemtores, quorum unus ille fuit, qui ait : « Deus Dominus, fortitudo mea, et ponet pedes meos quasi cervorum[33]. » — Cervus, hausto veneno, ad fontem vivum properat, quo potatus vim veneni superat, et, deposita vetustate, juvenescit. Propter hanc cervi naturam, per cervum vere pœnitens figuratur, qui mortali peccato gravatus, currit ad confessionem, et per eam, peccati vetustate deposita, renovatur; unde illud per psalmistam dicitur :

(1) *Est*. Homil. 9 in Evang. — (2) *Liberaberis*. Mich. IV, 10.—(3) *Domine*. Ps. LXXXII, 17.—(4) *Pater*. Ps. XVIII, 7. —(5) *Filius*. Ps. LXXXVII, 24. —(6) *Spiritus*. Genes. XXVII, 39. — (7) *Angeli*. Juxta præfationem Ascensionis; cf. Ephes. IV, 10.—(8) *Triumphans*. In communi Martyr. ad Vesp.—(9) *Militans*. Apoc. VIII, 1. — (10) *Apostoli*. Ps. XVIII, 1.—(11) *Immortalitas*. Matt. XXII, 30. — (12) *Christi*. Is. LXVI, 1.—(13) *Spiritualia*. Phil. III, 20.—(14) *Scriptura*. Apoc. VI, 14. —(15) *Electi*. Genes. XXII, 17. — (16) *Prælati*. Ps. CXII, 6.—(17) *Ait*. Ovid. *Metam.*, lib. I, v. 26, 27.— (18) *Consolat*. lib. III, metr. 3. — (19) *Cœlum*. Is. XIV, 13. —(20) *Hominem*. Matt. XXIV, 22. —(21) *Propinquitatem*. Genes. XXXVII, 27.— (22) *Corruptibilitatem*. I Cor. XV, 50.— (23) *Fragilitatem*. Jerem. XVII, 5. — (24) *Teneritudinem*. Ezech. XXXVI, 26.—(25) *Voluptatem*. Rom. VIII, 8. — (26) *Peccati*. Galat. V, 17. — (27) *Carnalem*. Ib. III, 3.—(28) *Infirma*. Prov. XIV, 30. —(29) *Opera*. Is. IX, 20.—(30) *Carnis*. Apoc. XIX, 18. — (31) *Cervo*. Nonnulla de etymo satis insulsa omisimus. — (32) *Patrum*. Nec plura Noster; locus est in lib. II, homil. 33, n. 7.— (33) *Cervorum*. Ps. XVII, 34.

« Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum [1], etc. » Cervus sagittatus, si ferrum remaneat in vulnere, quærit herbam dictamnum; qua comesta, ferrum ejicitur, et sanitas recuperatur. In hoc signat cervus eos qui in mortale peccatum lapsi, avide quærunt et audiunt verbum Dei; quod si ab eo qui charitatem habet, prædicatum fuerit, auditores ejus primam gratiam possunt recipere, et contritionis et confessionis remedio peccatum ejicere. Et fortasse de ejusmodi cervis dictum est illud de psalmo : « Vox Domini præparantis cervos [2]. » — Cervus misericordes significat et liberales, qui proximorum onera ex charitate portant, et infirmitates proximorum sive corporum sive animorum patienter tolerant, quia cervus infirmiorem vacantem adjuvat, caput ejus super clunes suos sustinens : ad hanc gratiam designandam et exhibendam omnino opinor illud esse scriptum : « Cervus gratiarum et pullus amicitiarum non te deserant [3]. » — Cervus pusillanimes et indiscrete pavidos significat; unde est illud Boethii : Pavidus ac fugax, non metuenda formidat? Cervus [4]. Similis habeatur qui in peccatum mortale lapsus, non properat cervi more ad dictamnum. Is potest vere quidem dicere, sed misere :

Vulneror et clausum porto sub pectore telum,
Crescit et assidue plaga dolorque mihi.

LI. *De Cane.*

Canis de canore nomen accepit, propter sonoritatem vocis. Est animal sagax valde et imaginationis validæ; unde et apud gentiles Mercurius capite canino depingitur. In cane sunt septem commendabilia et totidem notabilia. Commendantur in cane : quod linguam habet medicinalem; quod latratum habet utilem; quod sagax est; quod domino fideliter adhæret; quod socio suo in bellum præstat auxilium; quod modico cibo sustentatur, quum necesse est; quod in vinculis animosior redditur. Inter notabilia sunt hæc : quod cæcus nascitur; quod redit ad vomitum; quod ex consuetudine sine necessitate latrat; quod ad cibum sociis invidet, secundum illud :

Dum canis os rodit, sociari pluribus odit;

quod libertate torpescit; quod dentes habet corrosivos; quod odit peregrinos.

Et notandum quod omnia quæ superius in cane esse commendabilia memoravi, spiritualiter intellecta, sanctis doctoribus Ecclesiæ conveniunt, et quædam ex illis cunctis fidelibus sunt communia : quæ quia cuilibet mediocriter instructo facillimum est percipere, auctoritatibus probare non curo. Puto enim quod probatione non egeant, nisi quæ dubia sunt vel actu, vel aptitudine.— Per canem significantur doctores sancti, qui verbo curant vulnera peccatorum. De qualibus dicitur in Evangelio, quod vulnera Lazari lingebant. Et e diverso, canes qui libertate torpescunt, sunt pastores pigri, et ideo mali, quia præ torpore et desidia nolentes in sacræ Scripturæ meditatione laborare, ut habeant unde tribuant necessitatem patienti, a Domino appellantur canes muti, non valentes latrare.—Canis, quia cibum sociis invidet, et quia dentes habet corrosivos, significat detractores, quos beatus Hieronymus sæpe canes suos appellat.—Canis, quia ex sola consuetudine latrat, significat Judæos, qui pro superfluis suis consuetudinibus contra ipsum Christum improbissime latraverunt, de quibus ipse dicit in psalmo : « Circumdederunt me canes multi, etc. [5]. » – Canis, quia redit ad vomitum, significat eos qui post confessionem peccatorum in eadem recidunt. De quibus Salomon : « Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti [6]. » Et iterum sicut canis revertitur ad vomitum, ita peccator qui iterat stultitiam suam.—Per canes, propter immunditiam quam nolo speciali sermone taxare, significantur gentiles; unde Dominus ait mulieri Chananææ : « Non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus [7]; » id est, non est bonum ante tempus verbum prædicationis Judæis auferre et dare gentibus.—Per canem cum adjectione bona peccator pœnitens designatur, ut ibi : « Melior est canis vivus leone mortuo [9]; » id est, melior est peccator humiliter confitens, quam justus de justitia sua superbe præsumens, vel ab ipsa cadens. — Canis significat mortale peccatum, ut ibi : « Apud omnes filios Israel non mutiet canis [8]; » id est, apud omnem verum christianum mortale peccatum non turbabit mentis occulta. — Canis significat contentiosos et veritati non acquiescentes, et qui

(1) *Aquarum*. Ps. XLI, 2. — (2) *Cervos*. Ps. XXVIII, 9. — (3) *Deserant*. Prov. V, 19, juxta LXX, et vett. interpr. qui legunt in fine : ὁμιλείτω σοι, *confabulentur tibi* Ambr. *Fabulentur tecum* Eucher. *Colloquantur* Hier. August. — (4) *Cervus*. Cf. supra p. 325. — (5) *Multi*. Ps. XXI, 17. — (6) *Luti*. Prov. XXVI, 11. — (7) *Canibus*. Matt. XV, 26. — (8) *Mortuo*. Eccle. IX, 4. — (9) *Canis*. Exod. XI, 7.

nesciunt vel non intelligunt contemnentes, sicut et poeta satyricus de quodam ait [1] :

Omnia quæ nescit, ducit spernenda Colotes.

— Canes etiam dici possunt qui lites amant et jurgia; unde Boethius : Ferox atque inquies linguam litigiis exercet? Cani comparabis. — Canis callidos et versipelles significat, secundum illud :

Qui catulus pergit Romam, canis inde redibit.

LX. *De Carcere.*

Carcer est corpus mortale; unde Christus ad Patrem : « Educ de carcere animam meam [2]. » — Carcer est infernus; unde : « Esto consentiens adversario tuo, dum est tecum in via, ne ipse te tradat judici, et judex exactori, et exactor mittat te in carcerem [3]. » Adversarius peccantium est sermo divinus; judex, Christus; exactor, diabolus; carcer, infernus. — Carcer est domus religiosorum, illa scilicet in qua disciplina diligentius observatur. Sed in talibus domibus cives Babylonis inveniuntur; unde est illa sententia prophetica, quam volo exponere : « Laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt [4]. » — Carcer acriorem tribulationem significat; unde in Apocalypsi Dominus quosdam præmonet et præmunit dicens : « Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem [5]. »

Nam levius lædit quidquid prævidimus ante.

LXI. *De Caligine.*

Caligo est

Subtilitatis.	Infidelitatis.
Figurativæ significationis.	Pœnæ.
Iniquitatis.	Infirmitatis vel paupertatis.

De caligine subtilitatis scriptum est in Exodo : « Moyses accessit ad caliginem in qua erat Deus [6]. » Tam magnæ gratiæ donum non est multis datum, sed Moysi. Moyses, sicut Josephus dicit, interpretatur Ex aqua salvatus. Ille ergo qui ex aquis sæcularium cupiditatum et carnalium voluptatum salvatus est, potest ad memoratam caliginem accedere. — De caligine figurativæ significationis dictum est in psalmo, secundum unam expositionem : « Nubes et caligo in circuitu ejus [7]; » quia nubes allegorice et caligo tropologice Christum in sacra Scriptura circumdant. — De caligine profundæ iniquitatis scriptum est in psalmo : « Caligo sub pedibus ejus [8], » id est Christi; nomine caliginis hic designatus est diabolus emphatice, id est expressive, sicut de Davo loquutus est Terentius [9] :

Davus est ipsum scelus.

Qui modus loquendi creber est et in sacris litteris et sæcularibus. Hæc caligo, id est caliginosus diabolus, sub pedibus Christi est, id est sub prædicatoribus ejus, qui eum portarunt vel portant per mundum, quibus ipse ait : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici [10]. » — De caligine infidelitatis ait Isaias : « Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos [11]. » Et Jeremias in Threnis : « Quomodo obtexit caligine Dominus in furore suo filiam Sion [12]; » — id est, plebem judaicam caligine crassæ ignorantiæ et infidelitatis permisit involvi? — De caligine nimiæ et profundissimæ infirmitatis scriptum est : « Dies iræ, dies illa, dies tribulationis et angustiæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris [13]. » — De caligine infirmitatis et paupertatis ait vir quidam litteratissimus, [magister Alanus Poryus [14]] in rhythmo quem de incarnatione Domini composuit, dicens :

Solis lumen nube tectum
 Nubis sub velamine,
Nostræ carnis fert objectum,
 Nunc habet in lumine.
Nostrum jungit in defectum
 Sol ortus in Virgine;
In defectu dans effectum,
 Lumen in caligine.

(1) *Ait.* Locus me fugit. — (2) *Meam.* Ps. CXLI, 8. — (3) *Carcerem.* Luc. XII, 58. — (4) *Sunt.* Is. XLII, 22. Promisso non stetit auctor. — (4) *Carcerem.* Apoc. II, 10. — (6) *Deus.* Exod. XX, 21. — (7) *Ejus.* Ps. XCVI, 2. — (8) *Ejus.* Ps. XVII, 10. — (9) *Terentius.* Andr. 666, 845. — (10) *Inimici.* Luc. X, 19. — (11) *Populos.* Is. LX, 2. — (12) *Sion.* Thren. II, 1. — (13) *Clangoris.* Soph. I, 5. — (14) *Poryus.* Hæc in margine, manu coœva. Iidem versus exstant in Rhythmo qui legitur in operibus Alani Insul., p. 418, in quo septem artes allegorice ad natale Christi accommodantur. In nostris astronomia describitur.

LXIII. *De Casu.*

Casus

Humilitatis [1].	Præcipitationis [4].
Adversitatis [2].	Mortis temporalis [5].
5 Perversitatis [3].	Damnationis [6].

LXIV. *De Cinere.*

Cinis significat corruptionem per peccata, ut in illis verbis Abrahæ loquentis ad Deum ita : « Loquar ad Dominum meum, quum sim pul-
10 vis et cinis [7] ; » pulvis scilicet ex originali peccato et innato ; cinis, ex actuali et superaddito. Et licet Abraham ex humilitate, quæ semper sanctis familiaris est, peccatorem se esse fateretur, magis tamen verba ex persona nostra,
15 quam illius puto esse prolata. Pulvis quidem, id est mortalis fuit Abraham ; sed si cinis fuerit per peccati mortalis exustionem, nescio, quia non legi. — Cinis significat fragilitatem nostræ mortalitatis, ut quum dicitur : « Memento,
20 homo, quia cinis es, et in cinerem reverteris [8]. » Et in hoc sensu cinerem posuit versificator quidam, nostræ naturæ mutabilitatem exprimens his versibus :

Vita quid est hominis? modo principium, modo finis.
25 Quid caro? tota cinis, variis subjecta ruinis.

— Cinis significat peccatorem peccatis dissolutum et denigratum, ut in illis verbis Psalmistæ ex persona Christi : « Cinerem tamquam panem manducabam [9] ; » id est, peccatorem
30 pœnitentem, sicut justum et innocentem, mihi incorporabam. — Cinis significat meditationem vel memoriam mortis. Unde aquæ qua templum aspergitur in dedicatione, sal et cinis et vinum miscentur, per quæ significantur timor
35 Domini, meditatio mortis nostræ, passio Christi, sicut quidam ex nostris his exposuit versibus :

Sal, cinis et vinum miscentur aquæ : tria namque
Significant lacrymas significata tribus.
40 Sal timor est Domini, cinis est meditatio mortis.
Passio per vinum, Christe, notata tua est.

— Cinis significat squalorem vere pœnitentium ; unde est illa consolatio prophetica ad animam pœnitentem : « Dabit tibi Dominus coronam pro cinere [10], » id est gloriam vitæ æternæ pro squalore pœnitentiæ. — Cinis significat humilitatem ; unde dicit sanctus quidam quod cinis et cilicium sunt arma pœnitentium, id est humilitas cordis et afflictio corporis. Nam qui his insistit pœnitens, potest dicere Deo : « Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea [11]. » — Cinis significat peccata ; unde : « Ephraim factus est panis subcinericius, qui non reversatur [12], » sed portat cineres : ita peccator, qui non confitetur peccata sua, portat peccatorum sordes.

Est veniæ vena vitii confessio plena.

LXV. *De Corona.*

Corona significat præmium vitæ æternæ; unde : « Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ [13]. » — Corona significat sanctam Ecclesiam ; cujus quantitas in præscientia Dei plena et perfecta est, et nec minui potest, nec augeri; quoniam nullus prædestinatus ad vitam damnabitur, nullus præscitus ad mortem salvabitur. De hac corona scriptum est in psalmo, ubi propheta loquitur ad Patrem in Christo dicens : « Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso [14], etc. » — Corona significat multitudinem electorum tempore gratiæ acquisitorum; unde : «Benedices coronæ anni benignitatis tuæ [15], » id est, gratiam multiplicabis, ut eant de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion. — Corona significat dignitatem ecclesiasticam, ut ibi : « Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino [16]. » Facies elegantior est et honorabilior pars corporis : facies igitur templi illi sunt qui vita pollent et doctrina; tales enim sunt decor et decus Ecclesiæ. Facies ergo templi ornatur coronis aureis, quum hi qui sunt potentes opere et sermone, honorantur dignitatibus ecclesiasticis. Altare sunt qui præ amore cœlestium terrena cuncta contemnunt. Isti sunt Domino dedicati, id est,

(1) *Humilitatis.* Apoc. v, 8. — (2) *Adversitatis.* Jacob. I, 2. — (3) *Perversitatis.* Matt. IV, 9. — (4) *Præcipitationis.* Ps. x, 10. — (5) *Temporalis.* Ps. LXXXIX, 6. — (6) *Damnationis.* Ps. XC, 7. — (7) *Cinis.* Genes. XVIII, 27. — (8) *Reverteris.* Genes. III, 19. — (9) *Manducabam.* Ps. CI, 10. — (10) *Cinere.* Cf. Is. LXI, 3. — (11) *Mea.* Ps. IX, 14. — (12) *Reversatur.* Osee VII, 8. — (13) *Vitæ.* Apoc. II, 10. — (14) *Pretioso.* Ps. XX, 4. Cætera exstant in t. II, p. 354, col. 2. — (15) *Tuæ.* Ps. LXIV, 12. — (16) *Domino.* I Macch. IV, 5.

tantum vitæ contemplativæ et spiritualibus exercitiis mancipandi. Facies igitur templi sunt boni officiales; altaris sunt claustrales.

LXVI. *De Deo.*

El dat heber, græcusque Θεός; Deus Latinorum.
Estque trium trinus, semper Deus unus eorum.

Deus dicitur

Essentialiter.	Adoptive.
Officionaliter.	Reverentialiter.

Essentialiter Deus dicitur sancta et individua Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, unus verus Deus; unde Moyses, immo Spiritus sanctus per Moysen : « Audi, Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est [1]. » — Officionaliter dii dicuntur prælati; unde : « Diis ne detrahas [2]. » Et iterum : « Applica illum ad deos [3]. » — Dii dicuntur adoptive omnes fideles; unde : « Ego dixi : Dii estis [4]. » — Nuncupative dæmones vel idola; unde : « Omnes dii gentium dæmonia [5]. » — Reverentialiter dicitur deus quod quisque præ cæteris charius habet, et super cætera colit. Unde de gulosis loquens Apostolus, inter cætera ait : « Quorum deus venter est [6]. » Pari ratione deus avari est pecunia, vel alia quam multum amat terrena substantia : vel dicamus magis proprie avarum non habere deum sed deam, dominam scilicet pecuniam. Similiter et ambitiosus deam colit mundi hujus aliquam dignitatem et temporalem potentiam. Vel fortasse deam ambitiosorum accommodatius appellamus vanam gloriam. Libidinosi deam Venerem colunt, omnium dearum spurcissimam.

Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis et capitis quæ sit discretio nescit [7].

O infelices, quorum dii dæmonia! Porro « beata gens cujus est Dominus Deus ejus [8]. » De quo scriptum est et dictum homini : « Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies [9], » illa videlicet servitute, quæ græce Latria dicitur, quæ soli Deo exhibenda est Patri et Filio et Spiritui sancto, uni vero Deo, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

Deus dicitur a Θεός, quod est Videns. Ipse enim vere et proprie dicitur videns, cui nihil est invisibile : ipsi enim omne cor patet, eumque nulla latet cogitatio; unde Dei Filio recte ait Petrus : « Domine, tu nosti omnia : tu scis quia amo te [10]. » Hoc unum peto a te, Domine Deus, ne deneges mihi antequam moriar, ut fideliter, fiducialiter et finaliter dicam tibi : « Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. » Amen.

Tu mihi rex, mihi lex, mihi dux, mihi vindex.
Te colo, te laudo, te glorifico, tibi plaudo,

sancta Trinitas, omnipotens, æterne Deus, cui est honor, virtus, gloria et imperium, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

LXIX. *De Digito.*

Digitus est

Partitionis [11].	Discretionis [13].
Operationis [12].	Miserationis.

Digitus Dei dicitur Spiritus sanctus, propter donorum partitionem, quæ Spiritus sanctus dividit singulis, prout vult; unde

Tu septiformis munere
Dextræ Dei tu digitus.

Digiti etiam nomine personarum discretio exprimitur, ut ibi : « Quis appendit tribus digitis molem terræ ? » Ubi notatur inseparabilia esse opera Trinitatis. — Digitorum nomine discreti, subtiles et considerati operarii sanctæ Ecclesiæ designantur, ut ibi « Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima, » id est et contritione cordis et corporis afflictione pro Deo assumta — Digitus levem et brevem laborem videtur designare, ut ibi : « Importabilia digito suo nolunt movere. » — Digitus quo Christus in terra scripsit, opus misericordiæ notat [14].

(1) *Est.* Deut. vi, 4. — (2) *Detrahas.* Exod. xxii, 28. — (3) *Deos.* Forte respicit Ex. xxii, 8, ubi : *Dominus Deus applicabitur ad deos.* — (4) *Estis.* Ps. lxxxi, 6. — (5) *Dæmonia.* Ps. xcv, 5. — (6) *Est.* Phil. iii, 19. — (7) *Nescit.* Juvenal. *Satyr.* vi, 291. — (8) *Ejus.* Ps. xxxii, 12. — (9) *Servies.* Matt. iv, 10 — (10) *Te.* Joan. xxi, 17. — (11) *Partitionis.* Ps. xl, 12. — (12) *Operationis.* Cant. v, 5. — (13) *Discretionis.* Matt. xxiii, 4. — (14) *Notat.* Joan. viii, 6. « Legimus in Evangelio, de muliere adultera, quod ipse, inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Per quod mystice docemur, ut cum magna et subtili discussione terram conscientiæ nostræ discutiamus, quum alios reprehendimus vel judicamus. Vel tota hæc operatio Jesum misericordiam largiturum commendat : nam inclinatio ejus ad hoc valet et scriptio in terra, quia lex vetus scripta erat in petra. » Addit scripsisse Christum eo digito « qui medicus dicitur. »

LXXI. *De Die.*

Dies est

Deus [1] Pater.	Prosperitas [8].
Vita Christi [2] mortalis.	Tempus [9].
Homo spiritualis [3].	Tempus gratiæ [10].
Angelus [4].	Quotidie [11],
Humanus sensus [5].	Æternitas [12].
Virtutes [6].	Divina majestas [13].
Vita justi [7]. »	Delectatio peccati [14].
	Tempus vitæ [15].

LXXII. *De Diluculo.*

Diluculum dicitur quasi diei lucula, propter exiguitatem lucis. Diluculum significat initium bonæ vitæ. Nam, sicut dicit beatus Gregorius [16], Dies vita justi, et nox accipitur vita peccatoris. De hoc diluculo hominis in Job : « Quid est homo quod magnificas eum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum [17]; » id est, das ei gratiam bene vivendi, et subito ad probationem ejus permittis eum tentationibus vexari.— Diluculum significat confessionem, quia, sicut diluculum habet ruborem, ita confessio debet habere pudorem. Unde puto dixisse beatum Ambrosium in hymno [18] :

Pudor sit ut diluculum.

Et sicut diluculum est initium diei, ita confessio initium est boni operis; unde beatus Augustinus : Initium operum bonorum est confessio operum malorum. — Diluculum significat tempus vocationis gentium, quando discipuli Domini, repulsi a Judæis, prædicaverunt evangelium gentibus ; unde Jeremias, in Threnis, de populo gentium, qui ambulabat in tenebris erroris, convertendo ad fidem, prophetat sic : « Nonne diluculo multa est fides tua [19] ? » — Diluculum est fides Dominicæ resurrectionis, ut ibi : « Exsurgam diluculo [20]. » Diluculum significat fidem fictam vel instabilem, ut ibi : « Quum occideret eos, quærebant eum et revertebantur, diluculo veniebant ad eum [21]. » Nam paulo post de eisdem subditur : « Et dilexerunt eum in ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei [22].» Diluculum studium significat, vel desiderium, ut ibi : « Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua [23]. » Cum vehementi studio et ferventi desiderio meditari debemus eloquia Dei; unde [Petrus Riga [24]] :

Virgo decora sacræ Scripturæ dicta figurat :
Possideat cordis illa cubile tui.

LXXIV. *De Diluvio.*

Diluvium aliud culpæ, aliud pœnæ, aliud gratiæ. De diluvio culpæ est illud : « Qui sunt in diluvio aquarum multarum [25], » id est carnalium concupiscentiarum et sæcularium curarum, « ad eum,» id est ad Deum, « non approximabunt. » — De diluvio pœnæ est illud : « Dominus diluvium inhabitare facit [26] ; » Ecclesiam scilicet diluvium persequutionum; unde : « Multæ tribulationes justorum. » — Diluvium gratiæ est baptismus, et est redundantia piarum lacrymarum. De baptismo est illud beati Petri apostoli, in epistola sua prima : « In diebus Noe, quum fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam, » quia nunc similis formæ salvos facit baptisma [27]. Cæterum, quia diluvium superabundantiam notat, non potest magis proprie diluvium pœnæ assignari, quam illud primum aqueum, quo omnis caro periit, exceptis animalibus quæ erant in arca, et illud extremum igneum quo totus cremabitur mundus.

(1) *Deus.* Ps. xcv, 2. — (2) *Christi.* Joan. ix, 4. — (3) *Spiritualis.* Ps. xviii, 2. — (4) *Angelus.* « Audivi quemdam hunc locum sic exponentem : *Dies diei eructat verbum*, id est, angelus nuntiat virgini Verbum Dei de ea incarnandum. *Et nox nocti indicat scientiam*, id est, diabolus Evæ lignum scientiæ boni et mali, id est experientiam. — (5) *Sensus.* I Cor. iv, 3. — (6) *Virtutes.* Genes. xxv, 8. — (7) *Justi.* Ps. xxxvi, 18. — (8) *Prosperitas.* Ps. cxx, 6. — (9) *Tempus.* Eccli. xi, 27.—(10) *Gratiæ.* Amos. ix, 13.— (11) *Quotidie.* Ps. xii, 2. — (12) *Æternitas.* Ps. lxxxiii, 11. — (13) *Majestas.* Ps. cix, 3. — (14) *Peccati.* Job iii, 3. — (15) *Vitæ.* Job xiv, 5. Non omisit Noster id quod illi volupe est, diei etymon excutere : « Dicitur, inquit, dies a *dian* (!) græco vocabulo quod latine interpretatur *claritas;* unde et luna Diana vocatur. Hinc est ille versus puerorum, qui verus invenitur in vitiis quorumdam seniorum :

Si quis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

—(16) *Gregorius.* Lib. ii, *hom.* 21, n. 3. — (17) *Illum.* Job vii, 18. — (18) *Hymno.* Cf. supra t. ii, p. 98. — (19) *Tua.* Thren. iii, 23. Aliter Vulgata : *Novi diluculo.* — (20) *Diluculo.* Ps. lvi, 9. — (21) *Eum.* Ps. lxxvii, 34.—(22) *Ei.* Ps. lxxvii, 36.— (23) *Tua.* Ps. cxviii, 148.—(24) *Riga*, in marg. eadem manu. —(25) *Multarum.* Ps. xxxi, 6.— (26) *Facit.* Ps. xxviii, 10. — (27) *Baptisma.* I Petr. iii, 20.

LXXV. *De Deserto.*

Desertum aliud sterilitatis; unde : « Raphael archangelus ligavit dæmonem qui vexavit Saram, in deserto superioris Ægypti[1], » id est in 5 negligentibus. — Est desertum singularitatis; unde : « Filia populi mei crudelis, sicut struthio est in deserto[2]. » Omnis hypocrita sine misericordia est. — Est desertum integritatis; unde : « Adducet Dominus ventum urentem de 10 deserto ascendentem[3], » id est Christum, de utero Virginis. — Est desertum vastitatis; unde : « Isti sunt dii qui percusserunt Ægyptum omni plaga, in deserto[4], » id est usque ad desertionem. — Est desertum tranquillitatis; 15 unde Jeremias : « Fugite, salvate animas vestras, et eritis sicut myricæ in deserto[5]. » Et in Exodo : « Quum emisisset populum Pharao, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthim, quæ vicina est; ne pœniteret eum, si 20 vidisset adversum se bella consurgere, et reverteretur in Ægyptum; sed circumduxit eum per viam deserti quæ est juxta mare Rubrum[6]. » Sæpe namque evenit quod hi qui nuper diabolum et mundum reliquerunt, in 25 initio conversionis suæ, a stimulis carnis et sæculi curis per Dei misericordiam relaxantur, ne ex infirmitate deficerent in tentationibus et redirent ad sæculum. Hoc est quod Dominus non duxit filios Israel egressos de Ægypto, 30 per viam Philisthiim. Solent autem tales tranquillitatem mentis a Deo accipere, quæ est via deserti, et est juxta mare Rubrum, quia similis patientiæ est et paci pectoris perfectorum. Secundum hanc significationem figuratur per desertum domus religionis; unde scriptum est de quibusdam superbis scholasticis in psalmo: « Male loquuti sunt de Deo; dixerunt iniqui : Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? » Nam qui viros sanctos in deserto commorantes sine magisterio humano scientiam sacræ Scripturæ assequi posse diffidunt, male de Deo sentiunt. Nam qui doctorem habent Spiritum sanctum, non habent necesse ire in vicos et in castella, ut emant intelligentiæ panes. — Est desertum libertatis; unde qui habuit centum oves, propter unam quæ erravit, reliquit nonaginta novem in deserto[7], id est novem ordines angelorum in cœlo. — Est desertum occultationis; unde : « Tres reges perrexerunt contra Moab per desertum Idumææ[9]. » Idumæa enim, quæ interpretatur Terrena, significat carnalem sensum legis, id est sensum carnalem Judæorum in lege. Desertum vero ejus est spiritualis ejus intelligentia, quæ est valde occulta, et a Judæis et cæteris incredulis despecta et deserta. Per hanc oportet cultores Trinitatis interdum ire contra hæreticos.

LXXVII. *De Dimissione.*

Est demissio

Discretionis[10].	Reservationis[13].
Pausationis[11].	Remissionis[14].
Permissionis[12].	Relaxationis[15].

INCIPIT LIBER II.

35 LXXIX. *De Ecclesia.*

Dimidium facti, qui cœpit, fertur habere :
Spem nos ergo docet operis de fine tenere.

Ecclesia græcum est nomen, et interpretatur latine Convocatio. Vix autem invenitur eccle- 40 sia nisi in bona acceptione, nec memini me legisse ecclesiam in designatione mala positam, nisi in illo versu Davidico : « Vidi ecclesiam malignantium[16]. » —Ecclesia alia triumphans, alia militans; illa exsultans in patria, illa plorans in via. De Ecclesia triumphante intelligimus, secundum unam expositionem, illa verba Christi in Psalmo, loquentis ad Patrem; « Apud te laus mea in Ecclesia magna[17]. » De Ecclesia militante est illud : « Confitebor tibi in Ecclesia magna[18], » quæ scilicet toto est orbe

(1) *Ægypti*. Tob. VIII, 3. — (2) *Deserto*. Thren. IV, 3. — (3) *Ascendentem*. Osee XIII, 15. — (4) *Deserto*. I Reg. IV, 8. — (5) *Deserto*. Jerem. XVII, 6. — (6) *Rubrum*. Exod. XIII, 18. — (7) *Deserto*. Ps. LXXVII, 19. — (8) *Deserto*. Luc. XV, 4. — (9) *Idumææ*. IV Reg. III, 8. — (10) *Discretionis*. Ps. LXXX, 13. — (11) *Pausationis*. Gen. XXXII, 26. — (12) *Permissionis*. Exod. XXXII, 10. — (13) *Reservationis*. Ps. XVI, 14. — (14) *Remissionis*. Matt. VI, 12. — (15) *Relaxationis*. Exod. V, 1. — (16) *Malignantium*. Ps. XXV, 5. — (17) *Magna*. Ps. XXI, 26. — (18) *Magna*. Ps. XXXIV, 18.

di fusa; « In populo gravi laudabo te, » id est in populo constanti, firmo, stabili, et fidei non fictæ. Et nota quod militans Ecclesia quandoque universaliter, quandoque particulariter assumitur. Universaliter, ut in symbolo quod canimus in præcipuis festis ad missas, ubi dicimus : Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. — Particulariter, ut ibi : « Joannes septem ecclesiis quæ sunt in Asia[1]. » Et in illa Apostoli epistola, ubi ipse labores corporis ac spiritus, quos pro conversione infidelium et confirmatione conversorum assumserat, enumerat; ubi inter cætera dicit etiam hæc : « Præter illa quæ intrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium ecclesiarum[2]. » Unde dicitur ecclesia Anglicana, Scoticana, etc. Dicitur etiam ecclesia conventualis et parochialis. Ecclesia etiam vocatur ipsa domus materialis divinis tantum obsequiis deputata, in qua fideles ad orationem et sacramentorum perceptionem et divini verbi auditionem conveniunt. Has ecclesias cum pertinentiis simoniales emunt, non solum qui habitum sæcularem gestant, sed et illi qui habitum religiosorum portant, sicut de talibus quidam Scholasticus ait :

Sacrilegis monachis emtoribus ecclesiarum
Composui satyram, carmen per sæcula clarum.

LXXX. *De Esca.*

Esca spiritualis est

Corpus Dominicum[3].	Doctrina[6] perfectorum[7].
Sanctum desiderium[4].	Instructio simplicium[8].
Antiquæ legis sacrificia[5].	

LXXXII. *De Æterno.*

Æternum triplicem habet positionem : quandoque significat id quod nec habet initium nec finem, ut ibi : « Qui vivit in æternum, creavit omnia simul[9]. » — Quandoque supponit id quod habet finem, quod proprie dicitur perpetuum; unde :

Vita beata, Deus mortem gustavit ad horam,
Ut miser æternum vivere possit homo.

— Quandoque significat æternum totum opus hujus sæculi, ut ibi : « Dominus regnabit in æternum et ultra[10], » id est usque ad finem sæculi et post. Audivi alia hujus orationculæ satis favorabilem expositionem, hanc scilicet : Christus regnavit in deitate et ultra, id est in humanitate. Unde est illud :

Regnat Deus, Dei caro.

LXXXIV. *Euge.*

Est Euge

Aggratulatorium[11].	Adulatorium[13].
Irrisorium[12].	

LXXXV. *De Æmulatione.*

Æmulatio est[14]

Indignatio.	Imitatio.
Amor.	Invidia.

LXXXVI. *De Electione.*

Est Electio

Vocationis	Prædestinationis[17].
Ad fidem[15].	Justificationis[18].
Ad honorem[16].	Glorificationis bonorum[19].

(1) *Asia*. Apoc. I, 4. — (2) *Ecclesiarum*. II Cor. XI, 28. (3) *Dominicum*. Ps. CX, 5. « In hoc enim erga nos ineffabilis apparet Domini misericordia, quod ipse spiritus nostros corpore suo pascit in terris, qui deitate sua spiritus angelicos pascit in cœlis. » — (4) *Desiderium*. Ps. CIII, 27. — (5) *Sacrificia*. Hebr. XIII, 9. — (6) *Doctrina*. Genes. XL, 27. — (7) *Perfectorum*. I Cor. III, 2. — (8) *Simplicium*. Ps. CXLVI, 9. — (9) *Simul*. Eccli. XVIII, 1. — (10) *Ultra*. Exod. II, 16. Infra hymn. Ascens. — (11) *Aggratulatorium*. Matt. XXV, 92. — (12) *Irrisorium*. Ps. XXXIV, 21. — (13) *Adulatorium*. Ps. XXXIX, 16. — (14) *Est* quadruplex; unde :

Indignatur, amat, imitatur et invidet usu;
Æmulor æquivoce singula quæque notans.

Avertantur erubescentes qui dicunt mihi : Euge. Ad hæc satyricus noster : « Sed quis est hodie, qui hoc dicat : immo omnibus aliis potentibus circum videmus adulatores, secundum illud poeticum :

Hodie summus processus in aula,
[illegible]
[illegible]

— (15) *Fidem*. Joan. VI, 71. — (16) *Honorem*. Joan. XV, 16. — (17) *Prædestinationis*. Matt. XX, 16. — (18) *Justificationis*. Ps. LXXXVIII, 20. — (19) *Bonorum*. Matt. XIII, 48.

LXXXVII. *De Ægypto.*

Ægyptus significat

Mundum [1].	Infidelitatem gentium.
Vitam peccati [2].	Massam reproborum [5].
5 Diabolum [3].	
Carnem humanam [4].	

LXXXVIII. *De Fide.*

Est fides

Puritas conscientiæ [6].	Motus fidei.
10 Qualitas mentis informis [7].	Collectio articulorum fidei [8].
— Mentis informatæ.	Fidelitas [9].

LXXXIX. *De Filio.*

Filium legimus habere Deum et filios. Sed filium naturalem unum solum habet solus 15 Deus Pater : filios autem alterius modi multos habet sancta Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus unus Deus, super omnia benedictus. Amen. Filii Dei, id est sanctæ Trinitatis

dicuntur :

20 Creatione.	Adoptione [11].
Educatione [10].	Hæreditate [12].

Filii hominum dicuntur :

Natura.	Opinione.
Lege.	Professionali subjectione.
25 Mutatione.	Honoris successione.
Spirituali generatione.	
Adoptione.	

XCIV. *De Frumento.*

Frumentum Christus est; unde Christus ait : « Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit [13], etc. » Unde perspicuum est quod illi qui ex hoc grano surrexerunt, frumentum sunt; unde sanctus Ignatius, collatæ sibi gratiæ conscius, ait : Frumentum Dei sum : bestiarum dentibus molar, ut panis mundus efficiar. Frumentum

significat

In bono,	*In malo,*
Sacram doctrinam [14].	Crapulam [17].
Virtutes [15].	Terrenam possessionem.
Bonos subditos [16].	

XCV. *De Flumine.*

Fluminis nomine designantur :

Spiritus sanctus [18].	Dogmata philosophorum.
Dona Spiritus [19].	Voluptates [26].
Virtutes [20].	Vitia sæculi.
Evangelistæ [21].	Redundantes lacrymæ.
Subjecti [22].	Corpora mortalia.
Potentes [23].	
Refectio æterna [24].	
Boni mores [25].	

XCVIII. *De Fructu.*

Fructus præcipue dicitur :

Ventris [27].	Operis [29].
Virtutis [28].	Retributionis [30].

CIII. *De Flamma.*

Est flamma pastoralis perfectio [31], evidenter

(1) *Mundum.* Is. xix, 1. — (2) *Peccati.* Ps. cxiii, 1. — (3) *Diabolum.* Is. xxxi, 3. — (4) *Humanam.* Jerem. xlvi, 20. — (5) *Reproborum.* Cf. P. de Riga, in *Aurora,* de x plagis :

Perfectas signat numeri perfectio pœnas :
Nam reprobos omnes ultio plena ferit.

— (6) *Conscientiæ.* Rom. xiv, 23. — (7) *Informis,* ut ibi : « Est autem fides substantia rerum. » Hebr. xi, 1. — (8) *Fidei.* In symbolo Athanasii : Hæc est *fides* catholica. — (9) *Fidelitas.* « Unde quidam de nostris ait : Est fides qua credimus; et est fides qua credibiles efficimur. » — (10) *Educatione.* Is. i, 2. — (11) *Adoptione.* Joan. i, 13. — (12) *Hæreditate.* Matt. v, 2. — (13) *Fuerit.* Joan. xii, 24. — (14) *Doctrinam.* Ps. lxiv, 14. — (15) *Virtutes.* Jud. vi, 11. — (16) *Subditos.* Job xxxvii, 11. — (17) *Crapulam.* Ps. iv, 8. — (18) *Sanctus.* Ps. xlv, 5. — (19) *Spiritus.* Joan. vii, 38. — (20) *Virtutes.* Ps. lxiv, 10. — (21) *Evangelistæ.* Genes. ii, 13. — (22) *Subjecti.* Ps. xcvii, 8. — (23) *Potentes.* Ps. xcii, 3. — (24) *Æterna.* Apoc. xxii, 1. — (25) *Mores.* Unde quidam ait : « Flumina dulcis aquæ dulcia facta notant. » — (26) *Voluptates.* Sicut quidam ait [P. de Riga in *Exod.* v. 21, 22, ob Pharaonem masculos in flumina mergentem] :

Dæmon femineos et molles diligit actus,
Et sanctos odit persequiturque viros.

— (27) *Ventris.* Ps. cxxxi, 11. — (28) *Virtutis.* Galat. v, 22. — (29) *Operis.* Matt. vii, 16. — (30) *Retributionis.* Prov. xxxi, 31. — (31) *Perfectio.* Abdias, 18.

bona operatio [1], malæ titillationis vel suggestionis consensio [2], dissensionis accensio [3], infernalis pœnæ ferox cruciatio [4].

CVI. *De Fortitudine.*

Fortitudo alia vitiosa, seu voluptuosorum; alia virtuosa, de qua ait poeta :

> Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor.

Alia indifferens, seu temporalis potentia. Unde sollicitudinem magni Alexandri circa viros fortes Walterus de Castellione expressit, dicens :

> Utque suos habeant chiliarchas, quinque quiritum
> Millia constituit, quibus indubitata probetur
> Indicibus virtus equitum, dignusque probatis
> Exhibeatur honos, ne falso præmia poscat
> Qui tepide gessit, ne sub probitatis amictu
> Splendeat improbitas, et ne, mercede negata,
> Perdiderit titulum qui gessit fortia fortis.

CVII. *De Foramine.*

Est foramen acus, sive angustia mortis Christi [5]. — Foramen portæ, sive occulta inspiratio [6]. — Foramen petræ, seu fides vulnerum Christi [7]. — Foramen parietis, sive signum aliquod exterius [8]. — Per foramen solet designari subtilitas; unde in libro qui dicitur Theodolus, dicit quisquis auctor fuit illius insignis opusculi, quod fistula Pseustis

> Emisit sonitum per mille foramina vocum.

Fistula Pseustis est philosophica doctrina probabilitate sensuum et cultu sermonis dulcorata. Hæc emittit sonitum vocum, id est sonoram vocem per mille foramina, id est per innumera subtilia artificia.

CXI. *De Fistula.*

Fistula musicum est instrumentum et significat multa : per fistulas designantur hæresiarchæ; unde de ossibus Behemoth, id est de fortioribus membris diaboli, dicitur in libro Job : « Ossa ejus sicut fistulæ æris [9]; » quia sonus hæreticorum, id est prædicatio vel doctrina eorum, acuta est per subtilitatem, sonora per eloquentiam, dulcis per cultum sermonis et ornatum. — Fistula significat adulationem quæ superbis dulcis videtur. Unde :

> Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.

— Fistula Pseustis est dogma philosophicum, vel carmen poeticum; unde est illud Virgilianum [10] :

> Tale tuum carmen nobis, divine poeta,
> Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
> Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.

— Fistula seu subtilitatem, seu dulcedinem, seu humilitatem styli designat; unde quidam scholasticus, scribens quondam ad Alexandrum olim Lincolniensem episcopum [11], sic incipit :

> Fistula nec plene tibi nostræ stridet avenæ,
> Nec puto comta bene, nec in aure resultat amœne.

CXL. *De Fine.*

Finis est

Consummationis, Christus [12].	Desitionis [14].
Consumtionis, Mors [13].	Termini [15] intransgressibilis.
	Perpetuitatis [16].

CXII. *De Gigante.*

> Christus, prælatus, Satanas, vir quisque superbus,
> Ut post scripta docent, dicitur esse gigas.

Gigas geminæ substantiæ [17] Christus est, quia imperturbabilis est et irrevocabilis, aliorumque hominum mensuram excedens, non mole corporis, sed incorporabili excellentia virtutis. De quo Psalmista : « Exsultavit ut gigas, ad currendam viam [18]. » — Gigantes antiqui sapientes dicuntur, qui modernos in sapientia et scientia excessisse noscuntur. Nec mirum, quia vita vivebant longiori, corpore vigebant saniori, studio integriori et vehementiori, et

(1) *Operatio.* Cant. VIII, 6. — (2) *Consensio.* Ps. XXVIII, 7. — (3) *Accensio.* Is. L, 11. — (4) *Cruciatio.* Luc. XVI, 24. — (5) *Christi.* Matt. XIX, 24. — (6) *Inspiratio.* Cant. V, 4. — (7) *Christi.* Ib. II, 14. — (8) *Exterius.* Ezech. VIII, 7. — (9) *Eris.* Job XL, 13. — (10) *Virgilianum.* Ecl. V, v. 45. — (11) *Episcopum.* Obiit ann. Chr. 1147. Godwin. *Præsul. Anglic.* p. 284.

— (12) *Christus.* Rom. X, 4. — (13) *Mors.* « Unde Gregorius : Mors interveniens fructus laboris abscidit. Tullius : Omne opus imperfectum aut finem aut desidiam nuntiat inchoantis. » — (14) *Desitionis.* Luc. I, 33. — (15) *Termini intr.* Sapient. VIII, 1. — (16) *Perpetuitatis.* Ps. IX, 19. — (17) *Substantiæ.* Hæc in vetustis hymnis solemnia. — (18 *Viam.* Ps. XVIII, 6.

exercitio valentiori. Tamen quia illorum doctrinæ nostris diligentia et industria adhibitis, in quibusdam ulterius quam illi videmus, dicimur esse nani super humeros gigantum. 5 Sub eodem sensu gigas accipitur in illo satyrico[1] :

Simia contendit fraterculus esse gigantum.

Gigantes sunt voluptuosi et ambitiosi; unde in Genesi scriptum est quod gigantes erant su- 10 per terram, quando filii Dei filias hominum acceperunt in uxores[2]. Cujus sententiæ moralis sensus iste est : gigantes dicuntur geniti a terra. Γῆ enim græce, Terra dicitur latine : gigantes igitur, id est filii terræ, hoc est terre- 15 norum amatores, sunt super terram, quando voluptuosi et ambitiosi regunt Ecclesiam.

Gigantes dicuntur dæmones, qui suam mensuram enormiter excesserunt, quando contra Deum superbierunt. De his gigantibus dici- 20 tur Christo per prophetam : « Terram gigantum detrahes in ruinam[3], » id est peccatores, sola terrena sapientes, qui sunt possessio et inhabitatio dæmonum, præcipitabuntur in infernum[4].

25 Gigantes hæresiarchas significant; unde est illud prophetæ, prius Ecclesiam laudantis, deinde desertores ejus vituperantis : « O Israël, quam magna est domus Domini, et quam ingens locus possessionis ejus ! magnus et 30 non habens consummationem, excelsus et immensus : ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt, statura magna, scientes bellum[5].» Domus Dei, quæ est Ecclesia, magna vere est, quia toto terrarum orbe diffusa. Ibi 35 fuerunt gigantes, id est, hæretici quondam in Ecclesia erant, secundum illud beati Joannis : « Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis[6].» Intellige, per prædestinationem. Gigantes vero dicuntur hæretici, quia mensuram consuetu- 40 dinis ecclesiasticæ per superbiam excedunt, transgredientes terminos antiquos, quos catholici Patres posuerunt. Nominati autem dicuntur famosissimi eorum, sicut Marcion, Cerinthus et Ebion, qui ab initio, id est circa initium Ecclesiæ primitivæ, fuerunt statura magna, id est æstimatione superbi et præsumtione sua tumidi. Scientes bellum, id est amantes discordiam et docti circa pugnam verborum. Doctus fuit ad bellum Arius, doctus Paulus Samosatenus, doctus Faustus Manichæus.

Prælati gigantes dicuntur, quia mensuram cæterorum hominum excedunt potentia et dignitate; unde de prælatis audivi quondam exponere illam sententiam : « Ecce gigantes gemunt sub aquis[7]. » Dicebatur enim quod gigantes ibi prælati intelligendi sunt ratione memorata, quia sub aquis curarum et sollicitudinum pene obruti suspirant et gemunt. Et ille unus ex illis erat quem postea vidi vel absolutum vel depositum, graviter ferentem nimis suam dejectionem[8]; unde certum est quoniam amavit prælationem, quia non sine dolore amittitur, quod cum amore possidetur : « Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ[9],» quia nullus superbus per aliquod bonum quod habeat potest salvari, neque per continentiam, neque per abstinentiam, neque per contemtum terrenorum, neque per tolerantiam adversitatum.

CXIV. *De Gutture.*

Guttur significat

Sermonem[10].	Intelligentiam[13] spiritualem.
Edacitatem.	Internum saporem verborum Dei[14].
Eloquentiam[11].	
Doctrinam[12].	

CXV. *De Genis.*

Genæ significant

Honestatem conversationis externæ[15].	Verecundiam virginalem[17].
Martyres[16].	Prælatos Ecclesiæ[18].

(1) *Satyrico.* Resp. ad Juven. IV, 98.—(2) *Uxores.* Gen. VI, 4. — (3) *Ruinam.* Is. XXVI, 19. — (4) *Infernum.* Is. XXVI, 19. — (5) *Bellum.* Baruch. III, 26.— (6) *Nobis.* I Joan. II, 19.— (7) *Aquis.* Job XXVI, 5. — (8) *Dejectionem.* Alludit, ut antea pluries, ad varios casus Huberti Waltheri episcopi : vid. t. II, p. 265. — (9) *Suæ.* Ps. XXXII, 16.—(10) *Sermonem.* Ps. V, 11. — (11) *Eloquentiam.* Levit. I, 16. — (12) *Doctrinam.* Ps. CXLIX, 6.—(13) *Intelligentiam.* Osee VIII, 1. « Quia, subdit auctor :

In terris duo sunt quæ nil abscondita prosunt :
Fossus humo census, clausus sub pectore sensus.

— (14) *Dei.* Cant. V, 16. — (15) *Externæ.* Cant. I, 9. — (16) *Martyres.* Ib. IV, 3. — (17) *Virginalem.* Ibid. « Quia genarum color proprius est rubor. Unde, ut de spinis rosas colligam, de pulchritudine Ganymedis et Helenæ quidam ait : « Contendebat lilio frons, et rosæ gena. » — (18) *Prælatos.* Ib. V, 13.

CXVI. *De Gladio.*

Gladius dicitur[1] :

Sermo[2].	Acumen ingenii[7].
Spiritus[3].	Repugnantia[8].
Sacra Scriptura[4].	Bellandi efficacia[9].
Pœna acerba[5], acuta et artificiosa.	Nocendi cupiditas[10].
	Potentia judiciaria[11].
Persuasio[6].	Aperta persequutio[12].

CXVI. *De Generatione.*

Generatio accipitur

In Christo, divina et humana[13].	Boni et mali collecti.
	Carnalis.
Gradus successionum.	Spiritualis.
Proles.	Resurrectio[14].
Creatio.	Fructificatio.

CXVIII. *De Gente.*

Gens

Gentiles[15].	Genus humanum[17].
Gentiliter viventes[16].	Vitia majora[18].

CXX. *De Grandine.*

Grando, propter contusionem et strepitum, manifestos persequutores significat, sicut in illo versu : « Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum[19]. » Nam ignis, qui impetuosus est et rubeus, significat iracundos; grando, contundens et strepens, persequutores; nix, frigida et candida, hypocritas; glacies, ex aqua congelata, induratos; spiritus procellarum, rixosos et pacis turbatores. — Grando alicubi ipsos sanctos doctores Ecclesiæ significat, sicut in expositione illius versus : « Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt; grando et carbones ignis[20]. » Idem enim doctores et grando sunt et carbones ignis : sed grando, quia peccatores comminando et severe increpando contundunt; carbones ignis, quia eos ad charitatem accendunt. — Grando est gravis afflictio, ut ibi : « Tradidit grandini jumenta eorum [*vid. supra, in hoc tomo* p. 4][21]. » — Grando est iniquitas res alienas auferens, ut est furtum et rapina : hoc habes in expositione super illum versum : « Et occidit in grandine vineas eorum[22]. » — Sed quia grando strepitum cadendo facit, maxime per grandinem violentam prædicationem puto intelligendam esse. Vineas ergo in grandine Deus occidit, quando virtutes vel bonas actiones quorumdam violenta prædicatione dæmonum deperire permittit.

Semper in hac vita, qui sapit ipse, timet.

Item :

Fortis, nummosus sit homo, sanus, speciosus :
Dum peregrinatur, sors incerta minatur.

CXXI. *De Glacie.*

Glacies

Peccata[23].	Obduratio in peccatis[25].
Judæi[24].	

Unda fluens homo, præteriens ut juncta Lyæo.

CXXIV. *De Herba.*

Herba temporalitatem, id est mutabilitatem, transitum et casum significat; unde est illud propheticum de instabilitate hominis et mutabilitate : « Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat; vespere decidat, induret et arescat[26]. » Homo in pueritia viret, in juventute floret; vespere autem, id est in fine vitæ, decidit in mortem, induratur in cadaver, arescit in pulverem. — Herba significat veros fideles, qui perseverant in fide; de quibus dicit Dominus in Evangelio : « Quum crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania[27]. » Nam si tritici et zizaniorum similia sunt folia, sed fructus multum dissimilis. Alia est expositio subtilior, sed non verior; qui vult, quærat et inveniet. Melius est tamen ut eam vel breviter pandam propter profectum fratrum simplicium, qui quum hoc legerint et affectum meum erga illos viderint, misere-

(1) *Dicitur* quasi *gulam dividens*, etc. — (2) *Sermo.* Jerem. XLVIII, 10. — (3) *Spiritus.* Ephes. VI, 17. — (4) *Scriptura.* Apoc. I, 16. — (5) *Acerba.* Luc. II, 35. — (6) *Persuasio.* Ps. LVI, 5. — (7) *Ingenii.* Hebr. IV, 12. — (8) *Repugnantia.* Ps. XXXVI, 14. — (9) *Efficacia.* Ps. XLIII, 4. — (10) *Cupiditas.* Ps. XXXVI, 15. — (11) *Judiciaria.* Luc. XXII, 38. — (12) *Persequutio.* Is. XXI, 15. — (13) *Humana.* Is. LIII, 8; Matt. I, 1. — (14) *Resurrectio.* Matt. XIX, 28. — (15) *Gentiles.* Matt. X, 5. — (16) *Viventes.* Apoc. XIV, 8. — (17) *Humanum.* Is. IX, 3. — (18) *Majora.* Thren. I, 3. — (19) *Procellarum.* Ps. CXLVIII, 8. — (20) *Ignis.* Ps. XVII, 13. — (21) *Eorum.* Ps. LXXVII, 48. — (22) *Eorum.* Ib. 47. — (23) *Peccata.* Eccli. III, 17. — (24) *Judæi.* Job XXXVIII, 29. — (25) *Peccatis.* Cf. n. 19. — (26) *Arescat.* Ps. LXXXIX, 6. — (27) *Zizania.* Matt. XIII, 26.

buntur mei et orabunt pro anima mea, quæ multis est culpis astricta, et, nisi Dominus propitius fuerit, multis et magnis erit pœnis addicta. Quapropter omnibus hujus opusculi lectoribus, ut animæ meæ subveniant, his versibus supplico :

Peccatis multis multos merui cruciatus;
Unde preces multas sum mendicare paratus.

« Quum crevisset herba, et fecisset fructum, tunc apparuerunt et zizania. » Per herbam significatur homo spiritualis, qui quanto plus crescit meritis, tanto clarius malam vitam aliorum deprehendit. Hinc dicitur de Joseph quod invenit fratres suos in Dothain, id est in defectu virtutum. Et ad Ezechielem dicitur : « Adhuc conversus videbis abominationem majorem[1]. »

Herba significat

Verbum incarnatum[2].	Infirmum initium[5].
Victum tenuem et vilem[3].	Virtutes[6].
Bona temporalia[4].	Voluptatem[7].

Est autem perspicuum quod si virtutes signantur per herbas bonas, ergo et vitia per malas : unde insignis poeta ait[8] :

Terra salutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit, et urticæ proxima sæpe rosa est.

Herba propter mollitiem et fragilitatem carnis significat voluptatem, ut ante me doctoribus visum est. Herbam enim posuit doctissimus poetarum, dicens[9] :

Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
Frigidus (o pueri, fugite!) hic latet anguis in herba.

Sensus allegoricus sive integumentum istud est : O pueri, id est, o sensibus pueriles; qui legitis, id est colligitis; flores, id est temporales dignitates quæ fluidæ sunt (nam flores a fluendo dicuntur); et fraga nascentia humi, id est prope humum de qua nascuntur, pendentia, divitias hujus sæculi : quas qui colligunt, id est studiose quærunt, se curvant, id est statum rectitudinis deserunt; fugite hinc, id est, relinquite hæc; quia latet anguis in herba, id est venenum culpæ, in mollitie voluptatis carnalis, vel affluentiæ temporalis.

CXXV. *De Hamo.*

Hamus significat Christum, qui diabolum invadentem in se escam carnis transfixit aculeo divinitatis; unde ipse Dominus ait beato Job : « Numquid capies Leviathan hamo[10]? » Ferrum namque est omnia potens domare divinitas; linum est multis afflictionibus subjecta humanitas; linea est ipsa generationum series quæ ab Adam usque ad Christum deducitur; per hamum designatur quodlibet firmum et forte retinaculum; immo [Christus] significari potest : nam per hamum ipse Sanctus sanctorum, Christus Dominus, significatus est, felix, immo felici felicior ipse, quia felicissimus est, qui de gloriosa Dei genitrice et Virgine Maria dicere potest :

Unam semper amo, cujus non solvor ab hamo.

—Hamus significat verbum prædicationis : nam virga significat potestatem acceptam, vel ab ipso Deo vel ab ejus vicario, prædicandi verbum Dei; linea est ipsa sacræ Scripturæ littera; ferrum, spiritualis intelligentiæ vivacitas et persuadendi efficacia, unde est illud :

Hamum profundo merserat[11], etc.

— Hamus est subitus et improvisus reproborum interitus; unde est illud : « Sicut aves laqueo et pisces hamo, ita homines capientur tempore malo[12]. » Hæc sententia sufficienter exposita est in dist. *de Ave* [t. II, p. 472]. — Per hamum quælibet fraudulenta malitia, boni specie palliata, designatur; unde insignis poeta ait[13] :

Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus ille cibis æra subesse putat.

Et hinc simile est quod ait doctissimus poetarum[14] :

Quidquid id est, timeo Danaos et dona ferentes.

— Per hamum, quia fallit per escam, proprie vitium gulæ designatur. Ponitur tamen quandoque generalius pro concupiscentia carnis; unde Habacuc de exterminio quod rex Babylonis fecit in Judæa, quod allegorice damnum significat quod diabolus per sua vitia

(1) *Majorem.* Ezech. VIII, 6. — (2) *Incarnatum.* Job VI, 5. — (3) *Vilem.* Ibid. Joan. III, 4. — (4) *Temporalia.* Ps. CIII, 14. — (5) *Initium.* Marc. IV, 28 « Debile principium melior fortuna sequetur. » — (6) *Virtutes.* Deuter. XXXII, 2. — (7) *Voluptatem.* Job XL, 15. — (8) *Ait.* Ovid. *De Rem. am.* v. 45. — (9) *Dicens.* Virg. *Eclog.* III, 93. — (10) *Hamo.* Job XL, 20. — (11) *Merserat.* Locus in cod. sic interruptus. — (12) *Malo.* Eccle. IX, 12. — (13) *Ait.* Ovid. II *Pont.* VII, 9. — (14) *Poetarum.* Virg. *Æn.* II, v. 49.

generi intulit humano, ita loquitur: « Totum sublevavit in hamo suo, traxit in sagenam suam et congregavit in rete suum[1]. » — Per hamum significatur concupiscentia carnis, quæ alio nomine dicitur voluptas, quia dum profert unde delectet, infert unde vulneret. Unde: Voluptas habet pœnam. Sagena, quæ in aqua visum piscium fallit, concupiscentia oculorum figurate intelligitur, quæ ab alio nomine dicitur curiositas. Rete, quo non solum pisces, sed et aves et feræ capiuntur, est superbia vitæ, quæ alia appellatione dicitur dominandi cupiditas, quæ pene omnes involvit. Hæc sunt illa tria quæ invitatos retraxerunt a cœna, scilicet:

> Uxor, villa, boves cœnam clausere vocatis;
> Mundus, cura, caro cœlum clausere renatis.

De his tribus ait beatus evangelista et apostolus Joannes in epistola canonica: « Quidquid est in mundo, est concupiscentia carnis et concupiscentia oculorum et superbia vitæ[2]. »

CXXVIII. *De Harundine.*

Arundo multa significat, sed plerasque ejus significationes puto me assignasse in dist. *de Calamo* [t. II, p. 420]. Sed quia sæpe simplices movet vocum diversitas, ubi significatorum est identitas, de arundine aliqua dicenda sunt:

> Si quis amore Dei quærit contraria m
> Nec blanditur ei, non est dicendus ar
> At si quis fimo mundi favet, ille prof
> Infixus limo, juste dicetur ar
> Mobilis ad flatum venti se flectit ar
> Sic variare statum novit mens dedita m
> } undo.

Arundo significat

Morum levitatem[3].	Hypocrisim[4].
Superbiam.	Obscena carnis opera.
Fraudulentiam.	

CXXX. *De Heremo.*

Per eremum significatur:

Judæa incredula[5].	Sæculares modesti.
Populus gentium[6].	Vita tranquilla[7].

CXXXIII. *De Jerusalem.*

Est Jerusalem

Historica[8], civitas.	Tropologica, anima[10].
Allegorica, Ecclesia militans[9].	Anagogica, patria cælestis[11].

CXXXVII. *De Ira.*

Ira

Dei.	Dæmonum.
Hominis.	Ferarum.

CXXXVIII. *De Iniquitate.*

Iniquitas

Peccatum.	Inæqualitas vitæ.

CXXXIX. *De Judicio.*

Judicium

Ratio discernens.	Discretio.
Examinatio.	Separatio.
Peccati punitio.	Damnatio.

(1) *Suum.* Habac. I, 15. Infra respicit *Reg. S. Bened.* c. 7. — (2) *Vitæ.* I Joan. II, 16. Ludicra, ne dicam inepta, adduntur, quæ vix notulæ locum merentur: « Per hamum voluptatem figurari quidam stultus amator et doctus versificator ostendit dicens:

> Non amor, infelix! sed amo. Non hamo, sed hamor.
> Hamor et hoc hamo: pectus inhamat amor. »

—(3) *Levitatem.* Matt. XI, 7. — (4) *Hypocrisim.* Sap. III, 7. — (5) *Incredula.* Ps. LXXVII, 15. — (6) *Gentium.* Joel II, 22. — (7) *Tranquilla.* « Eremus significat tranquillam vitam, ad quam servi Dei fugiunt qui ei plene servire et placere cupiunt; sic fecit beatus Joannes Baptista, qui viam Domino præparavit in eremo. Et nota quod eremita, cultor eremi vel habitator dicitur, non quilibet habitans in eremo, sed qui in ea in habitu religioso Deo servit, mundo contemto. Nam sæculares qui in eremis habitant et sæculariter vivunt, non eremitæ, sed ermiflui dicendi sunt, sicut sunt Scoti et Walenses, de quibus quidam ait:

> Ermiflui miseri, quid vultis in urbe videri?
> Non est hic eremus: mansio vestra nemus. »

— (8) *Historica.* « Et notandum quod ex sacris libris agnovimus præfatam octo nominibus diversis temporibus fuisse appellatam. Quæ nomina his continentur versibus:

> Solyma, Luza, Bethel, Jerosolyma, Jebus, Ælia,
> Urbs sacra, Jerusalem dicitur atque Sion [*cod.* Salem]. »

— (9) *Militans.* Is. LXIII, 6. — (10) *Anima.* IV Reg. XXV, 8.—(11) *Cœlestis.* Galat. IV, 26. « Illa pacem videt plenam et perfectam. Illa tamen (militans Ecclesia) habet pacem, quæ, licet electis peregrinantibus penitus non auferatur, sæpe tamen perturbatur. Unde ait versificator egregius (*in marg.* Hildebertus):

> Proposito morum subit hostis ubique locorum:
> Semper erit præsto quod et instet et obstet honesto. »

CXL. *De Igne.*

Est satis insignis distinctio, cui caput Ignis.

Ignis materialis diligentius exquirendæ sunt et exprimendæ proprietates, quia nonnumquam per considerationem rerum materialium pervenitur ad cognitionem spiritualium. Nam « invisibilia Dei, sicut ait Apostolus, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur [1]. » Ignis in sui natura invisibilis est, et nisi in subjecta materia non apparet. Est enim inter omnia corporea singularis subtilitatis, et quia subtilissimus est, ideo et levissimus. Unde Aristoteles in *Topicis* : Proprium est ignis esse levissimum corporum specie. Et quia levissimus est, ideo inter elementa summum locum obtinuit. Unde insignis poeta ait [2] :

Ignea convexi vis et sine pondere cœli
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.

Ait autem quodam loco sanctus Augustinus : Quanto aliquid est subtilius in natura corporali, tanto est vicinius naturæ spirituali. Unde legimus in Scripturis sacris

Per ignem designari

Deum [3].	Tribulationem.
Charitatem [4].	Cruciatum pœnitentiæ [7].
Indignationem bonam [5].	Superbiam [8].
Indignationem malam [6].	Invidiam [9].
	Avaritiam [10].

CXLI. *De Janua.*

Janua fides est; unde in Evangelio Marci legitur quod discipuli Domini invenerunt pullum asinæ ligatum in bivio, extra januam [11], quia gentilis populus extra fidem erat ligatus, ex longa consuetudine et amore paternæ traditionis, in errore qui significatur per bivium; quia sæpe fit recta via incerta, ex eo quod plures viæ conveniunt. Unde et insignis poeta ait [12] :

Sæpe stat incertus et nescit quo sit eundum,
Cui patet ex omni parte viator iter.

Vel extra januam erat populus gentium, id est extra Christum, id est extra corpus ejus, quod est Ecclesia. Janua enim Christus est, sicut et ostium. Unde Hugo, Primas [13] cognomine, quum in Anglia constitutus, jocando versifice quereretur quod cervisiam bibere cogeretur, interposuit ludis suis seria, dicens :

Est labor hic esse, quum sit potare necesse,
Potum, de messe quam consuevimus esse.
Poto, sed invite probo pocula gentis avitæ,
Vinum de vite, quia vitis janua vitæ.

Per vitem namque Christus significatur, qui ait : « Ego sum vitis vera [14]. » — Janua significat confessionem, ut ibi : « Ego sto ad ostium et pulso; si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad eum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum [15]. » Ostium noster est intellectus. Statio Christi est ejus exspectatio, qua nos exspectat ad conversionem; pulsatio ejus multiplex, ejus ammonitio, tum per prædicationem, tum per flagellationem, tum per occultam inspirationem : si quis peccator vocem ejus audierit, id est intellexerit, vel audierit, id est obedierit, et aperuerit ei januam, id est vicario suo suam revelaverit conscientiam, intrabit ad illum Christus per inhabitantem gratiam, et cœnabit cum illo et ipse secum, id est, Christus delectabitur in illo, et ille in Christo; Christus in ejus pœnitentia, et ille in Christi misericordia; Christus in ejus humilitate, et ille in Christi bonitate. — Janua remedium est pœnitentiæ; unde in Evangelio legitur quod, prudentibus virginibus ingressis cum eo ad nuptias, clausa est janua [16], quia, electis post judicium in æternam beatitudinem receptis, non erit exhinc fructuosa pœnitentia. — Janua proximitatem significat; unde dicitur judex stare ante januam [17], quia prope est ut veniat ad judicandum. — Januæ significant prædicatores vel sacras Scripturas, ut ibi : « Mandavit nubibus desuper et januas cœli aperuit [18]. » Si per januas ibi Scripturæ intelligantur, per

(1) *Conspiciuntur.* Rom. I, 20. — (2) *Ait.* Ovid. *Metam.* I, 26. — (3) *Deum.* Hebr. XII, 29. — (4) *Charitatem.* Luc. XII, 29. — (5) *Bonam.* Ps. XXXVIII, 4. — (6) *Malam.* Ps. LXXVII, 48. — (7) *Pœnitentiæ.* Matt. III, 11. — (8) *Superbiam.* Ps. LXXIII, 23. — (9) *Invidiam.* Ps. LVII, 9. — (10) *Avaritiam.* De quo igne avaritiæ nos albos monachos mordacissime reprehendit magister Walterus cognomento Maph, his versibus :

Absit qui clero numquam potuit bona velle
Griseus, ardescens, sine braccis et sine pelle.
Ignoscat ei Deus, et nos agnoscat ex nomine,
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

— (11) *Januam.* Macc. XI, 4. — (12) *Ait.* Ovid. *Fast.* V, 4. — (13) *Primas*, de quo t. II, p. 295, 326. — (14) *Vera.* Joan. XV, 1. — (15) *Mecum.* Apoc. III, 20. — (16) *Janua.* Matt. XXV, 10. — (17) *Januam.* Matt. XXIV, 33. — (8) *Aperuit.* Ps. LXXVII, 23.

nubes sancti apostoli et cæteri sancti doctores debent intelligi, per quos Dominus nobis januas cœli aperuit, id est sacras Scripturas exposuit. Si per januas ipsos prædicatores intelligamus, per nubes prophetas intelligere debemus, de quibus in alio psalmo dictum est : « Tenebrosa aqua in nubibus aeris[1], » quia obscura sententia in prophetis.

CXLII. *De Jugo.*

Jugum aliud legale, aliud naturale, aliud servile. Jugum legale multiplex est, quia et multæ sunt leges. Jugum dicitur lex prima, quæ data est homini in Paradiso, cujus ille transgressor factus, nos omnes constituit trangressores.

Jugum etiam dicitur lex

Mosaica.	Charitatis.
Prophetica.	Peccati.
Evangelica.	Mortis.
Apostolica.	Jugum culpæ.

— Canonica, monachorum vel canonicorum, seu quorumlibet religiosorum regularia instituta. — Jugi nomine præceptum charitatis designatur, quæ est lex Christi proprie, secundum illud : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve[2]. » Unde versificator :

Ardua nulla bonis spe sidereæ regionis.

Et alius :

Difficiles etenim per dura, per ardua gressus
Quædam magnificis æquora sunt animis.

Nos vero, servitutem esse peccati pessimam, insignis poeta docet, dicens[3] :

Utile propositum est sævas exstinguere flammas,
Nec servum vitii pectus habere tuum.

Qui contra jugum libidinis nos potenter instruxit, dicens :

Quale sit id quod amas, celeri circumspice mente;
Et tua læsuro subtrahe colla jugo.

CXLIII. *De Imbre.*

Imber

Prædicatio[4].	Sacra doctrina[5].
Persequutio.	Gratia Spiritus.

CXLI. *De Inferno.*

Infernum

Gehenna[6].	Avaritia[8].
Mentis cæcitas[7].	Diabolus[9].

CXLV. *De Impetu.*

Impetus dicitur gratia Spiritus sancti, de quo : « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei[10]. » — Porro de malo impetu est illud evidens exemplum Judæorum, qui in Stephanum unanimiter impetum fecerunt[11]. Et illud poeticum : Male cuncta ministrat impetus[12]. Et de hoc impetu magister Robertus Albus ait in passione S. Thomæ martyris :

Impetus est iræ quidquid ab igne venit.

— Impetus etiam dicitur quælibet subita rei vel negotii aggressio; ut :

Difficiles aditus impetus omnis habet.

CXLVI. *De Jejunio.*

Jejunium maximum et generale est abstinere a vitiis; de quo jejunio ait sanctus doctor in hymno[13] :

Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Jejunet ut mens sobria
Ab omni labe criminum.

Jejunium vero spirituale vel particulare est abstinere a cibis hominem. Et sciendum est quod multis ex causis jejunant; quidam propter animæ salutem; quidam propter corporis sanitatem; quidam propter humanam laudem; quidam propter tenacitatem. Unde quidam docte dixit ac pulchre :

Jejunat sanctus, medicus, simulator, avarus,
Spiritui, carni, famæ, studio retinendi.

Primum est theologicum; secundum physicum; tertium sophisticum; quartum dicerem esse geometricum, nisi facultatem illam viderer vituperare. Sed melius dicetur buffonicum, quia buffo dicitur parce terram comedere, timens ne deficiat.

(1) *Aeris.* Ps. XVII, 12. — (2) *Leve.* Matt. XI, 29. — (3) *Dicens.* Ovid. *Remed. Am.*, 54, 89. — (4) *Prædicatio.* Job XXXVIII, 25. Cant. II, 11. — (5) *Doctrina.* Deuter. XXXII, 2. — (6) *Gehenna.* Apoc. XX, 14. — (7) *Cæcitas.* Is. XXXVIII, 18. — (8) *Avaritia.* Prov. XXX, 16 — (9) *Diabolus.* Ps. XLVIII, 16. — (10) *Dei.* Ps. XLV, V. — (11) *Fecerunt.* Act. VII, 86. — (12) *Impetus.* Virg. Æn., II, 154. — (13) *Hymno,* in vesp. Quadr.

DISTINCTIONUM MONASTICARUM

INCIPIT LIBER III.

Tertius iste ducem, lector, statuit tibi Lucem.

CXLVII. *Lux.*

[Vid. t. II, p. 102.]

CXLIX. *De Luna.*

Luna dicitur quasi luminum una, id est prima, et maculam habet indelebilem; unde per eam significatur Ecclesia, quæ obscura est in reprobis, clara vero in electis, secundum illam illius vocem in Canticis : « Nigra sum, sed formosa [1]. » Hæc spiritualibus donis a vero sole, id est Christo, illustrata, noctis nostræ, id est vitæ hujus ærumnosæ, tædia sacræ doctrinæ lumine solatur. De hac luna scriptum est in propheta : « Sol convertetur in tenebras, et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus [2]. » Prima pars hujus sententiæ videtur esse dicta in obscuratione solis hujus materialis, quæ facta est in passione Christi; sed magis intelligenda est de humilitate Christi, qui est singulare mundi lumen, quando morte turpissima est damnatus, et inter sceleratos reputatus est. Post hujus passionem et resurrectionem, luna, id est Ecclesia, cruentata est per effusionem sanguinis martyrum. Potest hæc prophetia aliter exponi. Per hæc enim duo luminaria magna, solem scilicet et lunam, duæ sublimes personæ in hoc sæculo possunt designari, prælati scilicet ecclesiarum et principes terrarum. Solem intellige obscuratum, quum vides fieri prælatos vitiosos et pene illiteratos; lunam verti in sanguinem, quum principes vides esse cruentos per crudelitatem. Luna etiam, quia nec planam lucem habet nec continuam, significat legem veterem, quæ neminem ad profectum adduxit, et cujus observatio litteralis ex magna parte cessavit. Nam per solem novum testamentum, per lunam vetus designatur. Unde Petrus Riga [3] :

> Nullum luna jubar sine solis lumine profert,
> Nil prodesse potest lex vetus absque nova.

Nam luminare majus præest diei, id est christiano populo, cœlestibus bonis inhianti. Luminare vero minus præest nocti, id est vetus Testamentum populo Judæorum, terrena bona quærenti. Vel sol convertitur in tenebras et luna in sanguinem, quando per ignorantiam pastorum multiplicantur flagitia subditorum. Moraliter sole converso in tenebras, luna vertitur in sanguinem, quia quando ratio per desidiam vel avaritiam aut vanam gloriam vel superbiam aut quolibet magno vitio obscuratur, cito sensualitas per luxuriam polluitur. Et nota quod est macula in luna, sine qua numquam est : quæ significat falsos christianos, de quibus est illud in Canticis : « Sicut lilium inter spinas [4], sic amica mea inter filias; filii matris meæ pugnaverunt contra me. » Semper enim mater nostra, sponsa veri Isaac, quamdiu versatur in hac valle lacrymarum, habet in utero suo planos cum pilosis, in domo sua liberos cum servis, in horto suo lilia cum spinis, in agro suo triticum cum zizaniis, in grege suo oves cum hædis, in sagena sua bonos pisces cum malis. Est macula in luna; id esse videtur ex interpositione nubis : hæc est macula Ecclesiæ, quæ fit per manifestos persequutores; unde Dominus per Isaiam : « Induam cœlos tenebris, et ponam saccum operimentum eorum [5]. » Et macula est eclipsis, quæ fit in sanctis per quamdam tentationem; unde : « Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea [6]. » — Luna significat vanam et mutabilem hujus mundi gloriam, ut in Apocalypsi scriptum est, quod « signum magnum apparuit in cœlo [7], mulier » hæc est sancta Ecclesia, de Christi latere in cruce formata; hæc est « amicta sole, » id est, gratia Dei evidenter ornata et munita protectione. Hæc « habet lunam sub pedibus, » vel quia mundi calcat et vilipendit gloriam, vel quia rebus mundi ad solam utitur necessitatem, ad ostendendum contemtibile esse quod sub pedibus ponitur. Valet quod in Actibus apostolorum legitur, pretia scilicet domorum et agrorum venditorum posita esse a venditoribus ad pedes apostolorum. Quæ venerabilis Arator, sanctæ Romanæ Ecclesiæ quondam subdiaconus, ita exposuit, dicens [8] :

> ....Hoc tecum mente sagaci

(1) *Formosa.* Cant. I, 4. — (2) *Manifestus.* Joel II, 31. — (3) *Riga*, vid. *Auror.* in Genes. v. 217, 218. — (4) *Spinas.* Cant. II, 2. — (5) *Eorum.* Is. L, 111. — (6) *Mea.* Ps. XCIII, 17. — (7) *Cœlo.* Apoc. XII, 1. — (8) *Dicens.* Arator. *Hist. apostol.* lib. I, v. 404-608 Gall. *Bibl. PP.* t. XII, p. 99).

Volve quid esse putes, fulvi [1] quod massa metalli
Ponitur ante pedes, sacris non tradita dextris :
Contemni [2] debere probant, quod tangere vitant,
Calcandumque docent quod subdunt gressibus aurum.

— Luna, quia splendorem habet et non calorem, significat hypocritas, qui honestatem prætendunt in corpore, et charitatem non habent in corde. Similes enim sunt sepulcris dealbatis, quæ speciosa foris apparent, intus vero plena sunt ossibus mortuorum; vel certe illi similes sunt qui decimant mentham et rutam, et graviora legis prætermittunt, quorum speciosam sed infructuosam conversationem pulchre quidam reprehendit his versibus :

Fallax censetur flos, qui sine fructibus aret;
Dedecori decor est qui bonitate caret.

De hypocritis est illud Salomonis : « Stultus ut luna mutatur [3]. » Nam qui gloriam suam in laudibus hominum ponit, ejus utique gloria nunc major, nunc minor, pro voluntate eorum efficitur. Luna significat nostræ mortalitatis defectum. Unde, appropinquante Jesu Jericho, cæcus illuminatus est, quia postquam Dei Filius mortalitatis nostræ defectum suscepit, humanum genus lumen quod amiserat, recepit. Ex hoc namque populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. — Lunam pro Emarmene [4], id est fato, quidam posuit, dicens :

Fac tibi fortunam festinans frangere lunam,
Et contra fatum faciat te cura beatum.

— Luna civitas [5] est parva et paupercula, quondam ampla et opulenta, et dicitur maledicta, quia habitatores illius civitatis vultum Domini qui modo est apud Lucam, vendiderunt. De hac misera civitate ait quidam :

In misera Luna si nocte quieveris una,
De vita dubito : locus est infamis, abito.

CL. *De Lege.*

Lex [6]

Naturalis.	Prophetica.
Mosaica.	Evangelica.

Lex Mosaica	Lex
Moralis.	Apostolica.
Cæremonialis.	Canonica.
Decalogus.	Privata.
Pentateuchus.	Justiniana [7].
Vetus Testamentum.	Institutio cujuslibet regni.
Psalmi.	

CLI. *De Libro.*

Hic Liber est Liber, qui nec Liber, neque Liber.
Liber, id est Bacchus; vel vir sine compade natus;
Vel Liber est codex; vel raptus ab arbore cortex [8].

Liber

Æternalis	Prædestinatio divina.
Naturalis	Dei creatura.
Litteralis	Sacra Scriptura.
Exemplaris	Dominicalis vita.

CLVI. *De Lilio.*

Lilii pulchritudinem commendat ille qui fecit illam, dicens : «Considerate lilia agri, quomodo crescunt; non laborant, neque nent. Amen dico vobis quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus fuit sicut unum ex istis [9]. » Unde quidam de nostris ait :

Lilia vestiri melius Salomone, videte :
Sic de vestitu spem de factore tenete.

Lilii igitur flos pulcherrimus significat speciosum forma præ filiis hominum Christum, cujus vox est in Canticis : « Ego flos campi et lilium convallium [10]. » Quæ sententia exposita est in Dist. *de Campo* [t. II, p. 128]. Lilium colorem habet aureum in candore : et Dominus Christus præcellentem rebus cunctis habet deitatem in innocentissima humanitate. — Et nota in lilio quod senarium habet et in granis aurosis et senarium in partibus floris. Et quia senarius, qui perfectus est numerus, notat perfectionem, per geminatum senarium in lilio notatur et perfecta deitas et perfecta humanitas in Christo. — Lilium est plurimum delectabile in exteriori figura et valde utile in interiori natura, quia membris medetur adustis; per quod recte designatur gloriosa Dei genitrix et Virgo Maria, quæ

(1) *Rutili quod pompa* ed. — (2) *Destitui*, ib. — (3) *Mutatur*. Eccli. XXVII, 12. — (4) *Emarmene*. Vox corrupta? — (5) *Civitas*. In Etruria, neque antiquis ignota, neque ignobilis hodie dum. — (6) *Lex*. Extra metam nostram ita vagatur artic. ille et sequens, licet uterque eruditus, ut eos sat fuerit schemate exprimere. — (7) *Justiniana*. « Qua, pergit Noster, non minus abutuntur advocati, quam lege mosaica Judæi; in quorum derisionem et vituperium quidam scholasticus ait :

Legibus arietat aries legista,
Ut emungat loculos optimus sophista
Nova sunt baptista, novus est baptista :
Baptismo legum plebs tota renascitur ista.

— (8) *Pauperum* in marg. Intuetur quoddam Doctrinale *pauperum* ad usum scholasticorum. — (9) *Istis*. Matt. VI, 28. — (10) *Convallium*. Cant. II, 1.

Omne tulit punctum, quia miscuit utile dulci,

id est fecunditatem virginitati. Et sicut lilium membris adustis medetur, ita Regina misericordiæ peccatoribus miseretur. Quod ipsa figu-
5 retur per lilium, testis est sancta Ecclesia, quæ ejus in Laudibus canit: Sancta Maria, non est tibi similis, florens ut rosa, fragrans sicut lilium. Per tres lilii colores signantur tres beatæ Dei genitricis perfectissimæ virtutes. Nam
10 viror significat humilitatem; candor, castitatem; color aureus, charitatem. — Lilium allegorice, sanctam Ecclesiam; moraliter significat unamquamque fidelem animam, quæ pulchra inter fœdas, lenis inter asperas, quanto pungi-
15 tur acrius, tanto fragrat suavius. Unde sponsus de sponsa in Canticis: « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias [1]. » — Lilium significat virginitatem vel virgines, quia pulchra est valde casta generatio. Et de virginibus lo-
20 quitur et cantat Ecclesia, Christo dicens:

Qui pascis inter lilia,
Septus choreis virginum.

— Lilium gloriam immortalitatis designat; unde quidam ait:

25 Ecce sicut lilium germinavit,
Quem ad diem tertium Pater suscitavit.

— Lilia significant sacras Scripturas; unde sponsus ad sponsam loquitur, dicens in Canticis: « Duo ubera tua sicut duo hinnuli ca-
30 preæ gemelli, qui pascuntur inter lilia [2]. » Ubera sponsæ sunt doctores Ecclesiæ qui dulci, leni decoraque doctrina parvulos qui sunt in Ecclesia, sollicite et affectuose nutriunt; qui duo dicuntur, quia duo implent præcepta charita-
35 tis de dilectione Dei et proximi; vel quia ex duobus populis electi sunt et duos populos nutriunt; vel propter fidem et operationem; vel propter vitam et doctrinam; vel propter duorum Testamentorum scientiam. Qui hinnuli dicuntur capreæ, quia alumni sunt divinæ sapientiæ, quæ acute videt, et in sublimibus, id est in sanctis habitat. Qui gemelli dicuntur, vel quia tenera se invicem affectione diligunt, vel quia nulla elatione seu præsumtione se super alterutrum extollunt. Qui pascuntur in liliis, quia spiritus suos suaviter in sacris Scripturis reficiunt, atque virorem veritatis habent in historia, candorem honestatis in tropologia, aureum vero fulgorem in allegoria.

CLVIII. *De Luto.*

Lutum

Carnis nostræ fragilitas [3].	Temporalia [5].
Libido [4].	Vitiosissimi [6]
	Linguæ lubricitas.

CLIX. *De Laqueo.*

Laqueus

Deceptio artificiosa [7].	Peccati occasio.
Captio inopinata [8].	Incitamenta malorum.
Culpæ colligatio [9].	

CLXII. *De Loco.*

Locus [10]

Dei.	*Hominis.*
Ecclesia triumphans.	Dignitas.
— militans.	Voluptas.
Sancta anima.	Apparentia.
Justi.	Occasio.
	Argumentum.
Pœnitentia.	—*Religiosorum*, contemtus terrenorum.
Innocentia.	— *Animæ*, Deus.
Humilitas.	

(1) *Filias.* Cant. II, 2. — (2) *Lilia.* Ib. IV, 5. — (3) *Fragilitas.* Job X, 9. — (4) *Libido.* Job XLI, 21. — (5) *Temporalia.* Habac. II, 6. — (6) *Vitiosissimi.* Ps. LXVIII, 15. — (7) *Artificiosa.* Ps. XXXIV, 5. — (8) *Inopinata.* Ib. 8. — (9) *Colligatio.* Matt. XXVII, 5. — (10) *Locus.* De Loco illo prægrandi, satis fuerit versiculos excipere, quibus inserta est illa cujusdam vere præclara sententia: « Deus est sphæra intelligibilis, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam. » Tum varios anonymos, forte pro se ipso, adducens, ait:

Pacem mentalem non esse memento malorum,
Nam sicut fervet mare, sic fervet cor eorum...

Pauperibus vates ego sum, quia pauper amabam.
Quum dare non poteram munera, verba dabam...

Crede mihi; bene qui latuit bene vixit: et intra
Fortunam debet quisque manere suam.

De loco qui dicitur argumentum, ait quidam adolescens, in epitaphio magistri Adæ, viri acutissimi, et Parvipontanæ sententiæ inventoris:

Huic semel opposuit mors, et conclusit eidem;
Copia quærendi non erat: unde locus?

O quanto dominis mundi securius ævum
Pauper agit. [*Hæc gentilis poeta ait.*]

Quum fueris Romæ, romano vivito more
Et si sis alibi, vivito more loci...

Sunt loca, sunt gentes quibus est mactare parentes
Vel mos, vel pietas, quum longa supervenit ætas...

Composito morum subit hostis ubique locorum:
Semper erit præsto quod et instet et obstet honesto.

Pauper, pauperior, pauperrimus esse recusem,
Pauperiem pro me quum tulit ipse Deus?

Divitiis plenus est pro me factus egenus.
Pro quo pauper ero, præter quem nihil mihi quæro.

CLXVI. *Labia*

Dei, duo testamenta.	*Sponsi*, Eloquia Dei.
Sponsæ, sancti doctores.	Genera linguarum.
	Verba.

CLXIX. *De Verbo* Lego.

Fur, aurum; virgo, flores; mare, navita; libros,
Clericus: æquivoce singula quisque legit [1].

CLXXI. *De Mundo.*

Mundi Creator, Deus, vera et summa munditia, mundi cordis quem soli cernere possunt oculi, munda cor et corpus tui servuli de mundo loquuturi. Mundus, sicut dicut Magister Petrus Comestor in *Scholastica Historia*, quatuor modis dicitur. Nam, sicut ipse fatetur, mundus dicitur cœlum empyreum propter sui munditiam. Sed nulla hoc auctoritate sacræ probatur Scripturæ. Est etiam mundus sensibilis, qui a græcis dicitur Pan, id est Omne, quia de empyreo gentiles philosophi nihil dixerunt.

Miror quod vir ille, non solum sacris, sed et sæcularibus litteris eruditus, non commemoret Aristotelem dixisse quintam esse essentiam. Sed fortasse brevitati studens Magister, sola necessaria scripto mandare curavit. Præterea scito, lector, quod nec descriptionem illius mundi, quam illum ignorasse non est credibile, tritam omnino et publicatam suo tempore, inserere voluit. Sed ego eam tibi propono, quicumque minus es provectus, quia tibi tamquam nova pretiosa sunt, quæ magis provectis ex usu certiore viluerunt. Mundus est id quod constat ex quatuor elementis in modum sphæræ globatis [2]. De hoc mundo opinor esse dictum: « Præterit figura hujus mundi [3]. » Nam magnus iste mundus in fine sæculi mutabitur. Sed non annullabitur: peribit quidem quam nunc habet figura, sed manebit essentia. Unde scriptum est quod « erit cœlum novum et terra nova, » propter novitatem specierum, non rerum. Inde est illud psalmi: « Ipsi peribunt, tu autem permanes [4]. » Sed ne putares cœlum perire, id est desinere, præcedentem versum exponit per sequentem, dein subdens: « Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur. » — Mundus etiam, sicut memoratus Magister docet, dicitur sublunaris regio, quæ sola nobis (subaudi, lector, simplicibus, immo idiotis) nota, habet animantia; de quo mundo ipse confitetur dictum esse quod non est necesse hic ponere....

Mundus, sicut præfatus Magister dicit, et bene, dicitur homo, qui a græcis μικρόκοσμος, id est minor mundus appellatur, quia ipse totius mundi repræsentat imaginem. Unde et universa creatura a Christo est appellatus, dicente discipulis suis [5]: « Prædicate Evangelium omni creaturæ. » Est et eadem ratio in microcosmo, hoc est in homine, quam in megacosmo, id est in mundo magno. Unde quidam ait:

Terram terreno comprendimus; æthera, flammis;
Humorem liquido; nostro spirabile flatu.

— Mundi nomine interdum appellatur sublunaris inferior pars, in qua nos ægri mortales nostræ peregrinationis grave et breve sustinemus exsilium. — Mundus significat vanam et pomposam hujus mundi gloriam; unde quidam versificator ait:

Mundus abit; non mundus, id est hæc machina mundi,
Dico, sed mundi gloria: Mundus abit.
Mundus abit; tria sunt: fuit, est, erit; hæc tria mundum
Mota movent. Clamant hæc tria: mundus abit.

Mundus significat

Totum genus humanum [6].	Mundi amatores [7].
	Ecclesiam electorum [8].

CLXXIII. *De Manu.*

Manus Dei legimus, manus hominum, manus diaboli.

(1) *Legit.* Hæc Noster ex ordine relegit et inde ansam arripit disserendi large de sacrilegio, haud omittens notare furtum rerum monasterii, præ cæteris exsecrandum. Sed quid juris de fure monacho?

De monachi furto, verbo respondeo curto:
Non est curtatus, sed penitus annihilatus.

— (2) *Globatis.* Aliis sane quam simplicioribus, quidquid Noster dixerit, hæc pauca rem non parvam facessere poterunt. Tangit enim ludendo ad operosam præ cæteris quæstionem, a doctissimis agitatam: quot nempe et qualia Aristotelis opera ante XIII sæculum et Arabum commentarios e græco in latinum transierint. Qua de re vide luculentam dissertationem vv. cll. A et C. Jourdain, Paris, 1843, p. 170. Cæterum hic respectus fit ad Aristotelis librum *De Mundo*, quem Apuleius primum latinitate donavit. — (3) *Mundi.* I Cor. VII, 31. — (4) *Permanes.* Ps. CI, 27. — (5) *Marc.* XVI, 15. — (6) *Humanum.* Rom. V, 12. — (7) *Amatores.* Joan. XV, 19. — (8) *Electorum.* II Cor. V, 19.

Manus Dei [1]

Filius, D. N. J. C.	Gratia adjutrix.
Operatio divina.	Potestas.
Munificentia.	Disciplina.
5 Consolatio.	Ultio divina.

Bellatores et defensores Ecclesiæ.

Hominum

Bona opera.	Pœna humana.
Mala.	Vita activa.

10 Pene oblivioni dederam manum aridam avari : quod minime faciendum est, quia avarorum sicut nimis parca est largitio, ita eis larga debet fieri reprehensio. Ait de eis quidam scholasticus, eorum vilissimum initium con-
15 grue reprehendens :

Multum habet oneris do, das, dedi, dare :
Verbum hoc præ cæteris norunt ignorare
Divites, quos poteris mari comparare.

Bene et recte cor avari mari comparatur, quia
20 sicut de mari sacra Scriptura veraciter dicit quod omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat, ita et eadem loquitur de avaro, quod avarus non impletur pecunia. Illa, lector, si nescis, Tantalus es qui in unda positus,
25 siti cruciatur. Unde quidam ait :

Garrulus in media Tantalus aret aqua.

Et satyricus : Tantalus a mento [2], etc. Vis videre aptam in avaro sitim tantalicam? audi illud Philosophi : Avaro tam deest quod habet
30 quam quod non habet, quia [3]

Semper avarus eget. Cur? quum petit usus,
Tangere parca timet. Cur? ne minuatur acervus.
Cur metuit minui? quoniam vult crescere. Quare?
Non esset vitium, si non ratione careret.

35 — Manus diaboli dicitur tentandi licentia. — Impulsio mali. — Omnes qui animas satagunt perdere.

Quinque manus digitis dicatur sexque figuris :
Dat, capit et retinet, facit, et ferit et trahit ipsa.

CLXXVI. *De Monte.*

Sunt montes Herbosi. — Petrosi. — Nemorosi.

(*Divites voluptuosi. Divites avari. Divites pomposi.*)

Mollities carnis — Cor durum — Gloria mundi.

Mons dicitur :

Christus.	Contemplatio.
Angeli.	Justitia Dei.
Sanctitas [4].	Cœlum.
Vita monastica.	Vita communis.
Ecclesia.	Diabolus.
Eminentia virtutum.	Superbus.
Mons Sion, Electi.	*Thabor*, gloria.
Olivetus, misericordia.	*Fasga*, patientia.
Libanus, castitas.	*Oreb*, abstinentia.
Carmelus, temperantia.	*Gelboe*, dæmones.

CLXXX. *De Manna.*

Hæc vigili menti multum dant emolumenti,
Tam mola quam manna docet ut clamemus hosanna.

Manna

Sacramentum Dominici corporis [5].	Benignitas mentis [7].
Divina eloquia [6].	Visio Dei [8].

CLXXXI. *Messis.*

Electi [9].	Sæculi consummatio [11].
Conversio proxima [10].	Merces [12].

CLXXX. *Mane.*

Prima ætas mundi [13].	Resurrectio Domini [17].
Pueritia [14].	Sedulitas [18].
Initium bonæ vitæ [15].	Prosperitas [19].
Resurrectio [16] generalis.	Contemplatio peregrinantium [20].

(1) *Dei.* Vide supra t. II, p. 9, 31, 230. Eadem et cum iisdem fere Scripturæ locis exponuntur. — (2) *Mento, vel labiis* cod. Hor. I, *Sat.* I, v. 68. — (3) *Quia.* Horat. I *Epist.* II, 56. — (4) *Montes* dicuntur omnes sublimi sanctitate conspicui, ut ibi : « Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. » Inde est quod in litaniis oramus, dicentes : *Sancte Eadmunde — sancte Thoma — sancte Edwarde, ora pro nobis.* Cod. Paulo post *De vita communi* vult intelligi locum in quo filia Jephte virginitatem suam cum sodalibus planxit, et dictum philosophi : Non conturbabit sapiens publicos mores, nec populum in se vitæ novitate convertet. « Et noster verus philosophus, id est amator sapientiæ, dicit in Regula : Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quod communis monasterii regula et majorum cohortantur exempla [cap. VII]. » — (5) *Corporis.* Joan. VI, 59. — (6) *Eloquia.* Ps. XVIII, 11. Retulit Ambros. in Ps. CXVIII, 154. — (7) *Mentis.* Ps. CXVIII, 66 — (8) *Dei.* Apoc. II, 17. — (9) *Electi.* Luc. X, 2. — (10) *Proxima.* Ibid. Marc. IV, 29. — (11) *Consummatio.* Matt. XIII, 39. — (12) *Merces.* Job V. 5. — (13) *Mundi.* Matt. XX, 1. — (14) *Pueritia.* Eccle. XI, 6. — (15) *Vitæ.* Ps. V, 5. — (16) *Resurrectio.* Prov. I, 28. — (17) *Domini.* Ps. LIV, 18. — (18) *Sedulitas.* Ps. LXII, 2. — (19) *Prosperitas.* Is. XXXIII, 2. — (20) *Peregrinantium.* Genes. XXVIII, 18.

INCIPIT LIBER IV.

Quartum, post Lumen [*lib.* III], *de* Nomine *sume volumen* [*lib.* IV].

CLXXXVII. *De Nomine*

Nomen Dei

Filius Dei [1].	Efficacia [4].
Invocatio [2].	Fides [5].
5 Manifestatio [3].	Potestas [6].

CLXXXIX. *Navis.*

Ecclesia [7].	Vires dæmonum [9].
Amatores mundi [8].	Prælati [10].
Fiduciam in opibus habentes.	Crux [11].

CLXXXIX. *De Nive.*

10 Nix operit terræ sordes; nive terra rigatur;
Unde per hanc culpæ confessio plena notatur,
Per quam peccator a culpæ labe lavatur;
Nec remanet sterilis, qui tali fonte novatur.

Nix, quia candida est et frigida, castos sig-
15 nificat; unde in Apocalypsi legitur de Filio hominis quod capilli ejus erant candidi quasi lana alba et quasi nix [12]; quia viri perfecti qui Christo proximi sunt, eique adhærent et ipsum ornant, lanæ albæ comparantur in munditia
20 carnis, et nivi in munditia mentis. Et scimus quia illi vere casti sunt, qui nec opere libidinis polluti sunt, nec voluntate. Dixi quod crines caput ornant et recordatus sum illorum versuum insignis poetæ [13] :

25 Turpe pecus nudum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, et sine crine caput.

— Nix significat quandoque facilem et discrete exhibitam doctrinam, ut ibi : « Quomodo descendit imber et nix de cœlo, etc., sic erit ver-
30 bum quod egreditur de ore meo [14]. » Vel sacratius possumus intelligere hoc de ipso Verbo Dei incarnato, quod designatur per nivem, propter incomparabilem puritatem. — Nix significat aliquando gloriam quam sancti adepti
35 sunt in corpore. Unde de transfigurato Domino legimus quod « facies ejus resplenduit sicut sol, et vestimenta ejus erant candida sicut nix [15]; » quia sancti Dei, in quibus imago Dei, quum glorificati fuerint, evidenter apparebit expressa, soli comparantur secundum spiritum, nivi secundum corpus. — Nix significat hypocritas, qui nitidi sunt et frigidi, quia nitent virtutibus simulatis et carent calore charitatis. Nitent exterius et algent interius. Dominus autem « dat nivem sicut lanam [16], » quando talium dolositatem mutat in simplicitatem.

Nolo, lector, ut exspectes a Domino majus miraculum quam veram conversionem hypocritarum : propter quod ipse per nubem [tubam?] propheticam intonat dicens : «Audite, qui longe estis, quæ fecerim, dicit Dominus, et cognoscite, vicini, fortitudinem meam [17]. » Ad magnum aliquid et mirum nos monet esse attentos, dum audire monet vel jubet eos qui longe sunt quæ fecerit, et attendere similiter præcipit vel hortatur vicinos suos fortitudinem suam. Nam quum nemo scit quis non sit longe ab eo per similitudinem peccati, vel vicinus ejus per justitiam, dum et hi monentur audire, illi attendere, nullus est exceptus. O Domine Jesu, qui non ex meritis nostris, sed ex inæstimabili bonitate tua, incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestas nobis, ostende nobis propter bonitatem tuam mysterium hoc. Ecce facit quod petimus, cujus spiritus est super mel dulcis : « Conterriti sunt, inquit, in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. »
— Vel nix, quia vix tangi se patitur, significat nimis teneros et immoderate impatientes, quibus omnis correptio videtur esse quædam sagitta, et quando Dominus tales facit tractabiles et patientes, tunc dat nivem sicut lanam. Si dixeris mihi : Da exemplum, respondeo : Non est promtum. Hoc tamen omne scimus esse verissimum, quod omnipotenti medico nullus insanabilis languor occurrit. Facilius facit Deus de impatiente patientem, quam homo de luto laterem. — Nix significat divinam ultionem; unde est illud : « Qui timet pruinam, irruet super eum nix [18]. » Id est, qui propter

(1) *Filius*. Is. XXX, 27. — (2) *Invocatio*. Jerem. XIV, 9. — (3) *Manifestatio*. Joan. XVII, 6. — (4) *Efficacia*. Joan. XIV, 13. — (5) *Fides*. Marc. XVI, 17. — (6) *Potestas*. Matt. XXVIII, 19. — (7) *Ecclesia*. Juxta Chrysostomum : Ecclesiæ navem, sæculi Christus fluctus semper mitigaturus, ascendit. Cod. — (8) *Mundi*. Ps. XLVII, 8. — (9) *Dæmonum*. Is. II, 16. — (10) *Prælati*. Ps. CVI, 23. — (11) *Crux*. Joan. XII, 32. — (12) *Quasi nix*. Apoc. I, 14. — (13) *Poetæ*. Ovid. *Art.* III, 249. — (14) *Meo*. Is. LV, 10. — (15) *Nix*. Matt. XVII, 2. — (16) *Lanam*. Ps. CXLVII, 16. — (17) *Meam*. Is. XXXIII, 14. — (18) *Nix*. Job VI, 16.

aliquid damnum temporale committet quod Deus prohibet, vel omittet quod jubet, hunc ultio desuper veniens obruet.

CXC. *Nox.*

Diabolus [1].	Mors [2].
Sæculum præsens.	Imperfectio.
Infidelitas.	Quies.
Adversitas.	Conversatio mala.

CXCI. *Nubes.*

Spiritus sanctus.	Sancti doctores propter
Carnis obscuritas.	
Peccata.	
Scientiæ profunditas.	Paupertatem.
Instabilitas.	Celeritatem.
Ignorantia.	Mysteriorum occultationes.
Mundi pompa.	
Animæ passiones [3].	Vitæ sanctæ sublimitatem.
Adversitates.	

CXCII. *Nardus*

Humilitas [4].	Charitas [5].

CXCIV. *Oriens* [6].

Pater Deus.	Pueritia.
Filius.	Credentes ex Judæis in Christum.
Fides.	

CXCV. *Occidens* [7].

Ætas.	Ultimi fideles.
Senectus.	Iniquitas.

CXCVI. *Oratio.*

Quotuplex [8]	*Qualis*	
Mentalis.	Simplex.	Assidua.
Vocalis.	Pia [9].	Devota [10].
Actualis.	Instans.	Discreta.

CC. *Onus.*

Divinæ præceptionis.	Tyrannicæ oppressionis.
Reddendæ rationis.	Gravis transgressionis.
Supportandæ infirmitatis.	Pastoralis sollicitudinis [11].
Indiscretæ constitutionis.	

CCI. *Obedientiæ gradus.*

Primus.......	Obedire libenter.
Secundus	— Simpliciter.
Tertius	— Hilariter.
Quartus......	— Celeriter.
Quintus......	— Viriliter.
Sextus.......	— Humiliter.
Septimus.....	— Perseveranter [12].
Octavus......	— Pleniter.

CCVI. *De Pennis.*

Pennæ columbæ deargentatæ sunt Ecclesiæ prælati divinis eloquiis eruditi. Columba dicta est Ecclesia propter innocentiam et simplicitatem, et gemitum quem habet in hoc sæculo. Hujus columbæ pennæ sunt prælati, quia ipsi eamdem monitis, præceptis, exemplis in

(1) *Diabolus.* I Thessalon. v, 7. Cætera loca singulis distinctionibus accommodata, habentur supra t. II, p. 107 sqq. — (2) *Mors.* Super hæc adducitur Hildebertus :

> Disce nihil tutum, nisi primo carne solutum.

— (3) *Passiones.* Boethius hic adducitur ex eleganti metro, quod fere totum repetitur. Et paulo infra, in distinctione sequenti, non omisit Ovidii dictum : Quum fueris felix, etc. — (4) *Humilitas.* Cant. I, 11. — (5) *Charitas.* Marc. XIV, 3. — (6) *Oriens.* Cf. supra, t. II, p. 81 sqq. — (7) *Occidens.* Ibid. — (8) *Quotuplex.* Id ex uno versiculo Ps. v, 3 exponitur, et trium datur exemplum in oratione Annæ matris Samuelis. — (9) *Pia*, ne forte, inquit, petatur aliquid quod sit contra Deum, ut illi faciunt qui petunt a Deo successum peccandi. Quod licet multi faciunt, quorum oratio sit eis in peccatum, non tamen memini uspiam me in sacra Scriptura hujus orationis exemplum reperisse. Legi tamen in libro Satyrici, ut ibi [Horat. I *Ep.* XVI, 61] :

> Da mihi fallere, da sanctum justumque videri ;
> Noctem peccatis et fraudibus objice nubem.

— (10) *Devota.* Id est, juxta Nostrum, ut sit sollicita, assidua et munda ; unde quidam ait :

> Orantes, multum nolite loqui, quia mundæ,
> Non multæ penetrant cœlica regna preces.

—(11) *Sollicitudinis.* Idem : Quod viris perfectis, utile, sed infirmis periculosum, juxta illud insignis poetæ :

> Non honor est, sed onus species læsura ferentem.

—(12) *Perseveranter.* Ibidem : Hoc didici in scholis a magistris, sed puto eis unum gradum excidisse, qui est pleniter obedire. Obedientia enim vera, est non solum facere quod jussum est, sed et sicut jussum est.

infirmioribus et imperfectis elevant de inferioribus ad sublimiora.

Penna significat

Contemplationem.	Dilectionem.
Virtutes.	Simulationem.
Virtutum signa.	Angelos.

CCVIII. *De Passere.*

Passer alicubi in Scriptura significat Christum; unde est ejus vox in psalmo : « Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto.[1] Vigilavi, » inquit, in resurrectione, qui per mortem dormivi in passione; « et factus sum sicut passer solitarius in tecto, » id est singulariter, sublimi sessione. Nam multi ascenderunt et ascensuri sunt in cœlum; nullus tamen nisi ipse super omnes cœlos ascendit ad Dei Patris consessum. — Passer, quia avis cauta est et sagaciter laqueos evadit, significat animam sanctam et sapientem, quæ, negotia sæculi fugiens, contemplationi vacat cœlestium. Unde est illud in psalmo : « Passer invenit sibi domum[2]. » Et in alio psalmo : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium[3]. » Passer, quia avis querula est et modica, significat viros religiosos sive cœnobitas, sive eremitas, qui elegerunt pauperes esse et tristes in hoc mundo, ut divites sint et læti in cœlo. Unde est illud in psalmo : « Saturabuntur ligna campi, et cedri Libani quas plantavit; illic passeres nidificabunt[4]. » Id est, viri religiosi in eorum possessionibus temporales construent mansiones. Passer est avis modica, cauta, querula, silvas fugit, in domo habitat : talis debet esse monachus, scilicet humilis, modico contentus, secundum illud[5] :

... Fuge magna : licet sub paupere tecto
Reges et regum vita præcedere amicos.

Debet esse gemebundus, secundum sui nominis interpretationem. Monachus enim interpretatur Unus-Tristis. Debet etiam esse cautus, secundum illud : « Videte quomodo caute ambuletis[6], » et quia diabolus tales acrius et subtilius impugnat. Nam et sapienti Salomoni difficilis erat via aquilæ in cœlo. Silvas debet fugere et in domo habitare, quia debet fugere sæculum, habitare monasterium : si tamen non mentitur beatus Benedictus in Regula, ubi dicit quod non expedit animabus monachorum vagandi foras[7]. Item passer solet sedere in pulvere contra solem et cavere et tremere : sic facere debet monachus, et sic facit qui verus est : sedet in pulvere, id est in paupertate et vilitate, vel moratur in mortis meditatione; sedet contra solem, quia oculos mentis aperit ad deificum lumen; cavet et tremit, secundum illud : « Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore[8]. » Lætatur enim de Dei bonitate, sed timet de justitia. Canit ergo de spe gaudii, quia « misericordia Dei plena est terra[9]; » sed timet districtionem judicii, quia « justus Dominus et justitiam dilexit[10]. » Et : « Honor regis judicium diligit[11]. »

Passer significat

Instabiles.	Transeuntem ad hæreticos.

CCIX. *Paulominus*, quandoque dictio, quandoque oratio[12], etc.

CCXII. *Pulvis*

Instabiles[13].	Peccata[15].
Carnis nostræ fragilitas[14].	Inanis gloria.
	Confusio.

Pulvis pigmentarii, bona opera[16].

CCXIV. *Pallium*

Impedimentum sæc.[17].	Compositio exterior.
Bona temporalia[18].	Ecclesia[19].

CCXVII. *De Proximo*,

Tempore, mente, loco, natura, gente propinquo.

(1) *Tecto.* Ps. CI, 8. — (2) *Domum.* Ps. LXXXIII, 4. — (3) *Venantium.* Ps. CXXIII, 7. — (4) *Nidificabunt.* Ps. CIII, 17.—(5) *Illud.* Cf. supra t. II, p. 176, l. 21. — (6) *Ambuletis.* Ephes. V, 16. — (7) *Foras.* Reg. S. Bened. c. 50.—(8) *Tremore.* Ps. II, 11.—(9) *Terra.* Ps. CXVIII, 64.—(10) *Dilexit.* Ps. X, 8.—(11) *Diligit.* Ps. XCVIII, 4. — (12) *Oratio.* Cuncta mere grammaticalia.—(13) *Instabiles.* Ps. XXXIV, 5.—(14) *Fragilitas.* Genes. XVIII, 27.—(15) *Peccata.* Ps. VII, 6.—(16) *Opera.* Cant. III, 6.—(17) *Sæculi.* Cant. V, 7. « Videant archiepiscopi ne Romæ emant pallium, cujus emtione dividantur a liliis convallium. » — (18) *Temporalia.* Matt. V, 40. « Falsis religiosis quidam imprecatus est ita, ex nimia, ut creditur, cordis angustia :

Obsit ei quodcumque sibi prodesse laborat,
Quisquis sub specie relligionis obest. »

— (19) *Ecclesia.* Genes. XLIX, 11.

Proximus

Prima nativitate.	Paritate virtutis.
Cognatione carnis.	Exhibitione miserationis.
Una religione.	

5 CCXVIII. *De Piscina.*

Piscina quinque porticibus cincta est : lex Moysis quinque libris comprehensa. Hujus aqua per angelum est mota, quia litteralis intelligentia ejus per magni consilii angelum, id 10 est Christum, remota. — Per piscinas significantur sancti doctores Ecclesiæ, qui aquis divinorum eloquiorum diluunt sordes peccatorum; unde est vox sponsi ad sponsam in Canticis : « Oculi tui sicut piscinæ in Hese- 15 bon [1]. » Hesebon interpretatur cingulum mœroris, quia extra illam fructuosa non agitur pœnitentia; unde intra ejus ambitum te oportet manere, si vis salubriter pœnitere.

CCXIX. *Perpetuum.*

20 Æternum.	Continuum.

CCXXI. *Pluvia.*

Sacra doctrina [2].	Dei misericordia [4].
Gratia Dei [3].	Gratia lacrymarum [5].

CCXXII. *De Plaga.*

25 Plaga dicetur quodlibet flagellum, qualia sunt decem plagæ Ægypti, de quibus tales versus habentur : Prima, rubens [6], etc. Brevius sic possunt dici :

Sanguis, rana, culex, muscæ, pecus, ulcera, grando,
30 Bruchus, caligo, mors obtinuere necando.

CCXXIV. *De Rebus.*

Quærenti verum placeat distinctio rerum.

Res dicitur aliquid per

Metaphoram.	Interpretationem.
35 Significationem.	Emphasin.
Similitudinem.	Originem.
Effectum.	Veritatem.
Communionem.	Officium

CCXXV. *De Ratione.*

Ratio est vis insita spirituali creaturæ, id est angelo et animæ humanæ, discretiva contrariorum. De hac quidam ait :

Auro quid melius? Jaspis. Quid jaspide? Sensus.
Quid sensu? Ratio. Quid ratione? Nihil.

Subaudis quod creatura habet ex natura. Magnum est hoc et mirabile decus, quod nobis datum est a benedicto Creatore nostro, in quo ipsius sumus imagine insigniti; unde est illud : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine [7]. » Ratio pro modo quandoque poni solet, ut in sequentia, de beata Virgine Maria composita :

Paranymphus salutat Virginem,
Novi partus assignans ordinem :
« En, inquit, concipies, filiumque paries,
« Nec pudoris senties læsionem. »
Jam præventa gratia, sed de modo dubia,
Quærit rei nescia rationem.

Ratio dicitur

Computatio.	Debitum pœnæ pro delicto.
Peritia artis.	
Dispositio.	Discretio.

CCXXVI. *Requies*

Voluptuosa.	Necessaria.
Desidiosa vel otiosa.	Gratiosa.
	Gloriosa.

Illis est requies frustra speranda futura,
Quorum segnities hic respicit omnia dura.

CCXXX. *Regnum Dei.*

Christus.	*Ecclesia.*
Doctrina Scripturæ.	
Puritas conscientiæ [8].	Triumphans. Militans.

Regnum mundi, pomposa sæculi vanitas.
— Peccati, obscœna voluptas.
— Diaboli, obdurata malignitas.

(1) *Hesebon*. Cant. VII, 4. — (2) *Doctrina*. Job XXXVIII, 28. — (3) *Dei*. II Reg. I, 21. — (4) *Misericordia*. Ps. CXXXIV, 7. — (5) *Lacrymarum*. Ibid.

Post risum, luctus; post luctum gaudia dantur
Ob dulces fructus patienter arma ferantur.

— (6) *Rubens*. Vid. Hildeb. *Opp*. p. 1360. — (7) *Domine*. Ps. IV, 7. — (8) *Conscientiæ*. « Ex his satis tibi constare debet, lector, de quo regno illud intelligendum est : O quam gloriosum est regnum in quo cum Christo regnant omnes sancti! nimirum de Ecclesia triumphante. Nam Ecclesia militans non habet plenam gloriam, sicut nec luna plenam lucem. Quomodo enim perfecta est illius regni gloria, ubi Job versatur inter dracones, Daniel inter leones, et Christus ipse crucifigitur inter spinas? »

Ultimus iste vale dat nobis spirituale.
Hic opus est vigiles, sacri studii novus miles.

CCXXXIV. *De Spiritu.*

Spiritus

Divinus. Angelicus. Humanus.

Deus spiritus est, id est attentio incorporeâ; æterne vivens, immo ipsa vita æterna; æterne et summe potens, immo summa potentia; summe bonus, immo summa bonitas, sine quo nihil est bonum et cujus comparatione nemo bonus; nemo enim proprie bonus, nisi unus Deus, quia ipse solus a se ipso est bonus. Iste autem super omnia benedictus spiritus, est tota Trinitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus, tres personæ, et una essentia. Est autem Pater spiritus; Filius, spiritus; Spiritus sanctus, spiritus; et hi tres unus spiritus, quia unus Deus. Nam sicut in divina essentia est summa et verissima unitas, ita in personarum discretione verissima Trinitas. Sola autem tertia in Trinitate persona proprie Spiritus sanctus appellatur : juxta illud Veritatis in Evangelio : « Paraclitus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia [1]. » — Spiritus appellantur angeli, homines, sensibiles animæ brutorum. — Bona spiritualia. — Ratio.—Gratia. — Homo spiritualis.—Indignatio vel vindicta; unde in Genesi : « Non permanebit ultra Spiritus meus in homine, quia caro est, [2] » id est, non erit perseverans ira mea contra hominem peccantem, si pœnitere voluerit quia caro est, id est infirmus et fragilis et pronus ad peccandum; unde poeta [3] :

> Proclivior usus
> In pejora datur.

Et alius [4] :

> Facilis descensus Averni.

Unde quidam de nostris ait :

> Virtutum via difficilis, facilis vitiorum;
> Sed fœdum finem facilis facit, arcta decorum.

— Spiritus significat habitum mentis. — Voluptates et desideria. — Superbiam. — Ventos. — Spiritualem intellectum.

Adsit nobis ille Spiritus qui spirituum est conditor, ponderator et cognitor, ut tibi tardiusculo possim ostendere aliquatenus quod spiritus creati respectu creantis sunt corporei et quodammodo compositi. Quodam modo dixi, quia simplex est omnis spiritualis substantia. Sed in ipsis spiritualibus substantiis vide magnam distantiam. Spiritualis substantia est anima humana, sed invenio in ipsa, quod ipsa non est. Omnis enim anima rationalis aut justa est aut injusta. Sed neque justæ animæ justitia est ipsum quod ipsa; nec injustæ animæ, injustitia. Accidentia enim sunt animæ bona gratuita, et accidentia animæ rursus sunt ipsa ejus peccata. Invenio igitur in spiritu humano necessario quod non est id quod ipse est. Idem tibi, Deo volente, de spiritu angelico facile probabo : si enim justitia angelici spiritus esset quod ipse, Lucifer ille qui de cœlo, ob superbiam suam, cecidit, perdidisset substantiam, quando amisit, quia dimisit justitiam. Unde cuilibet fideli, maxime autem litterato, constat quod angelorum stantium sanctitas confirmata non ex illorum est natura, sed ex incommutabilis Spiritus gratia. Porro in illo beatissimo, mundissimo, verissimo, spiritualissimo Spiritu divino nihil est quod ipse non est : justitia enim ejus id est quod ipse est; potentia Dei Deus est; sapientia Dei Deus est; et omnino nihil in ipso est, nisi quod ipse est, quia divinæ essentiæ nihil inest accidentale, nihil mobile, nihil mutabile.

Sit mihi solamen divinus Spiritus. Amen.

CCXXXVI. *De Stella.*

Stella matutina dicitur Christus, quia mane surrexit a mortuis. Stella maris dicitur gloriosa Dei genitrix et Virgo Maria, quia ipsa est solamen periclitantium; unde laus ejus in fine cujusdam sequentiæ canitur in hæc verba [5] :

> Placa mare, maris stella,
> Ne nos involvat procella
> Et tempestas obvia.

— Stellæ significant bonos angelos : de his stellis dicit Scriptura, quod « luxerunt cum jucunditate ei qui fecit illos [6]. » Stella vero cui

(1) *Omnia*. Joan. xiv, 26. — (2) *Est*. Genes. vi, 3. — (3) *Poeta*. Ovidius. — (4) *Alius*. Virgilius Æneid. vi, 126. — (5) *Verba*. Breviar. Cisterc. — (6) *Illos*. Baruch. iii, 35.

nomen absynthium diabolus intelligitur : stella, propter angelicam naturam ; absynthium, propter amarissimam malitiam. — Stellæ dicuntur rectores Ecclesiarum; unde in Apocalypsi dictum est : « Septem stellæ angeli sunt [1], » id est prælati septem Ecclesiarum. Sed quid, si prælatus aliquis nec vita lucet, nec doctrina? Non est talis stella, sed stercus. — Per stellas significatur futura sanctorum doctorum gloria; unde scriptum est : « Qui docti fuerint, erunt ut splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudient multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates [2].» —Per stellas significantur sancti, ut autumo, specialiter clerici et viri religiosi, in illa sententia de cantico Debboræ : « Stellæ manentes in cursu et ordine suo, contra Sisaram pugnaverunt. [3] » In cursu nota diligentiam; in ordine, justitiam; in manendi vocabulo, perseverantiam. Cursus namque removet negligentiam, ordo repellit inobedientiam, mansio excludit inconstantiam. Stellæ igitur, in cursu et suo ordine manentes, sunt sancti qui viriliter faciunt bona et plene vitant mortalia, et in hæc faciendo et illa cavendo perseverant. Tales contra Sisaram, id est diabolum, legitime certant et victoriam consummant. Unde bene dicit Scriptura quod pugnaverunt, quia præteritum perfectum perfectam actionem significat. Stellæ dicuntur omnes electi; unde est illud Dominicum ad Abraham : « Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli [4]. » Semen Abraham est illud granum frumenti, quod postquam mortuum est, multum fructum attulit, id est omnes electos. — Stellæ significant omnes illos qui christiani nominis professione honorantur. Sed quia de his sunt quidam quorum fides, quia sine operibus, otiosa est, de illis puto dictum in Apocalypsi, quod « draco tertiam partem stellarum dejecit in terram [5], » id est illos qui nec sunt activi, nec contemplativi. Stellæ quia dispares sunt claritate, significant differentes justorum in resurrectione glorias; unde est illud Apostoli : « Stella differt a stella in claritate, sic etiam et resurrectio mortuorum [6]. » Stella quæ magos perduxit ad Jesum, ut mihi videtur, gratia est quæ ducit ad salutem.

CCXXXVII. *Saturitas*

Gratiæ [7].	Culpæ [9].
Gloriæ [8].	Pœnæ [10].

CCXXXVIII. *Spelunca*

Dolus [11].	Corpus Domini [14].
Conscientia [12] mala.	Beatitudo æterna [15].
Cor justi [13].	Sancta conversatio [16].

CCXLIV. *Sinus*

Requies [17].	Fotus et familiaritas Dei [19].
Conscientia [18].	

CCXLVII. *De Sole.*

Sol significat singularem gloriam deitatis; unde : Christus « permanebit cum sole [20], » id est, in æquali cum Patre gloria regnabit.

Sol oritur, subit occasum, rursus petit ortum [21].
Nascitur et moritur, surgit, super astra levatur [22]
Christus, adit Patrem quem non aliquando reliquit [23],
Et recipit regnum, qui regnat semper ubique [24].

Sol significat [25]

Gratiam Dei genitricis.	Gloriam æternam.
Doctrinam veritatis.	Promotionem temporalem.
Fervorem charitatis.	Persequutionem.
Lucem manifestationis.	Decursum temporis.

CCXLVIII. *De Sanguine.*

Sanguis significat

Effusionem sanguinis [26].	Culpam mortalem.
Crudelitatem.	Corruptionem.
	Carnalem affectum.

(1) *Sunt.* Apoc. I, 20. — (2) *Æternitates.* Dan. XII, 3. — (3) *Pugnaverunt.* Jud. V, 20. — (4) *Cœli.* Genes. XXII, 17. — (5) *Terram.* Apoc. VIII, 12. — (6) *Mortuorum.* I Cor. XV, 41. — (7) *Gratiæ.* Ps. LXXX, 17. — (8) *Gloriæ.* Ps. XVI, 15.—(9) *Culpæ.* Prov. XXVII, 7. — (10) *Pœnæ.* Prov. I, 31.—(11) *Dolus.* Ps. X, 9. — (12) *Conscientia.* Joan. XI, 38 — (13) *Justi.* Hebr. XI, 38. — (14) *Domini.* 1 Reg. XXII, 1. — (15) *Æterna.* Genes. XXIII, 17. — (16) *Conversatio.* Genes. XXV, 9. —(17) *Requies.* Luc. XVI, 22. — (18) *Conscientia.* Prov. VI, 27. — (19) *Dei.* Exod. IV, 6. — (20) *Sole.* Ps. LXXI, 15. — (21) *Ortum.* Sub singulis versibus scribitur in codice versiculus Scripturæ : hic vero Eccle. I, 5. — (22) *Levatur.* Habac. III, 11. — (23) *Reliquit.* Joan. XX, 17. — (24) *Ubique.* Luc. XV, 13. — (25) *Significat.* Cuncta brevissime expressit e locis sacris antea laudatis t. II, p. 60. — (26) *Sanguinis.* Jejune laudantur Josue II, 19; Is. I, 15; Deuter. XVII, 18; I Cor. XV, 50; Mich. III, 10; Ps. L, 16; Matt. XVI, 17; Joan. I, 13; Is. IX, 5.

CCLVI. *Torrens* [1].

Gratiæ	Gloriæ seu voluptatis in cœlo.
Virtutis et justitiæ.	Pœnæ in via.
Veritatis et doctrinæ.	Culpæ in inferno.

CCLVII. *Terra* [2].

Patria cœlestis.	Inferiores.	Homo.
Caro Christi.	Pertinaces.	Genus humanum.
Ecclesia.	Terrenus affectus.	Caro nostra, spinas germinans.
Plebs judaica.	Peccator.	

CCLVIII. *De Turture.*

Turtur generis masculini nomen est avis; turtura in genere feminino nomen est piscis; unde quidam scholasticus de quodam abbate defuncto nimis acriter ait :

Salmo fuit psalmus abbatis Salmuriensis [3].
Lectio, lucius; et rubra, turtura tradita mensis.

In sacris autem Scripturis nusquam turturis nomen nisi in avis significatione legisse me memini; per hunc igitur turturem quæ designentur, doctore Deo, assignemus. Turtur, quia cantu suo hiemis nuntiat abscessum et veris accessum, Christum significat, qui infidelitatis et obscuritatis vitiorum hiemem abscedere, fidei vero virorem, morumque decorem accedere sua nobis prædicatione prædixit, quum ait : « Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum Dei [4]. » Unde est illa vox sponsæ, in Canticis : « Vox Turturis audita est in terra nostra [5]. » Turtur autem sicut et columba gemitum habet pro cantu; unde, ut de spinis rosas colligam, Virgilius ait in Bucolicis [6] :

Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

CCLXIV. *Vox* [7].

Prædicationis.	Devotionis.
Plorationis.	Orationis.
Laudationis.	Sanguinis.

Voci vita non discordet :
Quum vox vitam non remordet,
Dulcis est symphonia.

Nam fletus lacrymæ pondera vocis habent.

CCLXV. *Visitatio* [8] *divina.*

Redemtionis.	Correctionis.
Inspirationis.	Æternæ damnationis.

CCLXVI. *Vetustas* [9].

Corporis.	Legis.
Rationis.	Temporis.
Sensualitatis.	Æternitatis.
Consuetudinis.	

Rumor de veteri faciat ventura timeri;
Cras poterunt fieri turpia, sicut heri.
Concutit ossa metus, fit spiritus irrequietus
Dum renovat fletus denuo causa vetus.

CCLXVII. *Vesperum* [10].

Terminus diei.	Casus mosaicæ legis.
— vitæ.	Finis gloriæ temporalis.
Pœna culpæ originalis.	Finis tentationis.
Ultima ætas.	Defectus charitatis.

CCLXIX. *Vinum* [11].

Charitatis.	Malignitatis.
Doctrinæ spiritualis.	Delectationis carnalis.
Austeritatis legalis.	Correctionis.
Lætitiæ spiritualis.	Pravæ affectionis.
Castitatis.	Amicus.
Elationis.	

(1) *Torrens.* Pari respectu ad Ps. xxxv, 9; Job xxviii, 4; Prov. xxx, 17; Job xl, 17; Ps. xvii, 15. — (2) *Terra.* Item sine ullo fere commentario afferuntur Ps. xxvi, 13; Job ix, 24; Ps. lxxxiv, 13; ciii, 5, etc. Vide pleraque t. ii, p. 120. Sub finem, tacito nomine, Petrum Cantorem sic laudat : « Quidam eleganter ait : Est terra quam terimus; est terra quam gerimus; est terra quam quærimus. » Cf. t. ii, p. 122. — (3) *Salmuriensis* cod. Agitur forte de Abbate S. Florentii in Salmuriensi castro. — (4) *Dei.* Matt. iii, 2. — (5) *Nostra.* Cant. ii, 12. — (6) *Bucolicis.* i, 58, 59. — (7) *Vox.* Conferantur Cant. ii, 14; Ps. vi, 9; xli, 5; lxxvi, 2; xxvii, 6; cxxix, 2; Genes. iv, 10. — (8) *Visitatio.* Recitat, potius quam exponit, Luc. i, 78; Ps. lxxxviii, 33; Is. xxiv, 22. — (9) *Vetustas.* Sat erit post Nostrum indicare Ps. ci, 27; xxxi, 3; Rom. vi, 6; Ephes. iv, 22; Rom. vii, 6; Dan. vii, 10; xiii, 52. — (10) *Vesperum.* Neque etiam hic plura quam sequentia : Ps. ciii, 23; Job xi, 17; Ps. xxix, 6; cxl, 2; Hymnus Ambros. ad Vesp. Ascens. v. 1-4; Jerem. vi, 4; Virgil. *Eclog.* i, v. 83, 84; Genes. xix, 1; Levit. xi, 28. — (11) *Vinum.* Remittimus lectorem ad loca adducta in t. ii, p. 461, quibus pene piget addere pauca, ubi procaci ingenio suo Noster facilius indulget : « Refe-

CCLXXIV. *Ventus*[1].

Bonus		Malus
Exterior.	*Interior.*	Elationis.
		Suggestionis.
A dextris, favor.	Intellectus.	Tentationis, a regione deserti.
A sinistris, persequutio.	Anima hominis.	

Ventus superior, Spiritus sanctus.

CCLXXVI.

Y græcam litteram Pythagoras Samius adinvenit, ad similitudinem vitæ humanæ. Nam pars inferior litteræ usque ad bivium significat ætatem, quæ est infra annos intelligibiles. Bivium significat scientiam discernendi inter bonum et malum, inter virtutes et vitia. Dexter ramus litteræ, qui sursum directe porrigitur, significat bonam vitam, per quam homo ascendit ad superos. Sinister ramus qui deorsum curvatur designat malam vitam, per quam homo descendit ad inferos. Unde bene de hac littera dixit satyricus [2] :

Et tibi quæ samios deducit littera ramos
Surgentem dextro monstravit tramite callem.

Et aptius quidam scholaris de hac littera ait :

Porrigit in binas *Y græcum* cornua partes ;
Hæc pars, infernum ; vendicat illa polum.

CCLXXVIII. *De Yride* [3].

Iris est nomen æquivocum ad duo, ad herbam aromaticam, et arcum cœlestem. De herba commemoratum est in illis versibus physicorum :

Yris purpureum florem gerit; yrios, album;
Accorus, aurosum; sed spatula fœtida, nullum.

De flore memoratæ herbæ, quidam jocando sic versificatus est, illum scilicet in manu gestans :

Est in præsenti pulcherrima purpura flore :
Lilia, fraga, rosas, violas præcellit odore.

Sed hujus herbæ nomen in canone Scripturarum sanctarum nusquam me memini reperisse. Irim vero in designatione arcus cœlestis legi in Apocalypsi Joannis apostoli in his versibus. « Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ [4]. » Et in libello qui dicitur esse Theoduli, in his versibus :

Amodo ne talem patiantur sæcula cladem,
Visibus humanis per nubila panditur iris.

Per irim significatur propitiatio divina, quæ est in circuitu sedis Dei, id est, illos ambit et munit, in quibus Deus judicat, quiescit et habitat; unde est illud Psalmistæ : « Dominus in circuitu populi sui [5]. » — Iris significat sacram Scripturam, quia sicut iris ex quatuor elementis quatuor habet principales colores, ita in sacra Scriptura quatuor inveniuntur intellectus, scilicet historicus, tropologicus, allegoricus et anagogicus. Hi quatuor sacræ Scripturæ sensus significantur per quatuor pedes mensæ, super quam panes propositionis ponebantur. Per mensam significari sacram Scripturam satis ostensum est in distinctione *de Mensa*. Per irim cujus sunt, secundum theologos, duo colores principales, viridis scilicet et rubeus, significantur judicia Dei, qui terram primo per aquas diluvii disperdidit et in fine sæculi judicabit per ignem. Item per duos colores arcus cœlestis designari possunt duo genera purgationum quibus electorum animæ purgantur a peccatis, baptismus et pœnitentia, de quibus ait Psalmista : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata [6]. » Potest tamen per arcum cœlestem solus designari baptismus, cujus aqua Christi est sanguine consecrata; unde quidam ait :

Quum latus effodit Longini lancea Christi,
Baptismi fontem nobis, Deus, inde dedisti.
Est aqua baptismi Christi rubricata cruore :
Nam virtute rubet, proprio remanente colore,
Bicolor est iris, sed in anteriore ruborem
Præfert parte, quia vim gratia dat potiorem.
Sic viret atque rubet baptismi fons specialis,
Sed vi naturæ præfertur spiritualis.

CCXXIX. *De Zelo.*

Zelus in Scriptura sacra multis modis acci-

ram, inquit, breviter quid acciderit de quodam abbate defuncto tempore interdicti, qui plurimum vini potione delectari consueverat. Hic quia in atrio benedicto non poterat tumulari, in vinea quæ est proxima abbatiæ, sepultus est. De quo quidam sui ordinis monachus sic versificatus est :

Huic quia dilexit vivens super omnia vinum,
Vinea defuncto pandit amica sinum.

— (1) *Ventus*. Hæc intra paucas lineas congessit : Ps. I, 4 ; Ephes. IV, 14 ; Job I, 19 ; Ps. XVII, 11 ; Is. LXVII, 16 ; Ps. CVI, 29 ; Matt. XIV, 24 ; Act. II, 2. Eadem vide exposita in t. II, p. 77. — (2) *Satyricus*. Pers. III, 56. — (3) *Yride*. Ordine auctoris servato, servandus erat in titulo scribendi modus. — (4) *Smaragdinæ*. Apoc. IV, 3. — (5) *Sui*. Ps. CXXIV, 2. — (6) *Peccata*. Ps. XXXI, 1.

pitur : sed tamen celebriores sunt ejus quatuor significationes, quæ notantur his versibus :

Zelus, amor [1]; zelus, imitatio dicitur esse;
Zelus, suspicio; zelus et invidia.

EXPLICIUNT DISTINCTIONES MONASTICÆ ET MORALES.

Versus de Christo.

Finitus liber est; tibi laus, tibi gloria, Chr
Nil mihi jam placeat quod mundus diligit
Nam mundanus amor et honor sunt sicut ar
Ergo quod lætum reputat, reputem mihi tr
Ne mundi fallant me blandimenta soph
Corporis et cordis male cuncta fluentia s
Et cum finitus fuerit mundus miser
Semper utrumque sonet tibi laus, tibi gloria, Chr
} iste.

Quis potuit pura nasci de Virgine?
Et quis in hoc mundo sine culpa vivere?
Quis potuit moriens veram vitam dare?
Quis portas Erebi potuit confringere?
Quis per se potuit a morte resurgere?
Quis per se potuit cœlos ascendere?
Quis veniet judex, supremo tempore?
} Christus.
Ergo mihi Deus es, complens hæc omnia, Christe.

ANONYMUS CISTERCIENSIS [2].

IN PROMTUARIUM EX SANCTIS PATRIBUS PROLOGUS.

Quasi ludens, et ludendo gradiens per hortos orthodoxorum Patrum, videlicet Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Gregorii, Bernardi, Joannis Chrysostomi, nec non et Senecæ, moralis philosophi, flores venustos reperi, quos collegi, non tamen omnium hortorum, id est librorum, quia non potui manus ad omnes apponere, nec in omnes flores. Sed hos tantum quos considerare potui, promtiores ad compunctionis accensorium, vel graviores ad meditationis [3] negotium, aut ad prædicationis officium cultiores.

Sicut ergo qui rosas in rosario pro componendo serto colligit, non omnes quidem accipit, sed has tantum quas videt aptiores ad intentum negotium, colligit, ordinat et componit, sic ego flores floridos, quos ad dictum propositum habiliores habui, et secundum ordinem alphabeti, prout mea paupertas ordinatius potuit, ordinavi. Potest igitur præsens opusculum apte satis, cui placuerit, appellari *Promtuarium*, eo quod in promtu præbeat inquirenti [4] ordinatos flores auctorum omnium [5] prædictorum.

Incipit : Ager, ex Augustino, etc.

ANONYMUS CLAREVALLENSIS [6].

INCIPIT PROLOGUS OPERIS SUBSEQUENTIS.

Satis notum est omnibus quod fulminis impetus vires suas expendere dedignatur in virgulam, sed provectarum arborum altitudines impellit, percutit et expugnat. Arbores magnæ et altæ sunt viri litterati, viri in disciplina Domini eruditi, spiritu ferventes, in scriptura sacra exercitati, in mysteriis expediti, subtiles ingenio, fulgentes eloquio, catholica doctrina insignes; unde beatus Fulgentius [7] : « Arbores, inquit, sumus in agro Dominico constituti. Ille nos colit, ille nos compluit. » Arbores fuerunt sancti Patres, Ecclesiæ doctores, hæreticorum malleatores, vitiorum exstirpatores, virtutum plantatores, meditantes die ac nocte in lege Domini. Tales

(1) *Amor.* Versiculus per partes exponitur cum nudo Scripturæ testimonio, videlicet Is. IX, 7; Ps. XXXVI, 1; Numer. V, 14-30. (*Perperam in cod.* Levit.) Ad ultimum, loco Scripturæ adducit sanctum Severinum, e quodam sermone de Innocentibus : « Zelus quo tendat? quo prosiliat livor? invidia quo feratur? Herodiana hodie patefecit immanitas. » — (2) *Cisterciensis.* Ex duob. codicibus olim Cisterciensium, uno Clarevallensi, nunc Trecensi, n. 999, altero olim Dunensi, nunc Brugensi 174; utroque sæc. XIII. Inter codices ejusdem originis Trecenses, num. 1762 similem præstat eclogam : aliis tamen ex locis et ordine alio, maxime e Bernardo compilata, incipit : « *Abjectio* discipuli detrimentum est magistri. » — (3) *Accensorium vel graviores ad meditationis* non habet Brugens. — (4) *Præbeo et inquirenti* Trecens. — (5) *Omnium* ibid. deest. — (6) *Clarevallensis.* Ex cod. Clarevallensi, nunc Trecensi, sub num. 1556, sæc. XIII, fol. 1; cf. t. II, p. 3, et *Proleg.* p. XXVI. — (7) *Fulgentius.* In Serm. 1, n. 4. Cf. Patrolog., t. LXV, col. 722.

fuerunt Hieronymus, Augustinus, et cæteri doctores. Sed contra eos exarsit invidorum malitia, pugnavit hæreticorum astutia, falsorum fratrum lingua venenosa.

Ego vero non in virga, sed in virgula sum; quia tenuis, quia gracilis, quia debilis. Tenuis sum in morum disciplina; gracilis, in scientia; debilis, in facundia. Disciplinam in me deflorat animi levitas detestanda; scientiam obscurat cæca imperitia.

Summa petit livor; perflant altissima venti.

Nullus igitur mihi pauperculo et mendico invideat. Nullus indignetur, accendatur nemo, eo quod aliquid muneris, licet vilissimi, in domo Dei offerre curavi. In templo enim Domini, inter aurum et argentum et lapides pretiosos, pili caprarum offeruntur. Et inter divitum munera multa et magna, quædam vidua paupercula in gazophylacium Domini misit duo minuta, quod est quadrans. Ad hoc siquidem opus non tumor superbiæ, scientiæ vel litteraturæ, ut quibusdam evaporationibus exirem in publicum, me provocavit; sed propria primo attraxit utilitas, quod postea fraterna charitas quoquo modo consummavit.

In hoc libello continentur etymologiæ nominum [1], rerum proprietates [2], et earumdem distinctiones [3], scripturarum testimoniis confirmatæ. Est itaque, ut mihi videtur, utilis ad sermones dilatandos, maxime ubi locum habent etymologiæ; planior est; et ejus cognitio usum necessarium habet, sicut dicit Isidorus in interpretatione sua. Utiles sunt proprietates, quia, cognita cujusque proprietate, copiosior erit materia ad morum instructionem. Utiles etiam sunt divisiones, quia, ut ait Porphyrius, necesse est dividentem per multitudinem ire. Libellus iste distinctus est per capitula secundum litteras alphabeti, in quibus ponuntur primo etymologiæ, secundo proprietates, tertio distinctiones sive divisiones, ut facilius lectores invenire poterunt quod quærunt.

ANGELUS.

Angelus græce, Malahoth hebraice [4], Nuntius latine dicitur, eo quod voluntatem Domini populis nuntiet. Nomen est officii, non naturæ: semper enim spiritus sunt; sed quum mittuntur, angeli vocantur [5].

Angelus purus est natura, fidelis in custodiendo, devotus in offerendo, affectuosus in reportando, contemplativus in fruendo, activus in nuntiando [6]. Item, pacificus, sine invidia, misericors; non solum Deo, sed hominibus obsequitur. Id vult quod Deus vult. Humilis; assidue Deum laudat; obediens; unde versus:

Pacis amans, livore carens, pius Angelus, id vult
Quod Deus; obsequitur, curvatur, laudat, obedit.

Angeli cives sunt cælestis Jerusalem: illic potentes, illic gloriosi, beati, distincti in personas, dispositi in dignitates; ab initio stantes in ordine suo; perfecti in genere suo, immortalitate perpetui, impassibiles; non creati, sed facti; id est, non gratia, sed natura puri; affectu benigni, religione pii, castimonia integri, unanimitate individui, pace securi, a Deo conditi, divinis obsequiis dediti.

Angelus.
- Christus, vel Spiritus sanctus; unde: « Angelus descendebat in piscinam. » Evangelium [Joan. v, 4].
- Joannes Baptista; unde: « Ecce mitto angelum meum qui præparabit viam. » Evangelium [Marc. I, 2].
- Spiritus malignus; unde: «Angelus persequens eos.» Psalmus [XXXIV, 6].
- Fomes peccati; unde: « Datus est mihi Angelus Satanæ.» Apostolus [7].
- Prælatus; unde: « Angelo Ecclesiæ Smyrnæ scribe. » Apocalypsis [8].
- Anima hominis; unde de Petro: « Angelus ejus est. » Actus [XII, 15].
- Spiritus cœlestes; unde: «Qui facis Angelos, spiritus.» Psalmus [CIII, 4].
- Sacerdos; unde: « Angelus domini exercituum est. » Malach. [II, 7].
- Prædicator; unde: « Quum sublatus fuerit, timebunt angeli. » Job [9].

(1) *Nominum*. Plerumque juxta Isidorum. — (2) *Proprietates*, non multum dissimiles ab Hugone S. V. (*Opp.*, t. II, p. 461). — (3) *Distinctiones*, fere ut in Rabano nostro. — (4) *Hebraice*. Immo lege: *Melachim* מלכים. — (5) *Vocantur*. Isid. Etym., l. VII, c. 5, n. 1, paucis mutatis. — (6) *Nuntiando*. Ab Isidoro transiit ad Hugonem, sive autorem *de proprietatibus et epithetis rerum* (*Opp.*, t. II, p. 462, D, E). Cæterorum fons mihi incompertus. — (7) *Apostolus*. II Cor. XII, 7. — (8) *Apoc.* II, 12. — (9) *Job* XLI, 16.

PETRUS DE MORA,

S. R. ECCLESIÆ CARDINALIS ET EPISCOPUS CAPUANUS.

E ROSA ALPHABETICA SEU EX ARTE SERMOCINANDI.

DE ROSA [LITT. XVII, ART. 33].

ARGUMENTUM.

In hac exigua haud minimæ molis operis parte, auctor videtur e sexcentis quas illustravit allegoriis, unam eamque nec inter præcipuas celeberrimasve elegisse, ut ex unico rosæ symbolo, tamquam ex unius flosculi 5 calyce, explicaret universam christianæ religionis rationem, non theologicam tantum et ethicam, immo vero historicam et exegeticam. Quot sint loca Scripturarum exposita, quot eximiæ morum regulæ, lector per se videat. Nec nisi potiora hic recensemus argumenta, 10 servato quem voluit auctor ordine, omissis vero quæ obiter adduxit de rosæ proprietatibus. Rosa dicti sunt Christus, Virgo Maria, martyres (I, II). — Sunt deinde martyrum agmina, præeunte antesignano Stephano (III).—Sunt Eva et Maria : Evæ nomine in Ave 15 mutato, Maria e spinis oritur, Spiritu adumbrante oppleta (IV).— Sunt septem Spiritus dona in Christo (IX, XVI).—Videlicet : quum ætate proficeret apud Deum et homines (X). — Quum vel interiores legeret cogitatus (XI). — Quum dicatur κατ' ἐξοχὴν Consiliarius (XII). — 20 Et Deus fortis (XIII).—In quo omnes thesauri scientiæ absconditi (XIV). — Cujus pietate infirmi curantur, mortui resurgunt, claudi ambulant, salvi omnes facti sunt (XV). —; Quique agit quæcumque videt a Patre peragi (XVI). — Non dona recipit, quin ea omnibus largiatur (XVII). —Sunt quidem eadem dona in Salomone et Joanne (XVIII). — In Daniele et Petro (XIX).— In Joseph et Philippo (XX).— In Samsone, Tobia, Job et Paulo (XXI).— In Moyse et Jacobo (XXII). — In David, Abraham et cæteris apostolis (XXIII, XXIV). — Omnia vero ad cumulum in Christo (XXV). — Ut verus quippe Deus est, sic verus homo (XXVI). — Qui odore nominis sui orbem respersit (XXVII). — Virtute recreavit (XXVIII). — Sanguine tinxit (XXIX). — Pulchritudine illustravit (XXX).— Refecit pane angelorum eucharistico (XXXI). — Universum generis humani languorem reparavit (XXXII).—Cujus quum vices summus Pontifex in terra gerit, hinc est quod in ejusdem gloriosæ resurrectionis signum, rosam per XL^am in ecclesia S. Crucis in sancta Jerusalem, solemniter præ se fert (XXXIII).—Quasi futuræ omnium resurrectionis imaginem (XXXIV). — Eamque auro insignem (XXXV). — Balsamo linitam (XXXVI). — Respersam suaveolenti musco (XXXVII). — Tum demum ait cur illud in ecclesia S. Crucis (XXXVIII). — Et alia alibi solemniter agantur (XXXIX).— Breviter denique de rosa in malam partem accepta dicit (XL).

I. *Rosa tribus modis in bono, uno in* 25 *malo*. Rosa martyrum, rosa virginum, rosa utrarumque rosarum. De prima in Sapientia : « Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium [1]. » Ecclesiasticus : « Quasi rosa plantata super ripam aquarum, fructificate [2]. » — De secunda in Sapientia : « Quasi plantatio in Jericho [3]. » — De tertia habemus illud solemniter observatum, quod in Dominica qua cantatur : *Lætare Jerusalem*, summus Pontifex, celebrans missarum solemnia apud

E duobus codd. Mazarin. 19 et 350, sæc. XIV, et Navarrensi 14 in Biblioth. majori Paris., sæc. XV. Quæ italico charactere singulis articulis præfiguntur, utriusque Mazarinei margines miniatis litteris adornant.

(1) *Convallium*. Cant. II, 1. — (2) *Fructificate*. Eccli. XXXIX, 17. — (3) *Jericho*. Ib. XXIV, 18.

ecclesiam Sanctæ Crucis, quæ appellatur in Sancta Jerusalem, florem rosæ aureum portat in manu sua [1].

II. *Qualis est Rosa.* Prima rosa est chorus martyrum; secunda, Virgo virginum; tertia, mediator Dei et hominum. Prima rosa est rubea. Jeremias : « Rubicundiores ebore antiquo [2]. » Hi namque « sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine [3]. » Et hæ sunt « pelles rubricatæ in operimento tabernaculi [4]. » — Secunda rosa est candida. Jeremias : « Candidiores nive, nitidiores lacte [5]. » Hi namque « sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocumque ierit, eo quod sunt sine macula ante thronum Dei[6]. » Et hæ sunt « pelles supremæ, hyacinthinæ, inter omnia operimenta tabernaculi[7]. » — Tertia est candida et rubea. Canticum : « Dilectus meus candidus et rubicundus [8]. » Ipse namque est cujus vestimenta facta sunt candida sicut nix, et tamen facies ejus resplenduit sicut sol [9]. Et hæc sunt coccus bis tinctus et byssus retorta [10] in veste pontificali. Hæc etiam sunt byssus et purpura in indumento fortis mulieris [11]. Prima rosa est bona, secunda melior, tertia optima

III. *Quomodo Rosa martyrum nascitur ex spinis.* Prima rosa nascitur ex spinis persequutionis et hæreticorum, dum in martyres insurgunt. Canticum : « Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias [12]. » Evangelium : « Beati eritis, quum vos oderint homines et quum separaverint vos[13], etc. » « Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Gaudete in illa die et exsultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo[14]. » Nonne rosa oriebatur ex spina, quando lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : « Domine Jesu, ne statuas illis hoc peccatum [15]? » Pungebat spina, quando fecerunt impetum unanimiter in eum. Sed odorem dabat rosa, quum perfusus sanguine, positis genibus, orabat pro ipsis.

IV. *Quomodo Virgo Maria tamquam Rosa oritur ex spinis.* Secunda rosa orta est ex spinis Judaicæ pravitatis; unde et quidam versificator inquit :

Sicut spina rosam, genuit Judæa Mariam.

De his spinis Isaias : « Orientur in domibus spinæ[16]. » — Vel ex spinis et punctionibus carnis nostræ. Genesis : « Spinas et tribulos terra germinabit tibi [17]. » Nonne ex spina oriebatur rosa, quando ex spinis Judaicæ pravitatis, vel nostræ mortalitatis, ipsa Virgo progressa est « quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata [18]? » Pungebat spina, quando corpus per peccatum mortuum est, et in omnes homines mors pertransiit. Sed odorem dedit rosa, quando mutato nomine Evæ in Ave, gratia plena, et exstincto in ea fomite, Spiritus sanctus supervenit in ipsam, et virtus Altissimi obumbravit ei [19]. »

V. *Quomodo Rosa Christus natus est ex Virgine.* Tertia rosa nata est ex virga de radice Jesse. Isaias : « Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet[20]. » Nonne ex virga nascebatur hæc rosa, quando virga Aaron, licet arida, subito tamen germen protulit, in fructum uberius pullulavit[21]? Pungebat spina, quando spineam coronam imposuerunt capiti ejus [22]; sed inter has spinas, hæc rosa odorem omnibus dabat, quia tunc « redemit nos Deus in sanguine suo, eo quod non corruptibilibus auro vel argento redemti sumus, sed pretioso sanguine agni immaculati [23]. » Prima ergo rosa redolet in mundo, secunda in Judaico populo, tertia in Virginis utero.

(1) *Sua.* De rosa in malo sensu, nihil nisi in ultimo art. 40. — (2) *Antiquo.* Thren. IV, 7. — (3) *Sanguine.* Apoc. VII, 14. — (4) *Tabernaculi.* Exod. XXV, 5. — (5) *Lacte.* Thren. IV, 7. — (6) *Dei.* Apoc. XIV, 4. — (7) *Tabernaculi.* Exod. XXXV, 7. — (8) *Rubicundus.* Cant. V, 10. — (9) *Sol.* Matt. XVII, 2. — (10) *Retorta.* Exod. XXXIX, 2. — (11) *Mulieris.* Prov. XXXI, 22. — (12) *Filias.* Cant. II, 2. — (13) *Vos.* Luc. VI, 22. — (14) *Cœlo.* Matt. V, 11, 12. — (15) *Peccatum.* Act. VII, 59. — (16) *Spinæ.* Is. XXXIV, 13. — (17) *Tibi.* Genes. III, 18. — (18) *Ordinata.* Cant. VI, 9. — (19) *Ei.* Luc. 1, 35. — (20) *Ascendet.* Is. XI, 10. — (21) *Pullulavit.* Num. XVII, 6. — (22) *Ejus.* Marc. XV, 17. — (23) *Immaculati.* I Petr. I, 20.

VI. *Rosa, secundum justas sui proprietates, adaptatur Christo.* Rosa autem, quum multas habeat, has tamen habet notabiles proprietates : rosa nascitur ex spina ; stipitem habet viridem ; frondes circumquaque expansas ; et intus, in medioque, aureum colorem floridum ; rosa etiam odore confortat; nitore recreat ; rubore rutilat ; pulchritudine delectat; sapore reficit, et siccitate constringit. Hæc autem in rosa nostra Christo, si diligenter attendimus, possumus invenire.

VII. *Quomodo Christus ortus ex spinis.* Rosa enim nascitur ex spina : et Christus ex spinis mortalitatis nostræ processit. Evangelium : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis [1]. » Paulus : « Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit [2]. » Nonne rosa orta est ex spina, quando « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur [3] ? » Sed ex spinis mortalitatis nostræ immortalis, tamquam rosa novella, processit.

VIII. Rosa stipitem habet viridem : et stipes rosæ nostræ, quæ est Christus, id est Virgo Maria, Spiritus sancti virore virebat. Evangelium : « Ave, gratia plena [4]. Spiritus sanctus superveniet in te. » Nonne virore Spiritus fuit repleta, quando quod in ea natum est, de Spiritu sancto fuit, « et quasi palma exaltata est in Cades, et quasi platanus exaltata est juxta aquas [5]? »

IX. *Quomodo Christum adornant septem frondes donorum.* Rosa frondes habet circumquaque expansas : et rosam Christum illæ septem frondes circumquaque adornant, de quibus ait Isaias : « Flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini [6]. » Septem sunt dona Spiritus sancti, quæ in eo fuerunt plenius indicata.

X. *De fronde Sapientiæ.* In eo namque fuit spiritus sapientiæ. Paulus : « In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [7]. » Sapientia namque de divinis est, et ipse discipulis suis ait in Evangelio : « Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis [8]. » An non erat in eo spiritus sapientiæ, quando « Jesus proficiebat sapientia et ætate apud Deum et homines [9] ? »

XI. *De fronde Intellectus.* In eo erat spiritus intellectus. Sapientia : « Si enim Deus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum [10]. » In quo tantus est intellectus, ut scrutetur etiam renes et corda [11], quia homo videt in facie, Deus autem in corde [12]. Evangelium : « Jesus autem intelligens cogitationes eorum [13], etc. » An non erat in eo spiritus intellectus, quum dicebant ei discipuli : « Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget [14] ? »

XII. *De fronde Consilii.* In eo spiritus consilii. Isaias : « Et vocabitur admirabilis, consiliarius [15], » qui alto consilio Dei Patris et suo operatus est mysteria nostræ salutis, de quo exclamat Paulus : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei [16]! » An non erat in eo spiritus consilii, quando adolescenti quærenti quomodo obtineret vitam æternam, et asseveranti se a juventute mandata decalogi observasse, consilium dans respondit : « Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, et sequere me [17] ? »

XIII. *De fronde Fortitudinis.* In eo spiritus fortitudinis. Isaias : « Et vocabitur Deus fortis [18]. » Ezechiel : « Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum [19], » quod fuit quando « firmavit faciem suam, ut iret in Jerusalem [20]. » An non erat in eo spiritus

(1) *Nobis.* Joan. I, 14. — (2) *Apprehendit.* Hebr. II, 16. — (3) *Dominabitur.* Rom. VI, 9. — (4) *Plena.* Luc. I, 28, 35. Deinde respicit Matt. I, 20 — (5) *Aquas.* Eccli. XXIV, 19. — (6) *Domini.* Is. XI, 2. — (7) *Absconditi.* Coloss. II, 3. — (8) *Vobis.* Joan. XV, 15. — (9) *Homines.* Luc. II, 52. — (10) *Illum.* Eccli. XXXIX, 8. — (11) *Corda.* Ps. VII, 10. — (12) *Corde.* Rom. VIII, 27. — (13) *Eorum.* Matt. IX, 4. — (14) *Interroget.* Joan. XVI, 30. — (15) *Consiliarius.* Id. IX, 6. — (16) *Dei.* Rom. XI, 33. — (17) *Me.* Matt. XIX, 21. — (18) *Fortis.* Is. IX, 6. — (19) *Eorum.* Ezech. III, 8. — (20) *Jerusalem.* Luc. IX, 51.

fortitudinis, quando hostibus quærentibus eum ad mortem, obvius prodiit, inquiens : « Si me quæritis, sinite hos abire [1] ? »

XIV. *De fronde Scientiæ.* In eo spiritus scientiæ, quia « in eo, ut dictum est, sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi [2]. » Scientia est qua recte conversamur in medio hujus pravæ generationis et perversæ, et ipse « Jesus potens erat in opere et sermone coram Deo et omni populo [3]. » An non erat in eo spiritus scientiæ, quum Pharisæis per calumniam interrogantibus si liceret censum dare Cæsari, an non, respondit : « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo [4] ? »

XV. *De fronde Pietatis.* In eo spiritus pietatis. Paulus : « Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit [5]. » In quo tanta fuit pietas, ut diceret : « Nemo te condemnavit, mulier? nec ego te condemnabo ; vade, et amplius noli peccare [6]. » An non erat in eo spiritus pietatis, quum infirmos eorum curabat, mortuos suscitabat, cæcis visum, et surdis restituebat auditum?

XVI. *De fronde Timoris Domini.* In eo spiritus timoris Domini. Evangelium : « Non poterit Filius hominis facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem [7]. » Quia adeo reveritus Patrem est, ut Pater de eo dixerit in Evangelio : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit; ipsum audite [8]. » An non erat in eo spiritus timoris, quando adeo Patrem verebatur ut diceret : « Pater, si possibile est, transeat a me calix iste ; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu [9] ? »

XVII. *Quomodo frondes donorum Christus habuit expansas ad sanctos novi et veteris testamenti.* Has frondes donorum Rosa nostra habet undique expansas et circumfusas. Nam ei non est datus spiritus ad mensuram [10], in eo siquidem « habitavit omnis plenitudo divinitatis et gratiæ [11]. » In cæteris autem dumtaxat divisiones gratiarum sunt : et ideo de plenitudine capitis acceperunt gratiam aliquam singularem, unusquisque vero gratiam pro gratia [12] ipsius Christi.

XVIII. *Quomodo spiritus sapientiæ viguit in Salomone et Joanne.* Sicut in Salomone viguit spiritus sapientiæ (Regum : « Ecce dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit [13]), » cujus sapientia etiam patuit in judicio meretricum : an non fuit spiritus sapientiæ in Joanne, postquam super pectus Domini in cœna recubuit, ubi plenius hausit de arcano Dominici pectoris sapientiæ spiritum? quo postea adeo alte intonuit, quod si paulo altius intonuisset, totus mundus capere non potuisset, inquiens : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum [14]. »

XIX. *Spiritus Intellectus in Daniele et in Petro.* In Daniele fuit spiritus intellectus qui tanto repletus est intellectu, ut Scripturam quam alii legere nesciebant, et legerit, et intellexerit, et etiam exposuerit, scilicet Mane, Thecel, Phares [15]. An non fuit in Petro spiritus intellectus, quando fraudem Saphiræ et Ananiæ intelligens, inquit : « Numquid convenit vos mentiri Spiritui sancto [16] ? »

XX. *Spiritus Consilii in Joseph et Philippo.* Spiritus consilii fuit in Joseph, quando contra futuram famem optimum consilium dedit [17]. An non fuit spiritus consilii in Philippo, quando fratrem suum Nathanaelem inveniens, ait : « Invenimus Messiam, qui dicitur Christus? » Et iterum : « Veni et vide [8]. »

XXI. *Spiritus fortitudinis in Samsone, Tobia et Paulo*, etc. Spiritus fortitudinis suæ hostes devicit, ut in Tobia, et Job qui, amissis omnibus, inquit : « Dominus dedit,

(1) *Abire.* Joan. XVIII, 8. — (2) *Absconditi.* Coloss. II, 3. — (3) *Populo.* Luc. XXIV, 19. — (4) *Deo.* Matt. XXII, 21. — (5) *Fecit.* Tit. III, 5. — (6) *Peccare.* Joan. VIII, 11. — (7) *Facientem.* Ib. V, 19. — (8) *Audite.* Matt. III, 17. — (9) *Tu.* Matt. XXVI, 39. — (10) *Mensuram.* Joan. III, 34. — (11) *Gratiæ.* Coloss. I, 19. — (12) *Gratia.* Joan. I, 16, 18. — (13) *Fuerit.* III Reg. III, 12. — (14) *Verbum.* Joan. I, 1. — (15) *Phares.* Dan. V, 25. — (16) *Sancto.* Act. V, 3. — (17) *Dedit.* Gen. XXVVIII. — (18) *Vide.* Joan. I, 46.

Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum [1]. » An non fuit spiritus fortitudinis in Paulo, quando viriliter pugnavit ad bestias? Qui etiam inquit : « Quum infirmor, tunc potens sum [2]. » Et : « Certus sum quia neque mors, neque vita poterit me separare a charitate Christi [3]. »

XXII. *Spiritus Scientiæ in Moyse et Jacobo.* Spiritus scientiæ fuit in Moyse, qui repletus fuit omni scientia Chaldæorum [4]. An non fuit spiritus scientiæ in Jacobo, fratre Domini, qui ita recte conversatus est in medio illius nationis pravæ et perversæ, ut ab omnibus etiam hostibus, sicut legitur, sanctus haberetur ?

XXIII. *Spiritus Pietatis in David et Joanne.* Spiritus pietatis in David, qui ait angelo vindicanti : « Ego sum qui peccavi, ego iniquum egi. Isti qui oves sunt, quid fecerunt? Convertatur, obsecro, manus tua in me et in domum patris mei [5]. » An non erat spiritus pietatis in Joanne, quum dicebat in epistola canonica : « Qui habuerit substantiam mundi, et viderit fratrem suum necesse habentem, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo [6]? »

XXIV. *Spiritus Timoris Domini in Abraham et apostolis.* Spiritus timoris Domini fuit in Abraham, qui adeo timuit Deum, ut etiam angelus de eo dixerit : « Nunc cognovi quia times Dominum [7]. » Non enim sanguinem pueri sitiebat Dominus. An non erat spiritus timoris Domini in apostolis, quum dicebant in Actibus apostolorum : « Obedire oportet Deo magis quam hominibus; non enim possumus non eloqui quæ vidimus et audivimus [8]? »

XXV. Sic ergo Rosa nostra frondes donorum habet expansas et undique circumfusas, quia in Patribus veteris testamenti et in Patribus novi testamenti, hæc spiritualius redolebant. Nonne hæc rosa has frondes habuit expansas et circumfusas, quando fuit quidem in capite unguentum unctionis, sed a capite etiam descendit in barbam, barbam Aaron, et a barba stillavit usque in oram vestimenti ejus [9]?

XXVI. *Quomodo Rosa Christus intra se habuit aurum divinitatis.* Rosa intus, in medio sui, aureum quemdam habet colorem floridum. Sed Rosa nostra divinitatis aurum intra se continebat; nam frondes donorum fuerunt in eo secundum humanitatem, in qua unxit eum Deus suus oleo lætitiæ præ consortibus suis [10]; et hæc quidem extrinsecus cæteris redolebant, quando « speciosus forma præ filiis hominum [11], in terris visus est, et cum hominibus conversatus est [12]; » et fuit oleum effusum nomen suum [13]. Sed aurum divinitatis nihilominus intrinsecus latitabat, quia erat Emmanuel, id est nobiscum Deus [14], et simul in unum dives et pauper [15]. Evangelium : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Divinitas autem aurum dicitur in canticis : « Caput dilecti mei sicut aurum optimum [16]. » Et bene in medio, tamquam centrum in circumferentia, ponitur, quia, etsi secundum carnem fuerit lapis præcisus de monte sine manibus [17], quia missus fuit specialiter ad oves quæ perierunt domus Israel [18], secundum divinitatem tamen tamquam creator omnium, quantum ad se, omnibus æqualiter proximat. Propter quod et Psalmista ait de ipso : « Hic Deus noster operatus est salutem in medio terræ [19]. » Propter quod etiam ait in Evangelio : « Ego quum exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum [20]. » Nonne aurum divinitatis erat in medio circumferentiæ et omnium populorum, quando « lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput

(1) *Benedictum.* Job I, 21. — (2) *Sum.* II Cor. XII, 10. — (3) *Christi.* Rom. VIII, 39. — (4) *Chaldæorum,* lego *Ægyptiorum,* et cf. Joseph. *Antiq. Jud.* II, 9, 6. — (5) *Mei.* II Reg. XXIV, 17. — (6) *Illo.* I Joan. III, 17. — (7) *Dominum.* Genes. XXII, 12. — (8) *Audivimus.* Act. V, 29. — (9) *Ejus.* Ps. CXXXII, 3. — (10) *Suis.* Ps. XLIV, 8. — (11) *Hominum.* Ib. 3. — (12) *Est.* Baruch III, 38. — (13) *Suum.* Cant. I, 2. — (14) *Deus.* Matt. I, 23. — (15) *Pauper.* Ps. XLVIII, 3. — (16) *Optimum.* Cant. V, 11. — (17) *Manibus.* Dan. II, 34. — (18) *Israel.* Matt. X, 6. — (19) *Terræ.* Ps. LXXIII, 12. — (20) *Ipsum.* Joan. XII, 32.

anguli [1]? » Et quia alias oves habuit quæ non fuerunt ex hoc ovili, illas oportuit eum adducere, ut fieret unum ovile et unus pastor [2].

XXVII. *Quomodo Rosa Christus odore famæ confortat.* Rosa odore confortat : et Rosa nostra odore famæ suæ confortavit adolescentulas, adeo ut currerent in odorem unguentorum suorum [3]. Hoc odore incurrerunt magi ab Oriente, quærentes et dicentes : « Ubi est qui natus est rex Judæorum [4]? » Hoc perfusa regina austri venit ab ultimis finibus audire sapientiam Salomonis [5]. Nonne odore confortabat hæc rosa, quando, fracto alabastro, domus impleta est ex odore unguenti [6]?

XXVIII. *Quomodo Rosa Christus virore recreat.* Rosa virore recreat : et Rosa nostra virorem illum in se habuit, de quo ipse in Evangelio ait : « Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet [7]? » Hujus virore viruerunt corpora jam siccata et in pulverem redacta, quando multa corpora sanctorum qui dormierunt, surexerunt [8]. Propter quod ait beatus Job : « Si emortuus fuerit in terra truncus ejus, ad odorem aquæ germinabit, et faciet comam quasi quum primum plantata est [9]. » Nonne illo virore recreabat, quando erat tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum?

XXIX. *Quomodo Rosa Christus rubore rutilat.* Rosa rubore rutilat : et nostra Rosa rubore passionis suæ per universum orbem clarius rutilavit. Nam quia factus est Patri obediens usque ad mortem, ideo et Deus Pater illum exaltavit, et dedit illi nomen quod est super omne nomen [10]; nisi tamen granum frumenti cadens in terra mortuum fuisset, ipsum solum remansisset [11], sed quia mortuum fuit, multum fructum attulit. Hujus rosæ ruborem admiratur Isaias, inquiens : « Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra [12]? » Hæc est enim vitula rufa [13], in veteri testamento, quæ ad expiationem peccatorum immolabatur. Nonne rubore rutilabat, quando rubrum factum est indumentum suum, sicut calcantium in torculari?

XXX. *Quomodo Rosa Christus pulchritudine delectat.* Rosa pulchritudine delectat : et Rosa nostra pulchritudine supra modum delectat sanctos. Psalmus : « Speciosus forma præ filiis hominum. » Isaias : « Iste formosus in stola sua gradiens. » Hujus rosæ pulchritudine provocata, sponsa ait in Canticis : « Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus [14]. Guttur illius suavissimum et totus desiderabilis [15]. » Nonne pulchritudine delectat hæc Rosa, cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, et « in quem angeli desiderant prospicere [16] ? »

XXXI. *Quomodo Rosa Christus sapore reficit.* Rosa sapore reficit : et Rosa nostra sapore carnis suæ reficit suos. Evangelium : « Caro mea vere est cibus. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat me, vivit propter me [17]. » Hujus rosæ sapor super omnes cibos delectat. Sapientia : « Panem de cœlo præstitisti eis, [omne] habentem delectamentum, et omnis saporis suavitatem [18]. » Exodus : « Gustus ejus quasi similæ cum melle [19]. » Rosæ autem sapor aliquantulum ponticus est, quia extraneum valde videbatur et amarum ut homo carnem hominis manducaret. Hujus ponticitatem abhorrentes quidam ex discipulis, dixerunt : « Durus est hic sermo ; quis potest eum audire? Et abierunt retro [20]. » Nonne sapore refecit, quando panem angelorum manducavit homo [21], et accipiens Jesus panem, benedixit ac fregit et dedit discipulis suis, dicens : « Hoc est corpus meum [22] ? »

XXXII. *Quomodo Rosa Christus siccitate*

(1) *Anguli.* Ps. CXVII, 22. — (2) *Pastor.* Joan. X, 16. — (3) *Suorum.* Cant. I, 3. — (4) *Judæorum.* Matt. II. 2. — (5) *Salomonis.* III Reg. X, 1. — (6) *Unguenti.* Matt. XXVI, 7. — (7) *Fiet.* Luc. XXIII, 31. — (8) *Surrexerunt.* Matt. XXVII, 52. — (9) *Est.* Job XIV, 8. — (10) *Nomen.* Philipp. II, 7. — (11) *Remansisset.* Joan. XII, 24. — (12) *Bosra.* Is. LXIII, 1. — (13) *Rufa.* Deuter. XXI, 3. — (14) *Decorus.* Cant. I, 15. — (15) *Desiderabilis.* Ib. V, 16. — (16) *Prospicere.* I Petr. I, 12. — (17) *Me.* Joan. VI, 54, 56, 58. — (18) *Suavitatem.* Sapient. XVI, 20. — (19) *Melle.* Exod. XVI, 31. — (20) *Retro.* Joan. VI, 61. — (21) *Homo.* Ps. LXXVII, 25. — (22) *Meum.* Matt. XXVI, 26.

constringit. Rosa siccitate constringit : et Rosa nostra sicca fuit ab humore illo noxio de quo ait beatus Job : « Sub umbra dormit, in secreto calami et in locis humentibus [1], » habens in se siccitatem et ariditatem de qua in Evangelio : « Per loca arida et inaquosa [2] ambulat, quærens requiem et non invenit. » Nonne magnæ siccitatis fuit hæc Rosa, quando, quem medici restringere non poterant, fluxum hæmorrhoissæ siccavit [3]?

XXXIII. *Cur summus Pontifex, dominica qua cantatur* Lætare Jerusalem, *rosam auream gestat in manu.* Licet super hoc aliqua novimus rationabiliter dicta et scripta [4], credimus tamen et hanc posse rationem non immerito assignari. Et ut sit basis sub columna in domo Domini, et ratio auctoritatis fundamento fulcita consistat immobilis, ex ipsis gestis Christi assignationem nostram firmius roboremus. Legimus in Ecclesia, quod Dominus Jesus, appropinquante passione, ut discipulos contra scandalum passionis firmius roboraret, sæpe verbis suis gloriam suæ resurrectionis prædixit. Et, quia

> Segnius irritant animos demissa per aures
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus [5],

ut minus eos turbaret ignominia crucis, aliquibus eorum, scilicet Petro et Jacobo et Joanni, ut in ore trium testium staret omne verbum [6], splendorem resurrectionis suæ et gloriam præmonstravit. « Unde et duxit illos in montem excelsum valde, et transfiguratus est ante eos [7]. » Et quia exemplum dedit nobis ut nos ita faciamus, hac forma pensata, summus Pontifex, qui est vicarius Jesu Christi, dominica quarta qua cantatur *Lætare Jerusalem*, scilicet dominica proxima ante dominicam de Passione, quasi pridie antequam ipsa passio inchoetur, ut minus passio contristet, rosam auream gestans in manu, fidelibus gloriam futuræ resurrectionis præmonstrat.

XXXIV. *Resurrectio figuratur in flore.* Siquidem resurrectio Christi in flore signata est, juxta quod ipse ait in psalmo : « Et refloruit caro mea [8]. » Enimvero inter omnes pulchritudines transitorias, major videtur pulchritudo florum, juxta quod dicitur in Evangelio : « Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis [9]. » Omnes autem flores pulchritudine præcedit rosa, ut præostensum est. Merito ergo gloria illa quam « oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit [10], » majori pulchritudine transitoria quæ inveniri valeat, designatur, quia vestimenta Christi in transfiguratione talia facta sunt, qualia fullo non potest facere super terram.

XXXV. *Cur rosa aurea?* Et bene competit quod rosa aurea est et linita balsamo, cui et appositus est muscus. Aurum namque inter omnia metalla splendidius est et pulchrius, juxta illius Cantici : « Caput ejus aurum optimum [11]. » Aurum ergo præsignat splendorem gloriæ suæ et resurrectionis futuræ; propter quod « et aspectus angeli erat sicut fulgur [12]. »

XXXVI. *Cur rosa linita balsamo?* Balsamo quoque mortuorum corpora condita incorrupta servantur : præsignat resurrectionis ipsius perfectam immortalitatem, juxta quod ait Paulus : « Christus resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. »

XXXVII. *Cur rosæ apponitur muscus?* Muscus qui inter aromaticas species maximum tenet odorem, præsignat odorem famæ suæ ubique respersum. Unde et ipse post resurrectionem ait : « Nunc data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, » quia scilicet tunc fuit omnibus nota : ex tunc enim « in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum [13]. »

XXXVIII. *Cur in Ecclesia Sanctæ Cru-*

(1) *Humentibus.* Job xl, 16. — (2) *Inaquosa.* Luc. xi, 24.—(3) *Siccavit.* Matt. ix, 20.—(4) *Scripta.* Nulla scripta supersunt nostro antiquiora, juxta doctissimi Zaccariæ recensionem in *Biblioth. Liturg.* t. i, p. 438; sed ritum esse multo antiquiorem idem abunde testatur, ut et nuperrime Cl. et Rev. auctor *Anni liturg.* (*temps du carême*, p. 535)—(5) *Fidelibus.* Horat. *Art. poet.* v. 181, 182. — (6) *Verbum.* Deuter. xvii, 6. — (7) *Eos.* Matt. xvii, 2. — (8) *Mea.* Ps. xxvii, 7. — (9) *Istis.* Matt. vi, 29. — (10) *Ascendit.* I Cor. ii, 9. — (11) *Optimum.* Cant. v. 11. — (12) *Fulgur.* Matt. xxviii, 3. 18. — (13) *Eorum.* Ps. xviii, 5.

cis. Et bene competit, quia in eo loco hoc agitur, qui appellatur Sancta Jerusalem, quia et ex illa ex quibus hæc forma sumta est, in Hierosolymæ partibus acta sunt, juxta illud : « De Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem [1]. » Bene quoque competit quod pene totum officium ipsius missæ jucunditatem et lætitiam resonat, ut officium introitus, quod cantatur *Lætare Jerusalem*, etc., in hunc modum. Præsignant enim lætitiam et exsultationem resurrectionis futuræ. Nam etsi ad vesperum passionis ejus demoratus sit fletus, tamen ad matutinum resurrectionis ejus fuit lætitia, juxta quod ipse ait in Evangelio : « Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum [2]. »

XXXIX. *De aliis solemniis quæ fiunt in officio*. Ipse autem Summus Pontifex, ad idem designandum, eo die indutus est casula vel planeta florida, quum per totam Quadragesimam utatur nigra, ut ipse vicarius Christi per flores ipsos, quasi in sua persona, præmonstret fidelibus gloriam resurrectionis futuræ. Sicut et Christus discipulis, in ipsa transfiguratione, in sua persona futuræ resurrectionis gloriam præmonstravit, et cætera in hunc modum, si diligenter attendantur, poterunt rationabiliter assignari.

XL. *De rosa in malo*. Est etiam rosa voluptuosæ amœnitatis. Sapientia : « Coronemus nos rosis, antequam marcescant [3]. »

INDICULUS

CAPITULORUM ROSÆ ALPHABETICÆ SUPRA EDITORUM [4].

Incipiunt capitula 81 in I Littera. *Alpha — Aromata*.

Arcturus, II, 72.
Annus, II, 115.
Aurora, II, 97.
Aer, II, 74.
Avis, II, 471.
Aquila, II, 480.
Accipiter, II, 495.
Alæ, II, 476.
Aranea, III, 81.
Amicus, III, 136.
Auris, II, 225.
Armilla, III, 160, 208.
Adolescens, III, 115.
Ancilla, III, 239.
Ascendere, II, 271.
Ambulare, ibid.
Arcus, II, 306.
Agnus, III, 30.
Aries, III, 25.
Asinus, III, 13.
Arca, III, 210.
Aurum, II, 276.
Argentum, II, 284.
Aspis, III, 93.
Aqua, II, 149.
Ager, II, 126, 460.
Aratrum, II, 436.
Acervus, II, 336.
Area, II, 438.
Altare, III, 218.
Atria, III, 191.
Arbor, II, 353.
Acetum, II, 464.
Amygdalus, II, 379.

In II Littera cap. 19. *Beatus — Babylon*.

Barba, II, 220.
Butyrum, III, 39.
Bestiæ, III, 49.
Boves, III, 16.
Byssus, III, 155.

In III Littera cap. 81. *Creatio — Cete*.

Cœlum,
Corvus, II, 499.
Columba, II, 485.
Caro, II, 240.
Cutis, II, 237.
Caput, II, 40.
Collum, II, 222.
Calix, II, 466.
Cantus, III, 146.
Cymbala, III, 148.
Cor, II, 250.
Cingulum, II, 43.
Cathedra, III, 252.
Calcaneus, II, 267.
Calceamentum, II, 44.
Currere, II, 271.
Civitas, III, 170.
Castrum, II, 325.
Clavis, III, 202.
Columnæ, III, 204.
Calor, III, 254.
Carbones, ibid.
Clibanus, II, 447.
Canis, III, 76.
Cervus, III, 69.
Camelus, III, 10.
Cornu, III, 22.
Cedrus, II, 357.
Cortex, II, 394.
Colles, II, 145.
Coluber, III, 92.
Cisterna, II, 168.

In IV Littera cap. 44. *Deus — Draco*.

Deus, II, 2.
Dentes, II, 212.
Dextera, II, 32.
Digitus, II, 34.
Dormire, II, 19.
Divitiæ, III, 247.
Denarius, II, 270.
Drachma, II, 280.
Dux, II, 238.
Descendere, II, 271.
Domus, III, 179.
Draco, III, 97.

In V Littera cap. 43. *Æternitas — Æs* vel *Ærugo*.

Æstas, II, 117.
Equus, III, 8.
Elephas, III, 59.
Ebur, ibid.
Æs, Ærugo, II, 291.

In VI Littera cap. 72. *Facere — Fluctus*.

Firmamentum, II, 54.
Favus, III, 41.
Fulgur, II, 83.
Facies, II, 218.

(1) *Jerusalem*. Is. II, 3. — (2) *Vestrum*. Joan. XVI, 22. — (3) *Marcescant*. Sapient. II, 8. — (4) *Editorum*. Ex illo magnæ molis opere non pauca quæ supra suis in locis inseruimus, juvat hic repetere, et sub uno intuitu, ordine rerum, qualis exstat ab ipsomet auctore institutus, diligenter obtinente, singula ponere numerisque tomorum et paginarum cuncta instruere et distinguere.

Fauces, III, 255.
Fodere, III, 275.
Faber, II, 296.
Forceps, II, 315.
Figulus, II, 176.
Fel, III, 252.
Femur, II, 261.
Fornicatio, III, 124.
Filii, III, 109.
Frater, III, 132.
Fures, III, 46.
Funda, II, 310.
Ficus, II, 372.
Flos, II, 396.
Fæx, II, 461.
Frumentum, II, 426.
Forma, II, 441.
Fermentum, III, 446.
Fenum, II, 61.
Falces, II, 315.
Fundamentum, III, 63.
Fenestræ, III, 64.
Ferrum, II, 293.
Fons, II, 169.
Flumen, II, 158.

In VII Littera, art. 26, *Gloria — Glebæ.*

Grando, II, 86.
Gallus, II, 488.
Genæ, II, 216.
Genu, II, 261.
Gladius, II, 203.
Grex, III, 45.
Granum, II, 424.

In VIII Littera, art. 28, *Honor — Hericius.*

Hiems, II, 117.
Hodie, II, 112.
Humeri, II, 227.
Hostia, III, 226.
Horreum, II, 439.
Hædus, III, 33.
Hircus, III, 32.
Hortus, II, 399.
Herba, II, 403.
Hyssopus, II, 418.
Hericius, III, 73.

In IX Littera, art. 45, *Justitia — Infernus.*

Inaures, III, 160.
Ignis, II, 179.
Jacula, II, 310.
Jumenta, III, 39.

In X Littera, art. 3, *Karitas, Karissimus, Kamus.*

In XI Littera, art. 48, *Lux — Liquefactio.*

Lux, II, 101.
Luminare, ibid.
Luna, II, 66.
Locusta, II, 515.
Lingua, II, 209.
Lucerna, III, 216.
Leo *vel* Leæna, III, 54.
Lupus, III, 63.
Lac, III, 37.
Lana, III, 252.
Lignum, II, 348.
Lilia, II, 407.
Limus, II, 139.
Lagenæ, III, 223.

In XII Littera, art. 48, *Majestas — Mare.*

Meridies, II, 104.
Menses, II, 113.
Milvus, II, 497.
Meretrix, III, 124.
Mater, III, 129.
Membra, II, 27.
Maxillæ, II, 215.
Memoria, II, 17.
Medulla, II, 248.
Mercenarius, III, 44.
Malum, II, 373.
Myrrha, II, 410.
Myrtus, II, 366.
Messis, II, 430.
Murus, III, 173.
Margarita, II, 341.
Mola, II, 440.
Mare, II, 153.

In XIII Littera, art. 25, *Nosse — Navis.*

Nidus, II, 477.
Nervus, II, 248.
Nuptiæ, III, 121.
Negotiatio, III, 251.
Nemus, II, 354.
Nuces, II, 378.

In XIV Littera, art. 33, *Omnipotens — Olla.*

Ornatus, III, 160.
Oriens, II, 81.
Ovum, II, 478.
Oculi, II, 5, 202.
Os, II, 37, 246.
Osculum, II, 137.
Ossa, II, 37, 246.
Odor, II, 204.
Oves, III, 27.
Onager, III, 67.
Oleum, II, 381.
Olla, III, 224.

In XV Littera, art. 73, *Potestas — Profundum.*

Pruina, II, 86.
Pluvia, II, 87.
Passer, II, 493.
Pulli, II, 479.
Pectus, II, 249.
Patres, III, 127.
Primogenitus, II, 131.
Puer, III, 113.
Pedes, II, 263.
Pastor, III, 44.
Proximus, III, 133.
Pharetra, II, 308.
Pacificus, II, 322.
Pecora, III, 43.
Pardus, III, 54.
Porci, III, 47.
Palma, II, 377.
Panis, II, 444, 448.
Panes, III, 188.
Porta, III, 196.
Petra, II, 327.
Pulvis, II, 124.
Plumbum, II, 292.
Piscina, *App.*
Piscis, *ibid.* p. 539.

In XVI Littera, art. 9, *Quies — Quercus.*

Quercus, II, 364.

In XVII Littera, art. 37, *Refugium — Reptilia.*

Rex, III, 255.
Ros, II, 90.
Risus, III, 138.
Renes, II, 259.
Rota, III, 175.
Rhinoceros, III, 59.
Rami, II, 393.
Radix, II, 385.
Rubus, II, 370.
Rosa, III, 48.
Rupes, II, 146.
Reptilia, III, 83.

In XVIII Littera, art. 95, *Spiritus — Squamæ.*

Spiritus, II, 49.
Sol, II, 61.
Stellæ, II, 68.
Sitis, III, 256.
Sputum, II, 214.
Speculum, III, 165.
Saccus, III, 249.
Statera, III, 250.
Sacerdos, III, 227.
Sanguis, II, 242.
Sedes, II, 273.
Sterilitas, III, 126.
Stare, II, 272.
Saltus, III, 139.
Sagitta, II, 308.
Sera, III, 201.
Scopa, III, 231.
Silva, II, 352.
Sycomorus, II, 366.
Salices, II, 365.
Spinæ, II, 368.
Sepes, II, 392.
Spica, II, 401.
Stipula, II, 433.
Sapphirus, II, 338.
Solitudo, II, 136.
Sal, II, 146.
Sepulcrum, III, 276.
Serpens, III, 89.
Stagnum, III, 166.
Sanguisuga, III, 93.
Sagena, *Append.*

In XIX Littera, art. 120. *Thronus — Tranquillitas.*

Turtur, II, 490.
Tuba, III, 147.
Torques, III, 161.
Tympana, III, 144.
Talentum, II, 282.
Tigris, III, 62.
Terra, II, 123.
Terebinthus, II, 364.
Tribuli, II, 369.
Thuribulum, II, 414.
Torcular, II, 438.
Thesaurus, II, 287.
Tapetia, III, 166.
Topazius, II, 339.
Turris, II, 175.
Tabernaculum, III, 183, 212.
Templum, III, 183.
Tectum, III, 188.
Trabes, II, 393.
Tunica, II, 39.
Tinea, III, 86.
Talus, II, 267.
Tauri, III, 18.
Talpæ, II, 81.
Torrens, II, 160.

In Littera XX, art. 183. *Vita — Vehemoth.*

Vita, III, 274.
Ver, II, 116.
Venti, II, 78.
Vultur, II, 502.
Vespertilio, II, 507.
Vigilare, II, 20.
Ubera, II, 33, 251.
Uncinus, II, 314.
Ungues, II, 269
Unguentum, II, 383.
Uterus, II, 11.
Viscera, II, 237.
Uxor, III, 107.
Virginitas, III, 118.
Vestigia, II, 267.
Vestimentum, II, 38, 158.
Venatores, III, 77.
Vacca, III, 21.
Vitulus, III, 20.
Vulpes, III, 65.
Ursus, III, 61.
Villa, III, 177.
Vicinus, III, 137.
Vestibulum, III, 192.
Vectis, III, 206.
Vas, III, 220.
Via, II, 15.
Vallis, II, 129.
Ventilabrum, II, 439
Vinea, II, 451.
Uva, II, 456.
Vindemia, II, 458.
Vinum, II, 462.
Uter, III, 223.
Virga, II, 118.
Vepres, II, 369.
Vermis, III, 86.
Vipera, III, 94.
Vehemoth, III, 97.

EX EJUSDEM OPERIS PROLOGO.

Incipit Prologus.

Dilectis plurimum, et diligendis semper in visceribus Jesu Christi, venerando clero Romano, et ejus [1] scholasticis, prophetarum filiis, epulantibus in domo calvi Elysei pulmentum ex vase fictili, Petrus divina permissione sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis indignus : sic ex vase litteræ gustare pulmentum Scripturæ, ut per nostrum Eliseum apposita farina spiritualis intelligentiæ, pulmentum ipsum gustantium dulcescat in ore, quatenus, sicut olim discipulis fecit ipsis, sensum aperiat ad intelligendas Scripturas. « Cogitavi dies antiquos et annos » scholasticos « in mente habui, » quibus in lege Domini erat voluntas mea, et in lege ejus meditabar die ac nocte : eo quod erant quam « dulcia faucibus meis eloquia » sua, « super mel ori meo, » quin immo et « dulciora super mel et favum. » Et licet aurum et argentum nunc sint mihi, quando « reges Tharsis et Insulæ [2] munera offerunt, » et gentes variæ dona adducunt, et sedeam cum principibus, et solium gloriæ teneam inter eos quos educit in auro et argento ille cui « obtulerunt munera, aurum, thus et myrrham; » quia tamen aurum et argentum nostrum æruginavit (et utinam ærugo eorum non sit nobis in testimonium!), erat tunc bonum mihi « lex oris sui super millia auri et argenti, » immo et super aurum et topazion vel lapidem pretiosum. Quamvis autem in sudore vultus tunc vescerer pane meo, eo quod puteus altus erat, nec haurire poteram sine labore, aut illos puteos eruderare de facili, quos olim pueri Isaac multo labore foderunt, ut aquam limpidam invenirent; propter quod et « noctes laboriosas enumeravi mihi, quia sapientia non invenitur in terra suaviter viventium : » sciens tamen quod « homo ad laborem nascitur, et avis ad volandum, » erat mihi jugum studii suave et onus leve, videbanturque mihi dies pauci præ amoris magnitudine, quia serviebam Rachelem, dum sapientiæ dicebam : soror mea es, et prudentiam vocabam amicam meam [3]...

Proposuimus sane, in hoc opere, de omnibus illis dictionibus agere, quæ in armario Spiritus sancti, scilicet Scriptura sacra, notabilem aliquam habent positionem, sententiarum acceptiones varias distinguere et de singulis tractatum aliquem disponere competentem, quod merito valeat in sermone aliquo collocari. Sed ut opus ipsum magis esset distinctum, et ne propter multitudinis et numerositatis ipsarum dictionum copiam, confusio esset in opere, ordinem duplicem in eo curavimus adhibere. Primo enim ponuntur dictiones quæ incipiunt ab A, et sic per totum ordinem alphabeti. Ad majorem etiam operis distinctionem, et ut quod quæritur facilius inveniatur, in singulis litteris ordo alius annotatur. Nam inter alias quæ incipiunt ab A, primo ponuntur dictiones illæ quæ proprie conveniunt Deo [4] vel his quæ circa Deum attenduntur; secundo, quæ angelis vel circa angelos; tertio, quæ firmamento vel circa firmamentum; quarto, quæ aeri vel circa aerem; quinto quæ homini vel circa hominem; sexto, quæ brutis vel circa bruta; septimo, quæ terræ vel circa terram; octavo, quæ aquis quæ sunt sub terra vel circa aquas; nono et ultimo ponuntur quæ conveniunt abysso, vel his quæ attenduntur circa abyssum, ut secundum collocationem rerum ipsarum a summo usque ad imum ordinate fiat descensus. Qui ordo in B, C, et in omnibus aliis litteris observatur [5].

Ex codice Navarr. 14 in Biblioth. Paris. imper. sæc. XIV; ab initio paulo evanida scriptura est. Piguit recensere loca Scripturæ singulis immixta verbis, quæ ad sacros libros non retulissem quin facile dimidiam impleverim hanc paginam novissimam. — (1) *Juris* cod. Cf. Maium qui primas lineas edidit in præfat. t. IV *Spicil. Rom.*, p. XII. — (2) *Insulæ.* Quidni respexerit suas in Galliam et Angliam [*Tharsin* et *Insulam?*] legationes celeberrimas? — (3) *Meam.* Inde pergit, lento pede, in describendis Rachelis seu vitæ contemplativæ, studiosæ, scholasticæ amplexibus, quam tenuisse testatur per septem annos, dum scholaris in castris scholasticis inter eos qui in studio sunt, ipse cucurrit, et quamvis unus et rarus accipiat bravium, « ego tamen, ait, contendebam sic currere ut comprehenderem; studebam quidem, sed quiescebam; vigilabam, sed a mundi strepitu fugiens, manebam in solitudine. » Cui Rachelis otio successit « lippa illa oculis et æmula Lia, quietis impatiens. » A quo nomine excurrit in actuosæ vitæ tædia, « in quibus, ait, Petrus cum Petro videns ventum validum, timeo; ecce enim causæ in auditorio perstrepunt, » et porro alia bene multa, quæ vehementer redarguit Lia, cum auctore colloquium et querelas conserens. Litem dirimit, sententiamque inter Rachelem et Liam statuit opus illud, olim in scholasticis studiis incœptum, sed absolvendum demum inter negotiorum curas : « In quo et venerandus clerus exercitetur facilius ad loquendum, et sollicitudo scholastica præsto ad manum habeat pleniorem copiam ad scrutandum. » — (4) *Deo.* Inde describit ipsummet Clavis nostræ ordinem, qualis præsertim in Theodulfi codice instituitur. — (5) *Observatur.* Addit et ab se in margine annotari concordantias, in quibus quæ alibi similia sunt, colliguntur, « ut si quis vult loqui de rosa, poterit et omnia introducere quæ ponuntur in flore, et quæ ponuntur in lilio et cæteris floribus; contraria etiam et in marginibus annotantur. » Sequitur brevius aliud proœmium quod præmitti debuit priori editioni.

ΙΧΘΥΣ

SIVE

DE PISCE ALLEGORICO ET SYMBOLICO.

Ἐξηγήσονταί σοι οἱ ἰχθύες τῆς θαλάσσης.
Job. XII, 8.

Defuturum aliquid videretur spartæ quam suscepi adornandam, nisi post illos Melitonis nostri annales perpetuos, post illam satis prolixam formularum spiritualium historiam, sed etiam post copiosissimos singularum allegoriarum commentarios, lemma seligerem unum, unum præ cæteris proponerem symbolum, quod a me abundantius, et, pro judicii mei mensura, plene tractaretur : cui quidem in primis adhiberem varia cujuslibet ævi monumenta quæ hactenus, statuto consilio, constanter amovi ; scilicet, ne quum me jam obruerent scriptorum testimonia, altera et fortasse gravior operum et opificum moles premeret. Nunc vero, in hac longiusculi itineris meta, spero fore ut otio sit et oblectamento potius, quam gravamini, paulisper in symbolica quadam piscatione immorari. Quod si quis illud mihi ut nimis exile, aut otiosius exprobraverit, non deerunt virorum longe præstantiorum exempla. Aderit enim mihi ille Hungarorum Livius, J. Dubravius, qui pereleganter *de Piscinis* scripsit. Aderit *Piscium romanorum* historicus, Paulus Jovius. At enim, quum hic Nucerinus episcopus litteris tradiderit quæ cum duobus amplissimis card. Joanne Lotharingo et Ludovico Farnesio, coram Clemente VII, P. M. in familiari convivio disputaverat; ille vero episcopus Olomucensis, duobus aliis Nitriensis Ecclesiæ pontificibus, Francisco et Stanislao de Thurzone, eumdem urgentibus, tam suam quam illorum dignitatem minime dedecere censuerit quinque libros *de Piscinis* scite et eleganter dictare, eisque nuncupare [1], quidni ego ab his retibus amovear, « quæ captos non perimunt, sed e profundo ad lumen extrahunt reservatos [*Ambros.*]? » Quo enim usque singulæ symbolorum formæ sese ferant, ægre prospexeris, nisi prius, dato saltem uno exemplo, utcumque dicatur : primum, quæ fuerit vel unius symboli fortuna extra chorum Ecclesiæ et ante christiana tempora, emenso non tantum vastissimo vetustatis ethnicæ theatro, sed vero etiam non intacta Judæorum et hæreticorum palæstra ; deinde, integra e scriptis testimoniis historia ejusdem retexatur, non solum ad duodecimum usque sæculum, id quod hactenus instituti mei fuerat, verum inde ad hodierna quoque tempora ; neque per ἀνεκδότους formularum interpretes modo, vix enim alios superius admovi, sed et per omnes ecclesiasticos scriptores ; præterea, media enim operis pars adhuc infecta remaneret, altera tela omnino similis erit continuo et παραλλήλῳ deducenda filo, ex monumentis, titulis, imaginibus, anaglyphis, sculpturis; in quibus enimvero plerumque vividior quam in scriptis, simpliciorque et solemnior veterum rei symbolicæ canonum religio mansit. Quid plura? Sed in aere non piscabitur, si quis huc usque vectus, simul attentius consideraverit utrum theologica illa unius allegoriæ formula e rebus profanis derivetur, necne ; rursus an e sacra consuetudine transierit promiscuos in usus sive privatæ sive publicæ vitæ, in fori et castri signa, in urbis et ruris ornamenta. Tu vero quicumque demum es hanc totius rei symbolicæ universitatem complexurus, utinam, me quidem vovente, sed desperante simul,

Exoriare aliquis nostris ex ossibus!...

(1) *Nuncupare*. J. Dubravii episcopi Olomucensis *de Piscinis*, lib. v, Norimbergæ, 1623, in-12. Epistola nuncupatoria auctoris ad Franc. Thurzonem ep. Nitriensem data est in arce Cremsiriensi, a. 1546. Cæterum libellus ille totus est in naturali piscinarum descriptione et procuratione. Ejusdem generis omnino est P. Jovii libellus *De Romanis piscibus*, Romæ, 1524, et alter *De piscibus marinis, et fluviat. et aquat.*, ibid., 1527. Qui symbolicum piscem peculiari dissertatione attigerint, neminem invenies, præter duos italos, Costadonium et Polidorium, germanumque unum, Joannem Cyprianum ; de quibus infra suo loco.

At per me non erit quin tibi, quisquis demum es illud ausurus, ex octingentis circiter Melitonianæ Clavis lemmatibus symbolicis, unum saltem redhibeam, notulisque meis ita amplificem, ut stadii quod emensurus es orbem lineola qualicumque, ducta per omnium gentium et sæculorum varietatem, circumscribam.

Piscis erit symbolum hocce mihi illustrandum, quod certe non vides in summo rerum fastigio, sed nec in commodiore argumenti mei meditullio positum. Nempe id antea promissum; tam cito ne leviter dicam, typis perennavi [tom. I, p. 173], ut illud idcirco prætermittendi mihi ipse facultatem ademerim, spe quidem tunc vehementi allectus eaque litteris confirmata, futurum esse ut celeberrimus quidam et felix rei antiquariæ indagator meos in usus rete suum expanderet. Sed dum invitus ille moras moris nectit, me vero in medium trudunt ultimæ incepti operis plagulæ, debui meo periculo verriculum ejicere, et qualiacumque traxerim apponere obsonia.

Quid igitur ἀλληγορικῶς fuerit IXΘYC apud veteres quum breviter dixero, paulo latius verum et genuinum symbolum inter orbis christiani monumenta et testimonia persequar.

CAPUT I.

DE VETERUM PISCE ALLEGORICO.

Quod universa hac tractatione enitar in aperta luce ponere, non est quod ab initio celem, quum id velim lectoris ante oculos perpetuum obversari : Piscium videlicet ubivis terrarum et aquarum occurrere signa, emblemata, allegorias; nullibi vero gentium ethnicarum, nisi fallor, inventum iri eumdem quem christiani constanter illi dederint significatum, quo proprie, quale definitum rite est, symbolum efficitur. Quæ sit illa symbolica apud nostros intelligentia edissere me nihil urget, quin antea candide attulerim ex authenticis germanisque ethnicæ vetustatis documentis, ejusdem hac de re sententias veras et varias; varietatem vero quo subtilius distinxeris, quove altius eris veritatem rimatus, eo tibi certius erit aut arcana, si qua sunt, hactenus omnem oculum effugisse, aut nihil ex illis posse extundi, quod historicum, naturalem, elementarem sensum prætereat. Hæc multarum rerum summa erit.

Art. I. De pisce apud assyrios et antiquiores orientales.

§ 1. *Monumenta.*

1° Maximis et opulentissimis libris quos nuper ad illustranda Assyriorum monumenta summi viri conscripsere, aliquid forte novum addam, sin rarum [p. 584], exemplum scilicet ἰχθυομόρφου numinis Assyriorum : in quo duplex simile monstrum facie opponitur, brachiis in utriusque pectore cancellatis, capite pari mitra redimito, cujus apex, ut alias liquidius visum est, in lilium desinit. Lapis quem babylonicis bætylis accensere solent, in Bibliothecæ imperialis Paris. numophylacio asservatur.

2° et 3° Sculptum item est pisciforme monstrum duplex, brachiis iterum utrinque cancellatis, in gemma una quam protulit Fabretti, *Inscript. antiq.* c. VIII, n. 4, p. 572. In altera vero edita nuper, stant eadem erecta, manibus expansis [de Longpérier, *Revue archéolog.* t. I, p. 213; IV, 296].

4° Idem etiam bis in amplissima repetitur sculptura, qua palatii vulgo dicti Khorsabad pars a meridie ad orientem versa ornabatur; quam videre est tum in Parisiensi museo Assyrio, n. 34 et 35, tum apud cll. vv. E. Botta et E. Flandin, *de Ninivitano monumento*, t. I, tab. 32, 34; t. V, p. 99; denique in *Assyriis monumentis* H. Layard, p. 466, a quo diserte Oannes illic exsculpi asseritur.

5° Sed Maffeio [in Calogeræ *Raccolta*, t. XLI, p. 330, et in suis *Gemm. antich.*, t. II] idem visus est exprimi Oannes habitu longe diverso, in bætylo, cujus exemplar vidi ipse, etiamnunc in Cæsareo Parisiensi numophylacio expositum; is lapis præfert gradientem virum, manibus quidem expansis et barbata facie, a præcedentibus haud dissimilem, sed grandioris ceti pelle ita tectum, ut vultui ejusdem supereemineat piscis caput, piscisque cauda ad talos pendeat, discoopertis inferne pedibus : is incedit, sinistra manu tenens amulam libatoriam, in Assyriis anaglyphis frequentissimam (1).

Mitto, uti par est, alia non pauca, quæ in

(1) *Frequentissimam.* Doctus Camaldulensis Costaoni alibi erat, quum ipsi nescio quid ægyptium lapis iste continere visus est. Raccolta l. l. Cf. Flandin et Coste, *Voy. en Perse*, t. V, p. 222.

mari, in fluminibus, in piscationibus pisces sine ullo allegorico respectu exhibent [Cf. Layard, *The monuments of Nineveh*, pl. 39, 67 B, 68, 71, 72, 73, 75, 76, 78, 79, 81; *Nineveh and its Remains*, t. II, p. 137, 273, 381, 393, 395, etc.].

§ 2. *Testimonia.*

Quid sibi velint superiora, quisve sit marinus ille et pisciformis Oannes, interrogandus apposite est vetus Chaldaicarum traditionum testis, Chaldæus ipse et Beli interpres, Berosus ille ab Apollodoro et Georgio Syncello descriptus [Fabric. *Bibl. gr.* XV, p. 185, 186], a quo docemur Oannem inter sanctissima numina Babyloniis fuisse, cui artium et scientiarum munera accepta referebant, quemque ab Erythræo mari identidem credebant emergere et in urbem ire regiam, cujus humana facies, vox, pedes, incessus; piscis vero erat corpus et superior capitis apex et cauda ad pedes ducta : Τὸ μὲν ἄλλο σῶμα ἔχον ἰχθύος, ὑπὸ δὲ τὴν κεφαλὴν ὑποκάτω τῆς τοῦ ἰχθύος κεφαλῆς καὶ πόδας ὁμοίως ἀνθρώπου, παραπεφυκότας δὲ ἐκ τῆς οὐρᾶς τοῦ ἰχθύος· εἶναι δὲ αὐτῷ φωνὴν ἀνθρώπου. Quæ quidem quum cæteris minus bene quadrant, Parisiensi et Maffeiano lapidibus aptissime conveniunt; quos porro Berosus digito monstrat, quum addit hujuscemodi imaginem etiam tunc asservari : Τὴν δὲ εἰκόνα αὐτοῦ ἔτι καὶ νῦν διαφυλάσσεσθαι.

Neque ignorant hæc Helladius [Photii cod. 279], Origenes [Φιλοσοφούμ. p. 97], Syncellus [*Chron.* p. 51 Bonn.], quibus Oen vel Oannes sive Iannes primus homo est apud Chaldæos, iisdem in mari Rubro visus quinquies, varioque nomine toties dictus, quæ cum quinque diversis imaginibus quæ exstant, si contuleris, fortasse singula ex singulis explanabuntur. Cæterum Babylonicas ædes in quibus Oannes sculpitur, non esse a. A. C. 596 recentiores statuit Dureau de La Malle [*Mém. de l'Acad.* t. XVIII, p. 410].

Jam eadem ad diluvium spectare insinuant quæ mox apud Syros inveniemus de Atergate, summi Assyriorum dei conjuge. Sed hinc et inde omnia caligine obvolvi non mirum, quum duo tantum indicia nobis suppetant, imagines mutæ et nuda deorum nomina.

Hæc nomina vide an recentiores haud insulse tentaverint excutere ope orientalium linguarum, quibus sonuit Oannes, ἀννέδοτος, *vir oracula fundens;* et agnomen primum, græcis litteris εὐέδωκος sive ἐνεύδωκος, *docens arcana scientiæ;* at secundum, ἐνεύγαμος, *docens arcana fructuum;* tum retulere tertium, ἐνεύβουλος, ad *arcana pluviæ;* quartum vero, ἀνήμεντος, ob *arcana mensurarum* ad sidera, ad astronomiam et geometriam; quintum denique ὠδακών jam nos ad pisces reducit [Cf. Fr. Nork, *Etymolog. symbol. mythol. Real-Wörterbuch*, Stuttg. 1841, ad v. *Fisch*].

E re nostra potius est hic inculcare brevem syllabam qua omnis vetus Oriens personuit : Hebræorum enim דָּג Dag, feminino genere דָּגָה Dagah, ab emphatico chaldæo דָּגָא licet inusitato, ducunt ad multa sive Syrorum, sive Græcorum nomina. Affinia habentur דָּגִין *Pisciculus*, et more Orientalibus solemni, *Piscis carus et venerandus :* inde *Dagon* Philistinæorum. An Assyriorum quoque ὠδακών? Sed huc referre non dubitant, vix adducta metathesi, Syrorum *artaga, addir-dag, addirdaga (piscis magnus, divinus)*, tum Gad, Ceto, Atergatis, Derceto, cui Diodorus filium assignat nomine ἰχθύν; quæ vero omnia mox recurrent [Selden, *de Diis Syror.*, p. 263; Bellermann, *Ueber Phön. Münzen*, II, n. 28, p. 15].

Neque eamdem Hebræorum voculam abesse omnino volunt ab Græcorum ἰχθύδιον et ἰχθύς, quæ quidem pene integra sonat in δίκτυννα, δίκτυς, δίκτυον, sed parcius in σαγήνη, et inversis litteris in κῆτ-ος [Cf. Gesenius, *Hebr. Wörterbuch*, I, p. 181; Grimm, *Deutsche Gramm.*, III, 665; Jo. Simonis *Lexic. man. hebr.;* D. Guarin, *Lexic. hebr.-chald.* ad h. v.].

Deinde otiosum non sit obiter notare, sicut ab Hebræo דָּג *Dag*, quam proxime stat דָּגָן *Dagan*, frumentum; ita, indivulso quodam nexu, ab allegoria sive symbolo piscis semper cohæsisse aliquid a frumento, a pane, a cibo petitum : unde, ut uno defungar exemplo e proximis, Philoni Byblio appellatus est Syrorum Dagon Deus frumentarius, uno verbo ὁ σίτος [Sanchoniathon. *Fragm.* apud Orelli, p. 26, 32]; et inter nostra, in Origeniano lexico eadem fusius et integrius : Δαγών, εἶδος ἰχθύος, ἡ λύπη· λέγεται δὲ καὶ δῶρόν ἐστιν, ἅγια, ἢ ὁ Ζεὺς ὁ ἀρουραῖος [Hier. *Opp.*, ed. Vall., t. III, p. 1218].

A quibus proclivi jam tramite tendimus ad

Art. II.

§ 1. *Syrorum de pisce monumenta.*

Huc congerenda duximus quæ pertinent ad Tyrios, ad Syrophœnices, ad Pœnos, ad Punicas Hispanorum et Italorum colonias.

1° In primis solemnis est, neque semel eruditorum curis illustratus, Phœnicum Ascalonitarum numus, cujus is typus est : mulier, cui luna præfixa, sinistra tenet hastam, dextra columbam : insistit vero alteri mulieri in piscem desinenti. Aliquoties triton aut centaurus marinus substernitur. Ad ultima usque tempora stetisse hujusmodi typum testantur quæ in altera numi parte emicant capita et tituli Antonini, Severi aut Elagabali [Vid. Vaillant. Noris, apud Eckhel, *de Doctrina numor.*, t. III, p. 445; Selden, l. l., c. 3].

2° Cui proximus mihi videtur typus alter Istiæorum, quorum in numis mulier proræ navis insidet, cui siren insculpitur [Goltz, t. III, tab. XI, XII, n. 5, 6].

3° Solent numi siculo-punici notari capite mulieris cornuto, pisciculis aut delphinibus circumpositis [Goltz, *Thesaur. rei antiq.*, t. IV, tab. II, n. 8, 9; tab. IV, n. 3, 8, 10; tab. VII, n. 4, 10; tab. XII, n. 1, 6. Beger, *Thesaur.*, t. I, p. 384, 385. Mionnet, *Descr. des méd. gr. et rom.* t. I, p. 210, 224, 240, 267, 289]. Aliquando cum duplici capite muliebri [Goltz, *ib.*, tab. III, 5, 6].

4° In Berytorum numis hippocampo vehitur Neptunus, aut Astarte, sive Genii, cum delphinis [Eckel, t. III, p. 354, 357].

5° Diadumeni numus, Beryti cusus, in colonia Julia Augusta Felici, habet a parte postica, sub elegantis templi schemate, duos puerulos duobus delphinis insidentes. In ædiculi fastigio stat Neptunus aut Triton cum aplustro [Havercamp, *ad Oros.*, lib. VII, c. 18, p. 506].

6° Huc certe spectant Gaditanorum numi, in quibus unus vel duo pisces, cum inscriptione hactenus incomperta : ODACIS. Sed velim memineris quæ modo dicta de vocibus consonis *Dag*, *Dagon*, ὠδακών, indeque confirmantur, quod aliquando pisciculo spica adjacet [Eckhel, t. I, p. 20. Mionnet, I, p. 13].

7° Ilippæ, in Bætica, hinc piscis, imminente lunula superne, additis nonnumquam binis astris, inde spica [Eckhel, *ib.*, p. 23. Mionnet, I, p. 15].

8° Nemæ, in eadem provincia, Delphinus et pisciculus [Eckhel, *ib.*, p. 26. Mionnet, *ib.*, p. 26, n. 181].

9° Tartesso, ibidem, spica et piscis, situ parallelo [Eckhel, p. 29].

10° Per me non stabit quin ad eamdem fabricam reducas monetam quam longe alio alii retulerunt; Goltzius scilicet ad Philippopolim, Spanhemius ad Philippenses in Macedonia, plerique ad Græcos, obstante licet inscriptione semilatina, forte punica aut depravata ΦΑΙΓΕΝΣΕ quæ in area media, inter duas lineolas legitur; supra piscis πλαγίως jacet, cui lunula superemicat. Sed in averso numo spica luxuriose expanditur [Goltz, t. III, tab. XXV, n. 6].

11° Ut ad occidentem revertar, in numo Osonobæ, urbis Lusitanorum, sunt piscis et navigium cum velo [Eckhel, t. I, p. 13. Mionnet, I, p. 3].

12°, 13° Item Kanakam et Carteiam in numis insculpsisse suis marinum deum cum delphine, thunno et pisciculis, testatur Münter [*Ant. Abhandl.*, p. 103. Cf. Mionnet, I, p. 9].

14-17° His adde numos Caudæ, Mundæ, Emporiæ, Sagunti et veterum ducum hispanorum iisdem typis, etiam pisciculis circa caput muliebre, ut in siculis numis, insignitos [Mionnet, t. I, p. 11, 20, 40, 57].

18° In Panormitanorum multis, iterum ex una parte caput mulieris cornutæ cum pisciculis; ex altera vero caput equi cum palmite, et inscriptione punica, in signum Africanæ ditionis [*Acad. des Inscript.*, *Mém.*, t. XXX, p. 417. Nouv. sér., t. XV, p. 52, ubi de punico nomine Panormi ציץ v. cl. de Saulcy egregie disputat].

19° Pagurus cernitur in quibusdam Bruttiorum numis, quos Eckhelius omnino vult ad Phœnices referri [t. I, p. 167; t. III, p. 419]. Sed signa id genus omittenda.

20° Ad eosdem propius ducit numus Epiphaneiæ urbis in Syria, duobus piscibus a postica parte insignitus [Brunet, *Parall. des relig.*, t. III, p. 1048].

21° Non desunt delphines in plumbea lamina quam e sarcophagi veterum Syrorum exuviis, in Galliam nuper adduxit, publicique juris fecit memoratus E. de Saulcy [*Voy. autour de la mer Morte*, pl. XXXI].

22-28° Ad cumulum accedant numi septem piscibus ornati, quorum in punicis litteris nuperrime legebantur nomina iberica Orisiæ, Olinæ, Lersanæ, Koniskῶν, Attubis, Uxamæ, Onoikæ [Boudard, *Revue archéolog.*, t. X, p. 703].

E multis hæc satis erunt, quibus innotescat generalis et constans Phœnicum consuetudo : cujus explicatio, non ab otiosa ingenii meditatione, sed ab authenticis, si qua sint, petenda est testimoniis.

§ 2. *De pisce apud Syros testimonia.*

Sunt enimvero et longe omnium antiquissima, in sacris quippe consignata libris. Alia certe non respiciuntur quam proximorum Chananæorum pisciformia simulacra, quum in ipsa ambarum tabularum scriptura vetatur σεμνῶς, « ne sculptilia eorum fiant quæ sunt in aquis et sub terra [*Exod.* XX, 4]. » Quæ proprio suo nomine designat liber Judicum, ubi, Samsone capto, Philistæi dicuntur hostias magnificas offerre Deo suo *Dagoni*, et lætari, et blasphemare [XVI, 23]. Eos vero Dagonem suum piscis ad instar fœde effinxisse pene descripsit Samuel, ubi ita coram arca Dagon sternitur confractus, ut ab eo caput et duæ palmæ, pars maxime humana, in solo jaceant [I Reg. V, 2-7]. Unde « nec nisi formam piscis relictam esse, » confidenter ait R. Kimhi; quin eumdem totum fuisse integram piscis imaginem, alii auctores sunt. [*Critic. sacr.* t. I, p. 2089, 2206]. Sed de suo LXX addunt, commentatores potius quam interpretes: ἀμφότερα τὰ ἴχνη τῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα [V. 4], respectu, id quod conjecero libenter, ad peculiarem Assyrii monstri speciem supra n. 5° delineatam [1]. Quibus etiam placuit eodem signare nomine summum Chaldæorum numen in Isaiæ vaticinio, in quo legunt constanter : « Contritus est Dagon, » ubi Hebræi et Vulgata [XLVI, 1] : « Contritus est Nabo. » Ita enimvero codex Alexandrinus, editus Aldens. et Complutens. [Cf. Selden, *de Diis Syror.*, syntagm. II, c. 3]. A quo etiam idolo, sub alio nomine, non usque adeo distare volunt Adonim, cujus funera vidit Ezechiel a muliereulis complorata : scilicet eum vocat Thammuz, quem et *magnum piscem* interpretantur [Hieron., *in Ezech.* VIII, 14; Jablonsky, *Panth. Ægypt.*, p. 153; Beyling, *de Fletu super Adonim*, § 9, p. 10 sqq.; Rosenmüller, *Alt. u. n. Morg.* IV, p. 318; Groddeck, *Antiquar. Versuch.* I, p. 85 sqq.].

Disertius vero, nomine tantum suppresso, eadem simulacra Habacuc in ludibrium vertit [Cf. Hieronym., Cornel. a Lap., Guerara, etc. ad I, 15], quum de Chaldæo vaticinatur : « Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua, et congregavit in rete suum : super hoc lætabitur et exsultabit, propterea immolabit sagenæ suæ et sacrificabit reti suo. » Quibus addideris, iterum ἐκ τῶν O', quæ Isaias cecinit de Sirenibus voluptatis delubra inhabitantibus [XIII, 22; ita Aquila, Symm., Theod.], quarum nomen ab hebræo שִׁיר, *Canticum*, nonnulli derivavere.

Hactenus pene nihil de horum idolorum specie, sexu, indole; quæ tamen fuisse varia, masculini alia, alia feminei generis, ut bina solerent effingi, inter quæ tamen præcipuum illud Dagonis simulacrum, quod, sexu mutato vel conjuge prævalente, postmodum in deam cœlestem evasit, tam ex allatis monumentis quam e sequentibus testimoniis facile colligere est.

His interea aliisve consideratis, non deerit qui pleraque vel omnem pisciformis dei religionem, maxime apud Tyrios, e perpetuo navis et maris usu promtius exponat. In hoc vero pisce, cujus jam solet esse comes columba, nedum meram esse et frigidam elementi imaginem, immo vero historicam potius aut etiam cosmogonicam ἔκδοσιν, certe non unus tibi erit, neque novus auctor.

Quorum ducem Melito noster [supra, t. II, p. XLIV] introduxisse visus est et commendasse Sanchoniathum. Ejus quippe verba, quæ pene noster ex Philone Byblio recitat, si quid sonent, vix non consentiunt cum Mosaica cosmopœia : quum illi in quarta a mundi ortu generatione collocent Hypsuranium, lucem, ignem, flammam, perinde ac Moyses quarto die in cœlum induxit stellas, solisque et lunæ luminaria; et sicut pisces avesque postea is memorat, ita illi aiunt quinto ævo fuisse venatores et piscatores, tum Dagonem Cæli filium qui et Σίτων. Inde vero Philo paulatim ad græcanicas fabulas deflectit [Euseb., *Præp. Ev.* I, 10, p. 35, ed. Col.].

Tum alia, si latinos audieris, noveris, Tyrum, olim Sarram a piscis nomine dictam, unde Sarranum ostrum, pisciculosque hodiedum Sarras, Sardas, Sardinasque vocitatos [Servius *ad Georg.* II; Festus, *ib*; Isidor. *Etymol.* XII, c. 7, n. 38]. Sed neque in grammaticorum salebris, nec in Syrorum angulis Deæ cœlestis fama latuit, quum barbaro numini Tullius eloquii sui lumen non inviderit, quin immo sedem nomenque inter majorum gentium dederit, scripseritque : « Venus quarta est, Syriaque Tyroque concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse sic proditum est [*de Nat. Deor.* III, 23]. » Hæc ille.

Noveris etiam lares penatesque, qui indigetes

(1) Et alias Dagonis meminere semel paginæ sacræ in Paral. X, 10, et iterum in primo Macchabæorum [X, 84; XI, 4], quum superstitem adhuc deum una cum delubro Jonathas igne combussit.

dii apud omnes inter antiquissimos haberi solent, Syris et Phœnicibus fuisse pisces aureos vel aureo pulvere conspersos [Hygin. et Athen. ap. Brunet, p. 1053].

Ad hæc non incongrue accedit quod narrat Lucianus Syrorum hospes et inter eorum sacra versatus, Deæ cœlestis templum Hieropolitanum, longe in tota regione antiquissimum [Herod. I, 105], utpote ab ipso hominum satore Deucalione conditum, stetisse juxta voraginis cujusdam hiatum, in quem aiebant fuisse diluvii aquas receptas [Lucian., *de Dea Syr.*, ed. Bipont., t. IX, p. 86] : inde id moris, a Melitone raptim memoratum, maris undas quotannis in templum hoc et in hiatum eumdem cum multa Syrorum, Arabum et trans-Euphrateorum frequentia, deferendi [Cf. *Spicil.*, t. II, p. XLIV. Creuzer et Guigniaud, t. II, p. 37, 38, not. 4].

Cujus porro Deæ quum vidisset idem ipse speciem : Mirum, inquit, spectaculum! Dimidia est mulier; quod autem est a feminibus inde ad extremos pedes, piscis cauda extenditur [l. l., p. 96]. Eadem de Ascalonitarum dea Diodorus Siculus : Τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος [*Bibl.* II, IV, 10 Did.].

Sed Deam Hieropolitanam Samosatenus aliquando negat, aliquando asserit eamdem esse cum Derceto; addit vero eam filiam habuisse Semiramin quæ iterum tam pisci conjungitur quam columbæ [*Semir* apud Syros] eamdem vel confoventi vel nutrienti, id quod diluvii historiam respicit [Lucian., l. l., p. 96; Græv. not. p. 380; *Etymolog. Gudian.*, p. 306; Sueton. in Jul., c. 22; cf. Vossius, *de Orig. et progr. idolol.*, c. I, n. 23, p. 90; Creuzer, t. IV, p. 201, pl. LIV. Inde numus Ascalonius, n. 1, aliaque id genus].

Dercetum vero ἰχθυοειδέα tum eamdem esse concedunt cum Atergati regina, quæ cum Ἰχθύϊ filio suo, ob immanem in suos sævitiam, a Lydio Mopso in Ascalonium lacum demersa est [Mnaseas apud Athenæum *Deipnos.*, lib. VIII, n. 8; Macrob. *Saturn.* II, c. 23; *Académ. des inscript.*, *Mémoir.*, t. V, p. 240]; tum filiam ejusdem, Dercen aut Semiramin, pariter in undas irruisse, quæ deinde vel in piscem mutata est, vel a piscibus servata incolumis [Manil. *Astronom.* IV, v. 577, 598; Varro, *de Re rustic.* III; Eratosthen. in *Catasterism.*, c. 38; Tzetz. *Chiliad.* IX, c. 275].

Inde porro multa de Syrorum a piscibus abstinentia, et de aliis gentibus finitimis eosdem imitantibus [Plutarch. *Sympos. quæst.*, lib. VIII, q. 8; Artemidor. *Oneirocr.* I, 9; Porphyr., *de Abstinent.*, l. IV]. Neque item pauciora de Virgine et Piscibus in Zodiaco positis [Hygin. in *Myth. latin.*, fab. 195, p. 277; Ovid. *Fast.* II, 462; Nigidius apud Scholiasten Germanici *Arat.* 131; Manil., *Astron.* IV].

Quæ jam disputata sunt et alia ejusdem argumenti vix diligenter contuleris, quin tibi sit deus ille vel dea ἰχθυόμορφος aliquid idem cum Atargate Phœnicum sive Athara et Astaroth Philistinorum [IV Reg. XXI, 7; Strabo, *Hist. nat.*, lib. XVI, p. 748, 785; Xanthus Lyd. apud Hesychium in Ἀτταγαθή]; cum Carthaginensium Astarte [Münter, *Ant. Abhandl.*, p. 103; Salmas. *Exercit. Plin.*, p. 405 A]; cum Artemide Ephesina [Strabo, l. l., lib. V, c. 23; Creuzer., t. II, p. 95, 139]; cum Dictynna Cretensium [Maii, *Mythogr.* II, fab. 26]; cum magna Babyloniorum Mylitta [Pausan. III, 13]; cum Cerere et Proserpina in numis punico-siculis [Creuz., ed. Guign., t. II, p. 235, 247]; cum Rhea, cum Hera, atque denique cum Aphrodite, etc. [Lucian., l. l., p. 97, 98; Theo *ad Arat.* 131; Ovid. *Metam.* IV, 44; Cicero, *de Natur. Deor.* III, 23].

Hæc est enim propemodum desperanda rei allegoricæ apud veteres conditio, ut, quum per immensa sæcula nihil fuerit firma lege, certis formulis, authenticis libris statutum, omnia promiscue in eamdem pantheismorum colluviem corruerint. Quæ vero tetigimus, etiamsi diu noctuque centies introspexeris, quovis pignore asseverabo nihil exinde emersurum quod liqueat, aut quod non in jejuna et crassa aquarum, elementorum, γενέσεως historia totum constiterit [Cf. J. P. Bellori, *Expositio symbolici Deæ Syriæ simulacri*, Rom. 1688.]

Art. III. De pisce apud Ægyptios.

§ 1. *Monumenta quædam.*

Causam habes paulo infra cur Ægyptii multo parcius hoc typo, quam gentes cæteræ, usi fuerint, quæ pariter causa erit cur satis pauca liceat producere monumenta.

1° Isis, magna Ægyptiorum Dea, cerni dicitur in oxyryncho pisce sculpto, cujus caput notissimo ejusdem καλύμματι tegitur [Caylus, *Antiquit.*, t. V, pl. XII, p. 34].

2° Sub accipitre sacro duo pisces opponuntur in sculptura Musei Parisiensis [de Clarac, *Musée de sculpt.*, t. II, pl. 175, n. 365, p. 163].

3° Isidis mammiferæ imaginem, circumda-

tam quatuor elementorum signis, scilicet salamandra, aquila, delphino, leone, exhibet gemma Bellorii in *Roman. Mus.*, ed. Caussæo, tab. XXXIV, p. 18.

4° Sacerdos ægyptius, sacra peragens, mensam defert, ab cujus margine pendent duo pisces, frondesque et flores [Jac. Gronov. *Gemm. Leon. August.*, p. 66].

5° Adriani numum, Latopoli cusum, in quo sacer piscis indigeta, græce λατὸς, ære fusus est, erudite descripsit cl. v. Tôchon. [*Recherches sur les méd. d'Égypte*, p. 60, 68; Mionnet, *Descript. des méd. gr.*, t. VI, p. 830; Zoega, *Numi Ægypt.*, p. 125.]

6° Non desunt Tiberiadis, Cæsareæ, aliarumque civitatum numi, in quibus Astarte, Syrorum Dea, Isidis caput manu gestare cernitur [Mionnet, t. V, p. 485, 487, etc.].

7° Pisciculi hieroglyphici, præter siderales de quibus alias, semel atque iterum occurrunt in maxima *Ægypt. Descript.* t. III, pl. XXVII; pl. XLV; cf. Ch. Lenormant, *Musée des antiquités égypt.* pl. XXII, 11.

8° Harpocratis in piscis aut crocodili caudam desinentis imago est in numo quem ad Menelaitarum νομὸν referunt [Tôchon, *ibid.*, p. 239; Eckel, *Doctr. numm.* Cf. Vaillant, *Append. ad hist. Ptolem*].

In hieroglyphica scriptura communem characterem quo piscium genus significatur, præstitit niliacus piscis cui *Rami* vulgo nomen [Rituel hiéroplyph., *Descript. de l'Egypt.*, A, vol. II, tab. 70, col. 40; *Rituel hiératiq. du Musée du Louv.*, n. 1, fol. 15, 26; Champollion, *Gramm. égypt.*, p. 87, n. 94].

§ 2. *Testimonia.*

Plerisque Ægyptiis piscem fuisse in odiosæ rei et abominandæ signum, unde ab illo tam in cibo quam in sculptili opere se abstinuere libenter, locupletissimi sunt testes, quorum antesignani duo erunt: ægyptius Horapollo [*Hieroglyphica*, l. I, c. 44], et Alexandrinus Clemens [*Strom.* l. VII, t. II, p. 670, l. 30; cf. Herod. II, 37; Plutarch., *de Isid.*, n. 32 M. p. 444, Didot; Athen. VIII, 37, etc.]

Sed et monumenta Plutarchus descripsit pene nostra, et cur lateret in pisce et marinis belluis aliquid odiosum et flagitiosum inquisivit, quum in templo Minervæ Sahidicæ vidisset sculptos infantem senem, accipitrem, piscem et equum fluvialem; addit enim: Ἱέρακι δὲ τὸν θεὸν φράζουσιν, ἰχθύϊ δὲ μῖσος, διὰ τὴν θάλατταν, ἵππῳ ποταμίῳ δ' ἀναίδειαν· λέγεται γὰρ ἀποκτείνας τὸν πατέρα, τῇ μητρὶ βίᾳ μίγνυσθαι [l. l. p. 45].

Quod vero affirmat idem et Julianus piscem nullum immolari, a nullo sacerdote comedi [*Sympos.* VIII, 9; *Orat.* V], id negant apud Athenæum duo philosophi [l. VIII], confabulantes consecratos fuisse pisces, solisque sacerdotibus reservatos, ne esculentiore cibo vulgus uterentur; inde in aris offerri non solum laute assatos, sed auro argentoque ad explendam avaritiam confectos. Præterea aliunde refertur, quotannis, primo die mensis noni, piscem assum a populo sub ostio domus comedi, torreri vero a sacerdotibus [Brunet, l. l. § 3132], tum plebi eos vetitos tantummodo qui in templis, deorum in usum, enutriebantur. Eo tamen vesaniæ ventum est, vel Plutarchi tempore, ipso referente [*de Is. et Os.* 72. M. p. 464], ut exarserit bellum atrox Cynopolitas inter et Oxyrynchitas ob pisciculum importune comestum.

Oxyrynchus enim multis νομοῖς inter præcipuos pisces sacros erat, utpote e sanguine et vulnere Osiridis enatus; sed et Syenitis φάγροι, a quibus Nili inundatio nuntiabatur [Clem., *Cohort. ad gent.*, p. 34, 1]; Latopolitanis, λατός; Elephantinis, μαιώτης; Bubastenis, σιλυρός, ob felem oppidi numen, hujusmodi pisciculorum voracissimum; omnibus denique piscatoribus λευκός, quem quum prima nocte Berenicæ obtulerint, tum illis Theocritus vates est piscationem futuram esse opimam [Ex *Beren. fragm.*; cf. Ælian. X, 46; Strabo XVII, 812; Athen. VII, 17, p. 284. Cas.; Seneca apud S. Aug., *de Civit. Dei*, lib. XVI, c. 10].

Jam vero quæcumque apud Syros de Derceto aut Cœlesti Dea circumferebantur, in Isidem Ægyptii ea refuderunt, et inde in Africam prono alveo defluxit aquatilis illa ἰχθυοειδοῦς numinis religio. Illic eadem Adonidis orgia [1]; illic Isis eadem in specie, in eadem et Venus expressa; utraque in piscem conversa, hæc dum Titanes fugeret, illa, dum Typhonem. Illic demum pontica sacra per Nilum in Isidis nomine

(1) *Orgia.* Peractis in Ægypto istiusmodi sacris, inventoque, ut aiebant, Osiridis sive Adonidis corpore, caput ejus papyraceum in undis Nili expositum, ab Ægypto in mare Byblium leniter deductum a fluctibus, ut faustus nuntius, excipiebatur. Ad hujusmodi epistolas byblinas alludit Is. XVIII, 2 [cf. S. Cyrill. Alex. ad h. l.]. Quin Lucianus, jocone an serio? refert oculis suis se vidisse papyraceum istud capitulum ad oras Byblii usque secundis auris transvectum [*de Dea Syr.*, p. 90; cf. Sylv. de Sacy, *Notes sur Sainte-Croix, Myst. d'Adonis*; *Annal. de philos.*, t. V, p. 129]. Quibus illustratur locus Origenis, apud Ansileubum, supra p. 396. Commixta Chaldæorum et Phrygum mysteria cum Ægyptiorum v. in Orig. Φιλοσοφ. p. 101.

aut in ejus nave solemniter circumferri, vel etiam in insulis cæterisque locis maritimis [Creta, Sicilia, Gaulus, Delus, etc.], quæ eidem deputantur.

An vero in hujusmodi religione significetur terra primitus undis innatans, an diluviana arca, annuave Nili inundatio, certo non definiam. Sin autem tibi, quemadmodum Alexandrinis, placuerit alia præter hæc humi repentia captare et ariolari sublimiora, si tibi cum Apuleii *Aureo asino* affectare lubet splendidiores Isidis titulos ac σεμνότερα ἐπιφωνήματα, aut duce bono Plutarcho nobis intrudere nescio quæ περὶ τοῦ παντός, περὶ τοῦ λόγου θεολογούμενα, aut demum post neotericos venari in Isidis nave et cruce propheticam quamdam Evangelii irrisionem, næ tu cum istis tuo utere et fruere ludibrio. Nihil interea, quicumque sapit, asseruerit, quin prius divinet rite in quo inter se conveniant, vel quo differant tum Isis, Astarte, Ceres, Juno, Luna, Eurynome, Minerva, Thetis, Venus, Artemis, cæteraque Deæ Cœlestis promiscua simulacra; tum præterea qui sint proxime Isidi affines, Osiris, Serapis, Bacchus, Pluto, Priapus, Mithra, Ion, Pan, et porro sexcenta. Ecce enim tumultuosior quam uspiam ingruit omnium formarum et fabularum σύγχυσις et μεταμόρφωσις, quibus in elucidandis Argus quisque oculatissimus cæcutiet. Unde illud hodierni de re symbolica magistri effatum : nihil adeo tritum, et obvium, sæpiusque a Plutarcho ad Montefalconium disputatum quam Isidis nomen et numen, nihil interea agnitum minus [Cf. Pausan., *Arcad.* VIII, 41; Hesiod., *Theog.*, v. 337, 358, 906; Apollon. Rhod. I, 503; S. Aug., *Quæst. in Jud.* XVI; Ambros. *Ep.* XXXI; Cicer., *de Nat. Deor.* III; Creuzer, *Symbolik*, t. I, p. 392].

Certa licet dederim quæ usque adeo dubia, confidenter dicam, frustra futuros esse eos quantumvis ista premant, qui eumdem in superstitiosis Ægyptiorum piscibus significatum quæsierint, ac ille quem nostri Alexandrini indidere christiano symbolo, cui non modicam ab illis acceptam celebritatem concessurus sum.

Pauca addiderim, quibus etiam ethnicæ vanitatis augetur ineptia : Ægyptii consecrarunt, teste Philone Alexandrino, ex piscibus integra quorumdam corpora, quorumdam certas tantum partes, quibus, inquit is judæus, quid potest esse ridiculum magis [*de Decem orac.*, p. 194, 5]? Vult autem Lucianus eos tantum modo piscibus non vesci, quibus piscium cœleste signum observabatur [*Dial. de astr.* n. 7, p. 373 Did.]. Tum Herodotus, iis maxime sacros esse pisces squamis obductos, quibus anguillas annumerari placuit [l. XI, ap. Gron., t. IX, p. 320].

Accedat postremo panis quidam sacer, sacro nimirum pisci immixtus ubique, ibi vero e piscibus confectus, quem Cynocephalus ejusque sacerdotes fastidire solebant [Horapoll. I, c. 14], cæteri minime, ut vel in lautitiis Oritæ habuerint crustula ostrearia [Plin., lib. VII, 2; XVIII, 2; Strabo, lib. XV]. Sed ut alias panis in ethnicorum nuptiis et mysteriis porrigitur, ita piscem ægyptiorum ab orgiis non abhorrere suadent Horapollo et Clemens, testes indigetes. Cætera Græcorum sunt, quæ mox suo loco.

Art. IV. De allegorico pisce quædam indo-germanica.

Rerum vehicula quum vocabula esse soleant, vix credibile erit nihil præter frigidam litteram latuisse sub hac voce quæ a reconditissimis Indorum recessibus et ab incunabulis linguæ sanschretanæ, inde ad altissimum superioris Asiæ et Europæ polum et ad ultimos occidui orbis littora pervenit. Qui enim etymologicas leges callent, tricas implicare eos non arguent, qui recto eodemque flumine manare putant quod latine *piscis*, gothice apud Ulphilam *fisks*, in vetere Norwegia *fiskr*, in alto veterum Saxonum, Anglorum, Germanorum dialecto *fisc*, aut francice, suecice, danice *fisk*, nunc apud Anglos, Batavos, Germanos *Fish, Visch, Fisch* : quæ demum derivari volunt ex hac voce transgangetica : *mitsya* vel *madtysia*.

Sed quid allegoriæ latuit sub hac Scythica et cosmopolitana voce? Si alias arduum, hic longe difficilius, etsi sub initio totum diluvium ab Indorum pisce fluat. Quid enim aliud sibi vult *Madtysia-Pourana*, et decantata fabella de indici Noe sive Manu pisciculo in ingentem cetum paulatim crescente, ut cum Oceano inundante orbem impleverit [William Jones, *Asiatic Research.*, t. I, p. 230; *Annales de philos. chr.*, t. V, p. 430]?

Vix aliud erit et prima Wichnu apparitio sive ἰχθυοφάνεια qua regem Satiavareden ab interitu vindicat, et tertia in qua potentiæ suæ sedem esse piscem sideralem constituit, inde monstra interfecturus [Ath. Kircher, *Chin. illustr.*, p. 158; Creuz., t. I, p. 57, 179, 182, tab. III, 18; W. Jones, *Asiatic Research.*, t. I, p. 230].

Quibus portentis adde varia aquarum numina Gange-Lanam, Macaram, Camadesam, Varu-

nam, quorum simulacris pisces immanes solent appingi [Creuz. tab. xvi, 99; xvii, 100; xxx, 105; Labeaume, *Rech. asiat.* p. 190, tab. 16].

Ab Indis prodigiosa fabula ad Arabes transiit et crevit eundo, ab ipso Mahumedo mirum amplificata : « Terra, ait, sustinetur a bove, cui xl cornua itinere m annorum distantia, innixo in lapide, sub quo Zoth mons infernalis jacet; sub monte, terra et maria septies alternantia ; terra ultima est alba ut lac, mollis ut crocus, odora ut moschus, clara ut luna. Infra eam magnus piscis cujus caput in orientem, cauda versus occidentem. Super cujus dorso fundantur terræ, maria, aer, usque ad finem cœli. Subtus piscem ventus, qui eum sustinet. Subtus hunc, tonitru. Rursus sub hoc, mare obscurum. Postmodum, laudes. Ab hisce, gloria. Deinde, thronus. Post eum, tabula picta et penna. Tum infernus. Atque magna Dei nomina [Allatius *ad Eustath. hexaem.*, p. 29]. »

Consentanea est germanica vetus imago cujusdam Chrodo, fortasse fictitii, in pisce insistentis, quam videsis in Montfaucon, *Antiquit. expl.* t. iii, p. 412, tab. 184. Tum Scytharum Thamysades, penes quem aquarum dominium, Dagonis instar, homo superne, infra piscis erat [*Mémoir. de l'Acad. des inscr.*, t. xii, p. 27].

Consimilia sunt apud Sarmatas aquarum aut piscium numina, Bog, Don-bog, Thernoibog; apud Finnenses, Ahti; apud Celtas, Onuava, Suleva, Silvatica Dea, cujus simulacra ichthyomorphica non semel descripsere [D. J. Martin, *Relig. des Gaul.*, t. ii, p. 110].

Ita et Suevorum populos Astartæ sive Isidi sacrificasse refert Tacitus [*de Germ. morib.* ix]. Ita Oannem et Dagonem quosdam in aureo Suecorum cornu celebratissimo insculpi volunt [P. E. Müller, *Antiq. Untersuchung der a. t. g. goldnen Hörner.* Hafn. 1806] quam religionem invexere ab Oriente, præter agmina populorum per Septemtrionem peregrinantium, in primis illæ Phœnicum coloniæ, quæ Galliæ et Germaniæ flumina pene omnia tenuere.

Non minoris famæ fuit, etiam apud orientales, celticus piscis quem aiebant nasci in Arari fluvio, albumque fieri secundum aucta lunæ, secundum damna vero nigrum, in cujus capite erat lapis ἀλεξίκακος [Jo. Lydus *de Mensib.*, III, p. 36 ; Timagenes Syrus apud Plut. *de Flum.*, c. 5, p. 84 Did.].

Immo ad borealis oceani ultimos incolas Laponos serpsit eadem religio , quum illi suis diis pisces offerrent, indeque per Islandiam usque in Americanum orbem pervagati sunt aquarum genii, sirenesque thesauros in lacu custodientes [Ferd. Denys, *Mond. ench.* 155.]

Jam vero peculiariter hic memorandus Piscis ille venit qui a remotissimo cœlo orientalium , solem ipsum perpetuo itinere sequutus, orbem universum emensus est, signum dico in zodiaco positum, pro locorum et populorum diversitate vario modo expressum. Sed doctissime instituit nuper cl. v. Letronnius, præter communem eruditorum opinionem, græcam sphæræ cœlestis nomenclaturam non a longo tempore, sed vix ante Hipparchi ævum, invectam inter sidera fuisse [*Annal. de Phil chrét.*, iii, sér. t. iv, p. 342 sqq.]. Traditum autem zodiacum ab Oriente ad Græciam, saltem qua piscium domus est, satis probabile efficit ea de iisdem fabula quæ Syrorum Derceten et Semiramin aperte significat. Opinio enim erat duos illos pisces easdem esse, ita immutatas quum sese in Euphraten darent præcipites [Hygin. *Poet. astr.* c. 30], quod alii ad Nilum, Venerem et Cupidinem referunt [Honorius *Bibl. PP.*, t. xx, p. 977].

Hinc satis apte ad duos pisces accedunt duo venerei delphines in Parisiensi ara xii deorum, zodiaci signis instructa [de Clarac., *Mus. de sculpt.*, t. ii, pl. 171, p. 140, 258]. At longum erat sigillatim excutere quæ cum eodem signo miscentur. Cf. Gori, *Mus. Flor.*, tab. lxxxix, 4; *Thes. gemm. astr.*, tab. cxlv. Gronov., t. xii, f. xviii-xxii; *Thes. ant. rom.*, t. v, 747, 748; t. viii. p. 79; Caylus, t. i, pl. lxxxvii, p. 216; Beger, *Thesaur.*, t. i, p. 388; *Pierres gravées du cab. d'Orl.*, t. i, p. 209, 303; t. ii, p. 79.

Sed vilipendendam citius non esse quamcumque universam gentium vel de pisciculis enarrationem, mox efficietur ex iis quæ de stellarum in hoc signo conjunctione dicturi in art. vi sumus. Cæterum non ignobile fuit mathematicis illud piscium thema, quum hujusmodi supernis influxibus subjicerent Lydiam, Ciliciam, Pamphyliam, in Libya Nasamones, Garamantica [Lyd., *de Ostent.*, p. 356, 5], cantarentque fore ut qui sub illo sidere nascerentur, fierent magnanimi, simplices, facundi, gloriosi, audaces, zelosi, amatores, saltatores, in amicitia utiles, etc. [Origen., φιλοσοφ., p. 62, 26 ed Mill.]. At unde mutis quoque piscibus donentur tam præclaræ dotes delphinus summa causa est, quem et signum *musicum* græculi dictitabant, et in cœlo pariter collocarunt, qui novem stellis suis numerum musarum expleret [Gronov., t. xii, p. 56; Gori,

Mus. flor., tab. LXXXIX, 5]; sed agedum, ad græca propius accedamus.

ART. V. DE PISCE ALLEGORICO APUD GRÆCOS ET ROMANOS.

Quo vero propius devenimus ad tempora et loca veterum christianorum, eo vigilantius considerandum est utrum suos in usus majores nostri converterint, necne, hellenica ἀλληγορούμενα. Habuisse eadem illos signa, graphice sumta, nulla lis est; quemadmodum græca latinaque verba, characteres, elementa eadem necesse est habuerint. Sed in eo totius disputationis cardo vertitur, utrum e signis similibus similes sensus elicuerint, nec ne? Jam inter utrosque, id quod iterum velim lectorem moneri, χάσμα μέγα ἐστήρικται, quum ab ordine illo divinitus revelato, infra quem descendere nolim vel ima christianorum symbola, toto cœlo distet ordo rerum naturalium, quo sublimiores Romanorum et Græcorum allegoriæ perpetuo continentur. Ab illis enim tolle balnea, navigationem, piscationem, pontica certamina, rostralia trophæa; jube vacare ἰχθυοπωλεῖα, ἰχθυοτροφεῖα, ἰχθυοφαγίαν; abeant denique sepulcra et funera a Fortunatis insulis, a stygiis stagnis, ab irremeabili unda, vereor ut vix jam ullum ullius græcanici piscis remaneat vestigium.

Nemo, opinor, rem mihi facesserit quod sub eodem lemmate Romanorum Græcorumque pisces comprehendam. Quid enim uspiam latii operis est absque manu aut arte græca? Id tamen notaverit aliquis : non ita placuisse græcis opificibus nudum exilemque piscis σχηματισμόν, si unum exceperis delphinum quem ex ingenii sui igniculo ludibundum potius finxerunt, quam ad vivum κατὰ φύσιν expresserint; Romanos vero, maxime post auream quam aiunt ætatem, ut cupido incessit piscibus mensas onerandi, ita juvit non solum marinis belluis ornari cuncta, sed et omnia fere animalium et volucrum genera in turpem piscium speciem converti et dehonestari. Tunc quoque vidisses senatum populumque romanum, quotannis, VII° idus junii, in campum Martium, ad piscatorios ludos ingenti cum plausu concurrere [Festus et Ovid. *Fast.* VI]. Quid quod in reipublicæ florentissimo ævo pisces tanto in honore habuerint, ut eorum studiosi, a quibusdam generibus diligentius excultis adamatisque, non aliter atque Numantini et Isaurici a devictis gentibus, Murenæ, Oratæ, Tincæ cognominarentur? dum e contra Græci rem piscariam eo in contemtu habuerint[1] ut Plato, in Legibus, adolescentibus graviter venatione marina interdicat; clametque apud Athenæum Xenarchus, piscatorio genere nullum magis impurum [lib. VI, p. 224; cf. Æl. XIV, 7].

Cæterum, quum præstantissima orbis romani opera splendidis in libris pleraque describuntur, qui teruntur manibus omnium, satius visum est calamum restringere et notulas nostras cogere sub brevi speculo, ut, excitatis interim tantum præcipuis libris, locorumque et personarum alphabetico ordine, quoad licuit, observato, hic illic in imo margine pauca scholia annectantur.

1.

1. ABDERA. — In numo, delphinus. Fr. Perez, Beyer, *De numis hebr. samaritan.*, p. 140.
2. ÆGINNI. — Delphinus, in area numi quadrata. Beger, *Thes. Brandeb.*, p. 373.
3. AGESSIUM. — Ibidem, juvenis delphino insidet, una manu hastam, altera lauri ramum tenens, forte Apollo. Goltz, t. III, tab. XXVIII, n. 1.
4. AGRIGENTUM [2]. — Juvenis piscem tenens. Eckel., *Doctr. numor. vett.*, t. I, p. 191. Vultur aut serpens piscem depascens. Goltz, *De re numm. ant.*, t. IV, tab. X, 9, 10. Caput mulieris cum piscibus. Mionnet, t. I, p. 210, n. 18 sqq.
5. AGYRIUM, in Sicilia. — Juvenis in delphinulo. Eckel, t. I, p. 194.
6. ALISAMA, in Troade. — Delphinus cum puerulo. Ez. Spanheim, *De præst. num.*, t. I, p. 227.
7. AMBRACIUM. — Tridens medius delphinus duplex. Goltz, t. III, tab. V, n. 6.
8. ARGOS. — Delphinus et clava [3]. Beger, t. I, p. 437.
9. ASSOS, in Mysia. — In marmore ex epistylio templi, Triton unus cum juvene simul prono et quasi velocissime abrepto, videtur currere, dum lente ex opposito alios sex incedentes pene lugere dixeris [4]. De Clarac., *Mus. de sculpt.* II, tab. 116 A, n. 105.

(1) *Habuerint.* Homerus nusquam enarrat in conviviis Phoceensium, immo vel Ithacensium mari circumfusorum appositos fuisse pisces : quem cibum Ovidius ait aureæ ætati ignoratum, *Fast.* XI, 75. Sed alia apud Athenæum (*Sympos.* III, 4, 8) disputantur, id fuisse moris veterum hominum et sapientium piscibus potissimum vesci, eo quod facilius æstus animi, iracundiæque motus et voluptatis hoc leviori cibo temperabantur. — (2) *Agrigentinus* portus sive piscina, Geloni regi ut amico et bene merito consecrata, omnium undique fontium et fluviorum aquas excipiebat, omni piscium copia abundabat : inde numos explicari volunt. Goltz, t. IV, p. 124. — (3) *Clava.* Hic propter Herculem; ille, ob Neptunum. « Exstat illic, inquit Pausanias in *Corinthiacis*, Neptuni cognomento Proclystii sive inundatoris templum, lib. II, c. 22, 4. » — (4) *Dixeris.* Si quis enim hic conjecerit duci funera juvenis unda suffocati, quem marinus genius cum impetu rapit ad insulas Fortunatas, certe ei non ausim contradicere.

10 Axur, in Pontinis paludibus. — Piscis in numo. Goltz, iv, p. 223.
11 Bethera. — Delphinus in numo. Beger, *Gothanum.*, p. 167.
12 Boeotii [1]. — Item, Neptunus sinistra delphinum, dextra tridentem. Goltz, iii, tab. xvi, n. 1, 2, p. 91.
13 Brundusium. — Juvenis delphino insidens, manu porrigit delphinulum. Goltz, iv, tab. xxxiii, n. 7; xxxiv, 6 [Cf. *Tarentum.*].
14 Bruttii. — Dianæ caput pagurí exuviis ornatum. Goltz, t. iv, p. 219. Sed idem numus ad Phœnices refertur. Eckel., i, p. 76 et 167. Mionnet, i, 179.
15 Butrantum, in Calabria. — Vir nudus delphinum gerens. Eckhel., t. i, p. 146.
16 Byzantium. — Pelamides, ob piscationem. Spanheim, t. i, p. 229. Delphinus aplustro implicitus [2]. Beger, i, p. 187; Gronov., *Thes. ant. gr.*, t. vi, p. 3429, 3450, n. 12; Goltz, iii, tab. xxvii, n. 5, 6; Spanheim, t. i, p. 229; Mionnet, i, p. 376, n. 84-89.
17 Camarina, in Sicilia. — Mulieris caput inter duos pisciculos. Eckhel., i, p. 199.
18 Canacenses. — Pisciculus. Beger, l. l., p. 140.
19 Carteja. — Piscator hamo pisciculum tollit. Beger, t. iii, p. 73; Montf., t. iii, p. 186.
20 Catana. — Tres pisciculi. Eckhel., t. i, p. 204.
21 Chalcedon.—Diota, in area piscis. Mionn. ii, 611.
22 Chius. — Sphinx super pisce stans. *Ib.* iii, 265.
23 Corcyrus. — Cap. M. Antonii et Octaviæ, navis et delphinus tridente transfixus. *Acad. des inscript.*, *Mémoires*, t. iii, p. 312.
24 Corinthus. — Arion delphine vectus. Spanheim, t. i, p. 227.
25 Cysicus. — Piscis, cum Cysicenorum epigraphe, Caylus, t. vi, *Antiq. gr.*, p. 132. — In numo, delphinus cum leonis capite. Beger, t. i, p. 490. — Cum Proserpinæ capite. Montfauc., *Ant. expl.*, i, pl. xli, p. 82.
26 Delphi.—Juvenis delphino insidens. Goltz, iii, 8.
27 Emporita, in Sicilia. — Sub Trinacriæ signo, duo pisces. Goltz, iv, tab. x, n. 2. Delphini tres. *Ib.*, tab. xii, 1, 2, 6; 1.
28 Eresus, in insula Lesbo. — Delphinus. Goltz, tab. xv, n. 2, p. 249.
29 Eryx.—Pagurus [3]. Eckel., t. i, p. 207. In gemma, ubi legitur in area: ERYX, circumposuere signa quatuor elementorum, ignis in fulmine, aquæ in delphino, terræ in arboris trunco, aeris in caduceo Mercurii. Græv., t. v, p. 730.
30 Fæsulæ, in Etruria — In numo, pisces et anchora, cum Herculis capite. Eckhel., t. i, p. 90.
31 Gortyna. — Delphinus et in area virgo in arbore sedens. Mionn. ii, 278.
32 Hadria. — Piscis et anchora. Eckhel, t. i. p. 99.
33 Helena. — In numo, hinc arietis caput sub quo delphinus; illinc, vespertilio expansus in area quadrata [4]. Goltz, i i, tab. viii, n. 3.
34 Heraclea. — Pisciculus hamo captus. M. iii, 137.
35 Heræa. — Pisces cum fluvii figura. *Ib.*, ii, 248.
36 Hydruntum. — Neptunus triplici cuspide conspicuus, circumnatantibus duobus delphinis. Goltz, iv, tab. xxxiii, n. 5.
37 Hyrium, in Apulia. — Delphinus et gubernaculum. Eckhel., t. i, p. 141.
38 Jasus, insula infra Miletum. — Puer delphino vectus [5]. *Ib.*, ii, 584.
39 Istiæ. — Sirene insculpta in prora, cui mulier insidet. Goltz, t. iii, tab. xi, xii, 5, 6.
40 Istria. — Piscis ab aquila depastus. Goltz, iii, tab. xxviii, 7.
41 Lampsachus.—Mulier delphino insidens. M. ii, 529.
42 Leontium. — Apollo cum piscibus. Eckhel., t. i, p. 216.
43 Lipara, insula. — Delphinus. *Ib.*, p. 270.
44 Lopadusa, Africi maris insula. — Porcus marinus. Spanheim, t. i, tab. xxxviii.
45 Macedones. — In numo quatuor delphines aplustri cuspidibus impliciti. Goltz, t. iii, tab. xxii, n, 4, 6.
46 Massilia. — Piscis sub bove ambulante. Goltz, t. iv, tab. vii, p. 2; xxxvii, 9.
47 Menantium, in Sicilia. — Delphini quatuor cum Arethusæ capite. Goltz, *ib.*, t. xii, p. 6.
48 Messana. — Sub biga et duabus mulabus duo delphines [6]. *Ibid.*, t. vii, 2, p. 77.
49 Motya. — Caput mulieris inter pisciculos. Eckhel., t. i, p. 225.
50 Neapolis. — Delphinus. Beger, t. i, p. 351, 352.— Arethusæ caput, quatuor pisciculis circumpositis. Goltz, t. iv, tab. xv, i. Cf. Caylus, t. vii, pl. 39, p. 163. Musarum et Sirenum certamen. De Clarac, *Mus. de sculpt.*, t. v, p. 72.
51 Nemausa. — Siren ære fusa, in museo urbis publico. *Ibid.*
52 Orontii. —In numo Veneris caput hinc, et inde gladiator in cujus scuto delphinus depingitur [7]. Goltz, iii, tab. xviii, 5, 8.
53 Pæstum. — Siren templi januæ supereminet. De Clarac, *ibid.*
54 Panorma. — In numo, piscis sub gryphone, cum litteris ΠΑΝ. Beger, *Thesaur. Br.*, t. iii, p. 414. Cf. supra inter Phœnicum monumenta.
55 Phalantus. — Delphinus, ut in numis Tarent. *Ib.*, p. 322, 325.
56 Philippi. — Cf. supra p. 501; Mionnet, i, 485.
57 Phocæa. — In numo, delphinus [8] a lupo vel cane venatorio depastus. Beger, *ib.*, p. 494, 104, 4.
58 Picentum. — Delphini quatuor, circum Junonis Argiæ aut Palladis caput. Goltz, iv, tab. xix, 1.
59 Pisauria. — Delphinus vehens adolescentulum tridente instructum, cuspide in orientem versa; juxta eum Pegasus marinus. Goltz, iv, tab. xxxiv, 6.
60 Pylos. — Delphinus sub bove, ob navigationem et agriculturam. Goltz, t. iii, tab. x, 2, p. 50.

(1) *Bœotii.* Rarior est delphinus, in numis civitatum a mari distantium: ad Bœotios tamen nomisma Goltzianum ideo dicitur jure pertinere, quod primum Neptunus Cadmi familiæ auctor credebatur, deinde regio hæc, triplici mari cincta, dicebatur τριθάλαττος.— (2) *Implicitus.* « Quod maris domini sunt Byzantini: nam tanta illis navalium copiarum erat potentia ut π naves illos habuisse auctor est Dion. Xiphilinus. » Goltz, l. l. — (3) « *Pagurus* veteribus prudentiæ et sapientiæ symbolum fuit, quia, vere, quum crustam exuerit et aculeis armisque spoliatum se senserit, lateat, viribusque suis diffisus nullos aggrediatur, donec testam novam eamque jam induratam recuperarit. » Goltz, t. ii, p. 219. — (4) *Quadrata.* Nihil in commentario, nisi quod in hac insula patratum fuisse dicatur infaustum Paridis cum Helena adulterium. — (5) *Vectus.* De hoc numo Ἰασίων Ælianus meminit atque fuisse argento cusum, lib. vi, 15. Meminit et Pollux in *Onom.*, lib. ix, c. 6, § 84, ad quem arripuit occasionem Kuhnius multa congerendi de delphinum παιδεραστίᾳ. Spanheim, t. i, p. 224. — (6) *Delphines.* « Anaxilas, urbis instaurator, quum in Olympis mulabus vicisset, Messanam reversus, nummum cum binis junctis mulabus signari jussit. » *Ib.* — (7) *Depingitur.* Celebriores erant gladiatores et athletæ Locrensium. — (8) *Delphino* phocæna similis est in Aristot.

61 RABATHMOMA, in Moabitide. — Neptunus stans, d. delphinum, s. tridentem [1]. Eckhel., t. III, p. 504.

62 RHODUS. — Rosa cum delphino. Mionnet. III, 414.

63 SALENTUM. — Pisces quatuor, in area Palladis caput. Goltz, t. IV, tab. XXXI, 5.

64 SINUESSA.—Pisciculi et pagurus [2]. Goltz, IV, p. 211. Piscis sub Paguro, tab. XVII, 3.

65 SYRACUSA. — Delphini quatuor. Goltz, IV, tab. I, 3, 4, 51; II, 1, 2; iidem bini oppositi, cum nomine Κιμῶν, 2; unus pineæ nuci impositus II, 6; cum mulieris capite, 5, 8; Triton inferne bifidus, ferens s. tridentem, d. quasi hastam pisci infixam; ante illum cancer, tab. I, n. 6; cf. tab. III, 5, 6; IV, 3, 4, 8; V, 2, 3. Mionnet, I, p. 289 sqq.

66 TARENTUM. — Insidens delphino vir nudus, ab eo vectus [4]. Goltz, t. IV, p. 295; tenens galeam, tab. XXXI, 7, 9; racemum, 8; circulum, 10; tridentem et clavam, addito pagurо, XXXII, 2; tridentem et circulum, 3; tridentem sinistra, dextra delphinulum, jacente cancro, 4; tridentem, astante noctua, 5; cf. *ib.* 6-10; XXXIII, 1, 3. Eckhel., t. I, p. 145; Beger, t. I, p. 322, 323, 325, 327. — Delphinus cum Pegaso et Jani capite, *ib.*, p. 381.

67 TAURIUM. — Delphini duo cum tridente, *ib.*, p. 288; Montfauc., *Ant. expl.*, t, I, pl. XXXII, 4.

68 TAUROMENIUM.—In numo, Xiphius [6]. Goltz, IV, p. 72.

69 TENOS. — Quatuor delphini tridenti [7] involuti. Goltz, IV, tab. XVII, 3; duo, 4.

70 THERMUTA, in Sicilia. — Delphini tres cum capite Arethusæ. *Ib.*, tab. VII, 10.

71 THURIUM. — Siren Palladis galeæ præfixa. *Ib.*, IV, XXIX, 4; delphinus cum bove, *ib.*, 5, 6, 10; XXX, 1.

72 TRENUTHOPOLIS. — Tridenti delphinus implicitus. Goltz, IV, tab. XXVII, 3.

73. TUSCI. Delphin, Passer. *Pict. etr.* pass.

74 UTHINA ZEUGITANA.—In opere musivo balnei gallo-romani (Alph. Rousseau, lettre du 16 avr. 1845) pisciculi, delphini, hippocampi, quibus insident genii alati, cupidines, nereides, aliaque id genus ornamenta conspiciuntur. (*Revue d'archéol.*, 3e ann. 1846, 1re part.) Eadem nuper effossa in Aquitania referuntur (*Bull. du com. hist.*, t. II, p. 377, 1855).

75-100 — Plura desideranti non deerunt numi Abydi, Achæorum, Amphipolis, Arsinoes, Astypalææ, Cinolis, Coi, Eræ, Heræœ, Lappæ, Laodiceæ, Leontinorum, Mastauræ, Metymnæ, Myrrhinæ, Nisyri, Patrarum, Philadelphiæ, Priansi, Posidoniæ, Rauci, Rhitymnæ, Selinuntis, Sidi, Trezœniorum, Thiatyræ, Veliæ, de quibus v. Mionnet, I, p. 163, 174, 245, 285, 464; II, 150, 190, 241, 263, 285, 296, 298, 315, 631; III, 22, 39, 126, 400, 404, 412, 471; IV, 87, 104, 151, 324.

II.

101 ÆSCULAPIUS. — In tabella votiva octogona, area quinquepartita inscribitur cum signis quatuor, sole, cancro, pisce et testudine; et in hac rursus altera quadripartita, cum epigraphe ESCVLAPIO SAC. Lupi *inscript.* Sever. p. 141.

102 AGRIPPA VIPSANIUS. — In numo, Neptunus delphinulum gestat. Goltz, I, tab. CXCIII.

103 ALPHÆUS. — Delphino abreptus in fontem Arethusam, e Mus. Farnes. Gronov. *Ant. gr.* t. I.

104 ALLEDIA. — *Trofinianus* et *Ælia marina* fecerunt Allediæ Marciæ, f. s. titulum marmoreum, in quo, ut in sexcentis, dii deæque marinæ cum piscibus insculpuntur. J. G. Stuck. Tigur. opp. t. II. *Sacror. et sacrific. gentil. descript.* p. 105, n. 28.

105. AMPHITRITE. — Vecta delphinibus, *passim.* T. Wordlige, A select. collect. of Draw. Lond. 1768.

106 ANTONINUS. — In tabella votiva legionis II coh. X piscis et capricornius. Cf. AUGUSTUS.

107 APOLLO. — Delphinus ei sacer [8]. Spanheim t. I, p. 197; in apollinea lyra frequens. Gronov. *Ant. gr.*, t. XII, p. 56, 14; Maffei *Gemm. ant.*, p. III, tab. X, XLVIII; Gori, *Mus. Florent.*, t. II, tab. XCIII, 5; Bottari, *Roma Sotter.* tav. LXXI; Creuzer. *Symbol.*, pl. XCIX, 336, CI, 396, CXXIX, 505, CXXX, 504; etc. In tabella votiva XV virorum Vespasiano vota nuncupantium, delphinus super tripodem et mensam; juxta, accensa lampas et candela, corona quercea, lituus et cantarus, cum titulo pro salute Augg. Grut. MLXXVI, 5. In numo Vitellii delphinus in orbiculo cum avicula (Græv, t. V, p. 34. Cf. n. 86 *Domitianus.* Jos. Blanchini, *Demonstr. h. t. quatrip.* t. II, p. 409; Vaillant *Numism. imper.* t. II, p. 83.

108 ARION. — Cf. n. 3, 4, 5, 6, 13, 24, 26, 38, etc.

109 AUGUSTUS OCTAV. IMPER. — In numis, delphinus gubernaculo implicitus. Goltz. II. tab. LXVII, 9: capricornio addito, ib, 1-7, 9-12; LXXIV, 24. Monstrum marinum, capricornio [9] simile, gubernaculo

(1) *Tridentem.* Hic inter rara exempla numorum in quibus Neptunus urbem maritimam non designat. — (2) *Pagurus.* Ob aquas Sinuessanas quæ ægris sanitatem, feminis fecunditatem, insanis mentem conferre dicebantur. — (3) *Arethusæ.* « In hac insula, inquit Tullius, est fons aquæ dulcis cui nomen Arethusa, incredibili magnitudine plenissimus piscium, » quos, ut pote Dianæ consecratos, religio fuit violare. Prodit enim Diodorus observatum etiam illos qui belli tempore eos pisces comedere ausi fuissent, variis calamitatibus oppressos, infelicem habuisse exitum. Atque hinc varia numismata cum Arethusæ capite piscibus circumdato, inter syracusana, Spectari declaraverunt. — (4) *Vectus.* Taras is est conditor urbis de quo Jul. Pollux, lib. IX, c. 6. — (5) *Capite.* Tarentini, devictis in bello Messapis et occiso rege Peucetiorum, signa tria ex ære Apollini Delphio transmiserunt consecranda: in uno Opis rex occisus expressus; in altero, Taras, urbis conditor, Neptuni filius; in tertio, Phalantus coloniæ auctor. Pone eum effictus ex ære delphinus, quod fama erat eum naufragum apud Cnissæum sinum, in littus a delphino vectum; sed idem alias de Tarante refertur. Atque eo quidem pertinere putarunt delphinum qui in omnibus fere Tarentinorum numis conspicitur. Cf. Pomp. Sabin. ad Virg. *Georg.* II, 197; Mazochi, *Comm. ad tabul. Heracl.* I, 99. — (6) *Xiphius.* Prope urbem est promontorium Xiphonium a Xiphiorum piscium copia, quibus hoc mare abundat, vocatum. — (7) *Tridenti.* Ibi peculiarem esse Neptuni cultum aiunt Strabo X; Tacit., *Annal.* III. — (8) *Sacer.* Fama erat deum sub delphinis specie nautas actos tempestate ad littus deduxisse incolumes, tum Castalio Cretensi, coloniam agenti, viæ se ducem obtulisse, quin et navem ejus usque ad Cnissæum Phocidis sinum præcessisse; tum demum Theseum ad Minotaurum proficiscentem Apollini Delphino pro sua suorumque salute et reditu vota suscepisse. — (9) *Capricornio.* Quo usus Augustus ob suam celebrem genituram cujus tantam fiduciam habuit, ut thema vulgaverit, numosque cuderit eodem notatos. Adesse solent cornucopia vel or-

innixum, cum orbiculo et cornu copiæ, t. I, tab. CCIII. Cf. Gori., *Mus. flor.* tab. XCVI, I. In gemma, delphinus cum testudine. Gori, *Thesaur. gemmar. astrifer.* t. II, tab. CCXXIII. Idem anchoræ obvolutus. J. P. Bellori *in* XII *Cæsar. numism.* p. 80.

110 BACCHUS. — Pisces [1] in pictura quæ Bacchi apotheosin refert. Passerii *Pict. etrusc.* t. II, tab. CIV, 8. Baccha ἰχθυοφόρος. Delaborde, *Vases grecs de Lamberg*, supplém. t. II, p. 10.

111 CALPURNIUS. M. — In numo, delphinus in cuspidem insilit ab Oriente, palma desuper expansa. Goltz, t. I, tab. CLXXIV, 4.

112 CAMASENE, JANUS. Cf. n. 66. Guign. et Creuz. t. I, p. 430. Hartung, *die Relig. der Römer*, II, 227.

113 CENTAURI. — Ἰχθυοφόροι centauri concurrentes. De Clarac. t. II, pl. 116, n. 3.

114 CLAUDIUS. — « Negotiator virorum de Velabro a quinque scaris. [2] (*Bulletin et Ann.* de l'acad. d'archéolog. de Belg. t. II, p. 268.) »

115 CUPIDO.—Is Tritoni insidens, hamata linea duos pisces e flumine educit, hinc et inde delphini, paguri, arbor, papilio. Gori, *Mus. flor.* tab. XLXII, I. Cum delphino, *ib.* tab. LI, 3; Montfauc., t. I, pl. XXXV, p. 74, n. 5, 6; CXVII, p. 183, 1, 2-6, CXIX, etc.; Caylus, t. IV, tab. CXCV, p. 63; V, 179; Beger, t. I, p. 187; Cabinet d'Orléans, t. I, p. 157; Millin, *Voyag.* t. I, p. 157, atlas, pl. II, III. Ciampini, *De Vet. monum.*, t. II, p. 2.; Mionnet, t. III, p. 87; V, 340, n. 71.

116 DINOCRATES. — In gemma piscis porco marino similis, inscripto Dinocratis ἀρχίφρωνος [sic] nomine. Goltz, t. III, tab. XXVIII.

117 DIOGNETES. — Delphinus in annulo æreo, inscripto nomine P. CÆ. DIOGNE. Muratori, *Antiq. med. ævi*, t. III, p. 120.

118 DOMITIANUS. — In numo arg. delphinus gubernaculo obvolutus, p. 80, n. 3, 4. Idem super tripodem et mensam, n. 5. Cf. 107.

119 M. FULVIUS FLACCUS.— A. V. C. 489, numus in quo Neptunus sinistra fert delphinulum. Goltz, I. tab. 85.

120 GEMITIUS ORATA. — In lucerna ex tumulo piscatoris delphinus, cum hac epigraphe: *Gemitius Orata, Rom. piscator. Maledictus ille piscis qui spina me confixit. Heu! mons lucis, et tu, ripa, cunctis portum, mortem mihi.* Licetius *de lucern.*, lib. VI, p. 1126; Bannani, *Mus. Kircher.*, p. 132.

121 GLAUCUS. — De cujus monumentis diss. L. Vinet, *Ann. de l'instit. archéol.*, t. XV., p. 182-192. De Vitte. *Annal. archéol.*, II[e] ann., p. II. p. 622.

122 HADRIANUS. — In numo, delphinus impositus urnæ, cui innixa mulier, humi decumbens. Vaillant, *Numism. imper*, t. II, p. 117.

123 HECTOR vel Trojani. — Delphinus pingitur in utroque clypeo duorum militum, quorum unum Hectorem esse putant. Alex. de Lab. *Collect. des vas. gr. de Lamberg*, t. II, pl. 12 [cf. ULYSSES].

124 HERCULES. — Bestia marina evomit eum in littus [3], ibidem piscis in sepulcro Trevirensi. Wilhelm. Luxemburg. p. 232 [cf. S. CYRILL. *In Jon.* p. 375].

125 M. AUREL. HERMAÏSCUS.— Titulum erexerunt piscatori *M. A. Ermaisco*, quem *omnes sodales sui quærunt.* Piscis præfigitur inter litteras D. M; subter navicula, velis et ruderibus extensis versus orientem. Gruter, n. DCXLII.

126 HIERON. — Delphini hinc et inde. Goltz, IV, tab. XIII, 7. Cf. *Syracusæ.*

127 LENTULUS SPINTHER. — In numo, delphinus cum anchora et capite Libertatis. Goltz, II, tab. XVII, 8.

128 LYSICRATES. — Delphinus insculpitur in celebri ejusdem monumento choragico [Stuart, *Ant. of Ath.*, c. 4].

129 C. MARIUS. — Delphinus capiti adjacet, cum cuspide ad orientem versa. *Ib.*, tab. I, CLVI, 1, 2, CLVII.

130 Q. MARIUS. — Caput laureatum, hinc cuspis occidentem respicit, inde delphinus desursum erectus. Goltz. t. I. tab. CLXX, 1, 2.

131 MESSALA BARBATUS. — In area, delphinus, cui Arion insidet, substrata cuspide. Ib., tab. CCXI, 2.

132 VALER. MESSALA. — *Ibid.*, cum eodem typo, tab. CCXIV, 2.

133 MERCURIUS.—Cui dedicant Gorius et Passerius gemmam in qua conspicitur hinc delphinus et anchora, inde vero pastor ovifer, cum luna et sole; *Thesaur. gemm. astrif.*, t. I, tab. CCLXXXVII; III, p. 81; cf. t. I., tab. CXLVIII. — Pisces duo, inter quos Hermes, ad horoscopium. Ficoroni, *Gemm. antiq.*, p. 12.— Gori, *Mus. fl.*, t. I, tab. 93.— Ἰχθυοφόρος. Mion. V, 303.

134 MITHRA. In jaspide mithriacis symbolis insignito, sub tauro delphinus. Gori, *Mus. flor.*, tab. LXXVIII.

135 NEPTUNUS. — Passim cum eo delphinus. Montfaucon, *Ant. expl.*, t. I, pl. XXIX, 1, 5; XXX, 1; XXXI, 1, 4; XXXII, XXXV, 5, 6; Gori, *Mus. florent.*, tab. XLIX, I.; Caylus, *Rec. d'antiquit.*, t. V, pl. 96, p 263; t. VI, p. 1. antiquit. rom.; de Clarac, *Mus. de sculp.*, t. IV, n. 743 ad 755, etc Cf. *Augustus*, ac fere omnes civitatum maritimarum numi. Goltz, t. I, 85, 3; 87, 1; 90, 5; III, 7; 126, 7, 130, 1; 137, 1, 153, 1, 156, II; 157, 1; 215, 3. Mionnet. II, 240, 242, 247, 296, 329, 392, 499; III, 355, 385, 570; IV, 151, 207.

136 NEREIDES. — Innumera sunt exemplaria Nereidum cum delphinis ludentium, natantium, maria circumeuntium. Gori, *Mus. flor.*, tab. XLVIII; de Clarac, l. l. t. II, pl. CCVI, n. 75; CCVII, 82; CCVIII, 315, 482, 486; texte, t. II, p. 480-503; Caylus, t. III, p. 415. D'Agincourt, Peint., t. I, tab. 13, n. 15; Ciampini, *De Vet, monum.*, I, p. 82, 83.

137 NERO. — In numis, frequentes polypus, sepia, cammarus, pompilus [4]. Spanheim, t. I, p. 231.

138 OCEANUS. — Delphinus et cetus in hortis Oceani. Gori, *Mus. flor.*, tab. LI, 1, 2. Gronov. *Thes. Antiq. græc.*, t. VI, p. 3508, pl. LVII, 10, 12.

139 PALÆMON. — Statua delphino innixa. Creuz., tab. CLXXVI, n. 625, 627.

140 PETRONIA FAMIL. — Siren in num. Nicaise, p. 65.

141 PLAUTIA FAMIL. — Delphinus in numis. Beger, *Thes.*, t. II, p. 572.

142 PELEUS. — Piscis in mensa nuptiali ex anaglypho æreo. Montfauc. t., I, pl. CVII.

143 PLUTO, *inferique Dei.* — Delphinus in tumulis, funereisque vasculis. Gori, *Mus. flor.*, pl. XC, 2.

biculus cum gubernaculo, quod, illo regnante, terrarum orbis felicitate et omnium rerum abundantia fruebatur; deinde delphinus anchoræ implicitus, ut significetur regium adagium *festina lente*, de quo Sueton. in Aug, I. 85. Notum præterea ab Augusto Neptunum fuisse celebriori cultu honoratum, maxime post bellum siculum unde Suetonius, XVI: « Alii dictum factumque ejus criminantur, quasi, classibus tempestate perditis, exclamaverit, etiam indicto Neptuno victoriam se adepturum, ac die proximo solemni pompæ simulacrum dei detraxerit. — (1) *Pisces* indicant, inquit Passerius, quæque mortalia, antequam heroes dii evadant, repurganda. Sed quo jure? Christiana ethnicis, ut sæpius et temere ab antiquariis factitatur, promiscue præstiterit? —(2) *Scaris.* Quo titulo habes morem eumdem tam veterum quam hodiernorum mercatorum, emblemata sub hastâ ostentantium. — (3) *Littus.* Ob piscis calorem caput Herculis dumtaxat pilis denudatum est. Cyrill. l. l. — (4) *Pompilus.* Ad Poppææ vel domus Augustæ fecunditatem.

144 Politicus. — In pisce vitreo, prope Tungros effosso, legitur: Politicus Albiniæ. *Næniæ Britann.* Lond., 1793, pl. xxix, p. 142. Cf. Montf. *Suppl.* v, p. 115.
145 Pompeius (Cn.). — In numo gubernaculum sculptum cum stellula et delphino. Goltz, t. i, tab. clxx. cum aquila, sceptro et trophæo. Beger, l. l. p. 574.
146 Posthumius Albinus. — *Ibid.* Delphinus, substrata cuspide. Goltz, tab. xcviii, 9.
147 Priapus. — Epigramm. xi.
148 Pronuba dea. — Delphino insidet in Etruscor. pictur. Buonarotti *ad Dempster*, p. 50; J. B. Passerii *Pict. etrusc.*, t. i, tab. xlii.
149 Scylla. — Cum paguro et pisce in vase græco. E. Vinet, *Revue archéolog.* 1845, 1846, p. 418. De Witte, *Catal. Mus. britt.*, n. 210.
150 Sirenes. — Ἰχθυόμορφοι Caylus, t. i, tab. ci, p. 272; t. iii, p. 185, tab. li; t. iv, tab. cviii, p. 363. — Ὀρνιθεοί. Winckelmann, *Gemm. Stosch.* p. 400, n. 357, 358; Paciaudi, *Monum. Pelopon.*; Gor. mus. Etr., t. i, t. cxlvii, 1; Bellori, *Lucern.* Ant. p. iii, f. 2; De Clarac, *Mus. de Sculpt.*; pl. t. iii; pl. 349, n. 760, 834, n. 2089; t. v, p. 72. Montfauc. *Ant. expl.*, t. i, p. 394, tab. ccxxii Nicaise, *les Sirènes, ou discours sur leurs formes et fig.* Paris, 1691, 4°. Mionnet, t. iii, p. 643; v, 43, etc. Cf. Istiæ, Neapolis, Nemausa, Pæstum.
151 Tethys. — Currum Delphini vehunt, Tritones, Nereides, etc., Creuz., *Symbol.*, cxxxii, 511, cxl, 513, etc.
152 Theron. — Pagurus in numis Agrigentin. Eckel, t. i, p. 266.
153 Tritones. — Unus aut alter sint pro sexcentis, qualis in vase eleganter descripto a cll. vv. C. Lenormant et D. de Witte (*Elite des monum. céramogr.* Par. 1844, p. 85, 289, 277) et quem e rarissimo exemplari Porticiano desinentem in cammari corpus ære expressit de Clarac (t. ii, text. p. 191).
154 Ulysses. — Delphinum in clypeo et annulo gerebat [1], quem forte in vasis gr. et etrusc. non semel pinxerunt. Winckelm., *Gemm. Stosch.*, p. 528.
155 Valeria fam. — Sirene in num. Nicaise, p. 60.
156 Venus. — Delphinus in signis, numis, gemmis aphrodisiacis frequentissimus. Gori, *Mus. Flor.*, tab. xxii; *Thes. gemm. asor.*, t. i, tab. lxxv; Caylus, t. iii, p. 1 sqq.; de Clarac, t. ii, pl. 224. 239, n. 603, 604, 611; Beger, *Thes.*, i, 178; Montfaucon, *Ant. expl.*, t. i, pl. c, p. 166; ci, 4; ciii, 3. Layard, *Rech. sur le culte, les symb., les attrib. et les monum. fig. de Vénus*, Paris, 1837.

Nolim cæco litterarum ordine adductum videatur in locum hunc ultimum nomen flagitiosæ deæ, quæ quum, Tullio teste, nominata Venus est, quia venire eam ad omnia sacra profanaque dictitabant, non mirum eamdem sub omnibus ἰχθύος squammis latere. Dentur enim e ducentis quæ supra attuli exemplis quæcumque piscationi et navigationi jure danda sunt, non pauca tamen erunt propudiosæ deæ peculium. Nec sua invidebit Apollo, cui delphinus potius sacer ob παιδεραστίαν, quam quod harmoniæ aliquid aut vaticinii pertentet; neque innumera denegabit Neptunus, cui nempe delphinulus ille manu gestatus, dux est ad Amphitriten [2] [Oppian. *Halieutic.* i, v. 383]. Deinde aphrodisiaca est universa veterum hydrologia.

A qua abhorrere vix putem, uti nec omnino ab arcana piscium allegoria recedere illam veterum philosophorum sententiam celebratissimam, qua omnium rerum aquam esse principium vellent, ἀρχὴν τοῦ παντὸς καὶ τέλος τὸ ὕδωρ, inquit Thales Milesius; ζῶα δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν ἐν ὑγρῷ γενέσθαι, quod Anaxagoræ dictum est; ἀρχαὶ ψυχρὸν τὸ ὕδωρ καὶ θερμόν, quæ Hipponis Rhegini vox solemnis; idem a Xenophane pene hodierno argumento confirmatum, quippe cui omnia ab aquis inde oriunda visa sunt quod mediis in terris ac montibus, imisque lapicidinis pisces, conchylia, marinasque exuvias deprehenderet [Origen. Φιλοσοφούμ. p. 5, 9, 15, 19, ed Mill.]. Luculentius vero Anaximandro persuasum, cætera quidem animalia e sole confovente et irradiante effluxisse, hominem vero propius a primigenio rerum fonte, videlicet a pisce oriundum [ib. p. 19]. Unde confidenter aiebat Pythagoras se a Chaldæo Zarata didicisse duos esse dæmones, cœlestem unum, alterum terrestrem, et posteriorem a terra natum, et ipsammet aquam esse (*ibid.*, p. 8]. Quin Samio placuit, enarranti varias animæ suæ vices, fuisse se mulierem, arborem, piscem, perinde ac Empedocles cecinit:

> Ἤτοι μὲν γὰρ ἐγὼ γενόμην τε κόρη τε
> Θάμνος τ' οἰωνός τε καὶ ἐξ ἁλὸς ἔμπορος ἰχθύς.

Cf. Porphyr. Jamblich. Origen. Φιλοσοφ., p. 9, 43. Inde denique illud Pythagoreorum celebre effatum : Ἰχθύων μὴ γεύεσθαι.

Sed abs re non sit quod refert Hyginus [c. xvii, p. 360]: vetustissimos videlicet et peritissimos artis vaticinandi Telchinas, ita profecisse e piscium auguriis ut eos Jupiter aquis immerserit [3]; et quod Eustathius ad Odyss., xii, 252, in Lycia vates ἰχθυομάντεις e nonnullorum piscium adventu et motu oracula dictitasse, confirmante Aristotele [4] *Hist. anim.*, vi, 121, et Plutarcho, *de Solert. animal.* 9. M. p. 1182.

(1) *Gerebat.* Vel quod Telemachum lapsum in aquas pisces incolumem servaverunt, quæ crambe Orientalium recocta; vel quod ipsi Æolus dederit ventorum turbines, delphini pelle, quasi utre, contentos. Eustath. *ad Odyss.* x, 19. — (2) *Amphitriten.* Miratur Winckelmann id a nemine notari. *Gemm. Stosch.*, p. 105. — (3) *Immerserit.* Bacchus dicitur in Delphinos immutavisse Pelasgos Tyrrhenios, quum eum vinctum retinere vellent (Hyginus, *ibid.* Homer. *Od.* v). — (4) *Aristotele.* Vix non dixerim ad ἰχθυομαντείαν non pertinere numos a collegiis augurum et xv virorum cusos pro salute Vespasiani, Domitiani, Vitellii [n. 75 et 86], in quibus delphinus supra vasculum et tripodem saltitare videtur. Cf. Plin. xxxii, c. 2; Gruter, mlxxvi, 1.

Quod si cui videar remotissima et aliena inter se miscere, argumentum hoc de pisce aphrodisiaco non deseram, quin quod supra obiter adduxi, fusiori calamo regeram, Chaldæorum scilicet Oannen, Syrorum cœlestem Deam, Isidem Ægyptiorum, quæ potuere primum orbis et hominis referre primordia, deinde apud Græcos transiisse in promiscua Veneris mysteria et fabulas; scilicet, ex illa Chaldæorum sententia, omnem naturam cœlestium, terrestrium et inferorum ex una anima emanare, inde Græci volunt modo Adonim, modo Endymionem, pro diversis generationibus, adamari vel a Venere, vel a Selene, vel a Persephone, vel a Rhea Dindymena, vel ab Iside, etc., unde unum in alveum confluxere, ut supra diximus, sacra omnium fere gentium. Sed legesis laudata Φιλοσοφούμενα p. 97, f. 99, 101, 115, 118, 119, 129, 130, 130. Quorsum autem hæc aut cur ab omnibus conclamatum : ἀρχὰς ψυχρὸν τὸ ὕδωρ καὶ θερμόν? Noli aliud exspectare, præter id quod erumpit e toto gentilismo, quodque ex omnibus et ad omnia *venit*. Ut dictu fœdum, sic uno arcano indicetur. In Eleusiniis, die sacrorum tertia, ab initiatis Cereri offerri solitus est et adorari piscis mullus, quem dente tangere summum nefas. Tum audi *mullos* dictitari fœda fecunditatis insignia in phallagogiis Syracusanis [Cf. Hesych. δέλφαξ, δελφάκιον]. Adde quod Venus anadyomene concham marinam portare idcirco dicebatur, quod (ne verba veterum mutem) hujus generis animæ toto corpore simul aperto in coitu miscentur [A. Maii, *Mythogr.*, II, p. 139; Goth., t. IV, p. 19]. Viden' cur scalperentur centauri et Bacchæ ἰχθυοφόροι, cursu et ludo certantes [vid. supra n. 78, 80]? cur denique delphinus sit tam Veneris quam Cupidinis comes individuus?

Jam vero magnusne erit Apollo, si quis conjecerit nihil aliud latere in societate trium Charitum quibus parentes fuisse volunt modo Jovem et Aphroditen, modo eumdem et Eurynomen, eam vero Oceani filiam, jam pisciformi Syrorum deæ similem? Neque ullum aliud in Caistri itinere, quum violata Derceto est et instituta magnæ Dianæ religio; neque arcanius quidquam in Sirenum fabula [Creuzer, t. II, p. 95 sqq.], sive Proserpinam quæritantium per maria [Cf. n. 26 et 37, 67; *Maii* Mythrogr. I, fab. 186; II. fab. 101. *Class. auct.*, t. III], sive nautas cantibus decipientium. Num enimvero Œdipo opus erit ut intelligatur ænigma Veneris illius cynicæ equitantis in cane cujus terga in piscem abeunt [Caylus, *ant*, t. III, p. 420]? Sed puerorum ludibrio sint, nisi rursus flagitia tegant, tesseræ piscium convivales [Græv., t. XII, p. 962; f. 3], pisciculis distincta vasa, trientes, stipes unciales [Caylus, t. IV, pl. 41; Montfauc. *Suppl.* III, p. 407, 109], scyphi ἰχθυοειδεῖς [Græv., t. IX, p. 130], et thuribula vel αὐθέψαι odoramentorum [Caylus, t. VI, pl. 94, p. 296], quorum agmen agat delphinus ille auriga, qui, arduus in cursu, ore simul et flagellum agitat habenasque premit, et bigam anhelabundus regit periscillidum [Caylus, t. II, pl. CC, p. 313].

Sed quod persequebar de piscibus argumentum in poetis, in philosophis, in sacris, in ludieris, nonne vagum et lubricum in pelle natabit, quum omnino eadem piscium consuetudo frequentetur in ornamentis sepulcrorum, in lectisterniis, in urnis et lucernis emortualibus [Gronov., t. XII, p. II, p. 11, f. 5; p. II, f. 14; Gruter DCCLXXXVIII, 9; DCCCCX, 6, 10; MXLVIII, 6. Cf. LXII, DCXCIX, DCCLXXIX; Inghirami *Monum. etrusq.*, ser. I, tav. X, XL, XLVII; Alex. de Laborde *Vas. grecs de Lamberg.*, t. II, pl. 47; Bellori, *Pitture ant. del sep. de Naz.*, n. 4; d'Agincourt, t. II, pl. V; Paciaudi, *Monum. Pelopon.* t. I, p. 143; *Mus. Capitol.*, t. IV, p. 113]? Quorum inter præstantissima habetur sepulcrum musei Parisiensis in quo Actæonis funus describitur [De Clarac, t. II. pl. 113, n. 769; pl. 206, n. 75. text. t. II, p. 480-563].

Sed ne trita recantem, verbo revocabo defunctorum iter ad Fortunatas insulas, deliciis iisdem in altero orbe, sed exquisitioribus quam in hoc ævi curriculo, immersorum : quibus utique oportuit viatica illa duo præire, tum convivia lauta lectisterniorum, in quibus piscis eo diligentius apponebatur, quod non erat absque eo convivium absolutissimum, inquit Lucianus, τὸ ἐντελὲς ὀνομαζόμενον δεῖπνον [*Conviv. Lapith.* 38], tum lascivum illud et meretricium agmen Tritonum et Nereidum unumquemque post ultima fata comitantium [Orph., *Hymn.* XXIV, v. 25].

Quæ igitur quum unanimi choro exceperint philosophi, vates, sacerdotes, opifices, quid mirum eruditos quoque physicos nihil studiosius inquisiisse quam piscium, uti alias volucrum, et animalium, quin et lapidum, aphrodisiacas virtutes? Uno nomine utar Æliani in uno *de Anim.* lib. I, c. 2, 3, 12, 13, 14, 17, 18, 19, 33, 26, 30, 33, 41, etc.; [ed. Gronov. Lond. 1744, p. 3, 6, 16, 18, 23, etc.].

Penes me tamen non erit eam concedere argumento meo firmitatem et constantiam, ut

commode ex illo clavis quæ omnia spurii symbolismi arcana aperiat, exsculpatur. Græcis enim, quamquam splendidiore via et faciliore indole multa in unum reducere soleant, non deest indigesta rerum numinumque confusio quam supra vel ob unam illam piscis allegoriam in Syris et Ægyptiis deprehendimus.

A tumultuario quidem piscium usu saltem in sacris prohibere videbatur illud Plutarchi : ἰχθύων θύσιμος οὐδεὶς; et Platonis : Οὔτε φύεται ἄξιον λόγου οὐδὲν ἐν τῇ θαλάττῃ, οὔτε τέλειον; tum Apuleii, Magis ignotum esse piscem asserentis. Sed ecce anguillas copaïdas a Bœotiis hostiarum in morem coronatas, molaque perfusas diis sacrificari, probat Athenæus. Ecce nuptiarum conviviis adhibitos fuisse pisces, et poetæ canunt Antiphanes, Plautus, Epicharmus, neque tacent philosophi [Varro *Sat.* 60]. Rescimus aliunde Phaselitas [Plut. M. p. 1194 Did.] quædam piscium salsamenta quotannis patrio ritu diis et præsertim Marti obtulisse; quin ex iisdem exercuisse aruspicinam et futura prædixisse. Adde quod sacrificarunt antiqui Proserpinæ mullum sive triglam, commarum Dianæ, Apollini vero cytharon, Mercurio bocam, Libero patri cittalum, Neptuno pompilum, Junoni barbatulum, denique apuam Veneri [J. Guil. Stuck., *Opp.* t. II, *Sacror. et sacrificior. gentil. Descript.* p. 72]. Accedant et illa quæ modo dixi, delphinum esse penes Æsculapium, Apollinem, divum Augustum, Bacchum, Cererem, Cupidinem, divum Domitianum, deam Fortunam, Glaucum, divum Hadrianum, Herculem, Mercurium, Melicertem, Mithram, Palæmonem, Plutonem, Priapum, pronubam Deam, Tethin, et divum Vespasianum cæteraque augustæ domus numina. Euge : expiscetur aliquis, si vacat, quid ad singulos in pisce jure pertineat, quidve sit omnibus commune; ego vero non usque adeo otiabor.

Pauca vero inde quam brevissime concludam : nihil tibi ex his aut similibus monumentis testimoniisque, quantumvis ea obstinate premas, eduxeris ultra certos rerum naturalium fines. Aut enim physicam habes aquarum, fontium, fluminum, ponti et oceani imaginem, a nautis, mercatoribus, piscatoribus στοιχειωτικῶς adumbratam ; aut, si paulo altius ad χρονικὰ suspexeris, subierit tibi evanida quædam diluvii antiqui memoria, nec fortasse liquidius expressa rerum ab aquis immergentium, spermatumve in humido elemento innatantium origo, quam illis placuit ab cœnosa Aphrodite universim repetere.

Ad quemdam enim cataclysmum refero libentius plurimarum e græcis gentium hydrophorias, quas et apud Syros Hieropolitanos fieri invenimus. Sunt enim Atheniensium, ut dixi, in mense anthesterione seu februario, piscibus addicto, hydrophoriæ ferales, in quibus solemne erat, lugentium in habitu, aquam e mari deferre et in telluris hiatum prope Jovis Olympii templum injicere, simulque Baccho et Mercurio litare olera in immensis ollis elixa, quibus hominum in aquis suffocatorum memoriam dictum est eos refricuisse. Sunt lustrationes Æginetarum simili ritu in honorem Jovis actæ. Sunt Ithomæorum pariter aquas per Jovis templum conspergentium. Sunt etiam Argivorum, in eo ab aliis diversæ, quod in χάσμα hians prope templum Neptuni προκλυστίου seu ab inundatione sospitatoris, aquarum loco, tædas injiciebant.

Ultimo monebo, non deesse apud græculos, quod cætero orbi cæca æmulatione factitatum, panem scilicet aut frumentaria liba et pulmenta cum piscibus constanter in sacris consociata. Vide quippe vel in mysteriorum sanctissimis, Cereri, tertio die Eleusiniorum, tum offerri mullum ab initiatis adorandum, tum farreas libari simul placentas [Pausan. 1, 18, 7]. Vide rursus in *triplici nocte* hiemalis solstitii, quum Herculis natalia grandi frequentia celebrarent, porrigi hujusmodi liba, eaque animalium pisciumque adornata figuris [Brunet. l. l. III, n. 1681].

Nescio vero utrum aliud sit notatu dignius in omni antiquitate quam quarta lex Numæ Pompilii, de vetitis inter sacra piscibus planis et mollibus :

Pisceis. quoi. squamosei. non. sunt. nei. poluceto.

Eidem dictum a Jove referunt, quum de averruncandis fulminibus deprecaretur, « propitium summo Deo fore μαινίδα pisciculum » [J. Meyer, *Delineatio vitæ gestorumque Numæ Pomp.* Basil. 1765. L. Lacroix, *Recherches sur la religion des Romains d'après les fastes d'Ovide*, 1846. Mém. de l'Acad. des inscr., nouv. série, t. III, p. 345. Plutarch. *Numa,* 15, p. 84 Did.].

Art. VI. Paralipomena de pisce allegorico.

Artem cantandi extra chorum didicisse me nemo conqueratur, dum et Christianorum symbolo alia præmiserim, quæ quum Judæorum sint aut hæreticorum inventa, aut a nostris etiam excogitata, sed privato profanoque marte, dubio procul extra legitimos theologiæ symbolicæ cancellos exspatiantur.

I° Triplex facile instituetur, sed ægre ducetur ad umbilicum inquisitio de allegoria nostra apud Judæos : qualis nimirum apud antiquos, apud Thalmudistas, apud Kabbalistas fuerit.

Veterum testem caute adhibe Philonem, qui quum a suis plerumque repudietur, tum ultro se in aliena castra recepit, suosque in libros alexandrina et platonica inspersit plenis manibus, ut in putidam Græcorum assentationem, antisymbolicas prorsus invexerit novitates. Disce græcissantem ex una hac allegoria piscium in Nilo, jubente Moyse, emortuorum. « Dicitur, inquit [*Quod a Deo mitt. somnia*, p. 693, l. 16-24], fuisse in ipso omnes pisces corruptos, qui symbolice sunt sensa animi. Hæc enim tamquam in fluvio, natant et ingenerantur in verbo [τῷ λόγῳ], animalibus similia atque ipsum animantia. In indocto autem λόγῳ mortui sunt conceptus animi ; nullum enim prudentiæ compotem ibi invenire est, verum gracculorum quasdam rudes et inconditas, uti quidam dixit, voces [*Iliad*. B. 212] :

"Ος ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη. »

Alia Thalmudistis placuerunt, scilicet nasciturum Messiam, concurrentibus Saturno, Marte et Jove in signo piscium [Cyprien Robert, *Univers cath.*, t. VI, p. 349]. Iisdem erat aliquando piscis innocentiæ signum [Pierius, *Hierogl.* l. 31] ; aliquando in malitiæ piaculum ; quo factum ut primo judaici anni die, medio circiter septembre, quo die fore ut a Deo homines judicentur aiunt, solerent ad aquam piscibus abundantem se conferre, et si pisces conspexerint, omine expiatorum criminum accepto, exsilire præ lætitia, vestesque suas strenue decutere, ac si peccata sua instillarent in pisces, qui inde jam illis onusti enatent [Buxtorf., *Synag. Jud.*, c. XXIV][1].

Ecce tibi pauca kabbalistica : « Alphabeti XIV[a] littera נ significat : infans, filius, piscis. [Alstedius, *Encyclopæd.*, t. I, lib. VI, p. 213]. Eadem iterum duplex est, extensa et obliqua. *Nun* ן extensum sive finale innuit sæculum Misericordiæ, quæ attrahitur per viam lineæ Thiphereth[2]. Nun obliquum est mysterium Malchut[3], recipientis influentiam benedictionum et emanationum per viam canalium, mediantibus Sephiroth[4]... » Inde innumera in utramque lineam, inter quæ : « *Nun* a dictione נוני, id est pisces, quod innuit Iessod[5], qui est Leviathan, serpens tortuosus. » Sed abrumpere telam malim, hac contentus clausula ex antiquissimo libro *Sohar* [ad sect. *Achare*], quem ad Simonem Akibæ et Barchochebæ discipulum referunt alii, alii christiano ævo antiquiorem faciunt : « Supra utrumque Nun dicitur inesse Vau : duo autem hæc Vau discrepant invicem : nam Vau Nun curvi est Vau parvum, nempe Iessod ; Vau Nun extensi est Vau superius, nimirum Thiphereth. Ipsummet Nun est Matrona. » Hæc in Sohar. In alio autem ejusdem loco : « Nun obliquum est femina, extensum vero simul mas et femina, et hæc idem sunt [Caffarelli, *Lexic. ms.*, t. II, p. 44-46]. » Mitto aliam expositionem qua נ significat solem[6] [*Biblioth. critic. sacr.*, t. III, Diss. XI]. Mitto fabulam ineptam immanissimi ceti[7] et celebratissimi inter Rabbinica, qui maria ac terras circumamplexus, nihilominus est uno Leviathan haustu deglutiendus. Sed cetus ille dorso vehit arenam herbis et arboribus consitam, montis instar et insulæ, id quod ad Physiologum, et ad aliud piscium allegoricum genus ducit, ab hæreticis excogitatum.

II° Tam pauca supersunt veterum gnosticorum, uti et Judæorum monumenta, quæ quidem ego noverim indubia et e re esse mea, ut vix operæ pretium sit eorum retexere elenchum :

1. Certa, opinor, erit gemma Collegii romani, in qua anchora cruciformis duos inter pisces cernitur hinc, illinc legitur [Costadoni, l. l. n. XXVI] : CHERVI — ABRAO — AI.

2. Alterum piscem gnosticum Montefalconius in sua inseruit abraxas, cristis et pinnis horridum, cum paguro positum quasi in circulo quem squamosus serpens perficit. *Antiq. expl.* t. II, tab. 174.

3. Jam mea opinio sit, quam nolim quovis pignore asseverare, gnosticam primum fuisse gemmam Fogginianam [Costad. n. XXXV, p. 312, Mamachi, t. I. p. 60 ; Polidori, n. 9], quæ aliis

(1) *Enatent*. Id quod vocant תשליך *Thaschlik*, referuntque ad illud Mich. VII, 19 : « Deponet iniquitates nostras et projiciet [ותשליך] in profundum maris omnia peccata nostra. » Cf. *Bible de Vence*, t. VIII, p. 195, 5[e] édit., Paris, 1828. — (2) *Thiphereth*. Sephiroth septimum. — (3) *Malchut*. Decimum Sephiroth. — (4) *Sephiroth* sive decem arcanæ numerationes de quibus kabbalistarum πολὺς ὁ λόγος καὶ δυσερμήνευτος λέγειν. — (5) *Iessod*. Nonum Sephiroth. —(6) *Solem*. Juxta Hieronymum *Nun* significat *in æternum*. Epist. ad Urbic. præf. in Thren. cf. Euseb. H. E. X, 2. — (7) *Ceti*. *Cod. BavaBathra*, c. 5, p. 73, 74, apud Conrad Otto, lib. III ; Gali Razia, c. 9 ; Glossa Rasci.

ethnica visa est, postmodum vero orthodoxo quidem, sed rudi charactere insignita. In ea satis eleganter insculpuntur quædam paguri et cetosi piscis testacea corpora duo, quorum superius palæmonem squillam esse suspicantur, posterius scomberoidem : inter quæ vetus certe opifex inseruit, quæ solent legi in gemmis christianis : Ἰησοῦς Χριστὸς ΣΩΤΗΡ Θεοῦ Υἱός, ubi notandum in meditullio, in præcipuo et alieno loco, poni vocem illam ΣΩΤΗΡ, eamque solam esse integram, quæ scilicet ad Æonum pleroma pertinuit, et in huncce modum :

ΙΧ
ϹΩΤΗΡ
ΘΥ

4. Spero fore ut primam in lucem eat gemmula tabulæ t. II *Spic.* n. VIII inserta, quam, eruditis illustrandam præstiterim potius quam ausim ego ejus me interpretem proponere. Subobscura enim mihi est non una ex parte. Eam vero gnosticam autumo, non tam ob suorum piscium genus ὀστρακόδερμον, cum præcedentibus exemplis consentaneum, quam propter Ophitarum symbolum duplicis, nisi fallor, in voluminibus anguis expressum, et ob duodecim stellulas sub orientali linea sursum coruscantes, quæ forte respiciunt quod excogitavere Peiratæ numen abyssalis culminis, mare ab illis dictum, cui duodecim præfulgent oculi mandatorum, a quo declaratur sigillum de virtute aquarum superiorum invisibilium [1].

5. Tum ad Mithriaca aut ethnica haud illibenter amandaverim elegantem picturam inter christianas a Boldettio editam [*Osservaz.*, p. 208]. Vult quidem Montefalconius eam esse christianum opus [A. E. III, p. 113], nec deerunt qui nonnulla omnino similia forte nobis objiciant, quibus infra fusius erit, si vacat, respondendum. Piscis quidem illic apponitur in mensa, quem novimus lautissimæ caput esse cœnæ. Hic præterea sedet mulier floribus coronata, duos inter convivas phrygio pileo tectos, Dioscurorum stella distincte in humero utriusque dextero imposita. Quorum media, simulque dexter ab illa conviva, dextram utrinque tollunt, erectisque digitis duobus videntur ad iteratam potationem tertium provocare. Tertius quidem totus est in uno scypho ad siccum sorbendo, cui novum æque plenum pocillator unus porrigit, dum alter servulus cantharum plenum sustinet. Quid plura ut picturam a christianis rebus alienam, Virgilio vaticano, unde excepta est, remittas? Sed hæc obiter.

6. Jam audentior ero, præeunte eruditissimo P. Garuccio, eoque jubente e christianis finibus et a symbolorum nostrorum communitate exterminari picturas in cœmeterium Prætextati temere insertas, id quod vel e locorum situ, prout gnaris viatoribus observatum, satis evidens fit. Proxima enim est via Appia, quam respicit, ut solebant ethnica sepulcra, id ipsum cubiculum unde nuperrimæ lites inter antiquariæ rei magistros erupere. Quæ fortasse componerentur, dummodo judices in Appiam convenirent, adverterentque cubiculum non in eamdem lineam a solo cum cœmeterio dirigi, sed utriusque pavimentum non uno passu ab alterutro distare, nec leviter hinc et inde in transversum inclinari : ut forte casuque in hanc vicinitatem desierit cœmeterium Prætextati, ab alia utique et remota regione profectum. Sane causam actam agere nolo, neque me eam tangere decet, nisi ex unica parte qua mea est, e pisciculo bis inter fercula convivii cum gallina et lepore et pingui ocrea apposito, quæ pene dixerim illam cœnarum lautitiam, quam Fenestella nuncupat Tripatinum [Plin. H. N. XXXV, 46]. Næ : convivas longe alios quam christianos mensa illa exspectat, potius vero Luciani *Lapithas*, quibus ad absolutum omni puncto convivium « infertur, ait, gallina unicuique, et offa aprugna, et leporina, et piscis de sartagine, et placentæ a sesamo, et bellaria [n. 38]. » Vereor enim ut omnibus cœnis, quas veteres pictores ordine longo instruxere, christiano ritu paratas, ne una quidem excepta, non alia quam piscis et panis lautitia sit. De quibus iterum infra.

Testimonia Gnosticorum scripta, quæ liquido nobiscum faciunt, tantum non pauciora sunt monumentis. Suppeterent, si quis illis accenseat quæ

(1) *Invisibilium.* Fuse id numinis genus sive δύναμιν describit auctor Φιλοσοφουμένων : Ἡ δύναμις τοῦ ἀβυσσικοῦ θόλου, ἡ τὸν πηλὸν ἀναβαστάζουσα τοῦ ἀφθάρτου ἀχανοῦς διύγρου, ἡ τοῦ σπάσματος [σπέρματος?] ὅλη δύναμις ὑδατόχροους, ἀεικίνητος... ἡ τὰ ἀνερευγόμενα ἀπὸ τῶν δώδεκα ὀφθαλμῶν ἐντολῆς ἀπολαύουσα, σφραγῖδα δηλοῦσα πρὸς τὴν μετ' αὐτῶν οἰκονομοῦσαν τῶν ἐπιφερομένων ἀοράτων ὑδάτων δύναμιν, ἐκλήθη θάλασσα, p. 128. Nisi forte quis maluerit respici alterum eorumdem aquatile numen, cui nomen Chorzar, sive Neptunus et filia Typhonice, πιστὴ φύλαξ ὑδάτων παντοίων, ad quod ascribunt duodecim fistulas et δωδεκαγώνιον πυραμίδα. Ib. Duodecim etiam viri ex ordine ambulantes exscalpti sunt in Abraxa duplici, apud Montefalc. A. E. t. III, tab. 171.

a gentilibus in singulas redundarunt hæreses. Non absimilia enim Naassenorum placitis sunt, si Φιλοσοφουμένων auctori fides, numina Assyriorum Oannes [1] [*ib.*, p. 97], orgia Adonidis, Attyos, Endymionis[*ib.*, p. 101], et alia quæ jam cum nostris collata satis. Ita et Peratis arrisere quædam id genus [*ib.*, p. 129], tum chaldaica de piscibus et delphino siderali τελέσματα [p. 128], et græcanicæ fabulæ aquatilium geniorum [*ib.*, p. 128, 129]. Marcion vero ad Hesiodi Theogoniam aut Physicam Empedoclis accessit [*ib.*, p. 247, 251].

Sed et quæ gentilium poetæ et philosophi cecinere de Oceano, deorum hominumque parente, de aqua rerum omnium fonte, de virtutibus humidi elementi, certatim refricuere Naasseni [2] [*ib.*, 105, 106, 110, 119]; Peratæ[p. 128, 131]; Sethiani [*ib.*, 138, 141, 150]; Marcionitæ [p. 246]; gnostici Arabes, quorum dux Monoimus [p. 269].

Potiori tamen jure nostra est vel hæc sententia Sethianorum « a primogenito aquarum genitum esse hominem » [*ib.*, 142], vel altera Marcionis « sanctiorem cibum esse piscem [Tertull., *Adv. Marc.*, lib. I, c. XIV, p. 261 B]. » Sed quo pauciora gnostica suppetunt, eo mihi magis commendatur nobilis symboli dignitas, scilicet adeo sinceræ doctrinæ reservati, ut inter innumera veterum apocrypha, quæ gnosticorum opera sunt, nullibi ferme compareat.

Ad hæc tamen accedere Physiologum, inter gnostica, ut dixi, facile annumerandum, forte jubebunt allegoriæ περὶ ὕδρωπος, περὶ πρίονος, περὶ σειρήνων, περὶ ἀσπιδοχελώνης, περὶ ἐχιδνῶν [supra p. 341, 342, 350, 352, 355, 383] et quæ de Delphine apud Syros tantum et Arabes exarantur. Quorum quidem metrica duo capita, περὶ ἐχιδνῶν πελάγου, περὶ ὕδρωπος adeo ab edito Physiologo differunt, non dictione solum insolenti, sed rerum adinventione, ultimum vero *De delphine* ita rarum visum est, ut mox inter ἀνέκδοτα tria hæc rescribere placuerit.

Quæ quidem analecta hanc qualemcumque de gnosticorum ἰχθυολογίᾳ disputationem haud illepide absolverint, nisi digito vix ea tangere queam, quin statim subeat illud satyrici :

Spectatum admissi, risum teneatis, amici?

Physiologus enim ille, in cap. de Hydrope, dum quemdam piscium regem describit, equi cervici pene jungit humanum caput, quod immanem in piscem desinit. Illi quidam rex piscium est, cui infantis caput, sapphirini oculi, aureique capilli, unde piscis aureus dicitur; cui porro in Oriente propria regio est, et supra petram sedes. Ecce autem pisces incedunt, agmine bipartito, ut feminæ præeant, pone mares sequantur, hydrope duce. Is eos ad regem piscium introducit, quem quum osculis salutaverint, redeunt ad loca sua. Sed audi ἐπιμύθιον : Christus enimvero tibi erit piscis ille aureus, sapphirinus, a quo bona optima, omnibus impense adorandus.

Si quid vero e pagina sacra, ut in cæteris fit Physiologi partibus, huic fabellæ assuere licet, habes fortasse in Job XLI, 25, ubi ab interpretibus LXX Leviathan dicitur omnium quæ in aquis degunt dominator : αὐτὸς δὲ βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν τοῖς ὕδασιν. Sed Anastasio Sinaitæ infra proferendo duplex est piscium rex, bonorum quidem Christus; diabolus vero, virulentorum et fœtidorum [*Anag. contempl.*, lib. V, p. 879 E]. Ad nostra propius accederet, si demum esset alicubi superstes libellus [3], de quo Hieronymus, stomacho forte nimio commotus, ait : « Ex quo liber ille apocryphus stultitiæ condemnandus est in quo scriptum est : Quemdam angelum nomine Tyri [Θηρίον?] præesse reptilibus ; et in hanc similitudinem piscibus quoque et arboribus et bestiis universis proprios in custodiam angelos assignatos [in Habac. ad v. 14, c. 1]. »

Sed e Clementis *Recognitionibus* succurrit aptissime locus ex quo videre est quæ veterum gnosticorum gerræ, aut quam impuri Physiologi fontes, et quot venena in hisce turbidis aquis lateant. « Tunc Petrus docere me hoc modo cœpit : Deus, quum fecisset mundum tamquam universitatis Dominus, singulis quibusque creatoribus principes statuit; ipsis quoque arboribus, montibusque ac fontibus et fluminibus, et universis, ut diximus, quæ fecerat. Statuit ergo angelis angelum principem, et spiritibus spiritum, sideribus sidus, dæmonibus dæmonem, avibus avem, bestiis bestiam, serpentem serpentibus, piscem piscibus, hominibus hominem, qui est Christus Jesus [lib. I, c. 45; Cotel., t. I, p. 497, Anv. 1700. Cf. *Phys.* c. I, sup. p. 338]. »

(1) *Oannes*. Ἀσσύριοι δὲ Ἰαννῆν ἰχθυοφάγον γενέσθαι κ. τ. ε. Magorum fuisse vocem Ὠαννῆν, vel *Jannem*, innuit Apostolus, II Tim. III, 8 : Ὃν τρόπον δὲ Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωυσοῦ. Cf. quæ supra, art. I. — (2) Εἶναι δὲ τὸν ὄφιν λέγουσιν οὗτοι τὴν ὑγρὰν οὐσίαν, καθάπερ καὶ Θαλῆς ὁ Μιλήσιος. Origen. Φιλοσοφ. p. 119. — (3) *Libellus*. Quem nonnulli perperam esse voluere pastorem Herman, ob libri I vis. IV, ubi excitatur angelus qui bestiis præest, cui nomen *Hegrin*, de qua re vide Vallarsii censuram ad h. l.

Ad Orientem vero, unde hæc portenta migrarunt, ut cum Hydrope revertamur, illic non ignotus est *Mahizer*, sive *piscis aureus*. Sed est gemma rarissima, quæ in mare immissa, pisces aliaque in undis immersa sibi attrahit, de qua videndus physiologus arabicus, c. 9, ubi *de Urinatoribus*, et cl. d'Herbelot [*Bibl. orient.*, ad h. v.]. Decantatæ etiam apud Orientales *aquarum reginæ* vel *filiæ*, sive sirenes (*Benat al-bahr*, *Benat al-ma*, *Malek deria*, *Denghiz maliki*); quin immo *Rex maris* est, idemque Leviathan, a Salomone in novissimo tempore debellandus.

Sed nondum gerrarum finis est. Ejusdem enim furfuris est, aut intermedia, tam gnosticis vicina quam proxime accedens ad orthodoxa, Sibyllina quædam διήγησις, quæ nondum integram in lucem venit, sed plerisque, opinor, tantum non ignota [1]. Verum in codicibus hæc narratiuncula Africani modo, modo Anastasii Sinaitæ nomine superbit, utrumque pariter ementita : canæ tamen et primævæ antiquitatis aliquid in ea esse suadent χρησμοὶ huc illuc αὐτολεξεὶ invecti et assumenta ex antiquis apocryphis emta. Sub hac igitur epigraphe : *Narratio rerum quæ in Perside acciderunt* in incarnatione D. ac S. N. J. C., nectuntur variorum dialogismi, primo philosophorum et Judæorum cum christianis litigantium, deinde sacerdotis cum rege quodam Persarum de portentis confabulantis, tum deorum dearumque orientalium, quorum signa auro, ligno, marmore sculpta, æstu repentino percita, subsiliunt, choreasque agunt et tripudia, sed et oracula de fonte quodam et pisce, de sidere et futuro rege miris modis effutiunt. Quæ quidem nolim ita lectori candido invidere, quin præcipua illico replicem [2] :

Πᾶσαν γὰρ τὴν νύκτα τὰ ἀγάλματα ἔμειναν χορεύοντα, τά τε ἀνδρικὰ, τά τε γυναικεῖα, λέγοντα ἀλλήλοις· Δεῦτε! συγχαρῶμεν τῇ Ἥρᾳ.— Καὶ λέγουσί μοι· Δεῦρο, προφῆτα, ὕπαγε! σύγχαιρε τῇ Ἥρᾳ, ὅτι ἐφιλήθη. — Ἐγὼ δὲ εἶπον· Τί εἶχε φιληθῆναι ἡ μὴ οὖσα; — Ἅτινα λέγουσιν· ὅτι ἀνέζησε, καὶ οὐκέτι λέγεται Ἥρα, ἀλλ' Οὐρανία· ὁ μέγας γὰρ Ἥλιος ἐφίλησεν αὐτήν. — Αἱ δὲ θήλειαι πρὸς τοὺς ἄνδρας ἔλεγον, δῆθεν τὸ πρᾶγμα εὐτελίζουσαι· Πηγή ἐστιν φιληθεῖσα· μὴ γὰρ ἡ Ἥρα τέκτονα ἐμνηστεύσατο; — Καὶ λέγουσιν οἱ ἄνδρες· ὅτι μὲν πηγὴ δικαίως εἴρηται, ἀποδεχόμεθα· Μηρία δὲ αὐτῆς τὸ ὄνομα, ἥτις ἐν μήτρᾳ, ὡς ἐν πελάγει, μυριαγωγὸν ὁλκάδα φέρει. Εἰ δὲ καὶ πηγὴ, οὕτω νοείσθω. Πηγὴ γὰρ ὕδατος πηγὴν πνεύματος ἀνέλαβε [3], ἕνα μόνον ΙΧΘΥΝ ἔχουσα, τῷ τῆς θεότητος ἀγκίστρῳ λαμβανόμενον, τὸν πάντα κόσμον, ὡς ἐν θαλάσσῃ διαγινόμενον, ἰδίᾳ σαρκὶ τρέφοντα.

Ultima quidem maximopere notanda. Sed hæc non dicta aut scripta clanculum fuisse suadent et multi codices etiamnunc superstites (novem enim vidi aut annumeravi), et insignia nomina initio præfixa, temere quidem, sed non obscure, et variæ quas obiter notavi, ejusdem historiæ διηγήσεις, paraphrases, repetitæ variatæque editiones, et denique consimilia quædam ἀναγνώσματα non solum inter vetera Sibyllarum vaticinia [lib. III, v. 722; VIII, v. 474; XII, v. 30 ap. Maium], aut in privatis chronicis [Epiphanii Monachi, etc. Cf. Boissonad. *Anecd.* t. III, p. 39], sed in publicis monumentis, id quod infra ostendunt *Acta* sancti Abercii.

Ne quidquam intactum relinquam, verbo saltem meminerim :

1° Piscem magicis lapidibus insculptum, de quibus supra Cethelianus liber, p. 336, n. 3, 6, 8.

2° Piscem apud sequioris ævi Gnosticos, sive Templarios, delphinum videlicet cum avicula colludentem, quem omnino vult fœdum in sensum intelligi cl. v. de Hammer in celeberrima diatriba : *Mysterium Baphometis revelatum*, p. 29, 30, 40. [*Mines d'Orient*, t. VI, p. 6. Cf. cl. v. Devoucoux, Edme Thomas, p. 199].

3° Pisces apud alchemistas, quem vide descriptum in Manget *Bibliotheca chemica*, t. I, p. 496; Arnoldo de Villa Nova, *Operib.*, p. 302, ed. Lugd., 1520; Camillo de Leonardo, *Specul. lapid.*, p. 152, cujus quippe liquore oculis linitis, arcana philosophorum possunt videri intelligique. Quæ vero allegoriam respicere, sed neque a gnosticis multum aberrare disces ex brevi Arnoldi ἀποσπασματίῳ, l. l. : « Sole ergo exeunte in piscibus, accipiatur aurum vel argentum, et fiat inde sigillum, et dum fiet, dic : Exsurge, sol justitiæ, Domine Jesu, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ, Virgo Maria. Post sculptam in eo figuram piscium, sole exeunte in eis, et in circumferentia sculpatur : *Malthiel*, *Sanctus Marcus*, *Sanctus Mathias*; ex altera parte in circumferentia : « Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Consummatum est. » Et in medio sic : *Aglatheos*, etc. »

(1) *Ignota.* Exstant græce et latine in libro : *Beitræge zur Geschichte und Litteratur*, von Joh. Christ. Freiherrn von Aretin, t. II, B. III, v. 49-69, e duobus codd. Monac. — (2) *Replicem.* Monacensem editionem quum præsto habere nequiverim, adhibui quatuor codices quarum varietates satis multas serius ociusve relegam. — (3) Ἀνέλαβε. Dubia quidem vox; at cætera integriora in codd.

3° Neque omittendus piscis gentilitius, quem videre est in multis nobilium virorum, familiarum, urbium et gentium scutis [Bara, *Blason des Armoiries*, p. 15, 90, 170, etc.], quorum paucos e. g. obiter excitabo : quales apud Anglos DD. Antrim, Blemmerhasset, Borough, James, Johnson, Lake, Maclean, O'Neil, Orde, Osway, Smith [v. J. Burke, *A. gen.*, *A. Her. Dict.* 1837]; apud nostrates, DD. de Montbéliard, d'Orcival, de Germonville, Deluc de Fontenay, etc. [*Merc. Armor.*, 295 sqq.]. A Delphinatus comitibus [cf. Ducange, *Gloss. med. lat.*, ad v. *Delphinus ; Encyclop.* ad h. v.] olim datum hæredibus regni Francorum scutum notissimum [*Trésor de numism. et de glyptique, sceaux des grands feudat.*, pl. XXV, n. 8]. Pleraque id genus ornamenta ad ipsum nomen aut originem litterali sensu spectant; quale scutum familiarum Chabot, de Salmes, de Tanques, de Bar, de Sardigny, de Barbeville. Sed neque desunt inter Germanos [v, Schœpflin, *Alsat. illustr.*, t. I, pl. XXXX, n. 19, 20]; et Batavos [Cf. Heineccius, *de Sigill. German.*, pl. XII, n. 8].

4° Vix alia est origo monetarum simili pisce insculptarum [Cf. de Sauley, *Recherches sur les monnaies des ducs de Bourgogne*, Metz, 1841, pl. VII, n. 11; ejusdem *Recherch. sur les monn. des comtes et ducs de Bar*, pl. I, n. 2, p. 20 ; C. Robert, *Recherch. sur les monn. des év. de Toul*, 1844, pl. IV, n. 1, 2, p. 29, etc.] Quod dubio caret de sigillo vel emblemate in sodalitiis Piscatorum usurpato, v. g. Carnotensium [du Sommerard, *Album*, pl. XXV, n. 1]; Brugensium [*Trésor de numism., sceau des communes*, n. 3, sceau de 1407; Devigne, *Recherches sur les costumes*, pl. 28, n. 6. p. 71, sceau de 1356]; Altenburgensium [*ibid.*, sceau de 1328; cf. De Vigne et Stecher, *Sur les gildes et corpor.*]. Idem præ se fert clericus cultrum et piscem gerens, in sigillo *Pitantiarii* S. Germani de Pratis [*Traité de diplomat.*, t. IV, p. 355 ; Quentin, *Dictionn. de diplomat.*, col. 775].

5° Videant, quibus vacat, utrum ab eodem esu quadragesimali, an e verna piscatione, non semel a regibus nostris vetita, annon ex fabellis et rumoribus de quodam comite Lotharingo circumlatis oriatur is quem dixere *Piscem Aprilem :* quem ideo attigi quod non defuerint qui in illo nescio quem ad passionem Christi, de judice ad judicem remissi, respectum deprehenderint. [*Encyclopédie, supplém.* ad h. v. *Chroniques de Champ.*, t. I, p. 288; Leber, *Collection de pièces rel. à l'hist. de Fr.*, t. VIII, p. 366].

Hactenus igitur de pisce allegorico. Quem quum per immensum pelagus omnium sæculorum persequuti fuerimus, nobis propemodum competit illud evangelicum : « Totam noctem laborantes, nihil cepimus. » Quod enim vel a longe consentiat cum his quæ de pisce proprie symbolico dicturi sumus, id rursus et confidenter prædicare juvat, captum oppido nihil est. 'ΙΧΘΥΣ enimvero sive allegoricus, sive symbolicus, qua sub oculis cadit, hinc et inde piscis est, nec plura ; cætera toto cœlo distant, quamquam minime diffitear huic symbolo, uti et cæteris rebus christianis, in ethnica vetustate semina quædam non defuisse penitus, sive provida Dei manus ea in antecessum jecerit, sive potius obliteratæ veterum patriarcharum sapientiæ ea demum vestigia superaverint. Semina igitur aut vestigia Ἰχθύος symbolici erunt, si lubet, quod parce quidem, sed constanter veteres ad augustissima quæque mysteria piscem admoverunt; quod, solemniori ritu et communi satis, quosdam panes mystico ritu sacros pisci adhibuere; quod ab eodem communiter edendo cum varia religione gentes abstinuere non paucæ; quod inter deteriora sacra, aut fœdiora ὀργίων sive magiæ flagitia tam exiguum illi dederunt locum ut sacrificulis Magisque piscem fuisse ignotum, probatissimi auctores sint. Quibus adde quæcumque in Delphini laudem ad cumulum congessere, ut vix sit ullus, ne piscium quidem dicam, sed volucrum, sed quadrupedum, quem tot honoribus extulerint, cuique præstantiorem indiderint indolem et industriam : quas dum recoluero virtutes cum allegoristarum magistris, pene Christi et Christiani naturalem prophetiam delineavero. Delphinus enim, aiunt, hominis amicus, dorso naufragos vehit; belluarum hostis, crocodili ventrem rumpit; in tempestate non mergitur, subcollantibus se invicem sociis ; procellam ludendo nuntiat; eaque ingruente, idem saltabundus exsultat, in adversis utique ferox æque et bonus; delphini enim juniores, procellæ metu deterriti, in uterum matris iterato introeunt. Inciderit vero in rete piscatoris : tum, pisciculis intra fauces suas receptis, retia effringit, cumque præda erumpens, eos secum in libertatem reducit. Tum velox ad audiendum est, musicus et ἐναρμονικός. Solus piscium felle caret. Illi in alto vita, in littore vero, quum eum tempestas extra undam pepulerit, interitus [Erath et Picinelli, *Mundus symb.*, lib. VI, c.

19]. Sed pene me, ad alia properantem, fugiebat alius piscis, protypicus æque et insignis, nisi forte cum delphino confundatur, de quo multi sunt tam veteres [Aristoteles, *Hist. an.*, l. IX, c. 37; Plin., *Hist. n.*, IX, 47; Athen., *Deipnosoph.*, VII, 16-21] quam nostrates [Clemens Alex., *Pædag.*, III, 289; *Strom.* I, c. 325; Albaspinæus ad *Optat. Milev.*, p. 61; Munter, *Antiq. Abhandl.*, p. 61, 70]. Fama enim magna erat a cana inde antiquitate cujusdam piscis quem ἱερὸν et κάλλιχθυν dixere, cui scilicet miram illam virtutem tribuerunt, ut, quo in loco esset, nulla bellua reperiretur; quo jam indicio secure spongiatores urinantur, qui et *sacrum* illum piscem ob eam rem nominant. Hæc illi. Nondum tamen ad sublimitatem symboli christiani pervenimus: ex his enim quæ aut videre aut excogitavere olim solertissimi rerum naturalium poetæ et contemplatores, si transieris ad pisciculos christianos, ad sacrum ΙΧΘΥΝ nostrum, ad divinissimum et ininterpretabilem Κάλλιχθυν, idem tibi discrimen est quod inter quinque illa, mortua et frigida, vocabuli Ι.Χ.Θ.Υ.C. elementa et illud quod iisdem postmodum interpretes nostri addidere, quum, singulis litteris in verba mutatis, legerent:

Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ.
Ἐν τοῖς καὶ κάλλιχθυς ἐπώνυμος, ἱερὸς Ἰχθύς.
Oppian. I, 185.

CAPUT II.

DE PISCE SYMBOLICO.

Quum a theologica symboli definitione, quam huic tomo præmisimus, minime recedendi animus sit, nihil consequenter in legitima piscis symbolici ratione habendum est, quod non ducat ex ordine rerum naturalium ad alterum sublimiorem et supra naturam positum. Id ipsum enimvero, neque aliud, nedum in sacris, in liturgicis, in theologicis testimoniis, sed in ipsius artis christianæ monumentis quærendum est et inveniendum.

Lex ea prima est totius theologiæ symbolicæ, ut quæcumque sensibus obvia in rerum invisibilium significationem adducantur, recto itinere eant ad finem omnium et consummationem Christum: a quo proficiscatur necesse est novus ille rerum ordo, quo e naturæ sordibus ad gratiam et gloriam symbola transiliunt.

Id vero, quod summum est, jam minus probe assequeris, nisi supposita, quasi fundamento, historica et litterali de Christo enarratione, inde acceperis theologicam Verbi incarnati notitiam, atque Dei Filium divinitus revelatum quam integerrime apprehenderis. Apprehenditur autem nusquam integrius quam in institutis ab ipso[1] sacramentis, inque omnium sanctissimo, quo nimirum Christus totus re et fide sumitur.

(1) *Ipso.* Quindecim anni sunt, quum, celeberrimo titulo Æduensi nuper effosso, in quo piscis symbolum baptismo et eucharistiæ tam splendide consecratur, inhæsit mihi hæc certa sententia non aliam esse ejusdem symboli significationem quam absolutam in utroque sacramento christiani hominis τελείωσιν. Id quidem antea non obscure dictum de baptismo, sed vix ac ne vix quidem de eucharistia. Utrumque tamen aperte asserere non dubitavi in diariis publicis [Cf. *Spicil. Solesm.* t. I, p. 555, 556, not. 4], et in peculiari de titulo Æduensi dissertatione [*Études sur une inscription gr. des premiers siècles*, 1841, p. 63, 67]; confidentius vero idem tetigi, quum Tertulliani opera notulis obiter instruerem a. 1845, in scholio ad initium libri de Baptismo [t. I, col. 1198]: « Duos, aiebam, præcipuos hujusce symboli sensus, unum nempe ad baptismum, alterum vero ad eucharistiam referendum, prælucentibus veterum patrum recentiorumque eruditorum facibus, indagare libet: ac prima quidem causa cur dicti fuerint christiani *pisciculi secundum* ΙΧΘΥΝ *N. J. C.* ab alma baptismatis aqua dimanat. » Id quod fusiori calamo prosequebar, cum multa et facili testimoniorum copia. Tum addebam: « Altera vero remanet piscis symbolici significatio, sublimior fortasse, quippe quæ fastigium rerum divinarum, sacrosanctam nempe Eucharistiam attingat: indeque secunda exsurgit causa cur veteres christianos se pisces vocitari juverit. Per quem enim renascebantur, per eum et pascebantur. Illud porro cuique sacra Evangelii instrumenta vel festina manu revolventi attendendum occurrat necesse est, Christum bis in figuram sacramenti panes multiplicasse, bisque post resurrectionem cibum cum discipulis sumsisse, nec ullibi defuisse piscem, in quo alterum exhibebatur sacramenti symbolum. Ni verear ne in immensum crescat notula hæc fortasse longior, haud temperarem quin, favente nova hac luce, sexcenta revolvam hinc inde sparsa monumenta, ac præcipue vasa vitrea, eborea, ænea, figlinave olim in usu sacrorum accepta, quibus evidentissimis signis patet fuisse manifestum Eucharistiæ figuram piscem sive unum, sive duplicem, sive multiplicem. » Sequebatur altera series prolixa testimoniorum, quæ mox diligentius præstitero. Hæc vero citra ullius fastus ambitum opportune visum est relegere, quæ ad historiam symboli insignis facere videntur. Adde quod doctissimus J. P. Secchius ex eodem, ut videtur, Æduensi titulo tum primum et post eum Al. Polidorius, cl. eques J. B. de Rossi, cæteri antiquarii, tam romani quam aliorum regionum non pauci in hanc sententiam descenderunt. Sed neque lectorem tædeat alterum e scholiis Tertullianeis meis [*ibid.*, p. 150], in quo Allixium nescio quid Montani in nostro symbolo temere expiscantem, multaque secus disputantem de Sibyllino acrostichio, cum doctissimo Nœsselt jure meo redargui.

Jam pisce designari Christum, eumque susceptum in sanctissima Eucharistia, minus quidem aperte declarant, ob disciplinam arcani, veteres spiritualis sensus formulæ; sed suadent verba sacra illis inserta; nec tacent vetustissima liturgiarum et SS. Patrum testimonia; at mirum in modum clamant splendidiora quæque christianarum artium monumenta.

ART. I. TESTIMONIA SACRA, MELITONIANIS FORMULIS EXPRESSA [t. II, p. 172, 173].

1° ΙΧΘΥC *Christus* [Melito, c. IV, art. XL, 1].

α'. ΙΧΘΥC, *Christus Eucharisticus.*

Utque primum Dei ipsius testimonia proferam, tria novi testamenti loca in spiritualem ἰχθῦν potissimum cessere : primum est [Luc., XXIV, 42; Melito, l. l. XL, 1], quando Christus redivivus congregatis discipulis palpandum se præbuit et cum eis manducavit. Illi vero «obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis; et, quum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. » Cui lucem affert vicariam

Locus secundus [Joann. XXI, 8-13; M. l. l. XL, 2], in quo eadem luculentius respiciuntur : « Venerunt trahentes rete piscium. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem... Dicit eis Jesus : « Venite, prandete... » Et venit Jesus, et accepit panem, et dat eis, et piscem similiter. »

Tertius pene omne dubium tollit [Matth. XIV, 19; M. l. l. XL, 3]. Si quid enim cum fecundissimo sacræ Eucharistiæ miraculo aptissime cohæret, id profecto est prodigiosum panum et piscium incrementum : scilicet utrumque apud Joannem eodem loco legitur : « Acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in cœlum, benedixit et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis... Similiter autem ex piscibus, quantum volebant [Joann. VI, 11]. » Tum paulo post, Eucharistiæ mysterium explicatur apertissime. Sed nondum tempus est nudæ lectioni attexere commentarios : dicta per se sola loquantur.

β'. ΙΧΘΥC, *Sancti.*

Sublimior ἰχθύος formula cæteras ultro parit, perinde ac a theologia Verbi incarnati legitimus fit transitus ad Ecclesiam, ad corpus ejus mysticum, ad plebem sanctorum populumque christianum. Verum eo clarius Ecclesiæ caput respicis, quo arctiora consideras vincula quibus cum capite membra coeunt.

Primum igitur est cujusque christiani per fidem et prædicationem ad Christum introitus; quæ illa formula Melitonis erit : « Sagena, fides vel prædicatio : Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare. [Matth. XIII, 47; M. l. l. XXXVII]. » Affinis est altera quæ proxime sequitur : « Piscatores, apostoli vel cæteri prædicatores. In Evangelio : Venite post me, et faciam vos piscatores hominum fieri [Matth. IV, 19; Melito XXXVIII, 1]. »

Secundi gradus imago erit rete ad littus ductum et plenum piscibus, sive christianis jam suo vero nomine dignis, *Sanctis* videlicet in Christo renatis. Quæ omnia uno verbo dixerunt : « *Pisces, sancti :* Traxerunt rete plenum piscibus magnis [Joan. XII, 11; Melito l. l. XL, 2]. »

Tertius denique a *Sanctis* ad Christum ascensus erit regale sacerdotium et sacra potestas, qua Ecclesia in summo Rege et Pontifice nobilitatur. Huc enim spectat utrumque testamentum, hæc absoluta totius charitatis in Deum et homines adimpletio. Audi iterum quod dictum est antiquis : « Pisces duo, conjuncti quinque panibus, duo testamenta legis, vel duo charitatis præcepta, sive duæ [in Christo] personæ, regia et sacerdotalis. In Evangelio : Et acceptis quinque panibus et duobus piscibus [Matth. XIV, 19; Melito l. l. XL, 4]. »

Postremo sublimiorem sanctorum similitudinem et societatem significabit mystica captura piscium centum quinquaginta trium : «Hic numerus, inquit Melito fusior, omnium electorum obtinet sacramentum, in quorum figura ejusdem numeri pisces post resurrectionem Domini ab apostolis in Evangelio capti referuntur [Melito, c. XII, n. 25, supra p. 289]. »

Corollarium I. *Hamus, divinitas Christi.*

Audacius videbitur id illatum, solemne tamen, unde symbolicum ingenium vividius emicat. Nihil ergo canoni nostro, qualis in Melitone est, addatur, nisi varietas quædam codicum vel glossa qua explicatur formula aut emollitur : « Hamus, Divinitas Filii Dei, quæ carne induta latuit, sicut hamus in esca. De quo hamo Dominus loquens ad Job ait : « Numquid attrahere poteris Leviathan hamo tuo [Job XL, 20; M. c. IV, XLI, 1]?»

Cor. II. *Item, in malam partem, pro diabolo.*

Secundis curis videntur accessisse formularum pleraque lemmata quæ in malam partem

derivantur. Altera nihilominus lex est disciplinæ nostræ, quam singula fere symbola obtinent, hic non incommode evulganda : Christo Antichristus opponitur, ut ex umbra lux clarior effulgeat. Sed neque a fundamento symbolorum avellimur, dum, præfulgente veri ἰχθύος lumine, ab illo in partem adversam respicimus; neque infra sublimiorem theoriam declinamus, qua duce dumtaxat et magistra, quid in inferiore et perverso statu lateat, cum parallelo respectu ad reparati et superioris ordinis dignitatem, edocemur. Hæc quippe est methodus reciproca sacrorum oraculorum, hæc perpetua Patrum præstantissimorum alterna sententia.

α'. Diabolus.—β'. Pseudo-Apostoli.—γ'. Falsi doctores.—δ'. Hæretici.—ε'. Reprobi.

Itaque in posteriore par est, sicut in priore linea, ab Antichristi capite proficisci; eleganter igitur, statim ut Christi divinitati per hamum alligavit, eadem formula addit in oppositum : « Item, hamus in malam partem, pro diabolo, per Habacuc : « Totum in hamo suo sublevavit. [I, 15. Melito, l. l. XLI, 2]. »

Tum ad Antichristi corpus ire pronum est, quorum præcipua membra sunt pseudo-apostoli, deinde falsi doctores, tum hæretici, denique reprobi : quæ quum singula ex ordine attingunt formulæ, ideo humi non repunt intra historiæ aut philosophiæ naturalis terminos, sed ab hisce signis ad æterna continuo succedunt.

Sunt igitur Piscatores in malam partem, de quibus Isaias : « Lugebunt piscatores [XIX, 8; M., XXXVIII, 2]. » Hic ultro se ingerit in antecessum quem infra daturus certo eram commentarius gravissimi interpretis, Theodoreti, qui in litteram incumbere potius solet, quam indulgere allegoriæ : « Retiarios, inquit, et piscatores et hamo venantes idolorum vocat sacerdotes. Hi enim, cessante idololatria, gemebant, parandarum opum occasionibus destituti.» Inde pseudo-Apostoli Judæ imago frequenter cum pisce appicta, de qua suo loco.

Sunt quoque « Retia, deceptio diaboli. In psalmo : Cadent in retia ejus peccatores. Et in Habacuc, etc. [ut supra Ps. CXL, 10; M. XXXIX].»

Sunt etiam « Lacunæ, hæretici. In propheta: Qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. [Is. XIX, 10; M. XLII]. »

Sunt denique « Pisces, mali : Malos autem foras miserunt. Et in psalmo : Et pisces maris, qui perambulant semitas maris. Et in Amos : Sed et pisces maris congregabuntur. » [Matth. XIII, 47; Ps. VIII, 9; pro *Amos* legendum *Osee*, IV, 3. M. XL, 3.] Collatis locis præmemoratis, haud ægre tertia lex subibit animum, quæ tamen nolim pressius urgeatur : videlicet loca novi fœderis in bonam, veteris in malam partem potissimum accipi.

Præplaceret quarta, quæ utinam non fuerit umquam transverso calamo immutata, aut versa in oblivionem! Non omnia profecto Scripturæ sacræ verba, nec omnes apices esse in allegoriam contorquendos, sed ea dumtaxat quæ quum maxime antiqui selegerunt. Centum enim loca sunt et ea quæ supra, sive in novo sive in veteri testamento, ubi pisces, piscatores, sagena, rete, hamus, lacunæ, piscinæ memorantur : quorum sex purior Melitonis textus, duodecim fusior, neque plura traduxit in formulas; sed intra hos terminos tota fere liturgiarum, SS. Patrum, monumentorum multitudo latissime exspatiatur.

ART. II. TESTIMONIA LITURGICA OCCIDENTALIUM ET ORIENTALIUM ECCLESIARUM.

I.

Bene erat, quo uberiores fierent in loca quæ modo attulimus commentarii, et communior esset eorumdem spiritualis intellectus, quod pleraque in publicis lectionibus eo posita fuerint tempore, quum solerent frequentiores ad plebem conciones haberi, et peragi natalia solemnia novorum christianorum, per baptismum et eucharistiam simul recipiendorum. Hæc enim duo quum olim separare nefas esset, nil mirum in eodem piscis symbolo perpetuam esse utriusque sacramenti declarationem : quæ quidem alterutra, ne dubita quin manifestius pateat ex illo tempore, ex iis natalibus, ex ista baptismatis et eucharistiæ communione : qua quid eloquentius habebunt vel disertissimæ interpretationes in liturgicas formulas insertæ? Quid quod ipsa verba quasi muta erunt et absona, nisi potissimum in ritus, in tempora, in peragenda mysteria animum intenderis?

His itaque præmissis, uberrimus erit formularum nostrarum commentarius, hæc nuda temporum notatio : Evangelium unum de quinque panibus et duobus piscibus legebatur per octavam Epiphaniæ, quæ idcirco aliquando dicitur a græcis Φαγιφάνεια [ex multis infra laud. cf. Liturg. Mozarabic., et S. Maxim., Serm. CVI, p. 648]. Tum alterum, in Dominica IV quadra-

gesimæ, tribus diebus ante baptismi scrutinia et traditionem symboli. Deinde, evangelia de piscibus a Christo redivivo acceptis et traditis, in ipsa Paschatis hebdomada; quæ quidem tria tempora neophytis per baptismum et eucharistiam suscipiendis, probandis, perficiendis addicta fuisse certum est.

Audi nunc quædam ex iis quæ tunc temporis in baptisterio et coram neophytis recitabantur, sed quæ hodiedum quoque non omnino silent :

IN EPIPHANIA.

Ad vesperas et laudes : Maria et flumina, benedicite Domino, hymnum dicite, fontes, Domino, Alleluia [S. Greg. *Responsal.* ant. 4 ad laud.].

Omnipotentem Dominum, fratres charissimi et Jesum Christum Filium Ejus et Salvatorem nostrum (I. X. Θ. Υ., C.], qui tantis virtutibus se manifestavit in terris ... et de quinque panibus et duobus piscibus quinque millia hominum satiavit, ut qui hæc operatus est in terris, nobis [quo]que propitius adesse dignetur [*Miss. Goth.* IX in Vig. Epiph. præf.].

Narrantes laudes Domini et potentias et mirabilia quæ fecit, fratres charissimi, quum ante conspectum populi sui mare divideret, lumen prætenderet, ignem præferret, cœli januas aperiret, panem angelorum ministraret, rogemus uti quoque nobis similibus virtutum suarum circumdet excubiis, ne vel sæculi hujus fluctus obvolvat..., vel panis vitam, se negando, non præbeat, etc. [*ibid.* præf. ult.].

Quinque panibus et pisce geminato quinque virorum millia intra deserta pavisti, hoc potentialiter tuæ benedictionis operatus, ut tantus populus, qui magno vix poterat, parvo posset impleri [*Missal. Mozar.*, p. 63, in die, Illat. et Bened. Cf. *Brev. Moz., ibid.* ad vesp., p. 25], etc.

IN DOM. RESURRECTIONIS.

Ad cœnam agni providi ...
Cujus corpus sanctissimum
In ara crucis torridum,
Cruore ejus roseo
Gustando, vivimus Deo.
[*Ambr. hymn.*]

Hamum sibi Mors devoret
Suisque se nodis illiget :
Moriatur vita hominum,
Resurget Vita omnium.
[*Brev. Moz.*, p. 371.]

Feria IV Paschæ, post Evangelium, ubi « obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis, » in missa : Profectum doctor aperiat, ut in virtute cœlestis panis, benedicti corporis sui fragmenta distribuat : ut in vivificationem animarum divini verbi et cibi alimonia concurrente, nec instructionis nobis desit copia, nec salutis [*Miss. Mozarab.*, p. 205].

Quinque panibus peresis
Et gemellis piscibus,
Affatim refecta jam sunt
Accubantium millia.
Fert æqualis ter quaternis
Ferculorum fragmina.
En cibus panisque noster,
En perennis suavitas, etc.
[Ead. die, Hymn. *Brev. mozarab.*, p. XCIX.]

Feria V, capitul. : Deus qui in operatione quinti diei reptilia animarum vivarum, homines scilicet renovatos per sacramentum baptismatis, condidisti, etc. [*Ib.* p. 379, cf. 378.]

Feria VI Paschæ, in missa : Super littus namque Christus assistens gloriosam sine macula Ecclesiam figuravit, quando magnis piscibus indisruptum rete complevit...

Nullus ad schismata nefanda prosiliat, vel dominica retia, nec dum littori præsentatur, abrumpat, ut connumerati inter mysticos pisces, cibus esse Domini, qui nos ex profundo est dignatus eruere, mereamur, et specialiter membra effecti, sacrificiis salutaribus expiemur [*Missal. mozarab.*, p. 212].

IN DIE PENTECOSTES.

Ad vesperas et laudes : Fontes, et omnia quæ moventur in aquis, hymnum dicite Deo [Gregor., *Respons.* in mat. laudib.].

Hic maximopere notanda venit vetus Ecclesiæ gallicanæ consuetudo, in vigilia Nativ. Dom. aut paulo ante, cantandi, « et melioribus clericorum vocibus [*Ordinar.* Narbonens.], » versus Sibyllæ, quales habentur in oratione Constantini M. *ad cœtum SS.*, quibus nimirum integerrima ἰχθύος formula splendide exponitur [D. Marten. De A. E. R. l. IV, c. 12, n. 13].

II.

Sed e Latinorum liturgiis plura consulto omisimus, quæ singulis fere apostolorum festis ad spiritualem hominum piscationem pertinent. Eadem tamen e Græcis producimus, neque enim aptiora suppetunt, nec sublimiora; sed nihil in immensis illorum libris, nisi cuncta nos fugerint, invenimus, quod ad eucharisticum ἰχθὺν tuto possimus referre. Non omisere tamen quæcumque in evangeliis symbolum plenissimum excitabant, quarum lectionum elenchum afferendis testimoniis præmittere placuit :

Dom. I novi anni.........	Luc. V, de piscatione 1ª.
Fer. V Dom. VI..........	— XI, de filio piscem petente.
Fer. II Dom. VII..........	— XI, de signo Jonæ proph.
Inter ἑωθινὰ X...........	— XXIV, de piscatione 2ª.
In S. Dionysio Areop......	Matth. XIII, parabola sagenæ.
Fer. IV post Dom. V pasch.	Joan. VI, de duob. piscib.
Asc. Dom...............	Luc. XXIV, de pisce assato.
Dom. II post Pentec......	Matth. IV, vocati piscatores.
Parascev. post Dom. VI....	— XIII, parabola sagenæ.
Dom. VIII post Pentec....	— XIV, de II pisc. et V panib.
Sabb. ante Dom. IX......	— XV, de pisc. VII et panib.
Dom. XII fer. IV..........	Marc. I, vocati piscatores.
Dom. XV, fer. V..........	— VI, de II pisc. et V panib.
Dom. XVI Parasc.........	— VIII, de pisc. et VII panib.

[Ex *Evangelist. gr.*, Venet. 1728.]

IN XLª.

Doctrinarum retibus in vitæ mare mirabiliter laxatis, mystice CLIII nationes, ut antea pisces, cepistis, easque ad Dominum adducendas, o apostoli sancti [*Triodion* in fer. V Hebd. II Jejunior. ed. A. M. Quirini, Venet. 1729, p. 189].

IN S. PETRO.

Ex abysso fallaciæ homines expiscatus, o Petre, sicut pisces eos eduxisti ad eum qui te vocavit, ut e vero piscatore fieres omnium discipulorum coryphæus; idcirco catenam quam sustulisti, libenter exosculamur [*Menæor.* Mens. Jan. XVI, ᾠδὴ α' εἰς τὸν ὀρθ., p. 136, ed. Venet. 1843].

In S. Joanne.

Piscatione relicta, crucis calamo egregie cepisti gentes, sicut pisces, plane benedicte; etenim, ut tibi dixit, Christus edocuit te fieri piscatorem hominum, qui pisces pietatis studio capis [Sept. xxvi, κάθισμα, p. 162].

In S. Thoma.

Qui sagena divinorum verborum pisces cœpisti, eosque spirituales, tum primum eos ad Deum nostrum et Christi eduxisti [Octob. vi, κάθισμα, p. 32].

In S. Jacobo Alphæi.

Calamo charitatis ex vanitatis abysso mortales detrusisti, mirande, magistri mandata obsequutus, o Jacobe, ejusdem tuam mentem in omnibus illuminantis [Octobr. ix, ἦχος δ', p. 47].

In S. Luca.

Hamo spirituali eos qui in abysso ignorantiæ, sicut pisces, degebant, ego transtuli in divinam agnitionem, eosque in Christi cibum lautum et beatum educo, qui capiunt honorem bonorum virorum, vitamque incorruptibilem et sine fine mansuram [Octobr. xviii, ἦχος α', p. 112, cf. 108, ἦχος β', 111, ᾠδή η'].

In S. Jacobo Adelphotheo.

Emisisti in mare equos tuos, apostolos, Salvator, et illuminaverunt gentes, eas in tuam agnitionem educentes, Domine [Octobr. xxiii, p. 136].

In S. Andrea.

S. Anatolii, ἦχος δ' [Nov. xxx, p. 217].

Jam piscium capturam deseris, apostole,
Homines expiscatus calamo prædicationis:
Præfers, hami instar, charitatis escam,
Ducturus ex abysso erroris omnes populos.

[Cf. *ib.*, ἦχ. α', Andreæ Hierosol.; ἦχ. γ' S. Germani C. P.; ᾠδή α', κανὼν α' β' δ'.]

In S. Marco.

Marce, omni laude insignis, Moyses Ægyptios olim in mare demersit. Tu vero, sapientissime, ex erroris pelago eos eduxisti, virtute ejusdem qui occidit eos et manufacta contrivit excelso brachio [April. xxv, προσόμοια, p. 107].

In S. Jacobo Zebedæi.

Ut piscator spiritualium piscium, everriculo tuarum venerabilium precum, ter beate, ex abysso criminum educ humilem meam animam [April. xxx, ᾠδή α', p. 126; cf. ᾠδή α' Theophanis, p. 125; ἦχος δ' cadem, paucis additis, quæ supra ad *Jacobum Alphæi*, quæ iterum repetuntur ad *Simonem Zelotem*].

In S. Bartholomæo et S. Barnaba.

Per sagenam linguæ tuæ, apostole a quo divina fluunt, e vanitatis abysso et impietatis acerbæ, ultimos mundi terminos adducis ad Christum Deum per fidem, qui et eamdem gratiam tibi, divino utique apostolo et sacrorum interpreti, largitus est, Bartholomæe simplex [Jun. xi, ἦχος δ', p. 39].

Ascendisti in equos tuos, Christe Doni-largitor, mare gentium turbaturus, in Barnabam inclytum et Paulum deodatum, qui ethnicitatis fallaciam dogmatibus pietatis evicerunt [*ib.*, p. 43].

In S. Mathia.

Emisit te Dominus in mare sæculi, sapientissime, hippocampi instar, qui conturbares gentilitatis amara æquora [Aug. ix, ᾠδή δ', p. 54. Quibus adde: Hymn. Damasc. de Jona, passim, Sept., p. 58, 61, etc. — ᾠδ. ς', η' de S. Luciano m. octob. xv, p. 91. — ᾠδή ς' de S. Matthæo, nov. xvi, p. 119. — De S. Joan. Evang. ix mai., p. 32. — De SS. Apost. Petro et Paulo ᾠδή δ', σ', xxix jun., p. 115, 116. — *Pentecostarion*, ad Ascens., p. 163, ed. Venet. 1846].

Art. III. SS. Patrum testimonia.

Nisi me pigeret in illo prægrandis voluminis extremo fine diutius immorari, haud ægre in medium protulissem aut abundantiora quam mox erunt, aut minus jejuna, quamquam dedero multa satis Patrum græcorum, orientalium, latinorumque loca, quæ certe cum immenso consensu conveniunt. Neque profecto diligenti lectori displiceret penitius rimari hanc omnem theologiæ patristicæ et symbolicæ partem haud exiguam, quæ tum ad universam hydrologiam sacram, quo brevius eloquar, ex una parte attinet, ex altera vero ad nobilissima sive Christi, sive Ecclesiæ sacramenta, videlicet ad Salvatoris incarnationem et resurrectionem, ad baptismum et eucharistiam, maxima utique rei christianæ fundamenta. Sed synopsin græcorum Patrum dedisse in insigni fragmento Anastasii Sinaitæ mox inter *analecta* producendo, et innumera fere omnium loca brevi indiculo perstrinxisse satis erit.

Pauca vero prius ausim de origine achrostichidis ΙΧΘΥΣ inquirere. Nemo nescit in carminibus sibyllinis antiquitus legi hujuscemodi lusum, quo singulas litteras vocis ΙΧΘΥC his quinque verbis præfixas alligavere: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ. Jam notatu dignum illud, antiquiorem de hoc symbolo testem, agnitum nominatim, esse Clementem Alexandrinum; inde, uberiora ejusdem rei argumenta ab Alexandrinis pariter suppeditari; Alexandrinum quoque jure videri Physiologum nostrum, qui nec multum quoad præcipuam partem a primis sæculis recedit: in quo porro non semel neque clam ἰχθύς occurrit [cf. supra, p. 517]. Denique haud ineptam esse sententiam non paucorum nec minorum, Alexandriæ natam esse illam sibyllinorum partem, uti cætera forsan omnia, quæ acrostichida accepit et auxit [1].

(1) *Auxit*. Cf. infra Constantinum M., S. August., Paul. Warnefr., Raban. M., P. Blesensem, etc.

Jam vero meminisse præstat, primos hujusce Ecclesiæ alumnos ascitos fuisse ex Alexandrinis judæis quibus ex avita consuetudine solemne erat primas litteras nominum colligere, exque collectis fingere celebrium virorum nomina. Unum sit exemplum insigne e Macchabæis, quos ita dictos fuisse volunt, quod Judas ipse suis vexillis inscribi jusserit quatuor has litteras מכבי [M. C. B. I.], quæ essent initia illius sententiæ : *Quis similis tui in fortibus, Domine* [Ex. xv, 7. Grotius, *Critic. sacr.*, t. III, c. 2695]? Alterum erit de ipsiusmet Ἰησοῦς nomine, quod sanctus Barnabas ad Judæos scribens, subtilissime cum CCCXVIII Abrahæ servis confert, duobus scilicet apicibus primis cum crucis siglo juxta quamdam Gematriæ Kabbalæ legem [IH = 10 + 8, T = 300] in suos numeros erogatis [c. 9; cf. Rosenmüller, *Hist. interp. SS.*, t. I, p. 60. Plura exempla præstat Grotius l. l.].

Quæ enimvero vix justa lance perpenderis, quin pronus in hanc inclineris persuasionem, ΙΧΘΥC acrostichida vel Alexandriæ natam, vel maxime inter Alexandrinos floruisse, ut demum ab incunabulis ejusdem ecclesiæ, inter asceteria Therapeutarum mysticorum exortæ, non multum recesserit. Inde vero nolim intuleris qualecumque piscis symbolum non aliunde nec ab antiquiore ævo Messiæ vel Christo inditum fuisse, quum symbolicum piscem inter et οὐράνιον ΙΧΘΥΝ perpetuum quoddam intercessisse commercium eruunt, tam ex Judæorum arcanis quæ etiam nunc in Thalmudicis consignantur, certe a Christianis minime accepta, quam ex universis traditionibus, ne exceptis quidem veterum et recentiorum astronomorum calculis, quoniam ita prorsus doctissimo viro, cujus infra tractationem habes, compertum placuit esse. [v. p. 541].

Iturus tandem in densissimam, ut dixi, silvam, ne via vaga et multiplex in diverticula abeat, stravi lemmata quædam conspicua, quibus, quasi fixis stipitibus aut vexillis, reliquum iter nostrum dirigatur. Interrupta vero parumper semita, præsertim a sæculo XIII inde ad hodierna tempora, jam in duobus artic. ultimis perficienda est.

I. ΙΧΘΥC, *Christus*.

Piscem illum prunis impositum, repente cum Christo redivivo a septem discipulis, juxta mare recumbentibus, in littore visum, in primis intueri soliti sunt interpretes, quoties symbolum hoc ad Christum retulerunt, nisi piscem alium assum, ab undecim cum favo mellis appositum, aliquando respexerint. Alterutrum vero esse Christi, maxime in Eucharistica mensa oblati, signum, adeo unanimis est sententia Patrum, ut vix invenerim in longa eorumdem serie unum pseudo-Athanasium, aliter sentientem. His addo quæcumque ἰχθὺν ad Christum ἀμέσως referunt.

S. Melito. — Piscis, in mensa cum favo mellis positus, Christus [tribulationis igne assatus *nonnulli codd.*], cap. IV, Clav. XI., I, t. II, p. 173.

Clemens Alexandrinus. — Ὁ γοῦν ἰχθὺς ἐκεῖνος ... εὔκολον καὶ αὐτὸς καὶ θεοδώρητον καὶ σώφρονα αἰνίττεται τροφήν. *Pædag.*, lib. II, c. 12, t. I, p. 289, Miang. — Piscis cum columbæ tessera in annulis. Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πελειὰς ἢ ἰχθύς. *Ib.*, lib. I, p. 172, 35.

Origenes. — Christus tropice piscis appellatur, Χριστὸς ὁ τροπικῶς λεγόμενος ἰχθύς. *In Matth.*, t. III, p. 584, ed. BB.

Σιβυλλιακοὶ χρησμοί. — Acrostichis, de qua supra.

Constantinus M. — Eadem in *Conc. ad SS. cœtum*, c. 18. *Patrol.* VIII, 450.

Pseudo-Athanasius (sequioris ævi). — Ἰχθὺς τιθέμενος ἐν τῷ πυρὶ, ἄνθρωπος ὑπὸ πυρὸς τοῦ ἁγίου Πνεύματος θερμαινόμενος. *Quæst.* CXXXIII.

S. Hilarius Pictavensis. — « Duo pisces turbis dantur : nondum enim concessum apostolis erat ad vitæ æternæ cibum cœlestem panem perficere ac ministrare. » *In Matth.* XIV, p. 681, n 10 BB.

S. Ambrosius. — Vid. infra, p. 528.

S. Optatus. — « An cum illo pisce qui Christus intelligitur? ... cujus piscis nomen, secundum appellationem græcam, in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet, ΙΧΘΥC quod est latinum, *Jesus Christus Dei Filius Salvator.* » *Adv. Parmen.*, lib. III, p. 52, n. 2, dup.

Severianus Gabalitanus. — « Piscis consecrat pisces. Si enim Christus non esset piscis [Ι.Χ.Θ.Υ.C, *Dei Filius*] nunquam a mortuis surrexisset. Accedit ad epulas sacramentum, et in ore pulmentum fructificat. » Bottari, *Roma sotterran.*, t. III, p. 30.

Sedulius. — *Carm. pasch.*, lib. I, c. 159; V, 400-404.

> Christus erat panis, Christus Petra, Christus in undis ..
> Nec piscis prunæque vacant et panis, in uno
> Discipulis inventa loco : quisnam ambigat, unam
> His rebus constare fidem? Quippe est aqua piscis,
> Christus adest panis, sanctusque Spiritus ignis.
> Hinc etenim abluimur, hinc pascimur, inde sacramur.

S. Paulinus. — Panis ipse verus et aquæ vivæ piscis, Christus. *Epist.* XIII, p. 397, al. 72, ed. Murat.

S. Augustinus. — ΙΧΘΥC. « Horum autem græcorum quinque verborum, quæ sunt Ἰησοῦς, etc., quod est latine, J. C. D. F. S. *De Civit. Dei*, XVIII, 23. « Quibus (avibus et reptilibus spiritualibus) jam terra non indiget, quamvis piscem manducet levatum de profundo in ea mensa quam parasti. » *Confess.* XII, 21.

S. Petrus Chrysologus. — Christus est piscis assus discipulis, serpens Judæis. *Serm.* LV.

Prosper Africanus. — « Piscis nostri [Tobias] liberatur medicina, qui tributum pro se et pro Petro, et cæcato lumen reddidit Paulo, satians ex se ipso in littore discipulos et toti se offerens mundo ΙΧΘΥΝ ... Piscis in sua passione decoctus, cujus ex interioribus remediis quotidie illuminamur et pascimur. » *De Promission.*, p. II, c. 39.

S. Prosper. — Piscis magnus ex passione sua Christus.

Eusebius Pseudo Emisenus. — Piscis assus, Christus passus. Bibl. PP. Lugd., VI, 756.

S. Cyrillus Alexandrinus. — « Dominus convivii fidelium Christus est, et qui ad eum accedunt divinis ac cœlestibus doctrinis alit, quum legalibus, tum evangelicis et apostolicis ... i. e. duobus piscibus. » *In Joan.* VI, t. IV, p. 283.

S. Orientius. — *Commonit.*, de Nat. Dom., v. 162 :
Piscis, natus aquis, auctor baptismatis ipse est.

S. Eucherius. — « Piscis autem assus, passionem significat. » *Formul. spirit.*, c. 4 ; Bibl. PP. vi, 831.

S. Gregorius M. — « Piscis assus, mediator Dei et hominum in passione ; idem favus mellis in resurrectione. » *Homil.* xxiv, t. ii, p. 1543 BB.

Vener. Beda. — Idem, ad verbum. *In Luc.*, lib. vi, t. iii, col. 631 ; *in Joann.* xxi, col. 928. « Dominus semper ad perfectiora provocans, primo quinque panibus, quinque millia ; secundo, septem panibus, quatuor hominum millia reficit. Tertio, discipulis suæ carnis et sanguinis mysterium credit Ad ultimum, magno munere dat electis ut edant et bibant super mensam suam in regno. » *In Matth.*, lib. iii, t. iii, col. 71.

Paulus Warnefridus. — ΙΧΘΥC, cum acrostichide ex Augustino.

Rabanus Maurus. — Eadem. *De Univ.*, l. xxii, 5 in fine. — Piscis, est Christus. *Allegor.* ad h. v. — D. J. C. tribulationis igne assatus. *In Luc.* xxiv ; *Homil.*, t. v, p. 632.

B. Alcuinus. — « Piscis assus, Christus est passus ; ipse est panis qui de cœlo descendit. » *In Joann.* Opp. t. i, p. 642.

Smaragdus. — In pisce asso Christus passus. *Collectar. in epist. et Ev.* Patrol., c. ii, 139.

Paschasius Radbertus. — « Si quis petierit piscem. » Piscem utique illum quem Petrus primum piscando cepit, latentem inter aquas Scripturarum, in cujus nimirum ore staterem invenit, etc. » *In Matth.* vi. Bibl. N. xiv, 461. — Pisces missi sunt ad prædicationem Evangelii, ut pro ipso magno pisce, i. e. pro Christo legatione fungerentur, ut in eorum condimento animæ fidelium satiarentur. *Ib.* 533.

Walafridus Strabo. — « Quod apostoli panes et pisces ministrant, futuram divisionem Dominici corporis et sanguinis pronuntiant. » *In Luc.* ix, 17. — Piscis assus, Christus passus. *Ib.* xxiv, 42.

Theophylactus. — « Naturam humanam, in hujus vitæ mari natantem, assans igne propriæ deitatis ejusque humilitatis exsiccans, a profundis undis extractam fecit escam divinam cibumque suavem, quod significat favus mellis. » In *Cat. aurea* ad Marc. vi.

S. Bruno Signiensis. — « Quotidie nos Dominus ad prandium invitat, quotidie nobis et panem et piscem apponit ; quotidie cibum evangelicum et sui corporis et sanguinis administrat. *In Joan.* xxi, t. ii, p. 293, Brun. — Cf. *In Matth.* vii, 10, p. 36. In quo cibo [pisce et favo] Christi passio et resurrectio ; in quo et vitæ nostræ perfecta forma significatur. » *In Luc.* xxiv, p. 42.

B. Rupertus. — « In gloria invenient piscem prunis Spiritus S. superpositum, id est unum eumdemque Christum Deum et hominem, secundum humanitatem quidem sicut piscem assum, secundum divinitatem autem panem angelorum impassibilem. » *In Joan.*, l. xiv, p. 345, ad Venet.

Herradis, *Hort. deliciar.* f. 117. — Wernerus Abbas. *Deflorationes SS. Patrum*, Patrol. clvii, col. 1065.

Pisce quoque turba pascitur,
Dum Christi corpore vescitur.
Ipse namque piscis dicitur
Sicut in Evangelio legitur.
Piscis hic erat Christus qui in hujus sæculi undis latuit,
Qui didrachma in ore habuit ;
Quia geminam legem divinis factis splendentem protulit :
Hic hamo divini consilii est captus,
In igne passionis nobis ad esum assus.

Alanus ab Insulis. — « Piscis, Christus ; unde : « Piscis assus, Christus passus. » *Summa quot modis* ad h. v.

Petrus Blesensis. — Post recitatos versus Sibyllinos : « Hæc de Christi nativitate et passione et resurrectione atque secundo ejus adventu ita dicta sunt, ut si quis in græco capita horum versuum discernere voluerit, inveniet Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ : quod est latine : J. C. D. F. S. » *Bibl. N.* xxiv, p. 209.

Richardus a S. Laurentio. — « Maria est flumen : in hoc etiam flumine natus est ille piscis unicus et sempiternus, scilicet Christus Dominus, qui quasi piscis captus est in aquis generis humani hamo nostræ mortalitatis, ut vitam nobis daret sempiternam, et in cujus ore inventus est stater nostræ redemptionis. — Proverbiorum in fine, *Nun* interpretatur piscis unicus aut sempiternus. Et dicitur piscis a pascendo, secundum Isidorum, quia caro Christi vere est cibus. » *Mariale*, l. ix, c. 4, inter Opp. Alberti M.

Albertus M. — « Dedit et piscem dulcissimum, de aquis baptismatis, quas sanctificavit et quibus vim regenerativam contulit, Christum videlicet, ex charitate pro nobis passum, et ex calore charitatis in cibum excoctum et passione extostum. Hunc ergo piscem viderunt et panem sacramenti qui cor hominis confirmet. »

S. Thomas. — « Christus ita tria præparat ; scilicet prunas charitatis ... Item præparat piscem suppositis prunis, qui est Christus. Nam piscis assus est Christus passus, qui super prunas ponitur, quando ex incendio charitatis ad nos immolatur in cruce. Item præparat panes quibus reficitur, qui est ipse. Nam in quantum Christus latet per suam divinitatem, dicitur piscis, cujus proprietas est latere sub aquis. Vere tu es Deus absconditus ! sed in quantum nos reficit per doctrinam et etiam dat nobis corpus suum in cibum, vere panis est. » *In Joan.* xxi.

II. ΙΧΘΥC *duo, Christus. Cophini. Mel.*, c. iv, 15. ii, p. 140.

Perpetua Patrum traditio est, in primo miraculo quinque panum et duorum piscium intelligendam esse Christi gratiam veteri populo Judæorum collatam ; inde enim usque ad S. Bernardum aut sæcul. xiii, nemo ullus invenitur qui in quinque panibus non quinque libros Moysis viderit. Sed piscium interpretatio constans in eo tantum est, quod in illis Christum propemodum omnes accipiunt, sub vario tamen respectu, videlicet :

α′ in regis et sacerdotis persona ;
ϐ′ in utroque populo, Judæo et Gentili ;
γ′ in utroque testamento ;
δ′ in prophetis et psalmis ;
ε′ in prophetis et Joanne [1].

(1) *Joanne.* Melitonis sunt α′ ϐ′, et γ′, quibus forte aliquis recentior addiderit in codicibus nonnullis id quod cæteris deest : *duo præcepta charitatis.* Sunt quoque singularia quædam, Scoti Erigenæ, Theophylacti, quæ suo loco videsis. Sed a sæc. xiii ex argutandi libidine, ut alias disputavi, ad cujusque arbitrium invehitur eorumdem molestissima varietas, qua veterum exegesis pene exsulare jussa est. Ex hoc unico argumento exemplum habe unius Alberti M. Illi igitur sunt, ut ejus verba referam : « 1° Quinque panes et duo pisces, quinque libri Moysis et prophetæ cum psalmis ; 2° Vel quinque dona Spiritus ad activam vitam pertinentia, et duo quæ ad contemplationem, intellectus et sapientia ; 3° Vel quinque refectiones spirituales cum gustu spiritus in dulcedine, et profectione contemplationis in veritatis admiratione : hi duo pisces, quorum unus est albus et mundus, alter vero dulcis, etc. 4° Vel dicatur quod duo pisces sunt consideratio passionis Christi et resurrectionis [t. ix, p. 1, 287]. — 5° Alio loco [p. 11, p. 67] quinque sunt panes pœnitentium,

S. Melito.—L. l. xi., 4, p. 173, ut α′, β′, cf. not. super.

Clemens Alexandrinus. — Ἐν τοῖς ἰχθύσι τοῖς δυσὶ ἡ προπαιδεία Ἑλλήνων τε καὶ Ἰουδαίων. *Strom.* vi, t. ii, p. 787.

S. Hilarius. — « In operibus enim legis tamquam ex pane erat vita ; prædicatio autem Joannis et prophetarum in virtute aquæ, vitæ humanæ spem confovebat. » *In Matth.* xiv, p. 680, n. 10 BB.

S. Ambrosius. — Ut β′. *In Luc.* vi, n. 82, p. 1403 BB.

Severianus Gabalitanus. — « Distributione Apostolorum, prædicatione sacerdotum verum regem et sacerdotem, tamquam duos pisces applicemus ad legem. Erant enim hæ personæ in populo Dei rectrices antiquitus. Sed nos veniamus ad angelici agminis regem, spiritualem victimam et sacerdotem et Salvatorem inveniemus in piscibus. » Vid. supr. l. l.

S. Hieronymus. — Ut γ′. *In Matth.* xiv, 17. Opp., t. vii, 104.

S. Augustinus.—« Duo pisces qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas videntur significare, quibus populus ille regebatur, regiam scilicet et sacerdotalem, ad quas etiam sacrósancta illa unctio pertinebat ... quæ tamen duæ personæ Dominum nostrum præfigurabant ; ambas enim solus ille sustinuit et non figurate, sed proprie solus implevit.» *De Div. quæst.* lxi, 1, 2, t. i, col. 80, cf. iii, c. 1961.

S. Maximus Taurin. — Ut β′ et ε′. [Vid. p. 528.]

S. Cyrillus Alexandrin.—« Pisces duos quum dicit, apostolicam et evangelicam in nobis prædicationem significat.» *In Joan.*, lib. xxi, t. iv, col. 283.

Venerabilis Beda. — Ut α′, β′, δ′. *In Matth.*, lib. iii, t. iii, col. 71 ; *in Marc.*, l. ii, col. 194 ; *in Luc.*, l. iii, col. 450 ; *in Joan.*, c. vi, col. 706.

B. Alcuinus. — Ut δ′, ex Beda. *In Joan.* vi, Opp. i, p. 520.

Rabanus Maurus. — Ut α′, β′, γ′, δ′,. *In Matth.* xiv.

J. Scotus.—« Apponuntur pisces duo, h. e. sola spiritualis doctrina allegorice dicta, non autem secundum historiam facti, quæ velut binario numero continetur, quoniam ... visu et auditu percipitur. » *In Joan.* Ravaisson, *Catal. de Laon*, p. 567.

Walafridus Strabo. — Ut δ′. *In Matth.* xiv.

Haymo Halberstadiensis. — Ut α′ et ε′. *Homil.* in iv Dom. xl.ª. *Patrol.* cxvi, 289.

Theophylactus.—« Duo pisces sunt piscatorum sermones, scilicet Epistolæ et Evangelium. » In *Cat. aur.* apud D. U.

S. Bruno Astensis. — Duo pisces intellectus et memoria. *In Matth.* xiv. Opp, t. ii, p. 74, Brun.

Hugo S. Vict. — Ut α′.

Albertus M.—Vide superiorem notam, et cf. *in Matth.* xiv; *in Marc.* vi; *in Joan.* vi; *Serm.* xxxii ; in Dom. iv in xl.ª; lxi in Dom. vii post Trinit ; lxxviii in Dom. xxiv; *Oration.* super evang. Dom. iv in xl.ª, in Dom. vii et xxv, p. Trin.

S. Thomas. — Duo pisces, sapientia humana et divina. *In Joan.* vi.

III. ΙΧΘΥϹ, *sancti.*

Testimonia satis multa quæ piscem accommodant ad fideles aut *sanctos*, ut prisca dicendi consuetudo tulit, ab auctore sanctitatis et gratiarum fonte vivo, eo minus recedunt, quod plerumque iisdem in locis maxime dicimur sancti, propterea quod sive baptismo, sive eucharistia, sive generatim fide et prædicatione, coalescimus in unum cum Christo, neque pisciculi, nisi secundum Ἰχθῦν nostrum, efficimur. Inde profecto, quum prius ex duobus piscibus miraculum propius ad Christum dirigatur, posterius e vii panibus et paucis pisciculis unanimis Patrum sententia de gratia novi Testamenti fideliumque sanctitate intelligit. « Ea quippe miracula duo, inquit apposite Paschasius Radbertus, sunt duo testamenta scilicet et duæ leges ex quibus impræsentiarum dum hoc sæculum vertitur, omne pascitur humanum genus ex benedictione Dei Salvatoris N. J. C. [*In Matth.* xiv, p. 619, Sirm.]. » Sunt igitur pisciculi :

α′	Sancti
β′	Dona Spiritus sancti.
γ′	Gaudia vitæ beatæ.
δ′	Libri N. T.
ε′	Fides.
ζ′	Doctrina Christi.

S. Melito. — *Clavis*, l. l. xi., 2, *ibid.*

Clemens Alexandrinus. — Ἁλιεῦ [χς] μερόπων ... ἰχθῦς ἁγνοὺς δελεάζων. *Hymn.*, t. i, p. 312.

Tertullianus.—« Nos pisciculi, secundum ΙΧΘΥΝ nostrum J. C.» *De Baptism.*, c. i. « Alia caro piscium, quibus aqua baptismatis sufficit. » *De Resurrect.*, c. 52.

S. Antonius.—Ut pisces ad mare, ita monachi ad mortem festinent. S. Athan. *Opp.*

S. Hilarius. — Piscis, baptismi conservatio. *In Matth.* vi, p. 697 BB. « Indefinitus piscium numerus diversorum donorum et charismatum partitiones ministrationesque significat, quibus fides gentium gratiarum diversitate satiatur. » *Ib.*, c. xv, col. 747. —Piscis cum statere, S. Stephanus. *Ib.* xvii, 697.

S. Ambrosius.—«Piscis es ergo, o homo ! Bonum piscem nec retia involvunt, sed elevant ; nec hamus intemerat atque interficit, sed pretiosi vulneris perfundit sanguine : in cujus oris confessione bonum pretium reperitur, et census Christi possit exsolvi ... Noli igitur, o bone piscis, Petri hamum timere : non occidit, sed consecrat ... Ideo misit retia et complexus est Stephanum, qui de Evangelio primus ascendit in ore suo staterem justitiæ. Pro hoc pisce stabat Dominus Jesus, sciebat enim esse in ore ejus pretium sui census ... Exsili super undas, homo, quia piscis es ; non te opprimant sæculi istius fluctus. Si tempestas est, pete altum et profundum ; si serenitas, lude in fluctibus ; si procella, cave a scopuloso littore, ne te in

et duo pisces sunt spes veniæ et timor Dei. 6° Item [t. xi, p. 110] in alio sensu, moraliter sunt quinque panes pœnitentiæ, pisces autem duo, spes veniæ et dulcedo vitæ æternæ. 7° Anagogice, sunt panes quinque gaudia electorum ; duo pisces, certitudo conscientiæ et certitudo felicitatis divinæ. 8° Allegorice, ut in glossa, iidem sunt hinc libri Moysis, illinc psalmi et prophetæ. Tum alias [t. xii, p. 101] intelliguntur 9° Per quinque panes, satisfactio pœnitentialis, sancta prædicatio, mortis recordatio, sanctorum imitatio et Dominici corporis et sanguinis participatio ; per duos pisces, spes divinæ pietatis et dulcedo charitatis. 10° Per quinque demum panes et duos pisces, septem opera quæ Dominus propter salutem nostram fecit in mundo, quorum duo ultima sunt consolatoria, resurrectio et dulcis in cælum ascensio. »

rupem furens æstus illidat. » *In Hexam.*, l. v, c. 6, 5.— « Plerique septiformis Spiritus gratiam in panibus definitam, in piscibus quoque duplicis testamenti figuram intelligendam putant.... Non esuriet qui acceperit cibum Christi; et in apostolorum ministerio, futura divisio dominici corporis sanguinisque præmittitur. » *In Luc.* IX, n. 80-83, t. I, p. 1403 BB.

S. Gregorius Nazianzenus. — Ὁ τοὺς ἁλιεῖς προελόμενος Ἰησοῦς, καὶ αὐτὸς σαγηνεύει... πάντα στέγει, ἵν' ἐκ βάθους τὸν ἰχθῦν ἀνενέγκῃ τὸν ἄνθρωπον, t. I, p. 646.

S. Cæsarius. — Piscis cum statere, anima quæ fidei doctrinam in ore profert perque spiritus hamum de hujus vitæ gurgite educit piscem animi, τὸν ἰχθῦν τῆς ψυχῆς, ἔχοντα ἐν τῷ στόματι τὸν πολυτίμητον στατῆρα καὶ τοῦ παντὸς σωτῆρα Χριστόν. I Dial. interr. XLV; Gall., t. VI, p. 11 D.

S. Hieronymus. — In VII panibus et pisciculis Evangelii sacramenta. T. VII, p. 119. — Piscis cum statere, primus Adam. *In Habac.* I, 15, t v, p. 606.

S. Petrus Chrysologus. — Pisces, sancti. *Serm.* XLVII; *Opp.*, p. 332.

S. Augustinus. — Piscis, pia fides, quæ vivit inter fluctus, nec frangitur; sævit mundus, et integra est. T. V col. 780; t. III, col. 1627.

Eugippius.—Piscis, fides invisibilium. *Thes.*, t. I, p. I.

S. Nilus. — Piscis cum statere, in Christo perfectus. Epist. I, 206.

S. Eucherius. — Pisces, sancti. L. l., p. 831.

S. Maximus. — Palpitantes pisces, vivificandi homines. *Serm.* XCVI, p. 644. — « Prior ergo parabola pertinet ad Judæos; ista vero ad gentes ... Ibi duo pisces, qui sunt duo testamenta, sive unus liber omnium prophetarum vel S. Joannis prædicatio; hic indefinitus numerus ponitur, qui sunt dona gratiarum. » *Serm.* CVII, p. 672.

Pseudo-Eusebius Emissenus. — Septem panes, septem libri sunt, veteris testamenti quos heptateuchum vocamus; panis vero pisciculi, pauci libri N. T. *In Dom.* VII post Pentec., l. l., p. 775.

S. Cyrillus Alex. — Pisciculi, doctrina Christi, τὰ τρυφερώτατα τῶν τοῦ Σωτῆρος μαθημάτων συγγράμματα. T. IV, p. 283.

Theodoretus. — Pisces, inopes. *In Osee* IV, 3. — Squamosi et pinnis instructi, homines ratione et fide ducti. *In Levit.* XI, t. I, p. 123.

S. Isidorus Hisp. — Pisces, renovati per baptismum. *Quæst. in V. T.*, c. I, n. 2, t. V, p. 265. — Pisces squates in fide ac moribus graves. *Ib.*, p. 415.

Vener. Beda. — Piscis, fides invisibilium. *In Matth.* VII, 10, t. III, c. 37; *in Luc.* XI; *ib.*, c. 474. — Pisciculi, sancti. *In Matth.*, lib. IV, t. III, col. 77; *in Marc.*, lib. II, *ib.*, col. 207. Si in panibus VII scriptura N. T. designatur, quid in pisciculis, nisi sanctos accipimus? — Piscis cum statere, primus Adam. *In Matth.*, l. III, col. 85.

Rabanus Maurus. — Indefinitus piscium numerus, ut Hilarius, ad verbum.

Haymo Halberstadiensis. — Piscis est populus fidelis, ob quatuor proprietates: quia sine aqua vivere non prævalet; quia super eam saltum dare consuevit; quia quo magis tunditur a fluctibus, eo magis convalescit; quia per coitum nec generat, nec generatur. *Homil.* in IV Dom. XL^a; *Patrol.* c XVI p. 289. — VII panes et pisciculi, novum T. *Homil.* in Dom. VIII, post Pentec., p. 634.

Notker Balbulus. — Piscis assatus, S. Laurentius:

> Carnifex ungulas, et ustor
> Craticulam vane consumunt:
> Dolet impius urbis præfectus
> Victus e pisce assato, Christi cibo.
> Gaudet Domini conviva favo
> Conresurgendi cum ipso saturatus.
>
> *Sequent.* XVIII.

S. Petrus Damianus. — Pisces, qui baptismatis sacramentum percipiunt. *Exposit. myst. in Genes.*—Vivarium, claustrum; ibi quippe vivunt pisces qui juxta legis edicta, pinnulas habent. *Ep.* 8.

Remigius Antissiodorensis. — Pisces, ordo baptizatorum, qui, veluti pisces, sine aquis baptismatis Christi vivere nequeunt. *In Genes.* I, 27. — Populus Judæorum, qui ætate V^a, inter gentes velut in aquis captivus versabatur et tamen a cultu Dei non recedebat. *Ibid.*

Guibertus Nongentinus.— « Quid per reptile, nisi subtilis alacritas animorum ad intelligendas et penetrandas obscuritates divinorum librorum?» *In Genes.* I, 20, p. 18, ed. BB.

S. Bruno Astensis. — « Quid, per pisces, nisi fidelium populi, qui aquis baptismatis regenerati, ab aquis non separantur, et taliter vivunt ut ab Ecclesiæ piscatoribus in Christi convivium præsentari mereantur?» *In Genes.* Opp., t. I, p. 155. «Omnes enim pisces sumus, quicumque in baptismo natavimus. » *In Luc.* XXIV, t. II, p. 209.

S. Bruno Signiensis. — Pisces pauci, libri N. T. « Et merito pisces libri isti dicuntur, quoniam in vivo fonte natant. » *In Matth.*, t. II, p. 80.

Hugo a S. Victore. — Septem panes, dona Spiritus S.; pisciculi, exempla sanctorum. *Alleg.* in Marc. VI; *Opp.*, t. III, p. 806.

S. Bernardus. —Habet mare pisces mundos qui de sæculo apostolica sagena trahuntur; habet et flumen, quicumque inter dispensatores et prædicatores, fideles inveniuntur; sunt et in stagnis, qui in claustris serviunt Deo in spiritu et veritate. *Serm.* in festo S. Andr., t. II, p. 1060 BB. — Piscium squamæ patientiam; pinnulæ, hilaritatem significant. *Ibid.*

Anselmus Laudunensis. — Pisciculi, aliæ Scripturæ, « quas habemus præter N. T. ad ædificationem nostram, » vel exempla SS. *In Matth.* XV; *Patr.* CLXII, col. 1391.

Wernerus Abbas. — Pauci pisciculi adduntur, dum exempla sanctorum proponuntur. *Deflorat. SS. PP.* in Dom. VII, p. 1044 et 1062.

IV. *Piscatio duplex, Ecclesia.*

A duobus præcedentibus miraculis non multum sensu variat, in expositione Patrum, piscatio duplex apostolorum, quarum priorem de præsenti Ecclesia, posteriorem de futura interpretantur. Neque alterutra significatio a Christo aliena est, quum et ipse Ecclesiæ tum piscator, tum rete, tum hamus, tum esca iisdem in locis appelletur. Sed in captura secunda, quæ post resurrectionem Salvatoris acta est, præcipue notavere centum illos et quinquaginta tres pisces magnos, quorum numerus ita non potuit ad amussim computari, quin variis modis irretiret interpretes: summa sententiarum hæc est:

α'. Sunt CLIII pisces omnes electi;
ϐ' lex et gratia;
γ' Judæi et gentiles.

Melito. — Sagena, fides vel prædicatio. Clav. c. IV, art. 37. In prima piscatione, boni et mali. *Ibid.*, c. IV, a. 38, 40. In secunda, CLIII pisces, electi c. XII, a. 25.

Origenes.—Σαγήνη, ἡ ἐκ τῶν παλαιῶν τῆς γραφῆς λόγων πλοκή. Galland., t. XIV, p. 75.

Didymus. — Sagena, Ecclesia. *De Spir. Sanct.*

S. Phœbadius. — Rete, Christus. Galland. IV, 261

Silvius et Damasus.— *Idem*, v. 7.

S. Hilarius. — « Ex hominum arte futuri eorum officii opus proditur, ut piscibus e mari, ita hominibus deinceps e sæculo in locum superiorem, id est, in lumen cœlestis habitaculi protrahendis. » *In Matth.* III, p. 679, ed. BB. — Piscatio 1ª, prædicatio Judæis facta; 2ª, conversio gentilium. — Rete, prædicatio, « quæ per omne elementi illius corpus evadens, clausos intra ambitum suum extrahat, nosque ex sæculo in lumen veri solis educat. » *In Matth.* XIII, p. 677, al. 736.

S. Gregorius Nazianzen. — Sagena apostolorum, in *Carm.* XXVII, t. II, p. 283. BB. — De piscat. Evangel. *Carm.* XXIV, XXV, p. 279.

S. Ambrosius. — Piscatio prima, Ecclesia præsens, *In Luc.*, lib. IV, n. 77, col. 1354.

S. Chrysostomus. — Flores et pisces spirituales aquæ simul effuderunt, quos piscati sunt apostoli. *De Resurr.*, t. II, p. 525 BB.

S. Hieronymus. — « Aiunt qui de animantium scripsere naturis et proprietate [φυσιολόγοι], qui ἁλιευτικὰ tam latino quam græco didicere sermone, de quibus Oppianus Cilix est, poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab apostolis; et nihil remansit incaptum, dum et nobiles et ignobiles, divites et pauperes, et omne genus hominum de mari hujus sæculi extrahitur ad salutem. » *In Ezech.* XLVII, t. V, p. 595; *In Jerem.* XVI, 16, p. 954.— Sagena, doctrina contexta ex V. et N. T. In Matth. XIII, t. VII, p. 98. Vallars.

S. Augustinus. — Piscatio duplex, vita christianorum præsens et futura. *Quæst.* LXXXI, 3, 4, *Serm.* CCXLIX, CCLXX. — Pisces CLIII, lex et gratia. *In Ps.* CL, 1; *In Joann.* tr. 122, n. 8.

Rufinus. — Rete, prædicatio. *De Symbol.*, p. 70. Vallars.

S. Maximus. — Piscatio duplex, vita præsens et futura. In *Homiliar.* Pauli Warnefridi. hom. 130.

S. Cyrillus. — Pisces centeni, gentiles; quinquageni, Judæi; tres, in signum SS. Trinitatis, t. II, p. 114-117.

Prosper Africanus tractatum *De Promissionibus* ob CLIII pisces dividit in capita CLIII.

S. Isidorus Pelusiota. — Sagena, Ecclesia. *Epist.* lib. I, 204, 205.

S. Fulgentius. — Pisces CLIII, V. et N. T. *Sermo* XLI; — 1ª et 2ª piscatio, Ecclesiæ duplex status. *Ibid.*, sed inter dubia.

S. Orientius. — *Commonit.* I. I., v. 127.

> Retia cur? Sparsas quod colligit undique gentes.

Ennodius. — Rete, Christus. Vide supra, *Proleg.*, p. XIII.

Arator. — *De Act. Apost.*, I. I, v. 72-77; 992; II, 565.

> Dum trahit, ipse trahi meruit; piscatio Christi
> Discipulum dignata, rapit, qui retia laxet,
> Humanum captura genus, etc.
> Pisces Petrus agens, homines capit: æquoris hospes
> In sacris persistit aquis ...
>
> V. 992, 993.

Pseudo-Eusebius. — CLIII pisces, tres Ecclesiæ in mundo partes. *Bibl.* PP. VI, 757.

S. Gregorius M. — Rete, sagena, Ecclesia; piscatio, judicium ultimum. *Homil.* XI, t. I, col. 1474. *Moral.* XXXIII, n. 34, t. I, col. 1097. — Pisces CLIII, lex vetus et nova. *Homil.* XXIV, col. 1543.

Venantius Fortunatus.— Petrus, Piscator, etc. *Miscell.*, I. III, c. 18. Luchi.

Andreas Hierosolymitanus. — (*Menæor.*, nov. XXX, p. 217, Venet. 1843). Ἦχος α'.

> Τοὺς ἐν βυθῷ τῆς ἀγνοίας πλανωμένους ποτὲ [1]
> Τῷ ἀγκίστρῳ τοῦ σταυροῦ σου ἀνελκύσας, προσήγαγέ σοι.

Ἦχος δ'. — Τὸν κήρυκα τῆς πίστεως [2]

> Καὶ ὑπηρετὴν τοῦ λόγου
> Ἀνδρέαν εὐφημήσωμεν·
> Οὗτος γὰρ τοὺς ἀνθρώπους
> Ἐκ τοῦ βυθοῦ ἁλιεύει,
> Ἀντὶ καλάμου, τὸν σταυρὸν
> Ἐν ταῖς χερσὶ διακρατῶν.

Vener. Beda.— Piscatio duplex, Ecclesia præsens et futura. *In Luc.*, I. II, t. III, col. 385; *in Joan.*, c. XXI, col. 923. — Pisces CLIII, lex vetus et nova. *Ib.*, c. 926. — Sagena, Ecclesia. *In Matth.*, I. III, t. III, col. 69.

S. Germanus C. P.— *Menæor.*, I. I., p. 217. Ἦχος γ'. Pisces, homines; piscatores, apostoli; esca, caro martyrum et apostolorum; sagena, preces; calamus, Evangelium; abyssus, gentilitatis ignorantia [3].

Olympiodorus.— Doctores et apostoli, piscatores, qui, mortem subeuntes, caput draconis apprehenderunt et contriverunt. *In Job.* XXVIII, p. 582. Lond. 1637.

B. Alcuinus.— Piscatio duplex, ut in Gregorio, *Opp.*, t. I, p. 640, 642.— Pisces CLIII, decalogus et gratia Spiritus sancti. *Ib.* 641.

Walafridus Strabo. *In Glossa.* — Sagena, V. et N. T., et alia ex Hilario, Hier., Aug., Gregor., Beda.

Paschasius Radbertus. — Sagena, anima. *In Matth.*, p. 603. Sirm.; cf. *Bibl.* PP., t. XIV, 529.

Chr. Druthmarus.—Rete, prædicatio. *Bibl.* PP. XV, 103.

Smaragdus.— Piscatio 2ª, ex Gregorio.

Notker Balbulus.— *Sequent.* XXX de S. Andrea.

> Piscatio nati tui ipse primum factus piscator populorum
> Myrmidones, idololatras diu fluctivagos rete cepit fidei, etc.

Hugo a S. Victore.— Utraque piscatio, ut in Gregorio, Beda et Rabano, *Miscell.* II, lib. III, 69. — Sagena, prædicatio vel Ecclesia. *Alleg.* in Matth. XXXI, p. 310, *ib.*

Wernerus abbas.—De piscat. 1ª ut Beda. Patrol. CLVII, col. 890.

S. Bruno Signiensis.—Sagena, Ecclesia. *In Matth.* XIII, v, 71. Brun. « Quid enim per sagenas pisciumque gurgustium, nisi sanctam Ecclesiam intelligimus? In hanc enim pisces capiuntur et habitant, qui in aquis baptismatis regenerantur et natant. » *In Job.* XXXIX, p. 294. — Piscatio prima, prædicatio apostolorum apud Judæos, p. 169, 292. Secunda, ecclesia electorum. — CLIII Pisces, perfecti in sermone et opere, p. 293. « Nisi enim homines pisces essent, piscatores hominum apostoli fieri non possent. Tales enim pisces digni sunt convivio Dei. Tales pisces in baptismatis fluvio natant. Tales pisces hamo fidei sanctæ prædicationis retibus capiuntur. » *In Matth.*, IV, p. 18.

B. Rupertus. — Piscatio 2ª, electorum. In centenis piscibus, laxius viventes; in L, mediocriter; in III, sublimius contemplantes. Sunt in pascuis Simonis Petri agni pariter et oves CLIII. *In Joan.*, t. II, p. 345.

(1) Ποτὲ. « Pisces in abysso ignorantiæ erraticos hamo crucis tuæ eripiens, tibi educas. » — (2) Πίστεως. « Fidei præconem, verbique ministrum Andream læta voce salutamus: ille namque homines ex abysso piscatur, pro calamo crucem manibus obtinens » — (3) *Ignorantia.* Τῶν Ἰχθύων ἀγρευτὴν καὶ ἁλιέα τῶν ἀνθρώπων, — Ἐν ὕμνοις τιμήσωμεν Ἀνδρέαν τὸν ἀπόστολον... — Καὶ ὡς δέλεαρ ἰχθύσι, τὰς σάρκας τοῖς ἀνθρώποις παρέδωκε. — Καὶ τούτους ἐσαγήνευσεν, αὐτοῦ ταῖς ἱκεσίαις. — Ὠδὴ α'. Τῷ καλάμῳ τοῦ Εὐαγγελίου, — Ἐκ τοῦ βυθοῦ τῆς πλάνης ἀνελὼν, — Ἀνδρέα πολύμνητε, σὺ ἐζώγρησας λαούς — Ἐπηγγείλατο Χριστὸς, ὁ σαγηνεύων — διδάξας σε ἀνθρώπους ὡς ἰχθύας ζωγρεῖν. Ed. ead. Venet. Sed vide ejusdem S. Patriarchæ in articulo II, p. 525, 524.

Radulfus Ardens. — Quinque piscatoris proprietates ad apostolos accommodat, in *Serm.* I, Patrol. CLV, col. 1307.

Albertus M. — Comm. in Luc. V, affert hos versiculos.

> Ecclesiam pro nave rego; mihi climata mundi
> Sunt mare; scriptura, retia; piscis, homo.

— CLIII pisces, decem vitæ perfectæ præcepta per quinque sensus impleta in honorem Trinitatis. *In Joan.* XXI, p. 334.

V. *Pisces*, *mali.*

Undenam istiusmodi in malam partem interpretationes, quæ maxime in Eucherianis formulis solemnes, potissimum deriventur, satis supra disputavi, ut eas a præcipuo argumento nostro minime decedere quisque facile æstimaverit. Sed vide quanta istis, sicut et cæteris, antiquitas.

S. Barnabas. — Pisces sine squamis, sine pœnitentia peccatores. *Epist.* 10. Galland. I, p. 126 B.

S. Melito. — Piscatores, in malam partem, l. l. XXXVIII, 2. — Retia, deceptio diaboli, XXXIX. — Pisces, mali XL, 3. — Hamus, in malam partem, sive Leviathan hamo tractus, XLI, 1, 2. — Lacunæ, hæretici, XLII.

Origenes. — Ἰχθύς, φιλομαθεία [1]. Galland., XIV, 75.

S. Cyprianus. — Piscator, diabolus. *Epist.* VII, p. 17.

Novatianus. — Pisces immundi, peccatores. *De cibis Judæor.*, c. 3. Patrol. III, 958 B.

Firmicus Maternus. — Diabolus, hamo tractus. *De error. profan. rel.*, c. 22. Patr., XII, col. 1030.

S. Ephræm Syrus. — In jucundis colloquiis esca et hamus latitat. *De recta viv. rat.*

S. Hieronymus. — Pisces, mali. *In Is.* XIX, 10; t. IV, p. 292; *in Osee*, IV, 3; t. VI, p. 352. — Hæretici. *In Ezech.* XXIX, 4; t. V, p. 344. — Lacunæ, hæretici. *In Is.* l. l. *In Habac.* I, 15, t. V, p. 606. — Pisces maris, irrationabiles et bruti peccatores. *In Sophon.* I, 9, t. VI, p. 678, 685.

Rufinus. — « Is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in morte corpus Jesu, non sentiens in eo hamum divinitatis inclusum; sed ubi devoravit, hæsit continuo et diruptis inferni claustris velut de profundo extractus trahitur, ut esca cæteris fiat. » *In Symbol.*, p. 79, Vallars.

Bacchiarius. — Destruatur porta piscatoria visuum nostrorum. Galland. t. IX, p. 183.

S. Augustinus. — Pisces maris, curiosi. *In Ps.* VIII. — Peccatores. *In Ps.* LXIV.

Arnobius junior. — Pisces maris, profunda rimantes. *In Ps.* VIII.

S. Cyrillus Alex. — Pisces immundi, peccatores. *In Julian.*, lib. IX, t. VI, p. 318 B, C; *in Osee*, IV, 3; t. III, p. 67. *De spir. et ador.*, t. I, p. 1, p. 504. — Pisces, inconsultissima multitudo. *In Sophon.* I, t. III, p. 581. — Timidi, pisces. *In Osee*, XI, 10, p. 165.

Theodoretus retiarios et piscatores et hamo venantes vocat idolorum sacerdotes, t. II, p. 459. *In Is.* XIX, 10. — Pisces immundi, peccatores, t. I, p. 123.

Philippus, Hieronymi discipulus. — Leviathan hamo captus, diabolus. *In Job.* XL, 20. Hier. *Opp.*, t. VII, ad calc.

Cassiodorus. — Pisces maris, philosophi qui hujus mundi naturam erratica curiositate pertractant. *In Ps. Opp.*, VIII, p. 36 BB.

Vincentius Gallus. — Item ex Augustino, in Rufini, 677. Mign.

S. Gregorius. — Pisces maris, curiosi. Moral. XI, 5, t. I, p. 363 BB. — Leviathan hamo captus, etc. *Moral.* XXXIII, 17, I, p. 1086.

Venerab. Beda. — Tyri vendentes pisces in Sabbato, immundi spiritus. *In Esdr.* II, c. XXXVI; t. II, p. 922. — Pisces, philosophi. *In Ps.* VIII; *In Job.* XII, 403, t. VIII, p. 355.

Haymo. — Pisces, curiosi. *In Ps.* VIII. Patrol. CXVI, p. 222; *In Is.*, p. 972. — Philosophi aut peccatores. *In Osee*, IV. — Rete, diabolus. *In Jon.* II, 1. *In Habac.* I, 13. *In Sophon.* I, 3.

Andradus. — Galland., t. XIII :

> Pro furto pomi sacrum dans in cruce pomum,
> Hujus non speciem potuit mors ferre nec hydrus;
> Moxque fugam caperet, si non vis proxima Christi
> Majestasque Dei Leviathan prenderet hamo,
> Et natus hominis mortem moriendo necaret.

Remigius. — Cf. Beda. *In Ps.* VIII, Bibl. PP., t. XVI, 3060.

Euthymius Zigabenus. — Pisces maris, dæmones. *In Ps.* VIII, Bibl. PP. XIX.

S. Bruno Signiensis. — Cete magna, principes qui more prædonum rapina vivunt. *In Levit.* XI. — Leviathan hamo, i. e. per Verbum caro factum, de suorum fidelium mentibus Dominus abstraxit. *In Job.* XXXIX, t. I, p. 293.

Odo Astensis. — Pisces maris, stulti negotiis sæcularibus implicati. *In Ps.* VIII.

Absalon, abbas. — Peccator similis ei qui lutosa cum hamo aureo piscatur. *Serm.* VI, in nat. Dom.

Rupertus. — Mordebis, o inferne, et hamum devorabis; sed postea hamo divinitatis meæ disrumpam ventrem tuum, et exibo. *In Osee.*

B. Humbertus. — Sagena, cor mulieris. *Serm.* LI.

Hugo Carensis. — Similia, *in Eccl.* VII; cf. *In Ezech.*

S. Bernardinus Senensis. — Leviathan, hamo Christi captus. *Opp.*, t. I, p. 298.

S. Thomas a Villanova. — Pisces, in sæculo vagantes. *Concio de S. Dorothea.*

Art. IV. Ex actis Ecclesiæ et sanctorum.

Acta sanctorum Ecclesiæque annales hic loci attingimus, non eo sane animo quod ad historiam non pertinent quæ nobiscum facere designabimus, aut necesse est pereat historia, dum in allegoriam inflectitur : sed propterea quod, qualiscumque sit aut αὐθεντία rei relatæ, aut νοθεία, non levioris operæ est inde multa cum nostris conferre, præsertim quum exinde pictorum et opificum signa, tabulæ, simulacra, variaque veteris artis monumenta explanentur. Præterea, ut quid non mihi liceat in sanctorum annalibus quærere id quod probatissimi doctores, ut visum antea est in sexcentis locis, etiam a sacris paginis exquisierunt, quum

(1) Φιλομαθεία. « Piscis autem est quasique obsonium pro viro erudito, scire constitutionem mundi, vires elementorum, principium et finem et medium [*al.* temporum] et quæ deinceps insuper philosophia eloquitur. » *In Matth.* VI, 10; item in XI, 7. Hæc profana expositio et plane philoniana, de manu ad manum sine intermissu transiit, ut etiam sæculo XII piscis quoddam scientiæ symbolum sit. Vide tab. nostram, t. II, n. 7.

ipsius Christi gesta in parabolam, in typos, in allegorias confidenter verterint? Succurrit iterum Paschasius Radbertus peropportune : « Audite, inquit, ordinem miraculi, quin immo non miraculi tantum, sed parabolæ; ita ut fides corroboretur in miraculo, et anima pascatur in mysterio; quia et veritas non latet in facto, et parabola facti amplior et profundior prædicatur in sacramento [*In Matth.* xiv, p. 619, Sirm.]. » Quæ quidem Acta et chronica anno emortuali sanctorum satius visum est notare, quam in tempore quo edita singula sunt, morosius assignando immorari. Quanto minus vacat excutere singulorum auctoritatem, quum aliquid in illis de pisce conscribi certum, nobis profecto sufficiat. Hæc in primis diligentem lectorem non fugient quæ iterum piscem assumad sacram referunt Eucharistiam, aut cum in die paschæ edi solitum memorant, aut recentiores apostolos piscatoresqne sanctos miraculo recreant cum evangelicis simillimo.

SÆCUL. I. — S. Martialis, apostolus, puer esse creditur a quo duo pisces et quinque panes portabantur. Cf. Surius, xxx Jun., p. 338.

SÆCUL. II. — Epitaphium S. Abercii, in quo ΙΧΘΥΣ et cibus præclare memorantur, vide p. seq. *Analecta*.

SÆCUL. III. — Martyrum corpora delphinis vehuntur. *Acta* S. Aniani. Bolland. mart. VIII, p. 756. — S. Callistrati. *Ibid.* sept. VII, 190.

SÆCUL. IV. — S. Silvester [1], in Basilica Constantiniana obtulit pharum aureum cum delphinis 50, coronas aureas quatuor cum delphinis 20, pharum cantharum cum delphinis 80, argenteum cum delphinis 120. — In basilica S. Petri, coronam auream cum delphinis 50, phara argentea 32 cum delphinis. — In basilica S. Agnetis, pharum cantharum cum delphinis 30. — In basilica SS. Petri et Marcellini, pharum cantharum cum delphinis 20. — In basilica SS. Petri et Pauli Ostiensi obtulit Gallicanus coronam auream cum delphinis. Anastas., *Liber pontific.*, t. I, p. 36. Blanch.

S. Gregorius Illuminator. Cf. *Spicil.* t. I, p. 500.

S. Luciani corpus a delphino vehitur. *Ib.* jan. VII, p. 362.

Piscis paschæ diebus edere consuetus, cœlitus Martino datur. S. Sever. Dial., III, n. 10.

SÆCUL. V. — S. Hilarus PP. fecit pharos cum delphinis. Item turrem argenteam cum delphinis et columbam auream ad S. Joan. — Ad SS. Laurentium, turrem argenteam cum delphinis. Anast., *ib.*, t. II, p. 69, 70.

S. Patricius, piscatorum patronus.

Clavis in pisce reperta quæ vitam præstat et resurrectionem. *Acta* S. Maurilii, Surius, XIII sept., p. 134.

Cibus quotidianus e pisciculo fontis. *Acta* S. Corentini, XII dec. Albert le Gr., SS. *de Bret.*, p. 799, 801.

Pisces igne incorrupti. *Acta* S. Amandi Ruthen. Sur. V nov.

Varia de pisce miracula, in *Actis* S. Benedicti, Bolland., XXI mart., p. 308, 23. — S. Oswaldi. *Ibid.* ad XXVII oct. — S Parthenii Lampsaceni. *Ibid.* VII febr.

SÆCUL. VI. — Piscis in cibum divinitus datus. *Acta* S. Viventii, Bolland. jan. XIII, p. 806. — S. Honorati. Jan. XIV, p. 32. — S. Columbæ, ex *Dial.* Greg. pp. Mabillon. *Acta O. S. B.*, t. II, p. 187, 204. — S. Aredii, Bolland. XI, aug., p. 189.

Cibus ex uno pisce per septem annos quotidie sumtus. *Acta* S. Petroci, Boll. jan. IV, p. 401.

Piscatio miraculosa. *Acta* S. Cronani. *Ib.* jan. I, p. 49. — Eadem iteranda usque ad avis cujusdam adventum. S. Maglorii, XXIV oct. Albert le Gr., l. l. — Monachus, Jonas alter. Mabill. *Acta SS.*, t. I, p. 227.

Anchora navis fixa in tergo ceti, dum solemnia Paschæ celebrat S. Brendanus. D. Philopon., *Nova typis transacta navig.* 1621 : cf. *Acta* ejusd. ad diem XVI maii.

SÆCUL. VII. — S. Arculfus pervenit ad locum ubi Dominus quinque panes et duos pisces multiplicavit, quem ait numquam arari, nec ullum sustinere ædificium, « sed paucas tantum habere columnas super marginem illius fontis de quo illi eadem biberunt die, ut fertur, qua Dominus esurientes eos refecit. » *De locis SS.*, c. XXIV. Mabillon, *Acta SS.*, sæc. III, p. I, p. 512.

Adamannus ex eodem multa narrat de piscationibus et piscibus maris Galilææ, quæ piscium genera vult esse gustu et specie omnium præstantiora, c. XX, *ib.* Patrol. LXXXVIII, p. 800.

Pisces dati cœlitus aut multiplices effecti. Cf. *Acta* S. August. Cant. Boll. XXVI mai, 407. — *Acta* S. Columbani. Mabill. *Act.*, t. II, p. 13. — S. Hermelandi. *SS. de Bretagn.* XXV nov. 777. — S. Boniti. Bolland. XV jan. 1073-1075. — S. Remacli. *Ib.* II, sept., p. 701. — S. Magni. *Ib.* VII sept., p. 655. — S. Amandi. *Ib.* VI febr., p. 868 D, E. — S. Wilfridi. *Ib.* XXIV april., p. 664. — S. Salabergæ. Mabill. *Act. sæc.* II, p. 430. — S. Bavon. *Ib.*, p. 414. — S. Rusticulæ. Boll. VI aug., p. 658. — S. Cutberti. *Ib.* XX mart. 103 E. — S. Amati XI sept. 830 E.

Piscis assus, in littore repertus. *Acta* S. Cutbert. Boll. XX mart. 103 E.

Vitulus pinguis in octo pisces immutatus. *Acta* S. Luani. Bolland. IV aug., p. 348.

Agnus et pisciculus. *Acta* S. Aldegundis. Mabill. sæc. II, p 813.

In die sancto Paschæ, piscis in carnem mutatus. *Acta*. S. Berlindis. Bolland. III febr., p. 380.

Diabolus piscator. *Acta* S. Maximi. *Ib.* XI jan., p. 92 A.

Agger a piscibus ædificatur. *Acta* S. Gudwalii. *Ib*, VI jun., p. 732 A, B.

S. Petrus pro eulogia mittit piscem. *Acta* S. Melloti *Ib.* XXIV april. 624.

in Annulus pisce. *Acta* S. Arnulfi. Vid. *Analecta*. — Item pisce in gemma reperta. *Acta* S. Lupi Sen. Boll., sept. p. 251.

SÆCUL. VIII. — S. Gregorius pp. III, erexit altare eique contulit patenam et calicem seu coronam argenteam cum delphinis 6. Anast., lib. Pont., t. II, 199. — Cf. S. Zacharias, S. Adrianus, *ibid.*, n. 219, 348, 349, 352, 355.

Clavem piscis e fluvio anglicano Romain defert *Acta* S. Egwini. Boll. XI jan. p. 708.

(1) *Silvester*. Splendida SS. Pontificum munera hic et alibi recensere juvat, quæ nimirum ut in integram historiam rei symbolicæ justissime cedunt, ita ab ΙΧΘΥΟΣ monographia exsulare non debuerunt quum maxime in iis quæ delphinos cum columbis in calicis aut turris eucharisticæ opificio conflatos designant. Cæterum, quæ sæpe hic memorantur pharus, cantharus, corona, phanecantharus cum delphinis, spectant ad varia lychnorum et lampadum genera et ornamenta quæ Blanchinius luculentis notis illustrat ad *Chartam Cornutianam*. *Ibid.* cf. Cangii, *Dissert. de inferior. ævi numismat.*

Miracula duo de piscibus; unde picti cum S. Amalbergæ duo pisces. *Acta* Boll. x jul., p. 80, 97, 101. Cf. *Acta* S. Eucherii Aurelian. xx, *Ib.* xx febr., p. 219. — S. Corbiniani. *Ib.* viii sept., p. 286 B,E. — S. Goaris. *Ib.* vi jul., p. 340. — S. Bonifacii. *Ibid.* v jun. in quibus multa id genus miracula.

Sæcul. IX. — S. Leo pp. iii, obtulit coronam majorem de argento cum delphinis 32, etc. Anast. *Lib. Pontific.*, n. 366, 367, 368, 382, 401-405, 422.

Gregorius pp. IV, item *Ibid.*, n. 473.

S. Leo pp. IV, obtulit calicem pendentilem cum catenulis et delphinis. *Ibid.*, n. 507, 531, 543. — Vestem habentem « historiam seu miraculum quod Dominus Christus de quinque panum et piscium alimentis duorum est operatus, quinque millia hominum abundanter satians, » n. 543.

Piscis esca miraculosa. — *Acta* S. Adelardi. Boll. jan. ii, p. 113. — S. Adelphi. *Ib.* xi sept. ad an. 895. — S. Walburgæ. *Ib.* xxv febr. — S. Vedasti. *Ib.* vi febr. ad ann. 875.

Sæcul. X. — Idem miraculi genus. *Acta* S. Lucæ junior. Boll. vi febr., p. 90.

Piscis unus miraculo datus, alter repente super prunas positus. — *Acta* S. Geraldi Bolland. xiii oct., p. 320 D, p. 323.

S. Basilius junior, delphino vectus. *Ib.*, xxvi mart., p. 669.

Sæcul. XI. — Piscis ore lampada fert in undis. — *Acta* S. Stanislai. *Ib.* maii ii, p. 198.

Caro in piscem mutatur. — Vita S. Bardonis, *Ib.* x jun., p. 317.

Piscis in cibum variis et miris modis porrectus. *Acta* S. Odilonis, Boll. i jan., p. 73. — S. Alferii. *Ib.* xii april., p. 100. — S. Popponis. *Ib.* xxv jan., p. 643. — S. Gualberti. *Ib.* xii jul., p. 349, 370. — S. Genulphi. *Ibid.* xvii jan., p. 91, 103. — S. Edwardi. *Ibid.* v. Jan. p. 296.

Sæcul. XII. — Piscium esca coelitus data. *Acta* S. Caradoc. Boll. xiii april. 151. — S. Godrici. *Ibid.* xxi mai., p. 75. — S. Stephani. *Ib.* xvii april., p. 498. — S. Bogumilis. *Ib.* x jun., p. 347. — S. Romanæ. *Ibid.* iii oct., p. 140. — S. Batiudi Sueci. *Ibid.* xxiii jun., p. 637. — S. Chelidoniæ, *Ib.* xiii oct. p. 367.

Clavis in pisce reperta. *Acta* S. Brunonis, xvi jun.; 148, p. 150, 204.

Piscis ab ave allatus. Vita S. Gualterii Lemovic. *Ibid.* xi maii, p. 703.

Pisces vocem humanam audiunt et benedicuntur a S. Petro, episcopo hispano. *Ib.* ii aug., p. 193.

Sæcul. XIII. — Pisces ad cantica S. Francisci dociles et cum eo familiares. Bolland. iv oct., p. 623 F, 700 B, 764 F. — Conveniunt ad prædicationem S. Antonii de Padua. *Ib.* xiii jun. 725; cf. 757, n. 45. *Fioretti S. Franc.*, c. 40. In quo flosculorum capitulo quoddam habes concionis Antonii ad pisces breviculum, qua quidem pagella vix in tota antiquitate alia est ejusdem argumenti integrior, suavior et concinnior.

Varia de pisce in Ordine S. Dominici relata miracula. *Acta* S. Thomæ Aquinat. Bolland. vii mart., p. 676 E; 703 A; 717 F. — B. Gonzalvi Amaranthus. *Ib.* x jan. p. 647 B.

Alia, in Ordine S. Benedicti. Vita S. Gilberti. *Ibid.* april. i, p. 50. — S. Richardi Cisterciens. *Ib.* iii april., p. 303, 304. — S. Gertrudis. *Insinuat.*, lib. iv, c. 21, p. 484, ed. 1662. Quæ quum amantissime a Deo posceret sibi, ob lectum in Ecclesia Evangelium, et panes dari et pisces, pro piscibus audiit se esse accepturam sanctissimam Corporis immaculati et nobilissimæ Animæ Jesu Christi exercitationem. Cf. *Acta* S. Rogeri iv Jan. p. 184. Neque omittam quod de Beata Ida Lovaniensi narratur, eam ingenti cum alacritate ad sacram synaxim accedentem, statim ut sacramentum sumsserat, suavissimi piscis odore in ore suo et imo pectore perfusam fuisse. Bolland. xiii april, p. 164, 165.

Sæcul. XIV. — Tres pisciculi in fonte perennes et in cibum S. Neoti perpetuum. Bolland. xxxi jul., p. 324 A. — S. Gerardus Broniensis ab ave piscem accipit. *Ib.* iii octobr., p. 318 F. — Piscatio stupenda ob S. Antoninum. *Ib.* ii maii, p. 342, n. 32.

Sæcul. XV. — Orbi universo innotuere S. Francisci de Paula portenta quibus modo revocavit ad vitam pisces jam assos sibi a rege Neapolitanorum missos; modo jam mortuos lavando suscitavit. Sed cui ignoto ejusdem *Antonella*, quo nomine vocavit truttam, blande ab ipso enutritam, sed male a ganeone suffuratam, discerptam, in sartagine tostam, quæ tamen, signo benedictionis dato, viva exsilivit, et postmodum diu cum eo familiariter lusit? *Ibid.* ii april.

Sæcul. XVII et XVIII. — Panis et piscis in miraculo conjuncti. *Vita* S. Nicolai de Tolentino. Bolland. x sept., p. 704 B. — Alia in vita S. Rosæ de Lima. *Ib.* xxvi aug., p. 999. — In festo S. Annæ. *Ib.* ad xxvi jul., p. 292.

Plura videsis aut alia apud Philipp. van der Becken in *Zodiaco Religioso*, ubi suum Minimorum Ordinem in xii signo piscium ponit, relatisque Patris sui Francisci de Paula miraculis in pisces patratis, exaggeratisque pie ac docte argumentis quæ votum suum de perpetuo esu quadragesimali commendant, illos demum versiculos addit ab uno ejusdem familiæ fratre editos [L. Bail. *Theolog. affectiv.*, t. i, p. 584, 599]:

> Nata est mens hominum sublimia quærere cœli :
> Ne valeat, carnis densior esca vetat.
> Non vetat hoc piscis turbæ sic celsa petenti :
> Nam Christo et sociis fercula piscis erant.
> Quid mirum aptari pisces sublime volanti ?
> Sunt una educti piscis et ales aqua.

Art. VI. Analecta et paralipomena de IXΘY symbolico.

I. *Titulus S. Abercii.*

A testimoniis supra memoratis ad monumenta viam sternent quæ seorsum proferimus anecdota; quorum utrumque genus refert quem illis præmittere lubet, titulus S. Abercii, ab ipso, ut fertur, dictatus, eoque superstite, lapidi incisus. Nolit autem in me illico consurgere, si quis probe noverit quam male oleant istiusmodi Acta, aut meminerit integra jam eadem dedisse cl. v. Boissonadius in *Anecdotorum* t. iv, p. 462. Ignoscar enim ex uberrima messe spicam illam detraxisse, in eo saltem novam, quod integros versus in codicibus omissos, immo omnes pessime truncatos, aut dare primam in lucem, aut in integram revocare tentaverim. Quorum initia litteris majoribus plerumque, non semper distinguere habuit satis vir limatissimus. Deinde non me fugit in prisca S. Abercii Acta ita se male exercuisse Byzantinorum audaciam, ne ineptam vesaniam jure dicam potiori, ut a magno Annalium ecclesiasticorum conditore plerique se ab illis in medium afferendis abstinuerint. Non desunt tamen prioris operis vestigia, quæ quum non imperitum prodant architectum, spero fore ut Bollandianæ curæ, forte etiamnunc, dum hæc scribo, iisdem actibus illustrandis egregie, ut solent, adhibitæ, redintegrent quæ vetusta, aut quænam sint sequioris ævi manu superstructa significent. Quibus velim non displiceat illis ædibus reficiendis unum obiter, etsi minus affabre, parari lapidem, in quo tamen, nisi fallor, splendidi characteres et vere antiquæ notæ emicant, perverse, ut sæpius fit, a barbaris Byzantinis depravata : quæ enimvero placuisset, nisi hæc non raptim tetigissem, longiori commentario, immo

grandiori littera a cæteris interpolatis secernere. Sed periti gustu et aure dijudicent et æqui bonique faciant, quæ cum solertissimo meo Dübnero, supplenda duxerim aut mutanda. Tantum vero extrema acu suspensoque digito tetigi splendidum illud de eucharistico PISCE, quo vix aliud est præclarius testimonium : immo fere unicum, si locum Pseudo-Africani addideris relatum superius, quo arcana ἰχθύος tessera cum Beata V. Maria conciliatur. Quod certe Byzantini, nedum excogitaverint, vix probe potuerunt intelligere [1].

'Εκλεκτῆς πόλεως τόδε [μνῆμ'] ἐποίησα πολίτης
Ζῶν, ἵν' ἔχω καιρῷ σώματος ἔνθα θέσιν.
Τοὔνομ' Ἀβέρκιός εἰμι, μαθητὴς ποιμένος ἁγνοῦ,
4 Ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας ὄρεσιν πεδίοις τε,
'Οφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους, κατὰ πάνθ' ὁρόωντας.
Οὗτος γάρ μ' ἐδίδαξε [τὰ ζωῆς] γράμματα πιστά,
Εἰς 'Ρώμην ὃς ἔπεμψέ με [τὴν] βασιλείαν ἀθρῆσαι,
8 Καὶ βασίλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον, χρυσοπέδιλον·
Λαὸν δ' εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα.
Καὶ Συρίης πέδον εἰσεῖδον καὶ ἄστεα πάντα,
Νίσιβιν, Εὐφράτην διαβάς· πάντας δὴ ἔωθεν
12 Ἔσχον [ἐμοὶ] συνομηγυρέας. Πίστις δὲ προσῆγε
Καὶ παρέθηκε τροφὴν, ἰχθὺν [δὲ μιῆς] ἀπὸ πηγῆς,
Παμμεγέθη, καθαρὸν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνή·
Καὶ τοῦτον ἐπέδωκε φίλοις ἔσθειν διὰ παντὸς,
16 Οἶνον χρηστὸν ἔχουσα, κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου.

(1) *Intelligere.* E novem codicibus Parisiensibus, septem potissimum adhibui quos novi antiquiores et melioris notæ, omnes propemodum x-xi sæculi; ii sunt Coislin. 145, fol. 201; veteres græci 1480, fol. 192; 1484, f. 184; 1494, f. 114; 1495, f. 195; 1540, f. 150 v°, 1501 A, ab initio; quos ex ordine designabo his siglis A, B, Γ, Δ, E, ϛ, Z. Sed neque omisi cæteros penitus, 1503, fol. 154, xv s., 1543, fol. 189, xiv s., qui, data occasione, mihi erunt H et Θ. Notæ sequentes numeris versuum alligantur.

V. 1. In codd. Πόλεως πολίτης τὸ δ' ἐποίησα. De quo, ut Dübneri verba referam, latus hariolationis campus. Ipse quidem legit : Τόδε [γράμμ'] ἐποίησα πολίτης. Caveat, quisquis restituerit aliter, ne non egregie jus civitatis proferatur; auctor enim tum ab initio, tum in fine publicas leges de sepulturis ornandis, sed non ab ullo homine violandis, id quod optimis titulis solemne est, cum multa religione rescripsit. — V. 2. Ἔνθαδε θέσιν codd. Sed nota proœmium disticho de more eleganti inclusum. Noluit hanc elegantiam restituere Boissonadius, cui præplacuit legere pro pentametro : ζῶν ι. ε. κ. τοῦ σώματος ε. θ. — V. 3. Τοὔνομα Ἀβέρκιος, ὁ ὢν μαθητὴς codd. Οὔνομ' Ἀβέρκ. Boisson. — 4. Οὔρεσι πεδίοις τε codd.—V. 5. Μεγάλους πάντα καθορόωντας codd. excepto ϛ, in quo καθορεύοντας, varietatem notante Boisson. qui legit : 'Οφθαλμούς [τε] ἔχει μεγ. πάντη καθορῶντας. Quod loco horum scribimus, non dubitat Dübnerus quin fuerit primigenium, sed a maleferiato interpolatore pessum misere datum. Cæterum hic ultro subeunt animo egregiæ illæ Pastoris boni imagines, pictura aut musivo opere expressæ, grandibus oculis conspicuæ non semel, quæ ad hæc usque tempora in cœmeteriis et basilicis romanis supersunt. —V. 6. Versum mancum restitui, insertis τὰ ζωῆς, respectu ad Joan. vi, 64-69. — V. 7. Εἰς 'Ρώμην κ. τ. ε. codd. Omnino me fugit quonam e codice Boissonadius legerit hæc : βασίλειαν ἀθρῆσαι χρυσόστολον, χρυσοπέδιλον. Sed de hoc romano Abercii itinere in æstu controversiæ de Pascha peracto, nihil leviter expungendum. — V. 9. Idem hunc versum omisit, quo tamen haud inconcinne, et quasi homerica ἐκφράσει, Roma equitesque romani describuntur. — V. 10. Πέδον χώρας εἶδον A, B, Γ, Δ. Πέδων χώρας E. Sed omnium τὸ χώρας sine dubio ab interpolatore. — V. 11. Πάντας δ' ἔσχον codd. uno excepto : πάντη δ' ἔσχον ϛ. Initium versus tenoremque Boisson. aliter notavit, cui v. 10 finis erat : Εὐφράτην τε διαβὰς, deinde : Παντὶ δ' ἔσχον συνομηγύρους, πίστις παντὶ προῆγε. Cætera porro, quæ me cruciant, omisit et tacuit. Ecce codicum tumultus : συνομηγύρους. Παῦλον ἔσωθεν· πίστις δὲ προῆγε A, B, Γ, Δ, E, πίστις παντὶ δὲ προῆγε ϛ. Jam omnes interponunt illud : Παῦλον ἔσωθεν, absque ullo sensu : quam quidem ἀλογίαν Surius sincera reddidit interpretatione, sed absona : « Habui autem omnes ad eamdem venientes concionem *et Paulum intrinsecus.* » Sed aptissime Dübnerus suggessit ἔωθεν, Homeroque præeunte, Nonnus dedit συνομηγυρέας, Il. A, 57. Cætera concordant cum I Cor. xi, 20 sqq., quæ dum in margine notarius aliquis cum siglis forte implexis excitaverit, inde mali labes. — V. 13-16. Præter voculam uncis inclusam integra est hæc pars epigrammatis longe insignior. Tantum e codicibus ἐσθίειν in poeticum ἔσθειν transtulimus; in solo B legimus : ἀπὸ γῆς; in solo ϛ : χέρασμα ἔχουσα, διδοῦσα. Sed v. 16 integrum omisit Boissonad., nescio quo codice nixus. — Tum ἰχθὺν δὲ μιῆς ἀπὸ πηγῆς satis confidenter restituimus e Sibyllino versu 15 lib. vi, quem locum describere juvat, fortasse et obiter emendare. Christi vero venturi miracula vates sic enarrat :

Ζήσει τεθνεότας, καρπώσεται ἄλγεα πολλοῖς·
'Εκ δὲ μιῆς πηγῆς ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν,
Οἶκος ὅταν Δαβὶδ φύῃ φυτόν....

Ita enimvero legebant Lactantii vetusta exemplaria, confirmante Sedulio Scoto, eorumdem in sæc. ix interprete, a quo Sibyllina lactantiana, in codice olim S. Michaelis diœcesis Virodunensis, nunc feliciter asservato in bibliotheca Armamentarii Paris. [græc. ii], propria Scoti manu græce et latine rescripta sunt : id quod declarandum ipse eo modo curavit, fol. 55 v° : Ευχας θω εγω αμαρτωλος πραξο . Σηδυλιος . σκοττος . εγω . εγραψα. Quæ quidem Sibyllina bis edita seorsum, tum a Montefalconio [*Palæogr. gr.*, p. 243, 47], tum a Gallandio [*Bibl. nov. PP.* t. i, p. 400]. Legebat igitur Scotus ille Sedulius, fere ut supra, græce et latine :

'Εκ δὲ μιῆς πηγῆς ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν.
Ex uno autem fonte panis satietas erit viris.

Κορος εσ. εσται in cod., unde lectum a Montefalconio : κόρεσις ἔσται. Idem habet *ex uno autem pane*. Vulgatus interpres melius : « Et *panis de fonte* hominum satias erit uno. » Sed pro πηγῆς plerique edidere ῥίζης, quod non ita placet : quanto minus insulsum illud πήρης ex uno alterove exsculptum codice, ita cudente Opsopœo : ἐκ δὲ μιῆς [πήρης ; ita rescribente Lebrunnio, immo Gallandio et Alexandro faventibus. Sed enimvero πηγὴ ἄρτου idem omnino sonat ac elegantissima illa sacræ Virginis allegoria : *fons bethleemicus* [*Bethleem, domus panis*]; quum ad illam veteres interpretes non dubitavere quin respexerit ejusdem parens regius, hæc vovens : « O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem ! » II Reg. xxiii, 15. Sed, ne rescribam pseudo-Africani διήγησιν paulo ante recitatam, adde non semel placuisse Sibyllæ panem, piscem, canistrum et Virginem consociare, v. g. lib. I, v. 359 : δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς παρθένον ἁγνήν.

Ταῦτα παρεστὼς εἶπόν Ἀβέρκιος ὧδε γραφῆναι,
Ἑβδομηκοστὸν ἔτος καὶ δεύτερον ἦγον ἀληθῶς.
Ταῦθ' ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπέρ μου πᾶς ὁ συνῳδός,
20 Τύμβον [μή] τις ἐμοῦ ἕτερον ἐπάνω θήσειε·
Εἰ δ' οὖν, Ῥωμαίων ταμείῳ δισχίλια χρυσᾶ,
Καὶ χρηστῇ πατρίδι Ἱεροπόλει χίλια θήσει.

Suadet jam lectio nova novam tituli cudere versionem, sed quam proxime litteræ subjectam : « Urbis electæ civis, hoc ego vivus feci monumentum, — ut haberem heic pro tempore corporis posituram. — Nomine sum Abercius, qui et discipulus casti pastoris, — pascentis ovium greges in montibus atque campis, — et ipsi ingentes oculi sunt, quibus cuncta tuetur. — Sane is me docuit verba vitæ fidelia. — Is me Romam misit, regiam illam visurum urbem, — atque imperatricem, aureis indutam vestibus et calceis.— Tum autem aspiciebam populum splendentes annulos manu gestantem ; — tum Syriæ vidi campum et omnia oppida, — Nisibin et Euphraten transgressus : porro omnes ex oriente — habui mecum *in sacris* unanimes. Fides namque singulis produxit, — et apposuit cibum, ex uno fonte piscem, — prægrandem, impollutum, quem apprehendit immaculata Virgo, — et tradidit amicis ex integro comedendum,—eademque vinum habens bonum idque porrigens cum pane temperatum. — Hæc ego astans Abercius jussi inscribi, septuagesimum annum vere agens.—Orabit pro me, huc si quis attenderit, quisquis est mecum consentaneus,— ne quis tumulum alium *ei qui mea continet ossa* superimponat.— Sin autem, romano quidem ærario bis decem millia aureos,—dulcissimæ vero patriæ Hierapoli millia persolvet.

II. *Vetus interpres in Hexaemeron.*

Anastasius Sinaita, in v° *Contemplationum anagogicarum* libro, quem paulo infra copiose descripturi sumus', dum multa de piscium præstantia subtiliter inquirit, illud quoque advertit iisdem esse præ avibus honorem non modicum quod Deus et illis primam suam benedictionem conferebat, et eos recto sermone alloquebatur : « Crescite, et multiplicamini et replete aquas, » dum de avibus brevius ait et ἀπροσώπως : « Et aves multiplicentur. » Argumentum affert ex vetere interprete cui aves sunt angeli in eorum ministerium missi qui baptizantur, seu spiritualium piscium. Hæc igitur habet τὶς τῶν ἀρχαίων ἐξηγητῶν : Ὅτι τοῖς βαπτιζομένοις, καὶ μάλιστα τοῖς ἐν ἀρεταῖς πετεινοῖς γενομένοις ἅγιοι ἄγγελοι, φροντισταὶ καὶ προνοηταὶ ὑπὸ Θεοῦ εἰς ἐπιμέλειαν καὶ φωτισμὸν δίδονται· πρὸς αὐτοὺς γὰρ τὴν ἐπιτροπὴν ποιεῖται ὁ Θεὸς, κελεύων καὶ λέγων· « Πληθύνειν τὰ πετεινὰ, » τουτέστι τοὺς τὰ οὐράνια φρονοῦντας καὶ περιπολοῦντας. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Κύριος πιστοῦται ἡμᾶς καὶ διδάσκει ἀγγέλους εἶναι φύλακας τῶν πιστευόντων εἰς αὐτόν· φησὶ γὰρ πρός τινας ἀπίστους· « Ὁρᾶτε μὴ καταφρονήσητε ἑνὸς τῶν μικρῶν τούτων, κ. τ. ε. »

III. *Physiologus græcus.*

Nihil habeo quod addatur tum Prolegomenis ubi semel et iterum de physiologo illo metrico egi [p. LII, LXV], tum iis quæ modo disputavi [p. 517] de pisce apud veteres Gnosticos.

Περὶ τοῦ Ὕδρωπος.

Ὁ Ὕδρωπος εὑρίσκεται εἰς τῆς ἑώας τὰ μέρη,
Ἀπὸ τὴν μέσην[2] καὶ ἄνω τ' ἔχει μορφὴν[3] τὴν ἵππου,
Καὶ ἐκ τῆς μέσης καὶ κάτω ὁμοιάζει πάλιν κῆτος[4].
Αὐτὸς πολλάκις εἰς τὴν γῆν, εἰς τὸν ἄμμον ἐγγέννη[5]
5 Καὶ παίζει[6] μετὰ ἄλογα τῆς γῆς[7]...
Καὶ ὅταν στρηνιάσωσιν[8] τὰ ψάρια τῆς θαλάσσης,
Πορεύονται τὸν Ὕδρωπα ἐκ νότου καὶ βορέως,
Αἱ θῆλαι[9] πᾶσιν ἔμπροσθεν, αἱ[10] ἄῤῥενες ὀπίσω
Ἀκολουθοῦσιν ἔμπροσθεν τὰ μέρη τῆς ἑώας.
10 Ἐκεῖ ἐστὶν ὁ βασιλεὺς[11] ἰχθύων τῶν ἁπάντων.
Μορφὴν ἔχει νηπίων τε ἀπὸ τὴν μέσην καὶ ἄνω[12],
Ὀμμάτια σαπφειρωτὰ[13], χρυσόῤῥοες[14] αἱ τρίχες.
Αὐτὸς ἀπὸ τὸν τόπον του ποτὲ οὐ[15] μεταπίπτει.
Χρυσὸς[16] καλεῖται ὁ ἰχθὺς ὁ βασιλεὺς [ἰχθύων].
15 Ἐν πέτρᾳ γὰρ προσήλωται τὸ πλέον τῆς ζωῆς του,
Καὶ κύματα οὐ δύνανται αὐτὸν να τὸν σαλεύσουν.
Τότε ἐλθὼν ὁ Ὕδρωπος[17] πρὸς τὸν χρυσὸν ἰχθύαν
Εἰσπάζεται[18], καταφιλεῖ αὐτὸν καὶ περιλείχει[19].

— Rursus ad Sibyllina reducit clausula versus nostri 14 : ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνή. Quippe de Christo patiente Sibylla canit, l. VIII, v. 276-278, al. 289-292 :

Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον,
[Αὐτὸς γὰρ κόσμῳ παραδώσει παρθένον ἁγνὴν]
Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ.

Quæ conjunctim recitare debui, ut per se quisque videat ex ὁμοιοτελεύτοις telestichiis : ἁγνὸν, παρθένον ἁγνὴν, ἐπιγνῷ, miram irrepsisse confusionem rerum et depravationem. Castalioni quidem jam v. 277 visus translatitius est, nec immerito. Quem forte ad ἁγνὸν νῶτον contulerat quispiam, et margini alleverat ; inde, ut fit, locum peregrinum textus hospitio male recepit, sed nec intactum ; lego enim aliter, nihil hæsitans : αὐτὸν γὰρ κόσμῳ παραδώσει παρθένος ἁγνή. Si quis vero quæsierit quæ fuerit exsulantis versus propria sedes, libenter illi indicabo locum ejusdem libri paulo superiorem, v. 251-253, ubi leguntur iterum similiter cadentia, ὠλένας ἁγνὰς, λαὸς ἐπιγνῷ, e quibus noster versus facillime exciderit, ut jam legas ibidem :

Ὃν Μωϋσῆς ἐτύπωσε προτείνας ὠλένας ἁγνὰς,
Νικῶν τὸν Αμαλὴκ πίστει, ἵνα λαὸς ἐπιγνῷ
Ἐκλεκτὸν παρὰ Πατρὶ Θεῷ καὶ τίμιον εἶναι,
[Αὐτὸν γὰρ κόσμῳ παραδώσει παρθένος ἁγνὴ]
Τὴν ῥαβδὸν Δαυὶδ καὶ τὸν λίθον ὅνπερ ὑπέστη.

V. 17. Εἶπεν Β, εἴπων Γ, ὡς δὲ ϛ. — V. 18. Ἀγὼν Δ, Ζ, Η, Θ. — V. 19. Ταῦτα ὁ νοῶν εὖξαι ὑπὲρ Ἀβερκίου Α-ϛ. Πᾶς ὁ σύνῳδὸς omisit Boisson., qui ligavit sequentia cum suis præcedentibus. — V. 20. οὐ μέντοι τύμβον τ. ἐ. ἕ. ἐ. θήσει codd. τύμβῳ τις ἐμῷ ἕτερον Boisson. — V. 21. Θήσει χίλια χρύσινα ϛ, cæteri θήσει δισχίλια.—V. 22. Δισχίλια χρυσᾶ repetitur in codd. Γ, Ζ. Cum iisdem versum ultimum omisit Boisson.— Enixe optaverim a doctissimis Bollandistis illustrari ex hoc titulo in primis quæcumque pertinent ad romanum Abercii iter, quo forte non minima lux in quatuordecimanorum turbas, in brevem Asiæ discessionem promtioremque Orientis et Occidentis sub Romani pontificis sententia concordiam, quæ certe propheticam illam Magni Abercii peregrinationem vero faciunt simillimam.

(1) Ὕδρωπος Ex codd. E, 390, f. 79 ; ϛ, 929, f. 331. —(2) Μέσιν E, ϛ.—(3) Τὴν μορφὴν ϛ, sine articulo E. — (4) Κεῖτος E, ϛ. — (5) Ἐγγέννη. Sic barbare pro ἐγγένεται, nisi corruptum ex similibus siglis ἐμμένει. — (6) Παίζῃ ϛ, πεζῆς E. — (7) Γῆς. Deest finis versus. — (8) Στρινηάσωσιν codd. — (9) Θύλαι E, θῆλυ ϛ. — (10) Αἱ. Idem iterum infra. — (11) Βασιλεύς. Cf. quæ supra p. 517. — (12) Κἄνω lege ob metrum. — (13) Σαπφυρωτὰ E, σαφυρωτὰ ϛ. — (14) Χρυσοροαῖς E, ϛ. — (15) Ποτὲ οὐ, idem ac οὔποτε. — (16) Χρυσοῦς rectius. Sic vero semel et iterum v. 17 et 44. — (17) Ὕδρωπας ϛ. — (18) Ἀσπάζεται videtur legendum. — (19) Περιλείχει αὐτὸν E.

Αὐτὸν δὲ περιλείχουσιν αἱ ἄῤῥενες ἰχθύες[20],
20 Καὶ τότε ἐπιστρέφουσιν εἰς τοὺς ἰδίους τόπους.
Ἔμπροσθεν ὑπαγει[21] τὰ ἀῤῥενικὰ, ὄπισθεν αἱ θῆλυ·
Τὸν γόνον γὰρ λαμβάνουσιν ἐκ τῶν ἀῤῥενικῶν τὰς,
Καὶ ἐγκυοῦνται γὰρ εὐθὺς, καὶ τότ' ἀναχωροῦσιν,
Τὰ ἀῤῥενικὰ ἀπὸ (τῶν) θηλυκῶν, μικρά τε καὶ μεγάλα.
25 Καὶ εἰς ἡμέρας γὰρ ἑπτὰ ὅλα[22] εὐθὺς γεννῶσιν.
Καὶ ὅταν δὲ πορεύονται εἰς ὕδρωπον να πᾶσιν,
Οἱ ἁλιεῖς πορεύονται εἰς τὴν στράταν τῶν ἰχθύων.
Ἰχθύες δὲ ἐκ τῆς μέθης τῆς πυρώσεως ἣν ἔχουν
Εὐκόλως γὰρ ἐκπίπτουσιν[23] ἁλιέων τὰς χεῖρας·
30 Ἀφ' ὅτου δ' ἐγγαστρωθῶσιν, τότε[24] σκορποῦνται
Καὶ χάνουσιν[25] οἱ ἁλιεῖς τοὺς τόπους καὶ τὰς στράτας.

Ἀναγωγή.

Ὁ Ὕδρωπος ἀνάγεται εἰς τὸν[26] Μωϋσῆν τὸν μέγαν,
Ὁ κόσμος, πρὸς τὴν θάλασσαν, οἱ ἄνθρωποι πρὸς[27] ἰχθύας,
Καὶ ἡ ὁδὸς[28] τῶν εὐσεβῶν καὶ τῆς ὀρθοδοξίας·
35 Ἀνατολὴ δὲ πρὸς Χριστὸν καὶ πρὸς [τὴν] Ἐκκλησίαν·
Οἱ ἁλιεῖς, οἱ δαίμονες, τὰ δικτυ'[29], ἀπωλεία.
Λοιπὸν ἀκολουθήσωμεν[30] τῶν προφητῶν τὰς ῥήσεις,
Τοῦ Μωϋσέως τοῦ σοφοῦ καὶ τῶν ἑξῆς ἁγίων.
Ἐκεῖνοι τοίνυν πρότερον ἐλάβασιν τὴν χάριν,
40 Καὶ ἐξ ἁγίου Πνεύματος, καὶ ἐξ αὐτῶν ἡμεῖς δὲ
Τὰς διδαχὰς ἁλίσκομεν καὶ παρακολουθοῦμεν·
Καὶ μὴ ἐγκλίνωμεν εἰς ὁδοῦ[31] ἡδονὰς καὶ μέθας.
Ἵνα μὴ ὑπὸ κυνηγῶν δαιμόνων ἀγρευθῶμεν,
Ἀλλὰ πρὸς τὸν χρυσὸν ἰχθὺν, αὐτὸν τὸν μαργαρίτην[32],
45 Πρὸς τὸν δεσπότην τὸν Χριστὸν ἐδράμωμεν εὐθέως·
Καὶ αὐτὸν[33] προσκυνήσωμεν εὐθὺς, να καρπωθῶμεν[34]
Τὴν τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὴν χάριν καὶ τὴν δόξαν,
Καὶ ἐναντίων πονηρῶν δαιμόνων λυθρωθῶμεν.

IV. Τοῦ αὐτοῦ περὶ τῆς ἐχίδνης τοῦ πελάγου.

Ὀψάριον ἐστὶν ἐν τῇ θαλάσσῃ, λεγόμενον ναυκράτης[1]·
50 ἔχει εἶδος ἰχθύος, εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ Ἔχειν καὶ Κρατεῖν τὴν ναυτικήν.
Ἔστι δὲ καὶ ἄλλην ἔχιδναν· εἰς τὸ πέλαγος ἀπέσσω[2].
Αὐτὸν ὑπάρχει δυνατὸν καὶ ἦν μικρὸν τὸ εἶδος·
Ἡ μούρη[3] τῆς ἔναι μακρὰ[4]· οἱ ὀδόντες[5] μεγάλοι·
Καὶ τὸ καράβην δράσσετο[6] δακκάνη τότε μόνη.
55 Καὶ εἰς τὴν οὐρὰν[7] στέκεται, οὐ δύναται ἀρμενίζειν
Εἰς ὅσοι ἄνεμοι[8] τὸ φυσοῦν ἀπαρασάλευτον ἔναι.
Εὐθὺς δένουσιν ἄνθρωπον, βαλοῦντες[9] εἰς τὸ βάθος.
Λαμβάνει σίδηρον κεντρὸν, αὔξη τὸ εἰς τὴν μήτην,
καὶ κρονει τὰς[10] ἐχίδνας εἰς τὴν ῥίναν καὶ πονήτην.
60 Αὐτὴ [εἰς] τὸ βάθος βάλλεται καὶ τὸ καράβην ὑπάγη.

Ἀναγωγή.

Βλέπε καὶ σὺ, ὦ ἄνθρωπε, τὸ πονηρὸν θηρίον,
Αὐτὸν γὰρ τὸν διάβολον· μηδέν σε ἀπατήσει
Εἰς ἡδονὴν δὲ τῆς σαρκὸς, κἀκεῖ σε σταματίσει.
Ἀλλὰ γυμνῶ σου καὶ ἐσὺ[11] τὴν ἡδονὴν ἐκείνην,
Ὡς Ἰωσὴφ ὁ πάγκαλος ἀφῆκε τὸν χιτῶνα·
Οὕτος καὶ ἐσὺ δὸς τὸν κατὰ πρόσωπα διὰ τῆς μετανοίας·
Καὶ πέσει[12] εἰς τὰ τάρταρα, εἰς τὰ βάθη τῶν ἀβύσσων
Καὶ σὺ εὐθὺς να λυθρωθεὶς ἐκ τῶν αὐτοῦ παγίδων.

V. *Physiologus arabicus.*

De Delphino [e cod. Paris. 52].

Nostris consentiunt quæ apud Herbelotum scripsisse dicitur auctor arabici libri *Mercat*, eam scilicet esse Delphini indolem, ut si quis undis innatans in vitæ discrimen cat, cum promtissimo auxilio Delphinus servet incolumem [Bibl. orient. ad v. *Dolfin*]. Sed propius accedere videtur Maximus Taurinensis : « Delphini, inquit [*Serm.* XI], quousque unda subest, navigia comitantur natantes, in littus vero numquam egrediuntur : sic adulatores in secunda fortuna manent, in adversa deserunt. »

Fama est in mare inveniri animal quoddam duobus longis armatum pinnis, cui nomen Delphinus. Quum navem forte videt vehementer fluctibus quassatam et jamjam naufragio proximam, commiseratus eam, Delphinus accedit et pinnarum ope ei succollare nititur, ne in profundum ruat. Sed ubi semel iterumque periculum tentaverit, Delphinus a nave avertitur, quam suæ demum fortunæ committit.

Solet mundus hic mari comparari ; fluctibus vero, nostra discrimina ; ac hujusmodi Delphino ille vir bonis operibus intentus, qui quum inde non nisi tædia cœperit, fastidio demum captus, recedit, ac, re infecta, omnino ab honestatis et beneficentiæ semita regreditur. At enim caveat christianus quisque ne hujus animalis inconstantiam imitetur ; suum est perseveranter in bene gestis insistere, in jejunio, in oratione, in dilectione proximi, in assiduo studio pacis inter homines componendæ. Suum est pati æquanimiter quæcumque inde minus commode cesserint, et quidquid evenerit, Deo semper gratias agere.

VI. *S. Augustinus.*

Ex *Augustini papæ annotatione in libro Tobiæ* (sic codex).

Quid sentiam de commentatiuncula nova in Jonam

(20) Ἰχθύαις constanter ϛ. — (21) Ὑπάγει. Sed barbare legitur in E ὑπάσῃ, in ϛ ὕπασιν. Siquid venustati rusticus ille scriptor dare vellet, scriberet sane et minus incomte : Ὑπαγει τὰ ἀῤῥενικὰ πρόσθεν, ὄπισθε θῆλαι vel ὄπισθ' αἱ θῆλαι. Sed quid surdo cecineris? ne dixeris : Ὄνος ἐν λύρᾳ. — (22) Ὅλας forte. — (23) Ἐμπίπτουσιν forte aut παρεμπίπτ. — (24) Τότε. Paulo supra supererat una syllaba, hic vero una et altera excidere ; sed et initium depravatur in codd. Ἀφ' ὅταις δὲ E. Ἀφ' ὅτοις ϛ. Ἐγγαστροθοῦσιν E, ϛ. — (25) Χάνουσιν sic hinc et inde. — (26) Τὴν *ibid.* — (27) Πρός. Lego εἰς ob versum. — (28) Ὁδός. Subaudi ἐστι, et quid simile mox, in v. 36. — (29) Δίκτια ἀπολεία E, ϛ. — (30) Ἀκολουθήσομεν *ib.* — (31) Ἐγκλιν. εἰς ὁδὸν ἡδονάς τε καὶ μέθας ib. — (32) Μαργαρήτην E, ϛ, cum quo versu, cf. quæ infra in Anastasio. — (33) Ἀστὸν distincte in utroque et pluries ita non pauca, quibus infertur tam apud Græcos quam apud Latinos depravatas fuisse litteras, sed eo tamen discrimine, quod ultimus Latinorum gradus præ infima græcitate sublimis est. — (34) Καρποθῶμεν E, ϛ.

(1) Αὐκράτης codd. — (2) Ἀπέσω ϛ. — (3) Μούρη codd., barbare pro οὐρά. — (4) Μακρία ib. — (5) Ἡ ὀδόντες E, ϛ. Μεγάλας E. — (6) Δράσσητο E. — (7) Εἰς τὴν ὥραν E, ϛ. Δύναται E. Ἀρμενίζει E, ϛ. — (8) Ἄνεμοι. ib. absque sensu : forte εἰς ὅσον ἄνω. — (9) Βαλον τὸ ib. δένουσιν οἱ ἄνθρωποι ἄνθρωπον ϛ. — (10) Κρούτης E, ϛ. — (11) Ἐσὺ constanter et barbare iidem. — (12) Ναπέσει ϛ.

ex qua mox aliquot verba depromam, erit alia occasio fusius edisserendi. Interpres ille totum Tobiæ librum in allegorias trahit, ut illi sit ipse senior Tobias in figuram legis; passeres (ubi Vulgata hirundines), Judæi qui occæcarunt legem; medici frustranei, legis doctores et scribæ; Anna uxor, civitas Sion; Tobias junior, prophetæ; Sarra, ecclesia gentium; Gabelus, prophetia quæ depositum habet Dei verbum; duo chirographi, duæ tabulæ; angelus et aliquando Tobias puer, Christus est. Tum alia, ut rescribo :

Descendit Tobias ad flumen lavare pedes: figura est Christi, in Jordane baptizandi. Et exivit piscis de aqua magnus et pene puerum devoravit. Flumen est in typum Jordanis; et piscis, in baptismum. Fel piscis, scientia quam a baptismo accipimus, quod illuminat oculos nostros. Et cor, sapientia. Et jecur, intellectus quem a baptismate accipimus. Et pars piscis, hæc est quam Jesus Christus discipulis suis post resurrectionem dedit manducare .... Et fumus, verba judicii; et carbones ignis, judicium venturum.

VII. *Verecundus.*

Fragmentum expositionis in canticum Jonæ.

Scriptoris illius egregii ac pene ignoti, quem, præter alia multa, sola sæculi sexti antiquitas satis commendat, tomus *Spicilegii* proxime sequuturus, opera omnia, neque jam exigua, plenam in lucem, quoad meum erit, producet; locum vero unum jam excitavi supra in *Prolegomenis* [p.LXIV], cui addere pauca de ceto Jonæ prophetæ suadent, tam præcedentia quam universa hæc tractatio. Non deerunt enim fortasse miraturi cur pene nullum supra fecerim locum belluæ illi propheticæ quam frequentissime veteres christiani sibi ante oculos proposuere. Illud porro erat ipsum Evangelii dictum ubi Christus Dominus seipsum, cum Jona et cum ceto sepulcrum suum, τριημέρον denique sepulturam cum trium dierum immersione conferebat : quæ quum variis modis christiani patresque expresserunt, litteram retulisse potius quam allegoriam adornavisse existimandi sunt. Pauci enim sunt adeo conceptis verbis assequuti egregiam illam Verecundi sententiam, qua plebs judæa intelligenda est immanis Jonæ bellua, quam puto in Judæorum odium Christianos veteres tam sæpe, tamque miris modis expressisse. Hæc igitur ille, inter plura ejusdem argumenti, Verecundus disserit :

In ventre ceti conclusus, nec tamen bestiali dente vexatus, hoc canticum adorationis similitudine fudit, in tribulatione se confidens audiendum. Non est in tribulatione silendum, sed vocibus inclamandum, ut si merito fulciri non possis, clamoris auxilio subleveris.... « Exaudisti vocem meam in occulto ceti ventre. » Mirus est intellectus; unde se intelligit exauditum, qui se circumspicit intestinis bellæ circumseptum? nimirum, licet fuisset undis obrutus, ventre ferino sepultus, se tamen confidit auditum. Habent enim sancti conscientiæ signum quo se sentiunt postulantes audiri, nullis impeditionibus excludendum. « Projecisti me in altitudine cordis maris, et flumina me circumdederunt. » Historico intellectu, propheta testatur se non solum in corde maris, sed in altitudinem marini cordis abjectum, quod vel profunditatem pelagi datur intelligi, vel ferini ventris abstrusa secessio, quæ altitudo cordis maris est nuncupata, ut ipsum cor maris bestia locis semotioribus constituta utiliter cognoscatur. Incognitæ perquam hujusmodi bestiæ raroque visibus humanis compertæ occultas ibi profunditates inquirunt; altitudo vero cordis hujus interiora sunt piscis, in quo projectum lugubriter fatebatur. Mobilitas vero venientium transeuntiumque aquarum fluminibus comparantur; quibus se circumdari cernebat. Secretorum nobis potius agnitio conquirenda, voxque mei Domini Salvatoris est agnoscenda : « Projecisti me in altitudine cordis maris, et flumina me circumdederunt. » Projecisti me, inquam, in conscientiis Hebræorum; projecisti in cordis altitudine maris, in consilio utique Judæorum, quos maris vocabulo demonstravit; semper infidi, tumultuosi, mobiles: nec enim possunt manibus eum perimere cruentatis, nisi prius abjecissent infestis. Projectus est enim in cordibus eorum, qui eum in se credendo statuere noluerunt, et cæteræ plebis multitudines tamquam flumina in una maris salsedine corruissent, quum, in medio sui Jesu posito, conclamassent: « Crucifige! crucifige! » Tum se nimirum vidit fluminibus circumdatum et marinis fluctibus coopertum, etc. ...

VIII. *Anastasius Sinaita.*

Neque etiam ille Græcorum nostrorum pene ultimus, exque bonis optimus, *Spicilegio* deerit, quum ejusdem *Contemplationum in hexaemeron* græca quæ nondum integram in lucem venerunt, e tenebris eruere statutum consilium sit. Quibus quidem juvat illic prælibare pauca, e libro quinto de piscibus præmittenda, quibus pene integram Patrum græcorum de piscium et aquæ mysteriis theologiam, cognitu certe dignissimam, sub brevi speculo intueberis. Latina vero habes e Turriani interpretatione et Gretzeri editione in Bibliothecis Patrum : quæ omisero libenter, quum eadem sim deinceps severiorem ad trutinam exacturus. Initium est :

Τοῦ αὐτοῦ ἀκολούθως εἰς τὴν πέμπτην ἡμέραν τῆς ἑξαημέρου κτίσεως λόγος ε'.

Μόλις ἡμᾶς ποτε μετὰ πολλὰς περιόδους λόγων· ἡ τετάρτη ἡμέρα πρὸς τὴν πέμπτην παρέπεμψεν· ἐν ᾗ ὑπὸ Θεοῦ, ὥσπερ ἔκ τινος πέτρας, τετραημέρου νεκρώσεως εἰς ζωὴν ἡ κτίσις προέρχεται· καὶ ζωὴ ἐν αὐτῇ ἐν πρώτοις ἀναδείκνυται, ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος τὴν ἐναρχὴν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ἔχουσα, ἣν ὁ τῶν ὅλων δημιουργὸς προεσήμανεν ἐν τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ, λέγων· « Ἐξαγέτω τὰ ὕδατα ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ τὸ στερέωμα τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ἐγένετο οὕτως. »

Hæc præfatus, inquirenda esse multa significat, et primo, cur aqua ante terram animetur, humidum ante siccum elementum, quæ obiter cum luna et sole, cum Christo et Ecclesia confert; deinde, cur non reptilia tantum viventia, sed « viventium animarum » educantur; postremo, cur pisces primi post conditum orbem, et soli cum homine, benedicantur? Priusquam singula excutiat, opportunum ei visum est in antecessum excurrere in mysteria numeri v. Quem quum deprehendit in arca Noe, in Tabernaculo, in Jubilæo, in I.º psalmo, in die Ascensionis, in Pentecoste, ac denique in quinta illa die « qua acta cœna Domini est, qua peccata solvuntur, » ad baptismum accedit, in cujus typum ait aquas debuisse, die quinta, ante cætera primo munere vitæ donari, nempe statim ut sol, id est Christus, cœlo illuxerat. Jam ipsum audi :

Ἐν οὐρανοῖς μὲν γὰρ τὰ πρεσβεῖα καὶ τὴν πρωταγὴν [sic] ὁ ἥλιος ἔλαβεν, ἐπειδὴ ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ὁ Χριστὸς, ὁ νοητὸς ἥλιος, ἐν οὐρανοῖς καθέστηκε, θύρα καὶ εἰσαγωγὸς ὑπάρχων ἡμῖν πρὸς τὸν Πατέρα· ἐπὶ τῆς γῆς δὲ, ἔνθα « ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, μορφὴν δούλου λαβὼν, » ἑκουσίως δέδωκε τὰ πρεσβεῖα. Οἰκεία σώματι αὐτοῦ ἡ Ἐκκλησία, λέγω δὴ τῷ μυστηρίῳ τοῦ βαπτίσματος· ὥσπερ γὰρ ἐν οὐρανοῖς θύρα ἡμῶν καὶ ὁδὸς πρὸς τὸν Πατέρα ἐστὶν ὁ Χριστὸς, οὕτως ἐπὶ τῆς γῆς θύρα ἡμῶν καὶ ὁδὸς ἐστὶ τὸ βάπτισμα πρὸς Χριστὸν διὰ τῆς Ἐκκλησίας, καὶ τούτου χάριν, πρὸ πάντων ἡ ζωὴ καὶ ζῶσα ψυχὴ ἐξ ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναδείκνυται καὶ ἐπὶ γῆς φανεροῦται...

Bene igitur est quod aquæ tum primum quinto die vivificantur, primamque Dei creatoris benedictionem illo die suscipiunt, in quo tum instruitur mysticum Eucharistiæ convivium, tum confertur baptismus pœnitentiæ, tum Christus justitiæ sol super cœlos ascendit :

Καὶ τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ τὸ δεῖπνον τὸ μυστικὸν ἐδωρήσατο, τὸ πάντων ἁμαρτημάτων λουτήριον· οὐκοῦν ἔχεις σαφῆ τὴν παράστασιν, διατί τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ τῆς ἑξαημέρου τὰ ὕδατα, ἐν οἷς τὸ Πνεῦμα ἐπεφέρετο, ψυχὰς ζώσας ἐγέννησε, τὴν δι' ὕδατος καὶ Πνεύματος ἡμῖν προμηνύοντα ἀναγέννησιν. Ὑψωθεὶς γὰρ ὁ ἥλιος ὁ νοητὸς ἐν οὐρανοῖς, ὥσπερ ὁ ἥλιος ὁ αἰσθητὸς ἐν τῷ στερεώματι, καὶ τὴν ἀκτῖνα αὐτοῦ ἄνωθεν καταπέμψας τοῖς ὕδασιν, εὐθέως τὴν δι' ὕδατος ἀναγέννησιν καὶ πνεύματος ἐποίησεν. Διὰ τοῦτο γοῦν καὶ οὐ δι' ἕτερον τινὰ τρόπον, τὰς μὲν ἐξ ὑδάτων γεννηθείσας ψυχὰς, ἤγουν ἀναγεννωμένας δι' αὐτοῦ [τοῦ] βαπτίσματος, εὐλόγησεν ὁ Θεὸς λέγων· Αὐξάνετο, κ. τ. ε.

Eos vero pisces Deus benedictionis et incrementi dono beat, qui semel baptizati tunc fercula digna sunt quæ apostoli piscatores porrigant, deinde qui volucrum instar ad sublimia feruntur. Hæc Deus ab aquis educit reptilia animarum viventium; hæc volatilia Spiritus ab initio superlatus aquis confovet.

Ἑρπετὰ γοῦν οἱ βαπτιζόμενοι ἔστωσαν εἰς ὀψώνιον Θεοῦ, ὡς ἔκλεκτοι ἰχθύες, παρὰ τῶν πρὶν ἁλιέων καὶ νῦν ἀποστόλων προσφερόμενα. Ἀλλὰ καὶ πετεινὰ ἔστωσαν, εἰς οὐρανοὺς ἀνιπτάμενοι, εἰς ἀπάντησιν Θεοῦ εἰς ἀέρν ἀναφερόμενοι. Ταῦτα δ' εἴη ἀπὸ τοῦ ὕδατος τοῦ βαπτίσματος ἐξαχθέντα μὲν (?) ἑρπετὰ, ἀλλὰ ζωσῶν ψυχῶν.... Τούτου χάριν ἀπ' ἀρχῆς τὸ Πνεῦμα ἐπεφέρετο, ὥσπερ ψυχὴ ζῶσα ἐπάνω τοῦ ὕδατος, ζωοποιοῦν καὶ κινοῦν τὸ ὕδωρ ... Πρώτη τοίνυν ζωὴ ζώντων ἐκ τῶν ὑδάτων ἐγνώσθη· πρώτη ἐπιφοίτησις Πνεύματος ἐπ' αὐτοῖς ἐπεφέρετο· πρώτη ἀνάστασις ἐξ αὐτῶν διὰ τοῦ Ἰωνᾶ ἐγένετο· ὁ κρυπτὸς μαργαρίτης, ὁ Υἱὸς τῆς πατρικῆς ἀστραπῆς, ἐν αὐτοῖς κατὰ τὸν Ἰορδάνην· ἡ κάθαρσις τῆς κτίσεως ἐξ ὑδάτων, ἡ ἐκβλάστησις τῶν καρπῶν ἐξ ὑδάτων, ἡ ἀρδεία τοῦ παραδείσου ἐξ αὐτῶν· πρὸ πάντων τὰ ὕδατα ἐν ἀρχῇ τὸν φωτισμὸν τοῦ φωτὸς ὑπεδέξαντο, ἐπάνω τῆς γῆς ἐπιφερόμενα, καὶ ταύτην βαπτίζοντα ...

Post illa tamen aquarum mysteria, post tanta benedictionum munera, sunt minus boni pisces, sunt mala reptilia, quæ supereffusum Spiritum non retinent, sed in voluptatum cœno repunt, neque solem justitiæ contemplantur, nec sursum exsiliunt. Quorum improborum piscium rex est magnus et pessimus cetus Leviathan.

... Οὕτω καὶ ἐν τῇ προκειμένῃ πέμπτῃ ἡμέρᾳ οἱ μὲν ἰχθύες βαπτιζόμενοι ἐν τῷ ὕδατι, μὴ μεταλαμβάνοντες δὲ καὶ ἀναπτέοντες τὸ Πνεῦμα τὸ ἐπιφερόμενον ἐπάνω τοῦ ὕδατος, οἱ ἁμαρτωλοὶ τυγχάνουσιν· οἱ καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα ἐν τῷ βυθῷ καὶ τῷ κλύδωνι τῶν ἡδονῶν ἐναπομένοντες, καὶ τὸν βρῶμον τῆς ἁμαρτίας μὴ ἀποθέμενοι, μηδὲ τὸν ἥλιον τῆς δικαιοσύνης θεασάμενοι, μηδὲ πτέρυγας περιστερᾶς τοῦ Πνεύματος κομισάμενοι· καὶ διὰ τοῦτο πρὸς οὐρανὸν ἀναπτῆναι μὴ δυνάμενοι, ἀλλ' ἑρπετὰ ἀναπομείναντες, πετεινὰ δὲ, καθ' ἃ οἱ δίκαιοι, μὴ γενόμενοι· ὧν τίνων βρωμωδῶν ἰχθύων ἐστὶ καὶ βασιλεύει τὸ μέγα καὶ πονηρὸν κῆτος. Περὶ οὗ φησι πρὸς τὸν Ἰὼβ ὁ Θεός· « Ὅτι οὗτός ἐστι βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν τοῖς ὕδασιν. »

Tum ad Moysen reversus Anastasius, plura quæ piscium ad dignitatem faciunt sigillatim evolvit, in primis illud de quo disseruit vetus interpres quem supra præmisimus. Subinde non obliviscitur id quod sæpe refricuit antiquitas, piscium incrementum esse fecundius quam in cæteris animantibus, etsi credantur esse sine sexu et ἀγαμοί; tum eosdem pertinere ad primarium hominis dominium, juxta illud : « Dominetur piscibus maris, » cui subditur : « volucribus et bestiis. » Quod si piscium dominator fuit primus Adam, quanto magis secundus, βασιλεὺς πάντων ἐν τοῖς ὕδασι τοῦ βαπτίσματος? Sub quo rege baptizatorum imperant ceta illa majora, Dei præcones, apostoli, quasi alacres hippocampi, in pelagi undas immissi conturbandas, quales eos Jonas et Habbacuc descripserunt :

Αὐτῶν γὰρ πρὸ πάντων ἐδέσποσε καὶ ἦρξεν ὁ δεύτερος Ἀδὰμ, διὰ τῶν οἰκείων ἁλιέων, Χριστὸς τουτέστι, τῶν ἐν τῷ βυθῷ τῆς ἀγνωσίας καθημένων, ἐν σκοτεινοῖς καὶ ἐν σκιᾷ θανάτου ἐθνῶν· ὧν καὶ ἐβασίλευσε καὶ Βασιλεὺς πάντων ἐν τοῖς ὕδασι τοῦ βαπτίσματος· καὶ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὰ κήτη τὰ μεγάλα, καὶ πᾶσαν ψυχὴν ζώων ἑρπετῶν, ἃ ἐξήγαγε τὰ ὕδατα κατὰ γένη αὐτῶν, κ. τ. ε. Κήτη μεγάλα κελεύει γενέσθαι, τοὺς θεοκήρυκας ἀποστόλους, τοὺς τὸ τῆς θαλάσσης μὲν ὕδωρ ἀναταράξαντας, ὡς ἐπὶ τοῦ Ἰωνᾶ διὰ τοῦ κήτους ἐγένετο· οὓς καὶ ἵππους ὁ Ἀββακοὺμ ἐμνήσθη τὴν κοσμικὴν ἀνακυκήσαντας θάλασσαν, τοὺς κατὰ [cod. καὶ] τὸν προφητικὸν, ὡσεὶ κήτη ὄντας, καταπιόντας λόγον τῶν τὴν τῶν ἁμαρτανόντων τῶν μισούντων μετάνοιαν, καὶ τὴν τούτων αὐτίκα συμπάθειαν.

Pergit inquirere doctissimus monachus cur conceptis verbis non enuntietur creatio aquæ, ignis, spiritus, id quod pertinere ducit ad arcanam Trinitatis notitiam; deinde de quadruplici aqua disputat breviter, omniaque postremo in clausula congessit, quæ in quintæ diei dignitatem veniunt amplificandam :

Τοιαῦτα ἡμᾶς καὶ ἡ πέμπτη ἡμέρα περὶ Χριστοῦ καὶ τῆς Ἐκκλησίας παιδεύει σύμβολα καὶ αἰνίγματα, ἀρχὴν ἡμῖν προμηνύουσα τοῦ βαπτίσματος, ἐν ᾗ αἱ πέντε αἰσθήσεις τῆς ἐμψύχου φύσεως ἐδημιουργήθησαν, ὅρασις, ἀκοὴ, γεῦσις, ὄσφρησις καὶ ἁφή· ἐν ταύτῃ, λέγω δὴ τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ τοῦ αἰῶνος, ἐν τῇ πέμπτῃ χιλιονταετηρίδι, καὶ ὁ λουτὴρ ὑπὸ Σολωμῶντος τοῦ Υἱοῦ Δαυὶδ, ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ ἐν Ἱερουσαλὴμ, εἰς τύπον τοῦ βαπτίσματος τῆς Ἐκκλησίας Χριστοῦ Θεοῦ, τοῦ Υἱοῦ Δαυὶδ γέγονε. Καθάπερ καὶ ὁ νιπτὴρ πάλιν ἐκεῖνος, ὁ ἐν τῷ ἀνωγαίῳ τῷ μεγάλῳ, τῇ πέμπτῃ ἡμέρᾳ ὑπόδειγμα ἔχων τῆς κολυμβήθρας, τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν πρῶτον ὑπὸ Χριστοῦ ἐβάπτισε· καὶ εἶθ' οὕτως αὐτοῖς τὸ σῶμα καὶ αἷμα εἰς μετάληψιν δέδωκεν· ἡνίκα καὶ τὴν καινὴν διαθήκην ὁ Χριστὸς διαθέμενος, τῇ ἐπαύριον ἐπὶ τὸν Γολγοθᾶν τῇ ἕκτῃ ἡμέρᾳ πρὸς τὸν ἐκεῖ κείμενον Ἀδὰμ παραγέγονε· καὶ τὸν παράδεισον τῷ λῃστῇ ἠνέῳξε· πρὸς ὃν καὶ ἡμεῖς τῇ

ἑξῆς ἡμέρᾳ, ἥτις ἐστὶν ἡ ἕκτη, Χριστοῦ χειραγωγοῦντος καὶ διδόντος ἡμῖν λόγον ἐν ἀνοίξει τοῦ στόματος ἡμῶν, ἐλευσόμεθα. Αὐτῷ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν.

IX. *Expositio Evangeliorum.*

Anonymus e codice sæc. VIII aut VII.

K[apitulum]. De quinque panibus, id est de doctrina Pentateuchi, et duobus piscibus, hoc est duobus testamentis, vetere et novo, quinque millia hominum saturata: hoc significat quod hi qui quinque sensibus perfecti sunt, id est videndi, audiendi, odorandi, gustandi, palpandi, ipsi de sinistra ad dexteram transeunt [*eadem alias semel et iterum*].

K. De septem panibus, id est doctrina Spiritus sancti septiformis, et paucis piscibus, id est apostolis, quatuor millia hominum saturata: significat quod in quatuor cardines mundi verbum Dei cucurrerit, ut legimus: « In orbem terrarum exivit sonus eorum, etc. »

K. «Vade ad mare et mitte hamum, etc. » Hoc tributo passio Domini designatur, quia homo attrahendus erat de sæculo, habens in ore suo staterem, id est didragma quatuor continens dragmas, quibus quatuor intelligenda sunt Evangelia, quorum prolatio testimonia fidei demonstrabat; unde debitum, id est peccatum generis humani possit absolvi, quia passione Christi liberandi eramus a debitis peccatorum.

K. « Et traxit rete in terram plenum magnis piscibus CLIII. » Sciendum est quod mare sæculum significat; per navem, Ecclesiam; per piscatores, apostolos; per pisces magnos, animas sanctas, quas ideo CLIII esse evangelista commemorat, quoniam qui decalogi præcepta custodiunt, accepto Spiritu septiformi, sancti esse noscuntur. Nam ab uno usque ad decem et septem multiplicati crescendo CLIII faciunt. Spirituales ergo legemque servantes numero et merito ab apostolis eliguntur. Cæteri vero quorum vita expers est ecclesiasticæ disciplinæ, vagantur in fluctibus.

X. *Milo Elnonensis.*

E libro II *de Sobrietate.*

(V. 217-226.)

Mille dolos versans, animas tres mente resumens,
Ter prostratus humi, captus simul ore trifauci,
Imperium mundi liquit, quod fraude tenebat.
Sicut enim lentus graditur per saxea serpens
Post sua non monstrans ullum vestigia sulcum,
Non secus in Christo peccati vulnera fixit
Hostis, in hoc primo victoria cœpta: sed illo
Tempore perfecta est, quo crux Calvaria fixa est,
Cujus in ἀγκίστρῳ fortem Leviathan aduncans
Extulit elatum mira virtute triumphum.

(V. 494-500.)

Panem, piscem, ovum docet ut de patre petamus:
Panis hic est charitas, quæ cunctis eminet escis.
Non dabit oranti lapidem, cordisque rigorem.
Piscis erit fidei sacræ venerabile donum;...
Spes ovum, fœtus quoniam speratur ab illo.

XI. *Theodoricus Metensis.*

Delphini in Nilo.

Delphinum genus est quod Nilus flumine profert,
Dorso serratas ducunt a vertice cristas.
Et cocodrillos, velut ad colludia notos,
Alliciunt astu, mersique sub æquora saltu,
Horum serratis discindunt intima cristis.

XII. *Fulcoius Bellovacensis.*

E lib. VII, *de Nuptiis Christi et Ecclesiæ.*

Christus ad inventas invitat protinus escas;
Porrigit, et mandit, tum quis sit quæstio pandit.
Convescendo pie ter quærit: « Simon, amas me? »
«Quod tu scis, Domine, ter reddit Simon, amo te. »
Quod ter peccarat, mundat confessio trina.
Sic humiles, magnos, et oves committit et agnos.
Hoc et piscator Petrus est, quo munere pastor.
Retia, si calamus; si Simonis ars fuit hamus,
Præstitit ars eadem, specie nec traxit eadem.
Piscis homo tractus, quod et hamus sermo sit aptus.
Nec quidquam læsit, si quid rubiginis hæsit:
Petrus per ter « amo » ter « nescio » purgat ab hamo.
Utque sinus crescat, per Verbum Patris inescat,
Officiumque duplex hami piscatio supplex
Signat, qui rapiat, quod eo salvatio fiat.
Gentibus ignavis prius hamus, postea clavis:
Sicque regit calamo quod ab undis extrahit hamo.
Piscatorque trahat, pastor per pascua ducat.
Si Petrus cecidit, se posse resurgere fidit.
Nil desperatus, veniam tulit ergo reatus;
Est data cum venia, liget ut solvatque, potestas;
Et de se volvet, quum solvet, quumque resolvet.
Pax Dominus gentes pacem dat ferre per omnes,
Et baptizatis, thalamos intrare paratis,
Monstrat iter cœli, quo Christus sponsaque Christi
Conregnent stabili solio quem morte paravit.
Signa resurgendi postquam manifesta probavit,
Quod latus exhibuit, quod porrigit atque comedit.

XIII. *Guillelmus de Campellis.*

Ex epitome *Moralium* S. Gregorii pp. lib. XXXIII, n. 14.

« In oculis ejus quasi hamo capiet eum. » Unde postquam Behemoth astutas insidias indicavit, protinus nostri redemtoris adventum commendavit, quo videlicet ordine ab illo Behemot iste sit puniendus, insinuans. Quum dicit: In oculis e. q. h. c. e. In hamo esca ostenditur, acu-

leus occulatur; esca provocat et aculeus pungit. Sic Dominus noster velut quemdam de se in necem diaboli hamum fecit. Assumsit enim corpus, ut in eo Behemoth iste quasi escam suam mortem carnis appeteret : quam mortem dum in illo injuste appetit, nos quos quasi juste tenebat, amisit. Divinitas vero in eo latuit, cujus aculeo raptoris fames tranfixit, et sic in hamo captus est; quia inde interiit, unde voravit. In oculis itaque suis hamo captus est, quia novit et momordit. Filium quippe Dei incarnatum, noverat, sed redemtionis nostræ ordinem nesciebat.

XIV. *Adamus Præmonstratensis.*

Ex *Epitome Rabani* aliorumque PP.

Piscis, Christus, — fides, — mores, — diabolus, — homines, fideles, — sacerdotalis et regia persona.
Piscatores, prædicatores.
Piscina, populus Judæorum, compunctio, doctrina.
Sagena, Ecclesia.
Rete, Ecclesia præsens, Ecclesia in regno.
Hamus, humanitas Christi, — sacra Scriptura, — improvisus interitus.

XV. *Petrus de Riga.*

Ex *Aurora in Genes.*, v. 768-783.

Piscem vel volucrem genitrix aqua mittit ad ortum :
 Sed piscis remanet, ales ad alta volat.
Assimilat piscem quem sermo docentis inescans
 Tollit, et ad vitæ fercula mittit eum....
Sæpe vorant minimos magni signantque tyrannos
 Qui populum Domini vi dominante premunt.
Cete notant reges qui magna negotia curant,
 Quos mundanus apex indicat esse graves.

In Exod., v. 1785-1788.

Formam retis habens crates lex est nova, mundi
 De pelago Christo naufraga corda trahens.
Centum tres quinos decies pisces tulit illud
 In dextra missum parte, jubente Deo.

In I Reg., v. 176, 177.

Dagon, tristitiæ piscis, Satanam notat, isto
 Qui natat in mundo, plurima prava serens.

In Tobiam, v. 169-178, 187-238, 272-284, 417, 424, 439, 440.

Tota allegoria est in piscis cum diabolo comparatione : sint pauca satis.

Accipitur manibus Tobiæ branchia piscis
 Attractusque foris palpitat ante pedes.
Est manibus Christi Satanæ contracta potestas,
 Dum tendis mundas in cruce, Christe, manus...

In Evangel., v. 304-311.

Panes quinque, duos pisces Christus benedicens,
 Multiplicans, hominum millia quinque cibat.
Qui se quinque libris Moysi legumque duarum
 Doctrinis pascunt, ecce notantur eis.
Panibus ex septem quod millia quattuor arcet
 Esuriem, res hæc pene figurat idem.
Hi sunt quos sparsos per partes quattuor orbis
 Munere septeno Spiritus almus alit.

Alia *ibid.*, v. 1424-1429, 2405, 2406. Et *in Job*, v. 530-533.

Similia in libro II *Præfigurationum* Christi et Ecclesiæ, f. ult. in *Benoni* Petri Parisiensis episcopi.

XVI. *Petrus de Capua.*

T. *Rosa* sive *Regulis sermocinandi*, litt. XVI, art. 73.

Piscis

Cœlestis		*Mundanus* sive *Tartareus*
Christus.	Sancti.	Philosophi curiosi.
Duo pisces		Mors.
Duo Testam. — Psalmi et Prophetæ.		Diabolus.
		Piscina, Ecclesia.

Piscis, Christus. In Evangelio : « Obtulerunt ei partem piscis assi [Luc. XXIV, 4]. » Piscis namque assus, Christus passus. Ille piscis est in mare mundi, de quo psalmus : « Hoc mare magnum et spatiosum [Ps. CIII, 25]. » Captus fuit hamo crucis. Evangelium : « Ecce ascendimus Hierosolymam, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur [Matth. XXVI, 2]. » In hoc hamo apposita erat esca quam ipse appetiit, mundi scilicet salus et liberatio nostra. Evangelium : « Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usquedum perficiatur [Luc. XII, 50]! » Ipse tamen bene prævidebat hamum. Evangelium : « Sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis [Joan. III, 14]. » Sed adeo inescatus fuit hac esca et eam appetiit, quod voluit etiam capi hamo, quia non poterat aliter gustare escam. Evangelium : « Si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu [Matth. XXVI, 39]. » Ipse ergo sponte captus est hoc hamo. Isaias : « Oblatus est, quia ipse voluit [LIII, 7]. In hoc pisce denique inventum est pretium illud quo ipse Christus se et Petrum a tributo redemit. Epistola canonica : « Non corruptilibus auro vel argento redemti sumus, sed pretioso sanguine Agni immaculati [I Petr. I, 19]. » Hoc autem pretium ex ipso pisce sumtum est, quando « unus militum lancea latus ejus aperuit [Joan. XIX, 34]. »

XVII. *Anonymus Anglus.*

Distinctionum monasticar. lib. V, n. 220.

Piscis significat Christum ; unde Augustinus : « Quid debemus intelligere per piscem assum, nisi Dominum passum ? » Sed ideo Christus piscis dicitur, quia mortalis. — Per pisces significantur oracula prophetarum et cantica psalmorum ; unde : « Est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces [Luc. IX, 13], » id est Judaicus populus sensu puerilis, gestans in codice, magis quam in corde, pentateuchum Moysis, et prophetias et psalmos. — Vel pisces significant exempla sanctorum ; unde habebant pisciculos paucos, et illos benedixit et jussit apponi, quia cum prædicatione evangelica ad exhortationem bono-

rum operum jungenda sunt exempla sanctorum; unde est illud beati Jacobi : « Elias homo erat similis vobis [v, 17]. » — Piscis significat curiosos : « Volucres cœli et pisces maris [Ps. VIII, 9]. » — Per pisces significantur homines; unde : « Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari et ex omni genere piscium congreganti [Matth. XIII, 47]. » — Piscis significat fidem, quia nutritur in aquis baptismi, vel quia de invisibilibus est, vel quia sicut piscis fluctibus tunditur et non læditur, immo nutritur, ita fides tentationibus probatur, non frangitur. — Piscis propter ingluviem significat diabolum; unde angelus ait Tobiæ : « Exentera hunc piscem et cor ejus et fel et jecur repone tibi [VI, 5]. » Piscis exenteratur, quum diaboli secreta panduntur. Cor ejus est calliditas; fel, malignitas, id est nocendi cupiditas; jecur, studiorum vel consiliorum maturitas. Hæc omnia continentur in sacra Scriptura et reponenda sunt in nostra memoria.

XVIII. *Nicolaus de Byard*, cod. Sorb. 1540.

Distinctionum Absconditur, c. LVIII, al. LIX. *Pisces.*

Sunt sancti tribulationibus expositi. Habacuc I : « Facies hominis, quasi pisces maris. » Dulciter enim hoc sustinent. Deuter. XXXIII : « Inundatio maris quasi lac suggerit... » Levit. XI : « Omne quod habet pinnulas, » id est, virtutis quibus elevantur et saltant super aquas, id est mundana, « et squamas, » id est, asperitatem et vilitatem pœnitentiæ quibus se defendunt a peccatis, « comedetis, » id est, mutabimini. — Alius piscis assus, id est Christus igne tribulationis coctus, Luc. X : « Dedit reliquias piscis assi discipulis, » quia non ad tantam tribulationem eos invitavit, quantam sustinuit. Non enim possent. Pisces ergo isti, id est consideratio Christi et sanctorum, esibiles facit illos quinque panes de quibus dictum est supra [*Panes*, dist. IX]. — Piscis dicitur fides, quia in aquis baptismi nutritur. Ps. : « Myrrha, » id est, carnis mortificatio, « et gutta, » id est, humilitas, « et casia, » id est fides : in aquis enim oritur. — Item quia in abditis moratur; fides est credere quod non vides. Hebr. X : « Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. » — Item, quia aquis diversitatis non frangitur, sed impinguatur. Hebr. XII : « Sancti per fidem vicerunt regna. » Unde comparatur grano. — Item quia eo pro pulmento cum aliis, id est, operibus anima utitur. Jacob. II : « Sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. » — Item, quia in lege piscis cum pinnulis et squamis, id est defensionibus contra hæreticos, mundus habetur; ut patet Levit. XI. »

XIX. Mauricius..

E *Distinctionibus*, cod. Sorb. 627.

Cujus summa sit loco sexcentorum ejusdem ævi, quorum alii alios ad fastidium rescripsere. « Pisces triplicis sunt fluminis mundi, culpæ et gratiæ. In flumine mundi sunt peccatores. Sunt vero genera

VII *in flumine culpæ.*		VII *in torrente gratiæ.*	
Superbi.	Gulosi.	Fideles.	Gratiam in vacuum recipientes.
Lascivi.	Iracundi.	Humiles.	Pœnitentes.
Avari.	Acediosi.	Legem implentes.	Perfecti.
Invidi.		Martyres.	

XX. *Jacobus Benignus Bossuetius.*

Dum ad ultima et hodierna de Pisce testimonia propero, nolui penitus omittere novissimum illud, nemini quidem ignotum, sed lumine magni nominis in perpetuum insigne, eloquentissimi scilicet Bossuetii in hæc verba Joannis commentarium, *Verba quæ ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt :* « Et le Fils de Dieu lui-même : « Les paroles que je vous dis sont esprit de vie. » C'est qu'il savait bien que les hommes n'ayant rien de plus cher que de vivre, il n'y a point de charme plus puissant pour eux que cette espérance de vie; c'est ce qui a donné occasion à Clément Alexandrin de dire dans cette belle hymne qu'il adresse à Jésus, le roi des enfants, c'est-à-dire des nouveaux baptisés, que ce divin pêcheur, ainsi appelle-t-il le Sauveur, retirait les poissons de la mer orageuse du siècle et les attirait dans ses filets par l'appât d'une douce vie, *dulci vita inescans* [Ier *Sermon pour le jour de Pâques*, OEuvr. t. III, p. 566, ed. Gaume]. » Hæc ille.

Eamdem sententiam respiciens piissimus Olerius pene similia post Patres plurimos de B. V. Maria scripsit : « Dieu, qui veut attirer les âmes à son fils, se sert de la douceur et de la suavité de la sainte Vierge, comme d'un appât au bout d'une ligne pour y prendre les hommes, de sorte que dans cette divine créature les prêtres trouveront le charme et la suavité qui leur est nécessaire pour attirer les âmes à Jésus-Christ, selon leur désir et leur obligation; et pour cela, ils doivent se tenir intimement unis à Elle et se perdre en Elle. » *Lettr. spirit. mss.*

XXI. *D. Anselmus Costadonius.*

Dissertaz. sopra il pesce come simbolo di G. C., presso gli antichi cristiani. [Calogera, *Raccolta d'opuscol.*, t. XLI, p. 247-329, A. 1749.]

Deesse sane non debuit in hac mea piscis christiani historia unius saltem pagellæ angulus, in quo brevi titulo consecretur memoria Cl. Anselmi Costadonii, Camaldulensis, quem duplici ex nomine prosequor : tum enim is meus est, qua Camaldulensis, a quo non paucorum ejusdem Ordinis nostri virorum summa in res symbolicas religione præstantium natio quasi perpetua ab ævo in ævum reviviscit; tum meus quoque est, qua ejusdem omnino ar-

gumenti tractationem habuit egregiam, XII contentam articulis, jam breviter hic perstringendam. In primo igitur memorat veterem in Ecclesia symbolorum consuetudinem. — Proponit in 2° Tobiæ piscem ex Optato, Prospero, Augustino, pone sequutus celeb. Buonarottium. — 3° Totus deinde est in ἰχθύος etymo et acrostichide evolvendis. — 4° Tum Jablonskio præmonente, inquirit an iconismus ἰχθύος acrostichio præierit, necne, an alterutro gentiles usi fuerint. — 5° Transit inde ad gemmas, lapillos, minutamque, ut ita dicam, ἰχθύος supellectilem. — 6° Post, vasa quædam metallis fusa pisceque insignita describit. — 7° Aliaque annulis inserta; unde obiter deflectit in Gnosticorum amuleta. — 8° et 9° Uberius ipsummet ἰχθύος epigramma prosequitur per duodecim circiter diversa monumenta. — 10° Lucem deinde dare non negligit, duce Fortunio Liceto, lucernis pisce distinctis. — 11° Ex hypogæis postremo profectus, inde pergit ad basilicas, non semel piscibus ornatas. — 12° Pauca demum, quæ conjecit esse a symbolo christiano aliena, in ultimo parergo reponit. Cæterum, etsi ante illum nemo plura congesserit, quippe quum XL circiter monumenta ἰχθύϊ consecrata illustraverit, ad pleniorem tamen arcani intelligentiam satis pauca contulisse nostrum Camaldulensem, ultro concedendum a nobis est.

XX. *Aloysius Polidorius.*

Del pesce come simbolo di Cristo e dei cristiani [Ex *Amico cattolico*, Mediolanensi diario, 1843, p. 67.]

Nulla igitur ætas erit, vel in sola Italia, quæ suos non habeat veterum monumentorum custodes, suosque interpretes arcanorum, quibus in primis veneranda illa ἰχθύος tessera de manu ad manum perveniat. Quæcumque nuperrime Polidorius hac de re scripsit, ex epigraphe superius allata pronum est in duas dividere partes: quarum prior est de Pisce Christi symbolo, ubi ex ordine disputat de Tobiæ ceto, de pisce στατηροφόρῳ, de pisciculis duplici miraculo in cibum bis crescentibus, de pisce carbonibus supposito. Jam recensitis variorum sententiis, longe ea præstantior illi est, maxime ob Augustodunensem titulum, quæ in pisce signum Eucharistiæ recognoscit (1). Hæc et alia ex quindecim circiter monumentis eruit. — Tum eum ad alteram symboli significationem ducunt testimonia Clementis Alexandrini, Tertulliani, Anastasii Sinaitæ, Nazianzeni, tum varii operis κειμήλια quædam numero XX, quorum minus nota erant 1° crux Aquileiensis vite circumsepta, quæ ramusculorum volumina in piscem ducit; 2° quatuor aquilæ Mediolanenses piscem subvehentes, in figuram Christi quatuor evangelii per orbem circumlati; 3° campana Veronensis a. 1516, in qua cælatus est S. Zeno pontificalia indutus, piscem hamo educens, aliaque minutiora; 4° sunt quoque gemmæ novæ et alia. Hic illic non desunt arcanorum lumina quædam et acumina de obscuris titulis, gemmis, sculpturis, de duobus media anchora piscibus, de præcipuo christiani piscis mullum affectantis iconismo, etc.

XXI. *Dr Jos. Nepomuc. Seppius.*

E libro germanice inscripto: *Das Leben Christi*, 7 vol. in-8°. Ratisbon. 1843-1846.

Æquali meo et feliciter adhuc superstiti J. Nep. Seppio, inter catholicæ Germaniæ lumina nuperrime exorto, nova in vetus argumentum non defuere; is enim, quum splendidos *de Vita D. N. J. C.* libros conderet suos, non unum neque vulgarem in symboli nostri arcana commentarium edidit: quem nisi cohibuerim ex variis locis et quam breviter perstrinxerim, non deerunt qui vel extra Germaniam de me conquerantur. Id primum meminerit lector quod supra e vetustis Synagogæ libris retulimus [p. 515], Judæis inhæsisse opinionem fore ut Messias, convenientibus in pisces Marte, Jove et Saturno, nasceretur. Dignissimum igitur notatu summis viris visum est, re quidem vera planetas fere septem in eodem illo signo cum tanto fulgore tunc temporis illuxisse, ut inde emicuisse splendidam stellam Magorum existimaverint. Quam quidem conjunctionem rarissimam apparuisse eo ipso temporum articulo, eoque cœli loco, in primis declarant Sinensium et Indorum annales; immo, et stellam in cœlo per septuaginta dies, anno eodem ac ævi nostri primo, permansisse, ut miraculo excitati mitterentur legati ab imperatore novum regem et Deum in Occidente quæsituri. Testantur et Indorum commentarii, Regem Vicramadytiam ex dea Cali, eadem in oceano insidente aut piscium vehiculo ducta, certiorem fuisse factum fore ut e virgine nasceretur « puer divinus, summi architecti filius, » anno cycli Cali-Yug 3101, sive ab orbe condito 4181, eumdemque regem legatos rem indagaturos in partes destinasse occiduas. A Zoroastri tempore, immo a Balaami vaticinio fama erat apud Persas et Chaldæos tunc venturum eum esse qui *Stella aurea* dictus est, quum in cœlo, novum sidus erumperet. Eumdemque similiter dici « Summi architecti filium, piscemque ex virgineo fonte natum » iterum refert persica illa διήγησις, quam supra memoravimus, sed eadem ab industri doctore germano omissa minime est.

Neque siluit idem veterum vaticinia ex optimis et exactissimis recentiorum calculis confirmari. Tabulis enim Alphonsinis et Rutenianis, a celeberrimo Keplerio adhibitis declaratur anno U. C. 747, a quo certius ævi

(1) *Recognoscit.* Cujus italica verba spero fore ut non displiceant. « Essendo il pesce simbolo metaforico di Cristo, lo fu ezandio della santa Eucaristia, e ne abiamo luminosa prova ed irrefragabile in una lapide scoperta non ha guari nell' antico cimiterio di Autun, l'antica Agustoduno, ed illustrata dall' ab. Pitra et da un anonymo in Francia (quem puto eum præcedente eumdem plane) e dal P. Secchi. » Quam institui in hujus Spicilegii tomo pleiadem multo insigniorem septem ejusdem tituli commentatorum hic obiter non meminero, quin me merito doleat non ascendisse ad novem interpretum chorum, qui nimirum duos vere χορυφαίους omiserim. Britanni quidem ambo sunt sed non ultimi neque ab erudito orbe remoti; quorum unus est Joannes Lingard, inter primos interpretes habendus, quum titulum recensuerit a. 1841 in diario anglice edito et inscripto: *Catholic Magazin* (jan. 1841, p. 25). Alter est tam Ecclesiæ quam eruditionis princeps, Emin. card. Wisemann, qui paulo post, suam eidem epigrammati symbolam contulit in aliis ephemeridibus hibernicis, eamque denuo inter opera sua miscellanea (t. III, p. 279) nuper typis perennavit, adjecta appendicula quæ breviter et argute, non sine multa, ne dicam nimia, in nos benivolentia, Spicilegii nostri diatribulam perstringit. Si quid igitur oscitanter mihi excidit, eo facilius ignoscar, quod neutrum nomen præfatorum virorum opusculis appingebatur; quo certe effectum est, ut non solum monachos Solesmenses in angulo terrarum semotos utrumque fugerit, sed cæteros quoque bene multos, ne excepto quidem juniore et recentiore interprete, docto adolescente Franc. Lenormant, qui quum in splendore esset Cæsareæ urbis, quin in cl. patris lumine, accederetque iterum ad Augustodunensem titulum, etsi non fuerit indiligens tum in rescribenda de tituli ætate alterius interpretis anglici sententia, tum etiam in argumentis lectionibusque cunctis cæterorum recensendis, duos tamen prælaudatos viros rursus omisit et penitus tacuit.

christiani exordium proficiscitur, ter una convenisse Jovem, Martem et Saturnum in eosdem pisces. Triplicem quoque planetarum in piscibus conjunctionem, diebus tantum et gradibus subtilius computatis, ad eumdem annum nostratis cl. Delambre astronomicæ tabulæ referunt, ut die maii 22, in 20 piscium gradu prima steterit; secunda vero, die octobris 27, in 16 gradu eorumdem : tertia demum, die novembris 12, in 16 gradu evenerit. Propius ad ecclesiasticum computum accessit nuperrime Schuhmacher, Hafniensis astronomus, qui ejusdem conjunctionis tria tempora exeuntibus maio, augusto et decembri alligavit, neque refragantur Ideler [*Chronol.* t. II, p. 406], Schubert [in *Actis academ. Petroburg.*], Pfaff Erlangensis [*Dissert. de planetarum conj. et Magor. stella*, Bambergæ, 1821].

Quorum vestigiis Seppius alacriter insistens, non semel in cœlestis ἰχθύος præconia erumpit, hymnum Alexandrini pædagogi verbo et exemplo referens. « Natus, ait, Christus est, prænuntiante quodam planetarum choro, quin omnium jubilæi sui hebdomadam concelebrantium. Natus Jesus est, dum prophetica ejusdem stella in piscium signo coruscaret. Bene est, quod ex antiquæ Synagogæ arcanis Messias in ἰχθύσι oriturus erat; cujus stellæ nomen, juxta veterum spirituales formulas, eum ipsummet erat designaturum. Ut enim Judæ, benedicente Jacobo ac vaticinante, Leonis vocabulum inditum est et symbolum, sic Christus agnomen ἰχθύος ab Ecclesiasticis Patribus primævisque christianis nanciscitur. » Neque enim forte casuque hujusmodi agnomen Christo Domino datum est ; sed neque idem vult ex uno acrostichidis artificio quinque illa græci vocabuli elementa in Ἰησοῦν Χριστὸν Θεοῦ Υἱὸν Σωτῆρα coaluisse : quippe quum cœlestes pisces inter et οὐράνιον ἰχθὺν perpetuum interfuisse vinculum censeat existimandum.

Vis ne pressius tempora temporibus, signisque significata aptari? Ecce tibi Seppius efficit ut paulo ante Pascha, eodemque die, martii nimirum XXV, Christus Dominus et panes piscesque in plebis immensæ alimoniam effuderit, et Petro piscem dederit in cujus ore stater erat, et tum primum arcana Eucharistiæ reconditissima Judæis aurem obturantibus detegerit, atque denique ipse se panem Dei vivum, Dei Filium, Salvatoremque omnium in Virginea ara carnem assumens obtulerit.

Hæc si nonnihil hæsitans acceperis, alia quoque sunt quæ ipse ego tecum ægerrime patiar; en summus ille vir dicere confidit : « Nihil oppido vetat, quin propheticæ Christi allegoriæ habeantur fabulæ illæ de Atergati Derceto, de Camasena, de Dagone-Odacone, de Vischnu et Neptuno, de Herculis ceto, de sospitatore Delphino, » nempe perinde ac alias asseverat Christum eumdem in Herculis, Persei, Dionysii, Osiridis orgiis redhiberi. Verum enimvero minime quid nobis ista esse queant quæstio est, sed quid illis a quibus aut ista primum excogitata, aut descripta demum; idque porro non aliter quam a solis veterum monumentis et testimoniis definiendum. Neque erit unus tantum testis, isque recentior novissimusque audiendus, sed omnium tumultus, contradicentium licet aut delirantium, tibi sustinendus omnino est. Quos certe si diligenter patienterque audieris, in hac saltem de allegorico veterum pisce causa, aut incerta prorsus sententia et ancipiti pendebis, aut longe alia quam christiana deprehendes.

Nam duplex dumtaxat genus testium est, quos in causam adduxeris : alios quidem veteres, sed a quibus fabulæ nudæ, allegoriarum vero nec vola, neque vestigium; alios autem longe recentiores, jam ἀλληγορουμένων de Hercule, de Baccho, de Iside veros conditores, sed tantum non omnes Alexandrinos aut Alexandrinorum discipulos, certe præconceptis judiciis obcæcatos aut irretitos ineptiis : omnes denique Græcos, nempe Cretensium in mendacio æmulatores acerrimos; quin immo eosdem non semel in christianorum odium et κακοζηλίαν, christiana perverse affectantes. Eos igitur cum pisce ludentes non magis ego putem nobiscum facere, quam imperatorem hunc primum pontificemque maximum Octavium Augustum, qui eo ipso tempore quum Christus nasceretur, ob genituram suam diligenter observatam, capricornium et delphinum sibi in solemnia symbola vindicavit. Hæc vero minime otiosum erat alicubi semel dicere; ideo enim hactenus tam multa ethnici christianique ævi collegi, ut quam immane sit hæc inter et illa discrimen meridiano sole clarius ostendatur.

Ne vero ex hac qualicumque censura a merentissimo viro discedam, velim lectori non displiceat ejusdem vaticinia quædam ex argumento nostro petita, quæ quidem a nemine ante eum fuisse declarata miratur ille et conqueritur : « Piscium, inquit, jam signum in zodiaco quartum est, in quod solis annuus orbis ab condito mundo declinare inceperit; quod quidem signum et populo Hebræorum peculiari sidere illucescere, et futurum esse nascituri Messiæ nuntium, tradiderunt. Jam vero si eamdem solis per signa zodiaci declinationem ad hodierna usque tempora adamussim exegeris, hodiedum, ab anno videlicet hujus sæculi XXX ad XL, incidisse pisces inter et amphoram, lineam æquinoxialem ratum compertumque erit. Hodiedum igitur novus rerum ordo nascitur, et christiano orbi ætas altera sub cœlesti sidere Salvatoris ἰχθύος, incipit feliciter illucescere [1]. »

(1) *Illucescere.* Quidquid de vaticiniis lector censuerit, sane penes ipsum est. Sed ne unus tantum propheta coram stare judicetur, nolim omittere id quod facile credam pereruditum Seppium omnino non præteriisse. A decem enim inde sæculis doctus ille et in primis veterum Orientalium traditionum hæres et vates Albumazar (floruit a. 805-885) condidit librum cæteris celebriorem atque ab ipso inscriptum *de millenario* (*Des Alouf*) : in quo nihil habet antiquius quam ut immensis calculis ac vaticiniis statuat et tunc orbem incepisse, quum planetæ septem una convenirent in unico cœli articulo qui primus esse arietis gradus dicitur, a piscibus quam proximus ; et eumdem etiam tunc fore occasurum, quum rursus erit septem planetarum in ultimo piscium gradu concursus, omniumque in plaga cœlesti dicta *Draconis caput* ascensio sublimior. Vix dubito quin harum rerum curiosi indagatores non semina quædam detegant arcanæ et fatidicæ Judæorum *de piscibus* doctrinæ, tum in IV l. apocryphi Esdræ, c. 6, v. 47, 48, quem rescribere piget; tum in quodam vetustissimi libri *Sohar* Commentario ad *cantica canticorum*, cap. II, v. 12, quo parergon illud non incommode claudetur : « *Vox Turturis* hoc, inquit *Sohar*, pertinet ad diem quintum, ubi scriptum : *Reptare faciant aquæ*, etc., ad faciendas generationes. » Ad hæc R. Chajim Vital juxta tradita R. Jizchak Lorgensis : « Hinc ipsa vocatur turtur sive ordo. Dicitur autem *Vox Turturis*, et non *Turtures*, quia aquæ supremæ, quamvis congregentur in Victoriam et Gloriam, fundamentum suum tamen habent in Victoria, quæ est de genere Pulchritudinis : et species aquarum inferiorum [pisces] pertinent ad Gloriam, quæ in sinistra est de genere Regni. Dies ergo quintus refertur ad Victoriam et Gloriam in Victoria contentam. » V. *Kabbala Denudata*, t. IV, p. 154, 156. Huc vero Seppiana adduximus paulo fusiora, quæ maxime locum tenerent dissertationis philologicæ, nostri plane argumenti, sed hactenus nullibi a nobis repertæ, quæ nimirum inscribitur : Jo. Cypriani diss. *De Nomine Christi acrostichio*, ἰχθύς *Piscis* Leips. 1699, 4°.

ART. VII. DE CHRISTIANIS MONUMENTIS ΙΧΘΥΝ EXHIBENTIBUS.

Huc igitur usque veneram, decussis partim in properantes typos schedis, scholiis, adversariisque meis, cætera non minora illa neque præcedentibus faciliora, utpote de innumeris monumentis ab rudi antiquario tentandis, serius demum, animo interim per otium respirante aliquantulum, pro virili parte exhausturus. Unde ego me, uti satis frequenter soleo, ab Urbe Cæsarea in monasteriolum nostrum Locogiacense, inter blanda fratrum commercia, preces, obsequia, receperam; meamque reliquam piscationem intermissam esse pene immemor, cum aliis curis rusticabar: non amœnitate modo loci, æstatis, otii, non recessu vallis et vitæ tranquillitate captus, sed miraculo attonitus redivivi tandem conventus post quindecim a S. Martino sæcula, superstitis quoque cellulæ tanti viri memoria et prodigiis consecratæ, stantisque insuper ædiculæ bello, incendio, vastationibus ereptæ, novis etiam nunc ædibus auctæ ac pene jam elegantissimo choro a fundamentis exstructo superbientis, procurante ex incredibili sua in monachos Solesmenses munificentia, illustrissimo Pictavensis civitatis episcopo, Pio I, Hilario iterum, altero propemodum Martino, tantum enimvero non monacho. Mirabar illum atque hæc intuebar, et alia longe plura quam quæ per transennam præteriens aspicere valeam et raptim dicere, quum inopinato mihi, nihil certe simile speranti, fortuna contigit peropportuna.

Ecce enim ab Urbe Pontificia in hoc meum remotissimæ cellulæ diverticulum litteræ perlatæ sunt, *monogrammate* consignatæ, quibus a cl. Equite J. B. de Rossi monebar exactam repente esse suam de monumentis christianis ἰχθὺν exhibentibus dissertationem, quam in aliud incertumque tempus differendam esse modo scripserat, eamdemque una cum picturis et schematibus omnino novis in usus meos promtissime missum iri. Exsurrexi lætus, et locum, ut debui, dedi inexspectato hospiti, lampademque tradidi, pene exstinctam, sed quanto jam pleniore et sublimiore luce exornandam. Dignissimus quippe ille est qui non solum post Costadonum, Polidorium, cæterosque Italos de ἰχθὺν symbolo merentissimos, sed et post alios cives suos, romanæ eruditionis consules, fasces et insignia gerat, ex illa nimirum immortali Romanorum Doctorum natione, quam, ut Abercii nostri titulo utar, a longe ego mihi videre videor:

Λαὸν δ' εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγῖδα ἔχοντα.

Quod vero egregius ille vir, suscepta provincia jam præclare functus, vovebat modestius, meas theologi futuras esse partes significare quid illis curis archæologus ad augendam confirmandamque christianam doctrinam contulerit emolumenti, res ipsa quemque lectorem satis per se docebit. Nemini certe nimius fuerim, quum dixero confidenter, a tribus abhinc sæculis nihil quidquam de monumentis christianis fuisse præclarius scriptum, sed nec insignius unquam ex antiquitate allatum testimonium de perpetua Romanæ Ecclesiæ in sacram Eucharistiam fide et religione.

Ingens quidem illud: neque hoc mea sententia minus, jam omnino repudiandum esse id quod a multis dictitari vir doctissimus non semel subinde queritur, ullam unquam exstitisse communionem inter ethnicarum artium μυθολογήματα christianorumque veteris ævi artificum arcana symbola; illud quippe ex universo hoc Melitoniano opere ipse volebam institui: sed ut comprobetur plenissime, ex hac una ultima appendice non abeundum longe erit.

Sed meum profecto fuit reliquam meam qualemcumque de ἰχθύος ἰχθύσι missam facere supellectilem; paucissima tamen cogor retinere, ut cl. Equiti morem in omnibus geram, jussus ab eo sive monitus iterum, describere quæcumque periculo meo novam in diem novisque picturis commiserim aut quæ ab ejusdem copiosissimo indice deprehenderim exsulare. Exacta igitur hujusmodi appendicula, quæ finem inceptæ dissertationi, tomoque Spicilegii tertio omnique Melitonianæ clavis commentario faciet, supplex vovebam, ut me meosque lectores fortunet sanctus ille Melito cæterique rei symbolicæ patroni, omniumque arcanorum auctor et finis, Α et Ω, ΙΧΘΥС, D. N. J. C. Dei Filius, Salvator.

Locogiaci ad Pictavos, IV Nonas Julii, in Translatione S. Martini.

Fr. J. B. PITRA O. S. B.

I.



II.

HIC TI FINIS ER VITAE DVLCISSIME NATE
SET PATER OMNIPOTENS ORO MISERERE LAB
TANTORVM MISERE ANIMAE NON DIG
FERENTIS
IXΘY

JOANNI BAPTISTÆ PITRA V. C.

J. B. DE ROSSI SALUTEM.

Cum Camillus Leduc, sodalis Tuus, idemque mihi amicissimus, me Tuo nomine rogasset, uti, si quid novi de christiano ἰχθύος symbolo vetera Romanae Ecclesiae monumenta mihi revelassent, id in secundo *Spicilegii* Tui volumine, in quo Melitoniana Clavis optatam lucem adspiciet, exponere non gravarer, desiderium Tuum mihi certe honestissimum, proposito tamen meo, ne singulare ullum christianae antiquitatis argumentum antequam inscriptiones ediderim, publice aggrediar, plane contrarium, facile a me passus sum impetrari; veritus, ne et Tibi, et admodum reverendo Guérangerio, sodalitii Tui in Galliis restitutori, cui arctissimo amicitiae vinculo conjungor, minus, quam par est, obsequens et fortasse etiam durior possem videri. Quae nisi cogitatio a consuetudine et proposito meo recedendum heic esse mihi persuasisset, numquam, crede, vir praeclarissime, potuissem animum inducere, ut nondum editis, quae a me exspectantur, christianis inscriptionibus, de insigni hoc christianae antiquitatis argumento, quantumvis brevem commentationem in vulgus emitterem. Neque enim quaedam ingenii morositas est, quae a scribendo me retrahat, verum ratio ipsa studiorum meorum hanc mihi diuturni de christianis monumentis silentii legem imponit. Siquidem, quicumque hujuscemodi studia ad hanc diem, sive novis evulgandis monumentis, sive iisdem explicandis provehere aggressi sunt, alii singula vel pauca numero monumenta, quae aut sors obtulisset, aut insigni quodam merito eminerent, alii plurima, sed illa tantum, quae diuturnis laboribus et industri investigatione nacti fuerant, vel ex omnibus quasi selecta in lucem edenda, commentationibusque inlustranda susceperunt. Nemo, quantum memini, umquam exstitit, qui non dico omnem hujuscemodi monumentorum universitatem animo complexus, sed nec unum aliquod eorum genus, vel unam saltem in aliquo genere classem totam expendens, quasi ex analysi synthesim effecerit, et quantum egregia hac veri inveniendi via christianae antiquitatis scientia possit proficere, experiendo quaesiverit. Quod dum ego periculum facio, brevi intellexi, ad hunc scientiae progressum impeditissimam adhuc, ne dicam, obstrusam viam esse; quoniam analytica illa ratio, id est accurata singularum rerum cognitio, quae synthesim necessario debet praecedere, non modo nondum perfecta, sed adeo rudis adhuc est, ut non mediocres certe labores in ea perficienda mihi quotidie sint insumendi. Monumentorum enim, quae reperta sunt, quaeque innotescere nobis possunt et debent, magna pars nondum edita est, et undecumque ex hypogaeis, musaeis, bibliothecis conquirenda; pars, quae edita est, vix raro accuratos editores descriptoresque nacta, in quibus summus eminet Bosius, ut plurimum non minorem quam inedita industriam exigit, ut quantum fieri potest emendata et vero propiori descriptione cognoscatur. Itaque, dum plena haec et omnibus absoluta numeris singularum rerum cognitio desideratur, tractationem omnem, quae non unius alteriusve monumenti finibus contineatur, sed latioris inquisitionis argumentum affectet, valde imperfectam et fallacem quoque interdum exsistere necesse est. Atqui non tam novis, quae christianum ἰχθὺν exhibent, monumentis Tecum communicandis, quam demonstrando quid collatis

1\. Rogatus ut de christianis monumentis ΙΧΘΥΝ exhibentibus scriberet aliquid,

cl. Eques, a quo exspectantur, novae inscriptiones

etsi animo statuerit, priusquam singularum rerum integra ratio haberetur,

ea monumenta non posse tuto exponi,

quotquot exstant ejus symboli exemplis, eorumque complexione facta profecerim, desiderio Tuo et propositae quaestioni satisfacere me posse existimo. Vides ergo, vir clarissime, quam difficilis et impedita brevis haec, quam aggredior, commentatio mihi futura sit, quoniam, quae nondum singillatim edidi, nec ab aliis negligentius edita accuratius descripsi, rationesque meas, quas nondum publice explicavi, cogor summatim attingere, complexionesque inde facere; demum his non aliter uti, ac si vulgo nota jam essent, et aequis harum rerum aestimatoribus probata. Quo fiet ut nonnulli, nec injuria, judicent immaturam tractationem hanc esse, et nimis multa me affirmare potius, quam demonstrare, nimiamque non dictis modo, sed et persuasionibus meis fidem me exigere plane videri. Haec enimvero praefari me oportuit, ne et Tibi saltem ipsi, et aliis, si qui ex aequo et bono mecum agere volent, hanc affirmandi securitatem non necessitate, sed vana quadam mei fiducia mihi videar praesumpsisse. Nunc ad incoeptum redeo.

praeviam tamen de christiana tessera ἰχθύος dissertationem aggreditur,

Piscis imaginem in christianis veteris aevi monumentis passim obviam Ἰησοῦν Χριστὸν Θεοῦ Υἱὸν Σωτῆρα, et qui in Christo renascuntur et vivunt pisciculos, id est fideles, significare ipsa nos antiquitas adeo disertis testimoniis edocuit, ut ejus rei multiplicari quidem argumenta possint, certitudini autem, quae summa jam est, quidquam addi non item. Quare non id profecto a me exspectas ut novam huic demonstrationi lucem affundam, quae si e veterum scriptis adhuc perficienda et uberiori doctrina illustranda est, hoc Te melius, vir clarissime, nemo certe praestabit. Illud potius ex monumentis ipsis quaerendum, qua proprie aetate hujus symboli usus invaluerit, et utrum idem illud symbolum ita cum aliis id genus imaginibus prisci fideles composuerint atque conjunxerint, ut non nudas Christi filii Dei servatoris appellationes, sed pleniores quoque christianae fidei formulas arcanis his signis includere et significare voluisse videantur. Quarum quaestionum quae prima est, quantum momentum in altera sit manifesto demonstrabit. Ubi enim excussis diligenter monumentis palam fiet arcani ἰχθύος symboli usum ita ad primaevam Ecclesiae aetatem pertinere, ut ejus quasi proprius fuerit, et medio jam saeculo quarto pene obsoleverit, quantum intersit penitiores, qui his signis subsint, sensus exquirere et explorare nemo non intelliget. Sit ergo prima, quam posui de aetate quaestio et inquisitio.

primum de symboli aetate, deinde de arcana ejusdem formula dicturus.

I.

2. Fuere qui non exhiberi ἰχθὺν in Ecclesiae monumentis post saec. V contenderunt:

Qui de christiani hujus symboli argumento ad hanc diem commentati sunt, hi antiquissimam ejus originem sollemnemque priscis saeculis usum passim laudant; aetatem vero qua a christianis artificibus minus frequentari coeperit, quaque demum adhiberi prorsus desierit, iidem nullam plane definiunt. Hannibalem tamen Oliverium limatissimi judicii virum, quum forte in christiani hujus signi sermonem semel incidisset, affirmasse memini, monumentorum quae illud exhiberent, quotquot ipse novisset, nullum quinto Ecclesiae saeculo recentius videri [1]. Cui sententiae ut veritas insit distinctio adhibeatur necesse est, et accuratior quaedam rei de qua quaerimus definitio. Pisces enim sive aquis innatantes, sive retibus aut hamo captos, sive demum epularibus mensis impositos christiana omnis aevi monumenta interdum exhibere vulgo notissimum [2] : nec mirum, quoniam ab ipsis evangeliis has imagines christiani artifices petere et ediscere omni certe aevo po-

(1) *Videri.* Olivieri, *Dell' antico battisterio della S. Chiesa Pesarese*, p. 42. — (2) *Notissimum.* Cf. exempli tantum gratia monumenta, quae laudantur in Spicilegii hujus Solesmensis

ierunt. Quare non hoc profecto Oliverius contendit evangeliorum sive parabolas ive historias in quibus piscium mentio fit, illas praesertim, quas de ipso Christo ntiquior aetas intelligendas tradiderat, a christianis artificibus post saeculum uintum neglectas omnino fuisse, sed solitarium piscem, quem, ducto ex illis ipsis arabolis historiisque argumento, arcanum sibi veteres christiani signum esse oluerunt in ejus aevi monumentis nuspiam occurrere. Atqui vel solitarii piscis naginem sexto vertente saeculo in sacris aedibus pingi et insculpi nondum plane esiisse, Oliverium ipsum facile convincerem. Durant adhuc Ravennae marmorei aggestus (ambones vocant), alter in aede cathedrali, alter in SS. Joannis et Pauli, uibus inter alia symbola solitarii pisces insculpti sunt : hos porro suggestus xeunte saeculo sexto, primum scilicet inter annum 553 et annum 666, alterum anno roprie 597, factos dedicatosque fuisse inscripti tituli perspicue demonstrant [1]. ixstat item Parentii in Histria marmoreum monumentum, in veteri, ut ferunt, aptisterio olim positum, in quo media inter binas columbas binosque pisces crux nsculpta est : et inscriptae litterae Euphrasium episcopum monumenti auctorem estantur, quem ab anno saltem 543 ad 555 vel 556 illi ecclesiae praefuisse satis onstat [2]. Quin et domesticum Oliverio testem opponerem, musivum nempe opus, uod cum veteri cathedralis aedis Pisaurensis pavimento, his proximis annis reertum effossumque est [3]. Ibi solitarios pisces bene multos artifex pinxit, itemue monstrum humano superne adspectu, caetera piscem adscripto lemmate : *st homo non totus medius sed piscis ab imo.* Justiniani aevo factum hoc opus judiarunt viri harum rerum scientissimi; quibus ego scrupulum injicere tentavi, ne d recentiorem quoque aetatem deducendum esse verisimilius posset videri [4]. Quamquam, ut verum fatear, cum Pisaurum postea me contulerim, et monumenum ipsum attentis oculis inspexerim, ac praesertim multa, quae de cathedralis jus aedis historia Franciscus Rocchius vir clarissimus mihi enarravit, serio repuaverim, quin Justiniani et Belisarii aetate pavimentum illud constructum ornaumque fuerit dubitari vix posse satis vidi. Demum nec ipsas litteras ΙΧΘΥC ejus evi monumenta prorsus ignorant : musivo enim opere inscriptae sunt praegrandis rucis imagini, quae mediam occupat absidem celeberrimae Classensis basilicae . Apollinari dicatae; quod opus anno circiter 567 factum fuisse Ciampinius ontendit [5]. Sunt ergo et Ravennae saltem, et Parentii, et Pisauri indubia symoli de quo disputamus sexto saeculo adhibiti documenta et exempla.

id quod vel ubi de arcano solitarii piscis signo agitur,

3. stare non posse evincunt quae supersunt saec. vi monumenta Ravennae, Pisauri, Parentii ;

quibus accedit titulus Classensis.

ol. 1, p. 558. [Et quae paulo infra, p. ...] — (1) *Demonstrant.* Horum suggestuum delieationes exhibet Spretus, *De amplitudine et versione urbis Ravennae*, t. I, pag. 266, tab. 9, t p. 278, tab. 13. Primum suggestum Agnellus piscopus fecit, qui sedit annis seq. (V Bacchini d Agnelli *Vitas pont. rav.*, t. II, p. 130), alteum Adeodatus quidam *prim. strator. inl. p.* primicerius stratorum inlustris patricii) sedente Mariniano episcopo, indictione XV, quae notae n annum 597 unice conveniunt : siquidem Marinianus sedit ab anno 595 ad 604 (v. Bachini, l. c., p. 155 et seqq.), anno vero 597 fuit ndictio XV. — (2) *Constat.* Solam inscriptionem didit Mai, *Script. vet.*, t. V, p. 84, et recte vidit liter esse legendum ac fecerat Niger Parentii piscopus in folio quodam typis impresso, nullo oci et anni adscripto indicio, unde hujus monuenti notitiam Marinius excepit. Qua veriori nterpretatione tametsi Joannis II Romani Ponficis mentio ex hoc titulo prorsus evanescat, etatem tamen Euphrasii episcopi illis, quos dixi, annis definiendam esse alia monumenta testantur. Coletus quidem (*ad Ughell.*, VI, p. 396) et qui eum sequutus est Carlius (*Antichità Ital.*, IV, p. 270), Euphrasium exeunte saeculo octavo vixisse et musivum opus, quod Carlius edidit l. c., fieri curasse certo affirmant. Sed, praeterquam quod musivum hoc opus saeculi potius sexti quam octavi stilum videtur praeseferre, illud ipsum instrumentum, unde anno 796, Euphrasium vixisse Coletus et Carlius didicerant, errorem, quo docti viri decepti sunt, nobis demonstrat. Ejus enim chartae exemplaria duplici e fonte ad nos pervenisse, et illa quae Coletus unice adhibuit, vitiata, sincera vero in Parentinae ecclesiae tabulario adservari et anni 543 notas praeseferre e Nigri episcopi programmate discimus. (Cf. etiam *Novelle lett. di Firenze*, an. 1764, p. 489). — (3) *Est.* Vid. *Bullettino* dell' Istituto di corrisp. Archeol., an. 1851, p 203. — (4) *Videri.* V. Bullett. cit , an. 1852, p. 25. — (5) *Contendit.* Ciampini, *Vet. Monum.*, 2 edit., t. II, p. 79, tab. XXIV. Hic vero

4.
Obiter dicitur qua ratione,

Verum si pauca haec, quae opposui, monumenta conferantur cum illis non exiguo sane numero epitaphiis, picturis, sculpturis, gemmis ad quae certe respexit Oliverius, quaeque e suburbanis potissimum coemeteriis prodierunt et in dies prodeunt, quantum his illa distent, et quam diversa his atque illis natura sit facile perspiciemus. Quae enim recensui sexti saeculi monumenta, non modo ita multiplicatas apteque dispositas has piscium imagines exhibent, ut ornatus praesertim gratia effictas fuisse sit manifestum, sed et plures alias id genus imagines praeferunt, ut Ravennates praecipue suggestus quamdam quasi symbolorum quae in usu olim fuerant, collectionem complecti et exhibere videantur : et arcana haec signa cum manifestis christianae religionis insignibus, cruce potissimum miscent atque componunt. Illa contra longe numerosior monumentorum natio, quam prae oculis Oliverium habuisse monui, maximam partem ex epitaphiis constat, in quibus nullam fere ornatus cogitationem et curam, sed vel solitariam, vel cum uno alterove signo ita conjunctam piscis imaginem deprehendas, ut manifestum sit arcanum unice, qui his signis suberat, sensum in causa fuisse cur eadem epitaphii auctor, quasi christianae professionis tesseram, inscalpenda curaverit. Nec multo diversa earum id genus imaginum ratio est, quae parietibus appictae sunt, vel gemmis insculptae. In his enim, tametsi elegantiae quoque et ornatus rationem habitam fuisse non raro apparet, tamen ita vel singulares, vel ad summum geminatae illae imagines sunt, atque ita effictae ac dispositae, ut de arcano primum sensu, tum de ornatu et elegantia artificem cogitasse ipsa per se monumenta declarent. Porro arcanum hunc ejus symboli usum non modo sexto, sed et quinto jam ecclesiae saeculo, Romae praesertim obsolevisse, diligenti facta inquisitione didici : cujus inquisitionis rationem et modum quam brevissime potero explicabo.

In primaeva aetate ἰχθὺς fuerit christianae professionis tessera.

5.
Obsolevisse ante saec. V frequentem tesserae usum

Ab inscriptionibus, ut par erat, initium inquirendi feci, iisque potissimum, quae certam anni notam exhiberent. In his ellogia, titulos votorum, dedicationum, et, qui sacra omne genus monumenta spectant, universos seposui, quippe quibus symbola appingi vix raro consueverunt (de symbolis loquor, quae ipsis titulis ita conjuncta sunt, ut eorum pars quaedam esse videantur), piscis vero imago, quantum ad hanc diem noverim, omnino numquam. Sola ergo epitaphia restant, in quibus piscis imaginem et litteras IXΘYC adhibitas saepe fuisse plurimis exemplis constat. Epitaphia, quae certam anni notam praeferant, vix paucissima Constantini aetatem antecedunt, non quod titulos ante id tempus omnino paucos christiani confecerint, vel qui confecti fuerunt jamdiu perierint (ingenti porro numero et factos fuisse, et ad nostram usque aetatem saltim Romae durasse, iis quae hac de re adhuc dubitent me persuasurum plane spondeo), sed quod priscis illis saeculis temporis in epitaphiis adnotandi nulla ut plurimum christianis cura fuit. Contra postquam Constantini opera quae adversa pridem fuerant christianae ecclesiae tempora, secunda et prospera facta sunt, quemadmodum alii christianorum mores ac ritus, sic ipsa potissimum epigraphicae dictionis indoles, ac quasi natura mutari necessario coepit. Hinc adeo frequens adnotandi epitaphiis anni usus invaluit, ut christiana urbis tantum Romae epitaphia, quae certas annorum notas praeferant, quotquot sive integra, sive mutila in schedis meis descripta sunt, a Constantini aetate ad saeculum usque Ecclesiae sextum millenarium numerum jam excedant, et ad centesimum supra millesimum in dies propius accedant.

ostenditur 1° inscriptionibus certam anni notam praeferentibus,

quarum MC in Urbe inventae, quæ a IV ad VI saec. positae, nullum pisciculi signum exhibent.

non IXΘYC legit, sed IMDYC, quas litteras interpretari frustra tentavit. Sed hanc Ciampinii lectionem falsam esse jam docuerunt Gorius, *Diptych.*, III, p. 291. Ut mirari subeat Marinianum exemplum ap. Mai, l. c., p. 118, e Ciampinii apographo unice expressum, nec ullam Gorianae

In his, quae ad sextum Ecclesiae saeculum pertinent, habito quoque fragmentorum, quae ad hanc aetatem referenda videntur, censu, quintam totius numeri partem plane non attingunt; ita ut illarum, quas dixi, inscriptionum amplius quam octingentae quarti quintique saeculi terminis omnino contineantur et multo plures quarto quam quinto saeculo positae fuerint. Porro in tanto inscriptionum numero vix una exstat, quae piscis imaginem praeferat, titulus nempe anni 400, cujus fragmentum superest Urbini in aedibus municipalibus, integram Bosius vidit atque descripsit [1]. Atque haec ipsa hujuscemodi imaginem exhibet pluribus aliis partim raro usitatis, partim insuetis omnino, symbolis ita conjunctam, ut monumentum sui potius generis, quam unde communis aliqua lex et norma peti possit, esse videatur. Contra in exiguo vix triginta titulorum numero, quos ex ipsa anni designatione ante Constantinum scriptos fuisse constat, quosque christianis accensendos esse sive certa sive probabilia argumenta mihi suadent, unus item exstat anni 234 pisciculi symbolo insignis [2], cui anchorae quoque imago appicta est, illa nempe, quam cum piscis signo plerumque conjungi consuevisse inferius demonstrabo. Quod ergo symbolum in millenis et ultra a quarto ad sextum saeculum titulis vix semel, et in singularis generis monumento occurrit, idem in tricenis ex antiquiore aetate epitaphiis item semel, sed usitato prorsus more adhibitum deprehendimus.

6.
2° Titulis ad certam referendis aetatem : quae ut dignoscatur, discernere necesse est

Jam ultra pergamus, et titulos, quorum tametsi non annus, aetas tamen certis indiciis definiri potest eadem lege interrogemus. Aetas sive ex internis propriisque ipsi titulo indiciis, sive ex locorum aliisque id genus adjunctis dignosci unice potest. Illa longior investigatio, quippe quae in singulis monumentis instituenda est, haec compendiosior, quae plurima uno eodemque examine complectitur et expendit. Hanc itaque brevitatem sequens, primum aggredior. Experientia et ratio me docuit duplicem christianarum inscriptionum quasi nationem esse distinguendam; unam nempe illarum, quae in subterraneis coemeteriis, alteram earum, quae in sepulcris sub dio sive in basilicis earumque porticibus positae olim fuerunt. Quam distinctionem cum christianarum urbis Romae antiquitatum auctores fere semper neglexerint, nec monumentorum tempora satis ipsi discernere, nec a maximis erroribus sese expedire potuerunt. Coemeteria enim sub dio et in basilicarum exhedris, quin et in ipsis basilicis, inde a Constantini vel Constantii aetate, extra Urbis tamen moenia, fieri a christianis coepisse manifestis indiciis comperi : ita ut, quae ad hujuscemodi sepulcra pertinent monumenta, ea saeculi quarti initiis recentiora esse, pleraque eodem illo exeunte saeculo, et insequentibus aetatibus posita fuisse mihi certo constet. Sed quoniam id genus sepulcra et coemeteria, saeculo praesertim XVI quo pleraque urbis aedificia renovata sunt, maximam partem demolita fuerunt et plane disjecta, quaenam iisdem attribuenda epitaphia sint, quae contra subterraneis accensenda, difficilis et saepe ambigua judicatio est. Quare, ne infinitum hoc argumentum, quod accuratissimam tractationem exigit, modo aggrediar, liceat mihi expeditiorem viam inire; inscriptiones nempe omnes itemque fragmenta, quae in suburbanis basilicis earumque porticibus olim exstiterunt, vel adhuc exstant, sive inde effossa sunt, unico examine complecti : in his enim, tametsi tituli e subterraneis coemeteriis extracti aliqui certe sint, multo maximam tamen partem ad ipsa basilicarum exhedrarumque sepulcra

a subterraneis monumentis ea quae sub dio fuerunt.

Haec vero certe recentiora, neque pauca numero,

emendationis rationem habitam, vel mentionem factam fuisse. — (1) *Descripsit.* Bosio, *Roma sott.*, p. 302, unde Aringhius, t. II, p. 19, et 688, aliique, quos non est hujus loci recensere. — (2) *Insignis.* Bosio l. c., p. 564; unde Aringhius, II, 327, aliique.

pertinere et per se verisimile est, et industri investigatione, ac prope infinitis indiciis perspicue didici. Itaque Ostiensem primo Pauli apostoli basilicam adiri jubeo, qua nulla uspiam exstat veterum inscriptionum copia ditior. Titulos inde et fragmenta habui numero supra quingenta, exclusis illis, ingenti sane numero, quos in millenis et ultra certioris aetatis epitaphiis jam computavi, itemque illis, quorum subterraneam originem vel scriptorum testimonia, vel ipsa lapidum forma aliaque adjuncta utcumque mihi indicarunt. Piscis autem imaginem, vel ἰχθύος mentionem plane nullam in omni hac inscriptionum multitudine deprehendi. Quo item symbolo, ut brevissime dicam, omnino carent epitaphia omnia, quotquot ex aliis suburbanis basilicis sive aediculis prodierunt; si unum excipias sarcophagum e vaticanae basilicae fundamentis olim erutum [1], in quo sub ipso titulo boni pastoris effigies, et piscis et anchora sunt inscalpti. Atqui tanta hujus tituli simplicitas et elegantia est, ut olim Reinesio [2], et nuper Radulpho Rochettio christianis abjudicandus visus sit [3], quasi hi sarcophagum ethnico jam titulo insignem usurpaverint, nec titulum inde deleverint, sed tria illa christianae professionis symbola eidem appinxerint. Verum nec cum exemplis a christiana antiquitate petitis haec conjectura cohaeret, et ab ipso monumenti adspectu facile refellitur. Sarcophagum enim repperi in hortis campanis prope Lateranum; et litteras ac symbola eodem certe tempore, eademque facile manu incisa fuisse clare cognovi. Unicum ergo, quod in tota hac classe exstat, monumentum piscis imagine insigne tanta summae antiquitatis praefert indicia, ut de ejus christianitate, tametsi injuria, vehementer tamen doctissimi viri dubitaverint; quamobrem in primaevo potius Vaticani montis olim coemeterio, quam in Constantiniana demum basilica positum fuisse verisimile videatur.

excepto vix uno titulo, nullum piscis vestigium habent;

7.

dum clare idem conspicitur in 75 epitaphiis subterraneis,

Contra omnis epitaphiorum copia, quae piscis vel ἰχθύος notis praedita sunt, e subterraneis coemeteriis nobis provenit: constat enim tabellis et titulis numero quinque et septuaginta [4], quorum quatuor et sexaginta indidem effossos fuisse certo scio, quae restant paucissimae ignotae pleraeque originis inscriptiones, ex iisdem illis hypogaeis, vix una aut altera excepta, verisimillimum est prodiisse. Subterranea haec coemeteria subdialibus origine multo antiquiora esse et ratio ipsa et historia ac monumenta docent: eorum autem usus quamdiu duraverit, et quamdiu nova in iisdem sepulcra et epitaphia posita fuerint, neminem adhuc, ut aperte dicam, vere definisse judico. Ad sextum enim, quin et septimum, Ecclesiae saeculum horum coemeteriorum aetatem prorogant [5]: qua in re insigniter omnes errasse, quod nonnullas temporum notas epitaphiis inscriptas perperam intellexerint, ac maxime duplicem illam, quam indicavi, inscriptionum quasi nationem in unum male confuderint atque miscuerint, mea quidem eaque firmissima persuasio est; sed, quoniam persuasionis meae rationes nondum publice exposui, eadem utendum heic mihi non esse lubens agnosco. His itaque titulis, quos piscis et ἰχθύος notis insignes ad subterranea unice coemeteria pertinere demonstravi, non aliam e locorum, unde prodierunt, historia praerogativam interim arrogo, quam ut ad antiquissimam christianae Ecclesiae aetatem possint referri; utrum vero debeant ex propriis unicuique titulo indiciis, sive interna illa sint sive externa, erit judicandum.

quae ad antiquissimam Ecclesiae aetatem sunt tuto referenda.

(1) *Erutum.* Aringh., I, p. 321.—(2) *Reinesio.* In *Insc. ant.*, Cl. XV, n. 8. Cf. Bottari, R. S., t. I, p. 140.—(3) *Sit.* Raoul Rochette, *Mém. de l'Acad. des inscrip.*, t. XIII, p. 107, 108. Cf. l. c., p. 224.—(4) *Septuaginta.* Vide harum inscriptionum indicem ad calcem hujus commentarii.—(5) *Prorogant.* Cf. Settele (*Atti dell' Acad. pontif. d'arch.*, t. II, p. 39 et seq.) qui omnium ad hanc diem accuratissime de hoc argumento disseruit.

8.
3° Inscriptionibus quarum aetas proprio et singulari judicio definienda est.

Ipse ergo disputationis cursus eo me deduxit, ut ad alteram, quam posui, certe aetatis inscriptionum classem accedam, earum nempe, quarum aetas proprio et singulari judicio definienda est. Quod quoniam infinitum esse argumentum nemo non intelligit, et meris affirmationibus longas ambages amputare necessario jam coepi, heic praesertim hac venia utendum mihi esse, et Tu ipse, vir clarissime, et alii, si modo aequo animo mecum agere volent, non inviti, opinor, concedent. Hoc itaque primum affirmo nullam prorsus ex illo inscriptionum numero, quas sive certa, sive valde probabilia argumenta et indicia mihi persuadent sexto aut quinto, vel *exeunte etiam quarto saeculo* scriptas fuisse, piscis imagine vel litteris ΙΧΘΥϹ nobilitari. Illac contra, quae his signis praeditae sunt, et sequioris aetatis notam plane nullam praeseferunt, et multa summae antiquitatis exhibent indicia, quae singillatim recensere pergo. Harum inscriptionum septem, quo proprie loco in subterraneis coemeteriis fuerint, ergo ipse vidi (v. nn. 1, 21, 22, 23, 24, 71, 75) : erant porro iis locis positae, quibus et aliarum inscriptionum, et picturarum indoles ac stilus, ac ipsi ibidem reperti nummi aetatem asserunt constantinianeo saeculo, meo certe judicio, anteriorem. In caeteris, quarum topographiam (unde potissimum hujuscemodi monumentorum tempora licet dignoscere) cogor ignorare, alia tamen suppetunt argumenta, quibus aliquod de aetate judicium ferri possit. Una enim (n. 52) e numerosa quadam inscriptionum coemeterii S. Agnetis familia est, cujus aetatem saeculo saltem tertio, fortasse etiam secundo, definiendam esse indubiis argumentis comperi. Quinis (nn. 9, 20, 23, 46, 58) praefixae sunt singulares litterae D M, ethnica scilicet dis Manibus dedicatio; quam rarissime partim oscitantia, partim aliis de causis, christianis adhibitam epitaphiis fuisse satis constat : hanc porro ethnicae superstitionis notam, aetatem indicare, qua illa ipsa superstitio adhuc vigebat verisimilis opinio est [1], quam monumenta rite expensa perspicue confirmant. Nulla enim ex infinita illarum inscriptionum copia, quas saeculi quarti initiis recentiores esse sive certa anni designatione, sive aliis aetatis indiciis jam docui, singulares has litteras exhibet; ita ut perspicuum antiquioris certe aetatis sit argumentum in mediocri vix trium et sexaginta titulorum numero (tabellas enim, quae litteris carent sepono) haec quinquies repetita dis Manibus dedicatio, cujus nec unum in tanta, quam dixi, multitudine, exstat exemplum. Demum sive litterarum formas, sive nominum rationem, sive dictionis stilum ac formulas in his epitaphiis perpendo, eamdem semper cum antiquioribus titulis similitudinem ac quasi cognationem clare perspicio. Scriptura enim in illis, quos ipsemet vidi, titulis vel optima est, et qualis ante saeculum ferme quartum adhiberi consuevit, vel si mala aut pessima, non ejus tamen formae, quae posteriorem quarto saeculo aetatem, sed quae artificis imperitiam, quales christiani saepe fuerunt, unice prodat. Nominum ratio et dictionis simplicitas ac munditieś tantam pluribus ex hoc numero titulis antiquitatis speciem induunt, ut altiori indagine et attento examine opus sit, ne pro ethnicis, quod iisdem interdum evenit, habeantur (v. nn. 21, 26, 33, 49, 51, 52, 58, 62, 63). Illi vero, quorum christiana natio non a meris tantum symbolis, et sepulcro cui adhaerent, sed ab ipsa quoque dictione et formulis christianorum propriis indicatur, ab dictione et stilo, quae medio saeculo quarto jam obtinuerat, mirum quantum abhorrent. Neque enim ampullae solum et grandia verba, et vix non omne laudum genus, his

Ibidem rursus a saec. IV piscis non comparet;

dum frequens in caeteris, quarum antiquitas deprehenditur e siglis D M.;

e litteris et dictione;

e nominum ratione;

(1) *Vid.* Cavedoni, *Ragguaglio storico archeologico di due antichi cemeteri cristiani di Chiusi*, p. 83 et seqq. (Estratto dal tomo XIV ser. 3, delle *Mem. di Rel.* et *di Modena*).

titulis abest, sed si quando plenior aliqua dictio occurrit, haec illis proprie formulis constat, quas in vetustissimis unice epitaphiis repperiri, et medio jam saeculo quarto obsolevisse, universa christianorum urbis Romae inscriptionum collectio aperte declarat : sunt hac porro dictiones : *Longine dulcis bibes* (n. 61) — *ispiritus tuus in bono* (n. 23) — *celi tibi patent bibes in pace* (n. 19) — πιστὸς ἐκ πιστῶν (n. 19); itemque illae quibus Postumii Euthenionis titulus (n. 8) contextus est, qui caeterorum quidem breviloquentiam non imitatur, et est paullo loquacior, antiqua tamen et concinna, et facile dixerim eleganti loquacitate. Cujus tituli aetatem si quis velit parumper deprimere et ipsi Constantino aequalem vel proxime supparem opinari, non ego valde repugnabo. Littera enim N novo prorsus exemplo acrostichidi litterarum ΙΧΘΥC subjecta, ut sensus sit Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτὴρ νικᾷ ad formulam videtur alludere, quae post Constantini de Maxentio, atque adeo christianae religionis de ethnica superstitione, triumphum passim coepit frequentari. Graecorum epigrammatum (nn. 3, 26, 60,) dictionem et stilum expendere praetermitto; haec enim (quorum unum (n. 3) ex ipso loco, quo repertum fuit, antiquissimum esse demonstravi) si cum graecis christianorum epitaphiis exeunte quarto et vertente quinto saeculo in Urbe positis conferantur, ad altiorem antiquitatem referenda esse nemo, puto, negabit. Nec de latino epigrammate (n. 7) aliter judicandum opinor, eam enim scripturae elegantiam praefert, quam in quinti, imo et in exeuntis quarti saeculi titulis frustra quaesiveris : nec si Virgiliana imitatio, sive, ut verius dicam, Virgilianus cento pacata et tranquilla christianis tempora prodere videtur, de Theodosii demum et aetate erit cogitandum : id genus carmina Constantino vel Constantio imperantibus christianos conficere consuevisse, quin et ante id tempus, multo certe rarius, aliquando tamen iisdem delectatos illos fuisse et aliis et mihi monumenta ipsa jamdiu persuaserunt [1].

e formulis κατάθεσις, depositio, depositus;

Hoc demum notatione dignissimum ipsas illas voces *depositio*, *depositus* κατάθεσις, quae saeculis quidem quarto et quinto sollemnes christianis epitaphiis fuerunt, non novae tamen, sed anteriori quoque aetati satis notae, in omni hoc, de quo loquor, epitaphiorum numero adeo raras esse, ut vix bis occurrant: occurrunt vero in titulis qui omnium ex eo numero videntur recentissimi, in eo nempe, quem dixi anno 403 scriptum fuisse, itemque altero, qui formulam exhibet Ἰχθὺς νικᾷ : ita ut duo haec epitaphia, quae sola caeteris paullo recentiora visa sunt, a caeterorum item dictione et indole sunt manifesto diversa. In reliquis enim mors non *depositio* indicatur, eaque vocibus *decessit, recessit,* ἀπέθανεν, quas priscis praesertim saeculis adhiberi a christianis consuevisse, quae supersunt certi anni epitaphia demonstrant. Quacumque ergo ex parte hos ἰχθύος nota insignes titulos versem, perspicua undique in iisdem multae antiquitatis indicia deprehendo.

e monogrammate Christi.

Unum tamen, ut verum fatear, non adeo antiqui temporis argumentum in undecim ex his epitaphiis agnosco (nn. 2, 4, 27, 29, 31, 36, 37, 44, 47, 48, 64), Christi scilicet quod appellant monogramma ☧. Quidquid enim plurimi, iique doctissimi viri, hac de re scripserint, ego certe nullum adhuc repperire potui *christianum* monumentum, quod vel mediocri mihi se fide probaverit, quodque monogramma ☧ ante Constantinum incisum a christianis pictumve fuisse indubie demonstraverit. Attamen non is ego sum, qui hujuscemodi monogramma ante id tempus vel nondum a christianis excogitatum, vel ne eorum monumentis nec semel incideretur lege aut more cautum putem fuisse : quare nonnulla hoc Christi signo

(1) *Persuaserunt.* V. Sarti, app. ad *Crypt. Vat.*, p. 52.

nobilitata monumenta ante annum 312, quo Constantinus ejus signi ductu auspicioque victoriam adeptus est, facta fuisse, nec negare profecto possum, et si paullo certiora suppeterent argumenta ultro ipse affirmarem. Interim, dum haec argumenta desidero, et conjecturis transigenda quaestio est, hoc unice statuo, quod monumenta ipsa aperte me docuerunt, ejus monogrammatis usum secundo et ineunte tertio Ecclesiae saeculo, vel nullum plane fuisse vel certe rarissimum, exeunte vero tertio et ineunte quarto facile aliquem, fortasse etiam non infrequentem, pervulgatissimum demum ac plane sollemnem inde ab anno constantinianae victoriae 312. Itaque undecim illos titulos, in quorum gratiam haec indicavi, ipsi saeculo quarto antiquiores, vel ejus saeculi initiis aequales esse posse negare non ausim; caeterum dubitatio mea hoc tantum efficiet, ut qui cautissimi esse volent, ultra annum 312 illorum interim aetatem attollere non praesumant.

9.
Inde concluditur a sacc. IV paulatim tesserae usum in titulis christianis tam in Urbe

Age nunc, colligamus quae ex tota hac indagine coepimus de proposita quaestione indicia et argumenta. Inscriptiones, quas post Constantini demum aetatem factas fuisse sive certa anni nota, sive loci, quo positae olim fuerunt, indicio, sive alio quopiam argumento certo constat, quin et illas, quas ad exeuntis quarti, quintique saeculi tempora referendas esse prŏbabĭlis aliqua ratio suadet, praeter unam (ad summum duas, v. n. 2) omnes ἰχθύος symbolo prorsus carere vidimus: illam vero, quae ex tota hac multitudine sola piscis imaginem exhibet, inscriptionem nempe anni CD, in ipso hujuscemodi symbolorum ornatu sui ipsius duntaxat similem, reliquis omnibus plane dissimilem agnovimus. Quod argumento certe est, hujus signi usum per ea tempora jam desuevisse. Neque enim paucae numero inscriptiones in illum censum veniunt, sed ut modestissime judicem mille fere et nongentae, in quibus palmae, coronae, aviculae, oves, monogrammata, cruces aliaque id genus signa, haec saepius illa rarius offendas; unde quaenam illa aetate fuerint usitata et sollemnia christianis epitaphiis symbola facillime liceat addiscere. Nec epitaphiis solum, sed et aliis certe monumentis: quae enim palmae, aviculae, oves, ac praesertim monogrammata, et cruces in ejus aetatis epitaphiis saepe occurrunt, eadem et titulis dedicationum, votorum, aediumque sacrarum, quos ab initio omnes seposui, inscalptae pariter sunt; piscis contra imago his atque illis pariter abest. Contra si a quarti saeculi titulis ad antiquiores inscriptiones adscendimus; si a basilicarum exhedrarumque sepulcris ad subterranea monumenta descendimus, piscium statim imagines et litterae ΙΧΘΥC nobis ultro se offerunt. Tituli vero, qui his signis nobilitantur, tot multae antiquitatis notas exhibent, ut pauci, qui omnium recentissimi visi sunt, saeculo tamen quarto dimidiato, nullo nec levi indicio posteriores prodantur. Sive ergo quae hoc symbolo carent, sive quae eodem nobilitantur, inscriptiones spectes, in eamdem utraeque demonstrationem conspirant; vulgarem scilicet sollemnemque ejus symboli usum ad ea tempora pertinuisse, quibus christiani se, suaque sacra arcano silentio et tenebris obtegere coacti sunt, eosdem postquam lucem atque hominum adspectum fugere desierunt, et monumenta quoque sua coeperunt in propatulo habere, ab arcani illius signi consuetudine brevi desuevisse; ita ut in titulis exeunte quarto et currente quinto Ecclesiae saeculo Romae positis piscis imago vix semel occurrat.

quam in provinciis desiisse;

Nec si christianas inscriptiones, quae in provinciis factae fuerunt, expendero, argumentationi meae ponderis quidquam decedet. In his enim vix ullus ejus, de quo loquor, signi usus apparet, ita ut in universa illa christianarum inscriptionum copia, quam extra suburbani soli fines reliquus orbis mihi suppeditavit, titu-

10. Cum romanis enim titulis consentiunt siculi duo,

los vix tres litteris ΙΧΘΥC, itemque tres, ad summum quatuor, piscis imagine nobilitatos offenderim : sunt porro, praeter Ravennatem apud Spretum, l. c. t. I, p. 224, n. 107, de cujus christianitate magna quaestio est, siculi duo, alter Catanensis [1], ex Acrarum ruinis alter [2], Niciensis unus [3], Thessalonicensis unus [4], et Tuum illud insigne Augustodunense epigramma [5], quod tantum caeteris omnibus supereminet, *quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

et alii quatuor, Ravennas,

Si qui praeterea sunt, quos alii noverint, me vero lateant, aut diligentiam meam utcumque fugerint (quod in tanta monumentorum copia, et regionum, cum quibus rara nobis commercia sunt, varietate facillime evenire posse quivis intelligit), hos, si tamen ulli sunt, certe esse paucissimos, ex ingenti illarum inscriptionum numero, quas prae oculis habeo, et in quibus vix haec quae indicavi, ἰχθύος exstant vestigia, clare perspicio. Atqui haec ipsa ejus symboli in universis extra urbem Romam inscriptionibus raritas, inde a quarto exeunte saeculo illud paene obsolevisse satis demonstrat. Titulorum enim, qui a christianis extra Urbem facti sunt, quotquot supersunt, et adhuc innotuerunt, longe maxima pars exeuntis saeculi quarti aetatem vix attingit; qui ad ipsa Constantini tempora pertingant, ac potissimum qui illa superent, non multos certe esse, si quis paullo attentius inspexerit statim perspiciet. Plurimi siquidem certas annorum notas praeferunt, plerique certa item et manifesta sequioris, vel saltem Theodosiani ferme ævi indicia. Ex his sola Niciensis inscriptio anni 474 piscis imaginem exhibet monogrammati ☧ suppositam, si tamen Joffredo fides, in cujus unice apographo hæc imago apparet, quam alii neglexerunt. Cujus equidem fidei nulla ratio est cur heic vel leviter derogatum velim : sed quoniam unicum hoc est epitaphii exeunte quinto saeculo positi, appicta piscis imagine, exemplum, cautionem adhibendam esse, et ne aliquis exscriptoris error, vel negligentia subsit circumspiciendum, nemo prudens negaverit. Quare dolendum lapidem ipsum jamdiu periisse, et neque illud constare nobis posse utrum ipsi epitaphio aequalia, an antiquiori aetate lapidi incisa illa signa fuerint : inde enim a saeculo quinto avulsa ex antiquioribus sepulcris marmora, novis sepulcris aptata fuisse, et priori deleto titulo novum superinductum infinita prope exempla testantur.

Niciensis,

Thessalonicensis

Quae restant quatuor eodem hoc Symbolo nobilitata epitaphia, sicula nempe duo, Thessalonicense unum, et civium item Tuorum unum, ea graeca sunt, et partim manifesto antiquissima, partim incertæ adhuc aetatis, sed quae saeculi ad summum quinti fines excedere eruditorum nemo judicaverit. Augustodunense enim Tuum, qui recentissimum esse volunt saeculo tertio assignant [6]. Thessalonicense quinto saltem saeculo anterius esse Radulphus Rochettius opinatur [7], neque ego repugnabo; tametsi illa palaeographiae ratio, quantum equidem graeca ejus regionis monumenta noverim, recentiorem potius quam antiquiorem

et Augustodunensis.

(1) *Catanensis.* V. De Amico, *Catania illustrata*, t. III, p. 276; fragmentum est in haec verba :

. . . τΕΚΝΟϹϹΟΦΗνου?
συν τοιϹ ΜΑΚΑΡΙΟΙϹ
. . . . ΚΡΙϹΙΝΚΑΙ . . .
. . . . . . ΗΝ *Piscis.*

— (2) *Alter.* V. Judica, *Antichità di Acre*, tab. III, n. 19; Thiersch, *Jahres Berichte der Königl. Bayerisch. Akad.*, t. I, p. 21 et seqq. Raoul Rochette, *Mém. de l'Acad. des inscript.*, p. 226 et seqq. — (3) *Unus.* V. Mabillon, *De Cultu SS. ignot.*, 2 edit., § VI; ex Petri Joffredi, *Nicia illustrata.* (Unde Mur. 411, 5, Georg. ad Baron, an. 474, t. VIII, p. 321) et Gazzera, *Iscr. crist. del Piemonte*, p. 28. — (4) *Unus.* V. Paciaudi, *Monum. Pelopon.*, t. I, p. 225. — (5) *Epigramma.* Vide *Spicil. Solesm.*, t. I, p. 555. — (6) *Assignant.* V. Lenormant, l. c., p. 18 et seqq. — (7) *Opinatur.* Vide *Mém. de l'Acad. des inscrip.*, l. c., p. 194.

medio saeculo quarto aetatem sapere mihi videatur: e Siculis demum titulis alterum sic philologi interpretati sunt, ut quarto vel quinto saeculo factum videantur existimasse [1], alter, licet adeo mutilus, et ita typis editus sit, ut nullum fere de ejus aetate judicium ferri possit, nec ullam tamen paullo recentioris aevi notam praesefert. Itaque, sive hujus signi in exteris inscriptionibus raritatem reputo, sive sex illa epitaphia, quae eodem notata sunt, perpendo, vertente demum quinto saeculo rarissime, et fortasse numquam in hujuscemodi monumentis adhibitum illud fuisse facile agnosco.

11
4° Confirmatur idem

Jam relictis inscriptionibus, sculpturas, picturas, gemmarum et annulorum sigilla aliaque id genus minuta opuscula examinemus. Sed quoniam temporum ratio ab inscriptionibus potissimum petenda est, quas idcirco diligentius excussi, in his artium monumentis multo brevius, et vix, quantum satis est, immorabor. Atque illud statim moneo, quod in ipso commentarii mei limine aperte praedixi, me de arcana solitarii piscis imagine unice exquirere; quare, si piscationes, si pisces conviviis appositos, aliasque id genus *allegorias*, ac multo magis sacras, quae ἰχθύος *mysterium* respiciunt e divinis libris historias in his artium monumentis non raro effictas [2] heic silentio praetereo, cur id faciam jam initio satis me declarasse existimo. De gemmarum et annulorum sigillis, aliisque id genus minutis opusculis exponere primum aggredior, quippe quibus litterae, brevesque tituli incisi sæpe sunt, itaque nonnullam cum inscriptionibus, habent cognationem.

gemmis et annulis;

De gemmis et sigillis, ἰχθύος notis nobilitata quot exstent, et unde prodierint difficillimum est dicere; hujuscemodi enim monumenta exiguitate sua latent, et facillime asportantur; quin et infinitae in hoc genere recentiorum fraudes fuerunt, et in dies sunt, ut vix oculis fidere tuto possimus. Sic in illis quae Costadonius protulit [3], nonnulla manifesto falsa sunt, et recenti artificio conficta; et non pauca ipse Romae vidi, quae non majorem fidem viderentur plane mereri. Tamen triginta circiter annulos annulorumque gemmas certe novi, quibus cur diffidam nulla ratio est, immo quorum longe maxima pars indubia sincerae antiquitatis praefert argumenta [4]. In his solae piscium et anchorae imagines sunt inscalptae, adscriptis saepe litteris ΙΧΘΥϹ, addito interdum nomine ΙΗϹΟΥϹ, vel ΧΡΕΙϹΤΟϹ, et monogrammate ☧, nonnumquam litterae ΙΧΘΥϹ cum boni pastoris, navis, columbae, iisdem fere quae jam Clemens olim Alexandrinus christianorum inscalpendis annulis monuerat [5], imaginibus conjunguntur. Si, quam his gemmis annulisque aetatem definiam a me quaeris, fatebor equidem multo difficiliorem in his quam in reliquis monumentis hujusmodi judicationem mihi videri. Exigua enim opuscula sunt, quorum nec locum, unde prodierint, plerumque novimus, nec litterae saepe et imagines certam aliquam et conspicuam formam exhibent, unde de stilo et aetate satis certum indicium capi facile possit. Cæterum vel in re adeo ambigua, non levia tamen argumenta sunt, quibus probabilem aliquam de aetate conjecturam facere possint. Artificium enim his plerumque gemmis annulisque multo elegantius est, quam ut saeculis sexto vel septimo factos fuisse ve-

(1) *Existimasse*. Judica l. c. nonnullas ejus epitaphii notas ita fuerat interpretatus quasi annum significarent 1010; sed idem inscriptionem multo vetustiorem esse, et vel saeculo facile quarto antiquiorem ultro fatetur (v. p. 20). Cf. Cardinali, *Eff. lett. di Roma*, t. XIII, p. 47. — (2) *Effictas*. De his vid. praesertim Polidori, *Il pesce considerato come simbolo cristiano* in Ephem. Mediol. l'*Amico cattolico*, t. I, p. 241; t. IV, p. 121; t. VI, p. 249, 409. — (3) *Protulit*. *Dissertazione sopra il pesce come simbolo di G. C.*, in Calogerà opuscoli, serie prima, t. XII, p. 246 et seqq. — (4) *Argumenta*. Vide horum sigillorum indicem ad calcem hujus commentarii, post indicem inscriptionum. — (5) *Monuerat*. In Paedag., l. III, *Opp.* t. I, p. 172. Pott.

risimile possit videri : et quae supersunt ex sequiori hac aetate, plumbea magnam partem sigilla (quae praefixa crucis imagine aliisque ex indiciis non difficile dignoscuntur) ea pisces, anchoras, naves, pastores, litteras ἰχθύος quantum ego noverim nec semel [1] exhibent, contra nuda crucis imago, quae in sigillis inde a saeculo ferme quarto coepit adhiberi [2] in his, quae ἰχθύος nota signata sunt, nuspiam apparet. Nec S. Arnulphi septimo ineunte saeculo Metensis episcopi annulum, quem Tu ipse mihi ostendisti, aliaque, si quae sunt, id genus monumenta mihi patiar opponi : antiquis enim gemmis medii aevi homines passim usos fuisse res est exploratissima [3]. Quamquam ejus, quem mihi indicasti, annuli imaginem, de ipso potius evangelio, de parabola nempe *sagenae missae in mare*, quam de veteri arcano symbolo potuit artifex exprimere; quare vel si saeculo septimo incisam fuisse concesserim, nullum inde reliquis, quae recensui, sigillis, sequioris aetatis praejudicium jure potest inferri. Caeterum non modo quae certo novimus sequioris aevi sigilla a gemmis annulisque, in quorum aetatem nunc inquiro, dissimillima sunt, sed nec pauca illa minutioris operis instrumenta, quae saeculis quarto et quinto facta fuisse indubiis argumentis constat, his piscium, anchorarum, et notae ΙΧΘΥC signis nobilitantur. Neque enim tale quidpiam visum umquam est in annullis, encolpiis, amuletis, quae in ejus aevi sepulcris interdum repperiri contigit, et hodiedum contingit; nec in opulentissimo Mariae Honorii Augusti filiae mundo muliebri, qui in ejus sepulcro conditus olim fuerat [4], nec in omni argentea Eusebiorum supellectile, quae superiore saeculo Aquilejae defossa est [5]; sed monogrammata, cruces, sacrae ex utroque foedere historiae minuta id genus opuscula exornant. Praeterea tesseras ex pretiosa saepe materia, in piscis formam effictas sive ejusdem imagine notatas in christianis sepulcris interdum repperiri satis notum est [6]; has porro in subdialibus coemeteriis numquam adhuc visas, sed e subterraneis omnes prodiisse, diligenti facta inquisitione, certo cognovi. Demum lucernae veterum christianorum multae in Romanis praesertim musaeis adservantur; harum aliae aeneae sunt, aliae fictiles; aeneae non monogrammata modo, sed et cruces saepe exhibent, et pleraeque saeculo quarto anteriores certe non videntur, easque in subterraneis coemeteriis repperiri vix umquam contigit; fictiles contra in hypogaeis paene infinitae, inque his plurimas esse quarto saeculo antiquiores nemo unus umquam dubitavit. Aeneae porro lucernae piscem numquam exhibent, fictiles contra non raro, quin et unam in Vaticano musaeo id genus lucernam vidi in ipsam piscis formam confictam. De reli-

5° encolpiis, amuletis, etc.;

6° lucernis;

(1) *Semel.* Boni quidem pastoris imago media inter litteras A, Ω, occurrit in plumbeo Stoschiani musaei sigillo, inscriptis litteris DEVS-DEDIT PAPE, quod Gorius edidit in praefat. ad *Inscript. Dorii*, p. 22, et ejus nominis Romano pontifici fidenter attribuit. Sed praeter quam quod dubitari posset an antiquioris alicujus episcopi Deus-dedit, potius quam Romani pontificis sigillum sit, fateor me tam singulari monumento, eidemque ineunte saeculo XVII in Stoschianum musaeum inlato, donec meis oculis viderim, fidem vix ullam adhibere.—(2) *Adhiberi.* Vide sigillum apud Passeri *Gemm. astrif.*, t. III, p. 239, n. 250, quod a nemine intellectum sic, pro summa qua erat in his litteris sagacitate, interpretatus est Marinius (*Iscr. figul.*, ms. Vat., p. 448) : *Instei Tertulli V. C. et Statiliae Aemilianae C. J.* De Insteiis disseruerunt idem Marinius (*Arv.*, p. 656), Labusius (*Epigrafe antica* scoperta in Padoua, Milano, 1819, p. 15), et Fea (*Frammenti de' Fasti consolari*, p. 63); de hoc vero M. Insteio Tertullo V. C. ne verbum quidem. Illum ipsum esse qui Urbi praefuit anno 360 suspicatus saepe sum : sed multa huic conjecturae adversantur, de quibus non est hic dicendi locus. Caeterum ante saeculum quintum vixisse, vetus nominum ratio satis indicat. — (3) *Exploratissima.* V. Bethmann, *Bull.* dell' Ist. di corresp. arch., an. 1853, p. 149. — (4) *Fuerat.* V. Cancellieri, *De secret. Basil. Vat.*, p. 1000 et seqq.; et Marini, *Papiri diplom.*, p. 245. — (5) *Est.* V. Cortenovis, *Dissert. supra un' iscrizione d'Aquileja*, coni disegni d'alcune altre antichità, Bassano, 1792. — (6) *Est.* V. Bold., p. 516, et Costadoni, l. c., p. 279 et seqq. et Lupi, *Opp. Post.*, t. I, p. 83.

qua sacri instrumenti supellectile nihil opus est dicere; sive enim omne vasorum genus, quod ex toto hoc instrumento ad nos pervenit, sive, quotquot adhuc exstant, diptycha inspicias, nullum arcani ἰχθύος vestigium in his deprehendes. Nec mirum, siquidem, vitrea vasa si excipias [1], alia vix ulla sunt, quae ante saeculum quintum facta existimemus, nec sacra quae supersunt ad hanc aetatem certe pertingunt. Quod ergo epitaphia jam demonstraverant exeunte saeculo quarto ἰχθύος usum vix ullum Romae fuisse, nec multo serius in provinciis desuevisse, hoc omnis sive domestici sive sacri instrumenti supellex apertissime confirmat.

12.
7° sculpturis quae in sarcophagis et sepulcrorum cubiculis exstant;

Jam de sculpturis et picturis dicere aggredior. Harum duplex genus est, aliae enim in sarcophagis et sepulcrorum cubiculis exstant, aliae ad sacrarum aedium ornatum, et monumenta pertinent. Sarcophagi christiani argumenti anaglyphis insignes saeculo quarto anteriores vix ulli sunt; pauci, quibus haec antiquitatis praerogativa vere competit, pastorum, ovium, aliarumque id genus fere imaginum ornatu unice gaudent. Atqui in magno sarcophagorum numero, quos saeculis quarto, quinto, et sexto sculptos fuisse harum rerum peritissimi quique consentiunt, et utriusque foederis historias ac symbola exhibent, nullum adhuc me vidisse memini, qui solitarias piscium imagines, quasi arcana signa praeferret: quin immo unicus omnino sarcophagus, in quo hujuscemodi imaginem ad hanc diem offenderim, ille ipse est, quem ab una tituli dictione quasi antiquissimum jam supra laudavi, cui et ipsum sculpturae genus hanc antiquitatis laudem confirmat; habet enim non exstanti anaglypho exsculptas, sed in ipsa tituli tabella, nec ineleganti certe artificio inscalptas imagines boni pastoris, anchorae, et piscis, reliquas hinc inde arcae partes simplex spirarum ornatus occupat; a qua sculpturae et ornatus simplicitate christiani quarti saeculi sarcophagi longe distant. Hunc unum, inquam, sarcophagum arcano solitarii piscis symbolo insignem me vidisse memini, neque enim non dico hippocampos, aliaque id genus monstra, sed nec delphinos mari innatantes, quos in sarcophagorum operculis ad tituli latera passim insculptos fuisse omnes norunt, de christiani ἰχθύος significatione tuto ac promiscue interpretandos esse censeo. Has quippe imagines non christianorum proprias, sed ab ethnicis primum artificibus ornandis sarcophagis inventas adhibitasque, tam quod ab omni impietate ac superstitione purae essent (neque enim, quae illis significari dicitur, animarum ad beatorum insulas transvectio impietatem vel superstitionem omnino sapere censenda est), fortasse etiam, quod ad christianum ἰχθὺν possent referri, a christianis ita receptas fuisse plurima exempla demonstrant, ut hujuscemodi operculis, quae ethnici insculpserant, multo saepius uti, quam eadem ipsi imitari consueverint. Caeterum, si hoc quoque sculpturarum genus arcani ἰχθύος argumentum omnino pertinere verisimilius videbitur, hujus symboli antiquitas hac ipsa ex parte mire elucebit. Licet enim perspicuum plerumque sit christianos titulos his sive operculis, sive sarcophagis

(1) *Excipias.* In vitreis vasibus, quorum multa antiquitas in comperto est, solitarios quidem pisces adhibitos numquam offendi, sed Tobiae historiam in iisdem plus semel occurrere (v. Buonarotti, *Vetri*, p. 16; Bold., p. 199), omnes norunt, et vitreum quoddam vasculum musaei Victorii a christiano artifice factum, in quo piscatores et pisciculi paene infiniti conspicui erant, describit Ruggerius in epistola ad Costadonium edita in *Gior. Arcad.*, t. 92, p. 241. Quam item piscationem, sed ad evangelicae narrationis fidem expressam insigne quoddam, ut obiter innuam, monumentum exhibet, aenea scilicet trulla manubriata, quam Jos. Marchius V. C. musaeo Kircheriano acquisivit, et in baptismatis usum factam judicat. Tobiae vero piscem e flumine extrahentis historiam multo pleniorem quam ad hanc diem in subterraneis coemeteriis repperiri contigerat, nuper exhibuit pictura quaedam coemeterii S. Saturnini via Salaria, antiquissimae utrumque aetatis monumentum nec saeculo certe quarto recentius.

multo postquam facta illa jam fuerant incisas fuisse, tamen qui certam temporis notam praebent, sunt annorum 238, 345, 353, 355 [1]; reliqui omnes dictionis et scripturae indiciis parem his aetatem praeferunt; ac demum christianus quidam sculptor, quem id genus marmoreas arcas insculpere consuevisse appictae ejus epitaphio imagines indicant [2], Constantiniana ad summum aetate recentior nequit haberi; tot sunt in eo, quod dixi epitaphio, multa antiquitatis indicia et argumenta. Sarcophagi itaque in eamdem cum inscriptionibus, et tota domestici ac sacri instrumenti supellectile de proposita quaestione demonstrationem aperte conspirant.

13.
8° picturis quæ unice supersunt in sepulcris subterraneis;

Quod ad sepulcrorum picturas pertinet, hae in subterraneis unice coemeteriis supersunt; si quae enim fuerunt in basilicarum exhedris ornata picturis sepulcra, ea cum aedificiis ipsis jamdiu interierunt. In subterraneis vero cubiculis delphinos in camerarum praesertim angulis depictos, apteque dispositos fuisse magnum Bosii volumen ostendit : sed et hippocampos, monstrosaque id genus animalia pariter adhibita plus semel vidi, quae ornatus unice gratia efficta fuisse nemo negaverit, quin et ipsum delphinum non anchorae sed tridenti implicatum (v. tab. II, n. 5), quae ethnicarum picturarum manifesta imitatio est [3]; quare penitiorem in delphinis illis sensum quaerendum non esse, sed de mero ornatu, et elegantia heic quoque cogitandum valde suspicor. Caeterum antiquissimam his picturis aetatem quarti nempe saeculi initiis partim anteriorem, partim ferme aequalem earum stilus, aliaque indicia invictis plane argumentis asserunt. Verum, quod nec Bosius, nec alii adhuc viderunt, his proximis demum annis repertum feliciter est, pretiosissimum nempe picturarum genus, in quo arcana piscis imago saepius ita exhibetur, ut et nullam cum delphinis illis, qui elegantiae et ornatus potissimum gratia pingi consueverunt, similitudinem habeat, et penitiori sensu non modo non vacuum, sed plenissimum esse ipsa per se pictura demonstret. Qua de re in altera hujus commentarii parte, quam potero, accuratissime exponam; illud interim quasi praemoneo earum imaginum aetatem saeculi tertii terminis circumscribendam plane videri. Ecce ergo sepulcrorum quoque picturae ἰχθὺν exhibentes parem cum reliquis omne genus monumentis, quae superius excussi, aetatem aperte praeseferunt.

14.
9° ornamentis denique sacrarum aedium.

At sculpturarum, picturarumque, quae ad sacrarum aedium ornatum et monumenta pertinent, paullo dispar ratio est. In his Romae quidem vix ullum ἰχθύος vestigium deprehendi [4], extra Urbem vero perspicua ejus symboli exempla in Ravennatis, Pisaurensis, et Parentinae ecclesiae monumentis sexto saeculo factis dedicatisque jam indicavi : quibus et Curubitanum ex Africa nempe proconsulari,

(1) In schedis meis hi tituli exstant. — (2) *Indicant.* V. Fabr., *Inscr.*, p. 587, n. CII, qui tamen minus diligenter exhibet; lapis exstat adhuc Urbini in aedibus municipalibus. — (3) *Est.* Meros id genus ornatus, in quibus quotidiano, ut fit, usu, de mythologica quapiam significatione jam nemo fere cogitabat, in antiquioribus picturis christianos artifices necessario adhibuisse facile intelligitur : ipsa enim picturarum argumenta christiana esse oportebat; ornamenta vero initio nec ethnica proprie, nec christiana fuerunt, sed qualia elegans bonarum artium, quae ethnicae adhuc erant, disciplina et consuetudo praecipiebat. Ipsam vero mythologiam, id est ethnicae proprie theologiae fabulas, christianis doctrinis significandis, veteres artifices adhibere noluisse, nos qui infinita christianarum artium monumenta oculis quotidie usurpamus, clare perspicimus; et doctos viros qui ab Urbe et ab hac luce longe absunt, multo aliter judicare et in incredibiles interdum, ut aperte dicam, errores incurrere aegre ferimus. Caeterum, quoniam non dissimillima tridentis et anchorae forma est, potuit christianus artifex, qui delphinum tridenti implicatum pingere ab ethnicis didicerat et assueverat, hanc interdum imaginem in alterius locum oscitanter substituere quam sive negligentiam, sive errorem, in inscriptionibus praesertim nn. 64, 65 mihi videor agnoscere. — (4) *Deprehendi.* Quoddam e musaeo Kircheriano musivi operis fragmentum duos pisces exhibens plurimi laudant, quasi e veteri aliquo christianorum *baptisterio* effossum (v. Costadoni, l. c., p. 325) : qua de re, v. Lapi., *Opp.*

monumentum accedit [1], in quo cruces *monogrammaticae* ☧ circulis inclusae, et pisces longo ordine alterni sunt insculpti, opus, ni fallor, saeculi quarti, vel quinti. Quanta tamen his atque illis, quae hactenus excussi monumentis, dissimilitudo sit jam initio indicavi, et nunc accuratius exponam. In illis enim plerumque solitaria, interdum geminata piscis imago efficta est, et vel nullis, vel paucis aliis symbolis ita conjuncta, ut arcanum, qui illis signis suberat, sensum artificem unice intendisse quivis facile perspiciat. Haec vero sacrarum aedium monumenta ita multiplicatas et apte dispositas piscium imagines exhibent, ut has ornatus et elegantiae potissimum servire nemo non videat: nec solae, aut cum paucis arcanisque signis in eum usum adhibitae, sed omnis generis avibus, quin et monstris, ac praesertim crucibus intermixtae, et cum his ipsis symbolis eleganter compositae. Duplex ergo christianae, si ita loqui fas est, ichthyographiae usus ac ratio distinguenda est: prima illa, unde symboli originem repetendam esse inter omnes constat, qua nuda piscis imago, quasi christianae fidei tessera, et arcanum Christi, eorumque qui in Christo renati sunt, signum in ipsis tesseris, annulis ac potissimum sepulcris adhibita est; tum insequentium aetatum proprior altera, qua eadem illa imago, multo varius, et quadam antiquioris aevi recordatione, in symbolico sacrarum aedium ornatu recepta unice est. Primum autem illud ichthyographiae genus ita ad antiquiorem christianae religionis aetatem pertinere, ut medio saeculo quarto obsolescere jam coeperit, excussis diligenter inscriptionibus, et christianarum artium monumentis adeo perspicue et dilucide, ni valde fallor, demonstravi, ut, qui ejus argumentationis vim et pondus non sentiat, neminem certe futurum existimem. Quae ex monumentis ipsis unice ducta demonstratio cum historiae ac temporum rationibus mire cohaeret. Qua enim aetate arcani hujus signi desuetudinem factam esse constitui, eadem et pax Ecclesiae parta est, et symbolica christianarum artium ratio, atque indoles immutari necessario coepta, omnique ambiguitate, ac cautione deposita, ingenuam libertatem adipisci: ipsa demum arcani silentii disciplina paullatim relaxari, ac brevi, postquam ethnici jam vix ulli supererant, nomine tenus non re custodiri. Quo factum est, ut signum, quod quasi arcanum veteres ante saeculum quartum Patres obscuris verbis innuunt, iidem quarto exeunte saeculo, et vertente quinto apertissime passim declarent et interpretentur [2]. Primam igitur, quam initio posui, de ἰχθύος signo quaestionem tam concordi monumentorum omnium et ipsius historiae testimonio mihi videor absolvisse, ut alteram propositae disputationis partem aggrediendam existimem.

15.
Ex quibus iterum infertur usum tesserae IV° circiter saeculo desuevisse;

Neque enim illud a me exspectes, ut aetatem, qua primum inventum hujuscemodi symbolum et christianis adhibitum monumentis fuit, accurate definiam atque demonstrem. Huic quaestioni lucem vix ullam monumenta conferunt, quippe quorum ante saeculum a Christo tertium satis certa et perspicua dignoscendae aetatis indicia nondum assequi potui. Interroganda itaque magna veterum Patrum scriptorumque volumina, eorum exquirendae sententiae, ac sibyllinae praesertim acrostichidis aetas definienda; unde constare certo possit, utrum sibyllina acrostichis e recepto jam apud christianos ἰχθύος signo, an contra hoc signum a sibyllino carmine prognatum procusumque fuerit. A qua investigatione me Tibi scribentem

de cujus quidem initio nihil certo indicio definitur.

post., t. I, p. 83. — (1) *Accedit.* V. Munter, *Sinnbilder der alten Christen*, tab. I, n. 24, 25. — (2) *Interpretentur.* Hoc, primus omnium, quantum memini, animadvertit P. Secchius V. C. *Epigramma greco cristiano de' primi secoli*, p. 27. In eorum vero Patrum numero, qui ἰχθύος mysterium nobis revelarunt, a nemine recenseri vidi S. Maximum Taurinensem, sive quispiam alius auctor est *tractatus contra paganos* (Opp. S. Maximi, edit. Rom., an. 1784, p. 730), qui item nullo verborum ambitu sed apertissime symbolum illud declarat.

abstinere nemo profecto mirabitur: mirarentur certe, et arrogantiam sapientes homines fastidirent, si haec Tibi enarrare pergerem, quae me potius decet a Te audire et ediscere.

II.

16.
In altera parte excutitur plenior fidei christianae professio, quae arcana ἰχθύος tessera significatur.

Alteram itaque commentarioli hujus mei partem aggredior, in qua illud me quaesiturum praedixi, utrum piscis imaginem ita cum aliis id genus signis veteres christiani conjunxerint ac composuerint, ut non nudas Christi Filii Dei Servatoris appellationes, sed pleniorem quoque aliquam christianae fidei professionem arcana quasi scriptura significare voluisse videantur. Cujus investigationis quantum momentum sit nemo non sentit. Postquam enim sollemnem ejus symboli usum antiquioris unice Ecclesiae proprium fuisse docui, et vertente saeculo quarto paene obsoletum, illas christianae fidei formulas, quas hoc aliisque adjunctis signis significari intelligemus, primaevae item Ecclesiae proprias fuisse necesse est. Quod argumenti genus nec leviter attingi profecto potest, quin ad eas statim controversias animus attendat, quas de catholicae Ecclesiae dogmatibus inde a saeculo xvi° heterodoxi homines agitare nondum desierunt: quare multorum opiniones et praejudicia adversus ea, quae dicturus sum, jam armari probe sentio. Verum in omni hac commentatione cum in me animum lectores jam agnovisse, et adhuc agnituros spero, ut meo certo ingenio et doctrinae diffidere possint, fidei tamen et diligentiae non item. Quare propositam investigationem instituere pergo.

Ac primum in romanis potissimum monumentis expendendis operam me positurum praemoneo; quandoquidem paucae illae, quae in provinciis occurrunt ἰχθύος signo notatae inscriptiones, nullam symbolorum, quam quaero, conjunctionem exhibent, artium vero monumenta extra Urbem posita, quae jam supra recensui, a primaevo illo ichthyographiae usu, de quo heic mihi sermo unice erit, valde distare jam docui, quo fiet non ut illa certe negligam, sed ut parum inde proficere possim. In romanis itaque quinque et septuaginta, quos supra jam excussi, titulis, vix octo recensentur, qui nudas litteras ΙΧΘΥС praeferant, itemque viginti, qui solam piscis imaginem, quamquam in his quatuor mutilae tabulae sunt, in quibus an alia quoque symbola, in ea nempe quae periit, parte, fuerint incisa cogor ignorare: reliquae omnes sive inscriptiones, sive puris ornatae symbolis tabellae, quin et annuli, gemmae, picturae paene universae non solum piscem, sed alias quoque cum pisce conjunctas, vel eidem saltem monumento appictas imagines exhibent. Quas imagines singillatim recensere et expendere nihil attinet; neque enim, si semel aut iterum duo triave symbola in uno alterove monumento utcumque inscalpta pictave sunt, statim de arcana aliqua symbolorum conjunctione cogitandum opinor: potuit artifex pluribus diversisque signis gemmam, epitaphium, sepulcrum ornare, nec ad ullam rerum, quae illis significantur, connexionem respicere. Verum si non utcumque appicta symbola sint, sed invicem manifesto conjuncta, si non in uno, sed pluribus variisque monumentis eadem conspicua conjunctio sit, connexum aliquem in his signis sensum esse quaerendum nemo certe non sentiet. Quod, ut brevissime dicam, in tribus praesertim imaginibus quivis facile agnoverit, quas intimam quamdam cum piscis symbolo connexionem habere vetera monumenta aperte demonstrant, in signis nempe anchorae, navis, et panis, quibus et columbam accensendam esse valde suspicor.

Ac primum eruitur e variorum symbolorum cum pisce conjunctione:

17.
In primis columbae;

Decem enim et septem numero epitaphia pisces itemque columbas olivae ramum plerumque praeferentes exhibent, ut non temere, sed consulto has toties imagines

his titulis appictas fuisse verisimile mihi videatur. Et sane facillima ejus conjunctionis explicatio est. Quae sepulcrorum titulis passim appicta sunt symbola, ea formulas epitaphiorum proprias hieroglyphica quasi scriptura significare, et per se verisimile est, et collatis invicem inscriptionibus perspicue intelligi posse opinor. Et, ne a proposita quaestione discedam, exemplo sit ipsa olivae ramum rostro praeferens columba, quam pacem significare doctissimi christianarum antiquitatum interpretes saepe affirmarunt, quin immo Bottarius, tametsi varias hac illac ejus symboli interpretationes tradiderit, non modo in pacis significatione unice visus est conquiescere, sed sollemnem christianis epitaphiis formulam *in pace* illa imagine exprimi consuevisse non obscure indicavit [1]. Quam sententiam jam conceptis verbis Muratorius ediderat [2]. Hanc porro doctorum hominum persuasionem verissimam esse insignis quaedam Vaticani musaei inscriptio luculenter testatur [3]. Ibi enim columba olivam rostro praeferens adscriptis litteris PAX suum nobis arcanum manifeste prodit. Non tamen proprie columba pacem significat, illa enim sub specie tum *Spiritum sanctum*, cum fidelium spiritus adumbrari, res est vulgo notissima; verum olivae ramus ipsam pacem demonstrat, teste prae caeteris Augustino [4] : quare columbam hujusmodi ramum praeferentem de *Spiritu in pace* vere esse interpretandam nemo, opinor, negabit. Ecce ergo integram habes formulam *Spiritus in pace*, qua in christianis epitaphiis defunctis saepe adclamatur : *Spiritus tuus in pace.* Quid si piscis accedat, ΙΧΘΥC nempe arcana Christi significatio? Plenior formula erit, *Spiritus in pace et in Christo*, vel si olivae ramus, pacis scilicet symbolum, aberit : *Spiritus in Christo ;* sollemnis utraque antiquioribus christianorum titulis adclamatio. Sed haec, quae de pisce et columba breviter innui, verane sint an tantum verisimilia pertinaciter nolim contendere. Illud profecto verissimum anchoram, navim, panem cum piscis signo data opera et consilio in veterum monumentis conjuncta fuisse; qua de re diligentius exponam.

18.
cum anchorae;

Anchorae quidem signum christiani ἰχθύος perpetuum quasi comitem esse primo statim monumentorum adspectu quivis facile videt. Romani enim tituli tres supra viginti cum pisce anchoram praeferunt, in gemmarum vero, annulorumque sigillis, quoties ἰχθύος sive nomen sive signum offendimus, anchorae comitem imaginem vix umquam desideramus. Praeterea utrumque signum ita conjunctum saepe est, ut divelli alterum ab altero omnino non posse, sed, quae utrumque complectatur, interpretationem esse quaerendam monumenta ipsa apertissime moneant. Quam interpretationem vix unus aut alter tentavit; et in eamdem accuratius inquiri adhuc posse existimo. Plerique enim unumquodque per se symbolum declarant, et anchoram modo de spe, modo de constantia et fortitudine, modo de quiete et securitate, modo de salute, modo demum unice de cruce (quod *cruciformis* illa saepe sit) interpretantur [5] : de utriusque vero conjunctione duas tantum conjecturas novi, quae verisimilitudinem aliquam praeseferant. Primam excogitavit

(1) *Indicavit.* Vid. *Roma sott.*, t. II, p. 42; cf. etiam t. III, p. 138.—(2) *Ediderat.* Vid. *Thes. inscr.*, p. 1890, n. 7. — (3) *Testatur.* Edidit Marini, *Atti de' fratelli Arvali*, p. 266. — (4) *Augustino.* In lib. II, *De Doct. christ.*, cap. 17 : « Nec aliam ob causam facile est intelligere pacem perpetuam significari oleae ramusculo, quem rediens ad arcam columba pertulit, nisi quia novimus et olei lenem contactum non facile alieno humore corrumpi, et arborem ipsam frondere perenniter. » *Opp.* t. III, p. 47 BB. Quae ipsi usque adeo comperta et ab omnibus accipienda videntur, ut eadem in Manichaeos et Donatistas, convertere non dubitaverit. Unde, in lib. XII *contra Faustum* : « Olivae, ait, fructuosum surculum retulit, quo significaret nonnullos etiam extra Ecclesiam baptizatos, in ore columbae tamquam in osculo pacis, ad unitatis societatem posse perduci. » c. 20, t. VIII, p. 265. Huc quoque spectare nemo non concessurus est hanc Melitonis formulam (*Clavis* cap. V, I n. 46, t. II, p. 320), brevissimam

Lupius (l. c.), qui annulum *cruciformis* anchorae et duorum piscium imaginibus insignem nuptialem esse, ac pisces quidem ipsos conjuges, eorumque *sacramentum magnum in Christo* per interpositam Christi crucem, id est anchoram, significari conjecit. Alteram Tu ipse, vir doctissime, protulisti, interpretationem nempe, quae Christum *in cruce appensum*, *quin et duplicem ejus naturam*, *aut praedicationem in veteri et novo Testamento* [1], in gemino pisce et media anchora agnoscit. Et Lupii quidem conjecturam non injuria Tibi displicuisse mea quoque persuasio est; vere enim Costadonius jamdiu monuerat [2] eam his symbolis interpretationem esse quaerendam, quae monumentis omnibus, ubicumque illa occurrunt, possit adhiberi; duos vero pisces, fideles eosque conjuges ubique significare, cum monumentis ipsis conciliari difficile posse. Quare non alia de causa geminatam piscis imaginem saepe videri, nisi quod eurythmiae, et elegantiae ratio habita sit. Et sane nullam hac in re certam normam legemque fuisse monumenta aperte declarant, in quibus saepe unus tantum piscis, et una anchora appicta est; et quoties elegantiae et eurythmiae sollicitus artifex fuit, sive anchoram, sive piscem promiscue geminavit (v. nn. 56, 57, 58). Praeterea ipsum ἁπλῶς piscem Christum significare veteres omnes uno ore testantur; fideles vero pisces proprie sunt a piscatoribus capti, vel pisces κατὰ τὸν ἀντονομαζόμενον ἰχθὺν, quod Tertullianus praesertim et Hieronymus et Augustodunensis inscriptio perspicue declarant [3]. In solitarii ergo piscis imagine prima Christi significatio est, quam experiri nos primum oportet, antequam de fidelibus illam interpretemur. Neque ideo in opinione Tua, vir clarissime, acquiescere me unice debere existimo. Christum equidem, ut vides, hoc in symbolo agnoscendum esse ultro profiteor, nec diffiteor crucis item in anchora signum ita saepe esse conspicuum, ut ejus habenda ratio sit; sed nec in gemina piscis imagine mysterium, ut praedixi, ullum facile agnosco, et crucem anchorae, quae cum pisce conjungitur addititiam esse [4], ac symbolum in unico potissimum pisce, et mera anchora consistere monumenta ipsa clare nos docent. Quare, ut nexum, quem arctissimum inter haec symbola, veteres christiani esse voluerunt, vere nos cognovisse nobis persuadere possimus, illud stabiliendum sine ambiguitate est, quam proprie nuda anchorae imago in monumentis toties obvia significationem habuerit. De spe plerique videntur potissimum interpretari, profecto sapienter, quidquid demum nonnulli secus opinari voluerint [5]. Praeeunte enim Paulo apostolo (ad Hebr. VI, 19), de anchora quasi christianae spei imagine ac quasi tessera saepe veteres Patres loquuti sunt [6], ut de hac proprie significatione, ubicumque in monumentis efficta illa est, intelligendam esse aequales christianarum rerum scriptores nos monere videantur. Ecce autem monumenta ipsa hanc ejus signi vim et potestatem satis innuunt. Appicta siquidem epitaphiis symbola ad defuncti nomen saepe alludere plurima exempla testantur [7]. Atqui in titulis, qui nomina exhibent a vocibus *spes* et ἐλπὶς deducta, ter anchorae imaginem offendi, in epitaphio nempe cujusdam *Elpidii*, et duobus aliis e Priscillae coemeterio, feminarum

sive pisce uno, sive geminato instructae;

quidem, sed sensu uberrimam : *Pax, Christus*]. — (5) *Interpretantur.* V. Arin. S., t. II, p. 626, Bold. p. 339, Lapi S. Sev., p. 64, Munter, l. c., p. 28, Raoul-Rochette, l. c., p. 223, aliosque passim. — (1) *Testamento.* Vid. *Spicil.*, t. I, p. 559. — (2) *Monuerat.* L. c., p. 299. — (3) *Declarant.* Tertull., *De Baptism.*, c. 1, p. 224, ed. Prior; Hier., *Ep.* VII, *Opp.* t. 1, p. 19 Vall.; *Inscr. Augustod.*, l. c., v. 1. — (4) *Esse.* Vide quae subtilissime de variis crucis formis disputavit Letronne, *De la croix égyptienne, etc.* In *Annali dell' Istituto arch.*, t. XIV, p. 124. — (5) *Voluerint.* Raoul-Rochette, l. c.; Munter, l. c., et *De duobus monum. vet. ecclesiae Hafniae*, 1810, p. 7. — (6) *Sunt.* V. Aringhi, l. c. — (7) *Testantur.* V. Cavedoni, *Mem. di Rel. e Lett. di Modena*, 2ª serie, t. IX, p. 436; item, *Età delle nozze degli antichi crist.*, p. 15; Marini apud Preller, *Die Regionen der Stadt Rom.*, p. 119; Raoul Rochette, *Les Ca-*

Elpizusae et *Spei* [1]. Praeterea in id genus nominibus ad christianas virtutes fidem, spem, charitatem veteres ita respexerunt, ut harum virtutum appellationes conjungere saepe studuerint; hinc plus semel christianis sororibus nomina indita *Pistis, Elpidis, Agapes ; Fidei, Spei, Charitatis* [2]; hinc in Severi et sororis ejus Spei titulo scriptum : SPEI ET DVLCIS CHARITATIS FRATERNAE SEVERO [3]; hinc demum factum opinor, ut in tribus epitaphiis, quae nomina praeferunt *Agapis, Agapetis,* et *Agapeti,* anchoras constanter appictas offenderim [4]. Quod casu, non ratione, factum fuisse, qui tot veterum de anchora christianae spei quasi tessera effata reputet, parum verisimile judicabit. Sed est quod magis urgeat, et rem paene conficiat. In Praetextati coemeterio nonnullas tabulas repperi scriptura vacuas et anchorae unice imagine nobilitatas, in quarum una littera E in extrema transversa virga *cruciformis* anchorae erat inscripta. Quae nisi littera vocem ἐλπίς significat, quid demum significare possit plane non video. Satis ergo multa argumenta sunt, quae anchorae in christianis monumentis appictae hanc proprie vim et potestatem esse demonstrent, ut christianae spei firmitatem significet. Jam si piscis et anchorae signa conjungantur, spei, quae in Christo firmissima est, manifesta erit significatio. Et sane quam bene symbolica haec imago scriptis titulorum formulis respondet! Ecquis enim celebrem illam veterum christianorum formulam ignorat : *spes in Christo, spes in Deo, spes in Deo Christo,* quae annulorum praesertim sigillis inscribi consuevit? Ecce una eademque cum in epitaphiis, tum potissimum in sigillis modo hieroglyphica, modo alphabetica scriptura incisa tessera est, sed hieroglyphica plerumque quam alphabetica plenior est formula. Haec enim eleganti illa breviloquentia, quae epigraphicae dictionis propria est suprascriptis unice vocibus constat; hieroglyphica vero formula non modo appicto pisce, vel notis ΙΧΘΥC Christum Dei Filium Servatorem appellat, sed in anchorae vertice crucis saepe patibulum exhibet, atque ita in servatoris *cruce* christianae spei fundamentum esse profitetur. Quod in quadam quoque gemma, cujus ectypon Caietano Marinio Gortenovius communicavit [5], religiose observatum deprehendi; licet enim ibi non anchoram, sed ipsas litteras SPES, non piscem, sed Christi monogramma artifex scalpserit, crucis tamen patibulum in monogrammatis vertice delineavit; ut eamdem prorsus, quae ex *cruciformi* ut plurimum anchora, et pisce constat, aliis signis tesseram sic expresserit SP☧ES. Atque haec de anchora et pisce dicta sufficiant.

De pisce et navi multo brevius dicam. Piscem aquis innatantem et navim dorso sustinentem tria saltem exhibent monumenta, titulus nempe e coemeteriis suburbanis, quem Anagniae vidi (v. n. 32), gemma annularis Aleandri commentario nobilitata, aliaque item gemma, quam edidit Ficoronius (*Gemme ant.* Litt., tab. XI, 8, p. 105), cujus symboli sensum quivis statim intelligit. Navim enim Ecclesiam significare inter omnes sacrarum antiquitatum interpretes firmissime constat, piscem vero, id est ἰχθὺν, Ecclesiam dorso sustinentem, ipsum esse Christum, cui illa unice innititur, quis non videat? Nec novum, imo sollemne christianis artificibus fuit, Christi et navis signo arctissimo nexu conjungere : nam ut multa, quae in hanc rem proferre possem, omittam, bis ipso nomine ΙΗCΟΥC navis imaginem in monumentis nobilitatam offendi, in ebore nempe musaei Vaticani [6], et jaspide

19. deinde navis;

tacombes romaines. Paris. — (1) *Spei.* Unam edidit Mai, *Script. vet.*, t. V, p. 449, reliquae duo ineditae sunt. — (2) *Charitatis.* V. Marini, *Papiri diplom.*, p. 378, et Bold., p. 54.— (3) *Severo.* V. Bold., p. 55. — (4) *Offenderim.* Inedita sunt in schedis meis. — (5) *Communicavit.* Marini, *Inscr. christ.*, Mss., p. 155, n. 5. —(6) *Vaticani.* Buonarroti, *Osservazioni sopra*

olim Borgiana, nunc ubinam gentium adservetur ignoro. Quare Aleandri dubitationem, disputandi, ut reor, potius gratia, quam serio prolatam, missam plane faciamus, utrum nempe piscis ille, qui navi suppositus cernitur, non ἰχθὺς, sed Leviathan sit, hoc est ipse diabolus Ecclesiae inhians et ejus pondere oppressus. Caeterum, quae Aleandrum morari potuit signi in ea, quam unice viderat, gemma ambiguitas, haec in duobus aliis, quae ego recensui, monumentis prorsus nulla est. In Aleandri siquidem gemma inscalpta piscis imago non satis certi generis monstrum exhibet, quod vel crocodilum facile dixeris, in titulo contra, et Ficoroniana, quam dixi, gemma delphini perspicua imago est, cujus erga nautas benevolentiam omnis antiquitas miris laudibus celebravit. Sed haec adeo manifesta, ut uberior explanatio supervacanea omnino videatur [1].

20. Postremo panis, cujus cum pisce arctissimam connexionem symbolicam nemo deprehendit.

Verum ad piscis et panis symbola animus festinat, quae in christianis monumentis arctissime conjuncta esse nemo adhuc, ni fallor, demonstravit. Et in epitaphiis quidem tabellisque, quae loculos in subterraneis coemeteriis occluserunt, panum et piscium conjunctas imagines ter saltem offendi (v. nn. 62, 63, 71); hanc enim conjunctionem in tabula, quam sub n. 75 descripsi an agnoscere debeam non audeo definire. Praeterea in Ravennati inscriptione apud Spretum, l. c., t. I, p. 224, n. 107, si tamen christiana illa est, panem inter duos pisces effictum facile agnoverim; in Pisaurensi vero, quod superius laudavi, pavimento, cophinos panibus refertos solitariis piscium imaginibus intermixtos deprehendi. Solas panum imagines de sacra eucharistia interpretandas esse omnium, ni valde fallor, eaque constans persuasio est [2]; ubi vero pisces accedant, panes et pisces a Christo multiplicatos illas imagines significare quivis statim animo, opinor, concipiet. Et re sane vera tabella n. 71 quinque panes et duos exhibet pisces, quem proprie panum et piscium numerum evangelicae narrationis historia tradit. Quae licet conceptam opinionem confirmare planissime videantur, christianae tamen *symbolographiae* ratio innumeris paene exemplis cognita hanc ejus indolem esse perspicue demonstrat, ut vel historica e divinis libris argumenta in monumentis efficta allegoriam et symbolum celent, nedum symbola ipsa ad historicas unice narrationes referenda esse sit verisimile. Quare piscium et panum conjuncta symbola de evangelica narratione petita expressaque fuisse lubens agnosco, illam vero significare, et de eadem unice esse interpretanda a veterum artificum mente et consuetudine prorsus alienum existimo. Sed non hac, quam verissimam judico, argumentatione oratio mea eget, quo vel arcanam significationem panum et piscium conjunctis imaginibus inesse, vel qualis haec significatio sit persuadere liquido possit.

At praeter historicam significationem, cum evangelica narratione de v panibus et II piscibus consentaneam,

aliam esse multo sublimiorem persuadent monumenta nuper effossa.

Romana enim coemeteria, quae providentia et jussu PII IX, pontificis maximi, jam multo, quam antea fieri potuerit, diligentius explorantur, inter tot alia omnis generis monumenta plane singularia, quae in iisdem latere vel repperiri adhuc posse nemo certe speraverat, incredibilem picturarum copiam in dies proferunt, quae christianarum artium et primaevae *symbolographiae* scientiam adeo provehunt, amplificant et nova prorsus in luce constituunt, ut ejus quasi statum omnino mutari fidenter ac serio affirmare plane non dubitem. Quod quam non temere et arroganter, sed caute et vere dixerim vel quae de piscis symbolo exponere aggredior, satis, spero, demonstrabunt. Illud tamen praemonendum necessario est valde imperfectam horum monumentorum notionem futuram quae non omnem totius

alcuni medaglioni antichi, p. 395; unde Mamachi, *Ant. christ.*, t. I, p. 240, et v. Borgia, *De cruce Veliterna*, in fronte operis.—(1) *Videatur.* V. Prae caeteris Polidori, l. c., t. I, p. 249. — (2) *Persuasio est.* Munter, *Sinnbilder, etc.*, p. 66.

hypogaei et picturarum titulorumque quae in illo sunt descriptionem complectatur, sed unius tantum alteriusve imaginis aut monumenti notitiam exhibeat. Quare cum iniquissimam hanc tam praeclari inventi evulgandi conditionem non recusaverim, diligentia id saltem mea efficere conabor, ut quaecumque cognitu apprime necessaria videbuntur, ea lectoribus indicare non negligam.

21.
Quales sunt novae in Callisti coemeterio picturae;

In Callisti itaque coemeterio (Praetextati falso appellabant) proxime Cornelii pontificis et martyris cryptam nuper repertam effossamque, duo quadrata cubicula sunt sepulcris unice destinata, quae picturis adeo elegantibus ornata sunt, et stili adeo antiqui, ut elegantiores antiquioresque in christianis his hypogaeis vix alibi inveneris; et collatis invicem ejus coemeterii picturis has ipsam fortasse Cornelii pontificis aetatem superare facile judicaveris. Quare, quoniam de multa harum picturarum antiquitate, statim ac editae illae erunt (quod ut quamprimum fiat votis omnibus expeto) doctos ac sani judicii homines dubitaturos non esse plane confido, hac de re satis me monuisse existimo, et panum ac piscium imagines, quae in iisdem apparent, describere aggredior. Primi cubiculi picturae vix non omnes perierunt; alterius magnam partem pessimas vastatorum manus effugisse laetandum est; in cujus adversa fronte et medio pariete appictae hinc inde imagines sunt piscis aquis innatantis, cujus dorso canistrum impositum est (v. tab. I, n. 3); media inter geminatum hoc symbolum pictura fuit, quam impii nescio qui latrones, cum furari et asportare olim tentaverint, comminuerunt. Canistrum panibus refertum esse quivis christiana monumenta vel leviter novit, statim intelligit; sunt tamen panes non decussati, quales plerumque in picturis et sculpturis offendimus, sed quasi placentae coloris subcinericii. Quod panis genus veteribus usitatissimum barbara appellatione *mamphulam* et *syriacum panem* Romani appellarunt (v. Festum, v. *Mamphula*), quod orientales gentes ac praesertim Hebraei illud sacerdotibus tamquam panis primitias offerre consueverant. Quare quoddam quasi sacri panis genus fuit. Jam quaenam huic pisci cum referto his panibus canistro conjunctio sit necessario quaerendum. Multiplicatos panes et pisces hac pictura significari nemo certe cogitabit; siquidem vivus iste piscis est et aquis innatat: quare de illo potius pisce cogitandum esse res ipsa monet, quem Paulinus *panem verum et aquae vivae piscem* nominat (*epist.* XIII ad Pammach., § 11), ἰχθὺν scilicet Christum. Quae Paulini verba totius symboli interpretationem videntur quasi suggerere, piscem scilicet pariter ac panem Christi typum ac symbolum esse; quae tametsi verissima sunt, interpretationem tamen adhuc perfici, et absolvi plenius posse multi, opinor, existimabunt, si panem hunc sacrum non de Christo metaphorice, sed de eodem in ipsa eucharistia accipiendum heic esse constituero. Et sane panes quicumque in veterum christianorum monumentis solitarii apparent ad eucharistiam referri oportere concors, ut praedixi, omnium sententia est; quid quod heic, praeter panes in utraque pictura interior canistri pars rubrum quemdam colorem exhibet, quasi vitreus calix mero plenus eidem inesset? Quam picturam ut primum vidi, statim illud Hieronymi subiit: *Nihil illo ditius, qui corpus Domini in* CANISTRO VIMINEO *et sanguinem portat in* VITRO (ep. ad Rustic., n. 20, t. 1, p. 947 Vall.); et eucharistiam his symbolis significari unice probabilis mihi visa sententia est. Quam opinionem veritate niti aliae ejus coemeterii picturae meridiana, ni fallor, luce clarius demonstrabunt.

quae inter alia exhibent 1° piscem aquis innatantem, dorsoque ferentem canistrum panibus refertum;

In ipso enim Callistiani coemeterii quasi centro, ubi undecim romanorum pontificum a Pontiano ad Melchiadem in una eademque crypta, et in contigua item crypta Caeciliae aliorumque martyrum nobilissimorum sepulcra agnovi, ampla quaedam et caeteris spatiosior via est, cujus unum tantum latus sepulcrales cellae paribus fere

inter se intervallis distantes occupant (p. 544, nn. 1, 2, 3, 4, 5); omnes ejusdem paene formae, et simillimis picturis ornatae, ut eodem ferme tempore factas fuisse sit valde verisimile, eadem saltem aetate nemo, opinor, negabit. Quinque jam cellae, quatenus ad hanc diem effossa illa via est, patent; aliae fortasse hyeme proximo invenientur. Sed harum quoque picturas pessimi partem fures, partem hypogaei ruinae, partem ipsae a veteribus christianis factae structurae, quo ruinas nostra demum aetate dilapsas praecaverent, ita pessumdederunt, ut primae et alterius tantum cellae ornamenta satis multa conspicua adhuc sint, caeterarum relliquiae potius quam ipsae picturae supersint. Quantum tamen ex his relliquiis conjicere fas est, hoc clare perspicio elegantia quidem et artificio dispares has picturas fuisse, stili vero et argumentorum genere non item. Quare omnes simul tamquam unius ejusdemque quasi familiae conjungere, et lucem alteri ab altero mutuare pergo.

22.
2° virum unum pallio indutum, puero manum imponentem,

In primae cellae adversa fronte vir toga vel potius pallio super tunicam indutus dextero exserto brachio manum puero imponit, qui nudus e flumine sive aquae rivulo toto corpore exstat; manifesta baptismatis delineatio, qualem in subterraneis quidem et adeo antiqui aevi picturis numquam adhuc offenderamus, sed in quarti et insequentium saeculorum monumentis docti viri eadem hac paene expressam forma plus semel agnoverant. Dexterum latus obtinet imago hominis sedentis, pallio unice induti, nudo inde exserto humero, et alloquentis, tametsi nemo, quem ille alloquatur, apparet: sed sacerdotem sive episcopum, qui ad populum sermonem habeat, artificem exprimere voluisse vel ex ipso vestimenti genere facile intelligimus; philosophicum enim illum morem antiquissima aetate christianos ascetas [1] ipsosque potissimum presbyteros et episcopos affectasse certo constat [2].

et alterum quasi concionem habentem;

3° juxta eosdem, mensam in qua tres panes et piscis unus;

Tum in ea camerae parte, quae huic parieti et baptismatis picturae imminet, media inter septem panibus refertos cophinos mensa depicta est (tab. I, n. 1), in qua tres panes cum uno pisce positi sunt. Jam sive nulla baptismatis heic delineatio appareret, de eucharistia tamen hanc picturam interpretarer, quam *mensam Domini* antonomastice appellatam semper fuisse nemo unus ignorat, et de qua, si solitariam hanc mensam panibus et pisce cumulatam non intellexero, probabiliorem interpretationem nullam ego certe proferam. Nunc cum in eadem cella, quin et in eadem cellae parte baptismatis ritus depictus sit, eucharistiam hac mensa significari quis, quaeso, non videat? Sed, si clariorem adhuc lucem requirimus, hanc e proximae cellae picturis facile mutuabimur.

23.
4° piscatorem piscem hamo capientem;

In hac enim laevum parietem vix non totum occupat allegoria quaedam de baptismate, cujus praecipua imago est piscatoris piscem hamo capientis (tab. II, n. 4), tum ipse baptismatis ritus eadem fere qua in superiori cella forma expressus. Cubiculi vero frontem depictum convivium exornat, in quo de pane et assis piscibus epulum fit (tab. II, n. 1), ad hujus autem allegoriae, de qua postea dicam, latus sacri item cujusdam ritus apparet delineatio (tab. I, n. 2), quam operae pretium est accuratius describere. Mensa posita est, illa ipsa quam solitariam in superiori cella vidimus, cui hinc vir, inde femina adstant; in mensa panis et patella piscem continens, eadem omnino forma, qua illae patellae sunt, in quibus assos item pisces epulantibus appositos in proxima, quam dixi, pictura conspicimus. Vir pallio unice indutus (neque enim togam esse laevum brachium exsertum manifesto indicat), dexterum humerum nudum exserit, et manus mensae imponit; femina orantis habitu manus ad coelum extollit. Qui ipsam eucharistiae consecrationem heic non videt,

5° super tripode panem et piscem in patella; hinc virum manus imponentem, inde mulierem sublatis brachiis orantem.

(1) *Ascetas.* V. Walchii, *Antiquitates philosoph. vet. Christ.* Jenae, 1746, p. 138. — (2) *Constat.* V. Salmas. ad Tertullianum *de Pallio*, p. 76.

caecus omnino sit oportet; non enim solitaria jam illa mensa est, quam tamen de eucharistia interpretandam esse praeclara indicia suadebant, sed et philosophico more palliatus asceta, sive potius sacerdos adest, et manus imponit, quo unice gestu significari consecratio potuit; et femina ante mensam supplex orat, sive illa defunctae cujuspiam et in ea cella sepultae imago est, sive, quod verisimilius judico, ipsius Ecclesiae, id est fidelium typum et quasi personam gerit. Ecclesiam enim muliebri forma veteres artifices interdum expressisse musivum opus Coelestino pontifice in S. Sabinae Romae factum, inscriptis sub feminarum imaginibus his litteris ECCLESIA EX GENTIBVS, ECCLESIA EX CIRCVMCISIONE [1] manifesto docet; nec ulla ratio est cur opinemur hujuscemodi typum tunc primum inventum adhibitumque fuisse, et non potius a majoribus traditum. Quidquid tamen hac de re sentire et opinari velimus, illud ratum fixumque sit ipsos baptismatis et eucharistiae sacros ritus his picturis significari, et eucharisticum panem cum piscis imagine constanter conjungi et copulari. Quod tametsi collatis invicem, quae descripsi, monumentis adeo perspicuum sit, ut qui christianae antiquitatis scientiam probe calleat, nihil ultra requirere certo existimem, veteres tamen ejus rei advocare testes, eorumque diserta auctoritate argumentationem meam confirmare atque illustrare et jucundum et utile futurum sane judico.

Romana pictura illustratur testimoniis ecclesiarum

Atque hic ultro se offert insigne illud Tuum Augustodunense epigramma, quod cum praeclaris his Romanae Ecclesiae pictis monumentis adeo amice conspirat, eorumque interpretationem tanta luce perfundit, ut quid requiri et expeti amplius possit plane non video. In eo enim postquam baptismatis mentio facta est, haec interpretum omnium unanimi consensione de eucharistia leguntur :

Lugdunensis,

> Σωτῆρος δ' ἁγίων μελιηδέα λάμβανε βρῶσιν.
> Ἔσθιε, πῖνε..... IXΘYN ἔχων παλάμαις [2].

Jam quis dubitare possit ἰχθὺν, sive ille panem et vinum dorso sustinet, sive in mensa cum pane positus, sive sub ipsa consecrantis sacerdotis manu depictus est, Christum esse in eucharistia, postquam id non romana modo monumenta per se ipsa satis indicant, sed idem Lugdunensis ecclesia conceptis verbis testatur, *dulcem Salvatoris cibum*, sacram oblationem de qua christiani *edunt ac bibunt*, ipsum esse IXΘYN, *coelestem piscem* (οὐράνιον ἰχθὺν), publicis inciso notis titulo professa.

et Africanae :

Quae non Lugdunensis solum ecclesiae, Romanae concors professio fuit, sed et Africanae, locupletissimo ejus rei teste Augustino. Baptismatis enim pariter ac eucharistiae mentione injecta, baptisma quidem ipsa piscationis allegoria quam in Callistiani coemeterii picturis exhiberi jam monui; eucharistiam vero arcanis ita verbis significat, ut *sollemnitatem esse dicat, qua ille PISCIS exhibetur, quem levatum de profundo terra pia COMEDIT* (Confess., XIII, 23); quae verba nemo certe intellexisset, nisi sollemne in Africana ecclesia quoque fuisset eucharisticae mensae cibum sub arcano piscis nomine celare. Quod symbolum indicare mihi quoque videtur africanus auctor libri *De promiss. et praedict. Dei*, qui sub falso Prosperi Aquitanici nomine circumfertur : is enim longam de pisce, qui Christus est, expositionem his verbis concludit : « Cujus ex interioribus remediis (ad Tobiae historiam alludit) quotidie illuminamur et pascimur (II, 39), » ubi τὸ *pascimur* non translato, sed vero sensu accipiendum esse, quae recensui, testimonia et monumenta suadent. Ecce ergo non romanae solum picturae, sed exterae quoque inscriptiones, sed

(1) *Circumcisione*. V. Ciampini, *Opp.*, t. I, p. 186, 187. — (2) Παλάμαις. « Salvatoris sanctorum dulcem sume cibum, ede et bibe ... piscem in manibus tenens. »

veteres Patres ita eucharistiam ἰχθύος symbolo ac nomine significant, ut christianis vulgo notissimus et plane sollemnis arcanus hic ejus signi usus fuisse videatur.

24.
5° convivium et mensam in qua iterum et constanter piscis apponitur.

Sed nondum plena et perfecta picturarum, de quibus commentor, explicatio est. Ipsi enim eucharistici ritus delineationi proxime conjunctam picturam esse monui, qua convivium exprimitur, et de eodem illo pisce patellae imposito convivae epulantur, qui in eucharistiae mensa sub ipsa sacerdotis manu conspicitur. Et sane nimis evidens est ejusdem in utraque pictura exhibendae imaginis studium, quam ut mysterio vacuam rem esse qui haec attente perpenderit persuadere sibi facile possit. Quin allegoriam, quae de eucharistia intelligenda proprie sit, hoc in convivio latere monumenta ipsa rite expensa satis produnt. In ea enim, de qua loquor, cella laevum parietem picturas ipsum baptisma, et allegorias de baptismate referentes exhibere jam monui; medius autem paries eamdem, quae in eucharistiae mensa est, septem convivis appositam piscis assi imaginem praefert, ut eucharistici ritus delineationi allegoriam aliquam heic quoque esse conjunctam pictura ipsa significare videatur. Praeterea eadem et in aliis cellis harum picturarum ratio est; in ea siquidem, quam primum descripsi, frontem ipsam baptismatis et eucharisticae mensae delineationes obtinent, laevum vero parietem eaedem illae piscationis et convivii allegoriae; ita ut heic in uno pariete allegoriae, in alio ipsa rei veritas depicta videatur fuisse; alibi eadem argumenta ita distributa ac disposita sunt ut sua cuique ut aiunt *sacramento* allegoria fuerit attributa et proxime appicta. Quod in aliis quoque cellis sive hoc, sive illo modo factum fuisse, quae supersunt, picturarum relliquiae demonstrant; idem enim illud convivium ubique vidi vix pro loci qualitate et artificis lubitu ac ingenio dispositis paulo aliter imaginibus levissime variatum (v. tab. II, nn. 2, 3). Quaenam ergo huic convivio cum eucharistica mensa cognatio sit accurate quaerendum. Id genus picturas veterum christianorum agapes referre earum interpretes omnes ante hos proximos annos tradiderant, cum subito exstitit Aloysius Polidorius, qui de coelestis convivii parabola intelligendas potius esse validis sane argumentis evincere aggressus est [1]. Quam sententiam ipsa a Polidorio adhibita monumenta nunc diligentius expensa, et novae quaedam nuper repertae picturae ita confirmant, ut de agape quidem neminem jam cogitaturum existimem. Quod si de coelesti convivio has quoque Callistiani coemeterii picturas interpretabor, quam quaero de eucharistia allegoriam aliquam certe repperire et agnoscere facile potero, nimis exquisitam tamen et qua plenissime animo non satisfiat. Dubitare itaque coepi an idem in his atque illis, quae notae jam sunt, coemeteriorum picturis, epulum exhiberi satis certo constaret. Et dubitandi rationes sane plures animo conceperam, atque illam potissimum quod heic septem constanter viri, in coelestis vero convivii picturis feminae quoque, ut par est, assident, et quoniam sepultorum plerumque illae imagines sunt, modo plures modo pauciores nullo certo numero convivae exhibentur. Quaerendum ergo vidi utrum aliud in divinis libris epulum occurreret, quod propius ad eucharistiam referri par esset, quodque hac pictura potuisset significari. Et occurrit statim convivium quod in littore maris Tiberiadis Christus ipse discipulis septem apparavit, in quo panem et piscem eumque prunis assatum septem illos discipulos comedisse auctor est Joannes in evangelio cap. 21. Quae adeo verisimilis conjectura est, et ipsa pictura cum illa historia tam bene videtur convenire, ut si vel nulla praeterea suppeterent argumenta, de hoc potius convivio quam de coelesti cogitandum esse plane statuerem. Ecce autem veteres Patres atque illi ipsi qui ἰχθύος et piscis nomine

Quae quum alii referant ad veterum agapes, alii ad coeleste convivium,

25.
eadem tamen mensae septem discipulorum in littore maris Tiberiadis accumbentium aptius accommodantur.

(1) *Est. V. Dei convivi effigiati a simbolo ne' monumenti cristiani*, Milano, 1844.

eucharistiam designant, in hac potissimum, de qua loquor, evangelii narratione non modo Christi sub pisce latentis, sed ipsius proprie eucharistiae symbolum et allegoriam agnoscunt. Omitto notissima Patrum effata, qui *piscem assum*, ubicumque in evangelio occurrit, Christum passum significare affirmarunt, quae Tu certe diligenter jam collegisti, ad insignem illum Melitonis Tui locum in quo eamdem hanc et ipse sententiam perscribit. Illa ad rem meam testimonia propius faciunt, quae ipsam eucharistiam in piscibus ac panibus, quos Christum discipulis porrexisse Joannes (l. c.) narrat, disertis verbis agnoscunt. Quod in anonymi Africani et ipsius Augustini libris testatum repperio. Ille enim Christum appellat *piscem magnum qui satiavit EX SE IPSO in littore discipulos, et toti se obtulit mundo* ἰχθὺν; hanc de eucharistia Joannis narrationem exposuisse recte, meo quidem judicio, Polidorius affirmavit[1]. Ait enim : « Fecit prandium Dominus illis septem discipulis, de pisce scilicet, quem prunis suprapositum viderant, et de pane. Piscis assus Christus est; ipse est et panis, qui de coelo descendit. Huic incorporatur Ecclesia ad participandam beatitudinem sempiternam...., ut omnes, qui hanc spem gerimus tanto sacramento nos communicare possimus, et eidem beatitudini sociare[2]. « Et sane collatis anonymi Africani verbis, itemque ipsius Augustini de eucharistico pisce, quae superius jam protuli, ac demum picturis nunc in medium prodeuntibus, non de quacumque fidelium cum Christo, sed de illa, quae per eucharistiam fit, conjunctione haec ab Augustino dicta fuisse negari non posse existimo. Quid enimvero jam quaerimus cur piscem in mensa sub sacerdotis manu positum sic artifex expresserit, ut coctum esse, et in patella porrectum omnes intelligerent, cum non modo Patres *piscem assum* Christum passum significare statuerint, non modo iidem hunc typum de divinis historiis et de evangelica quoque apud Joannem narratione petierint, et ad ipsam interdum eucharistiam traduxerint, sed ipse pictor has prae oculis allegorias habuerit, et in proxima pictura consignaverit?

in quo latet imago eucharistiae,

26.

frequenter expressa tam in primaeva quam in media Ecclesiae aetate,

Quas allegorias ab antiquissima hac aetate ad recentissima usque medii aevi tempora propagatas fuisse, earumque traditionem numquam penitus oblitteratam, insignia quae Tu ipse commemorasti[3], a saeculo XI ad XIV, quin et XV, monumenta manifestissime docent. Nec negotium facessat convivarum numerus qui septem unice sunt, cum contra septem discipuli fuerint, octavus autem Christus; siquidem nec Joannes Christum cum discipulis narrat accubuisse, sed panem et pisces iisdem dedisse; quare potuit pictor, qui epulum jam apparatum expressit a pingenda Christi, panem et pisces porrigentis, imagine pluribus de causis consulto abstinere; potuit idem eurythmiae gratia sex tantum discipulos pingere septimum omittere, cujus generis licentiam a christianis pictoribus interdum sumptam aliae coemeteriorum picturae demonstrant[4]. Caeterum vel in coelestis convivii pictura piscis imago aptissima fuit, tametsi ad eucharistiam vix ulla referri ratione potuerit. Beatos enim, quos coelesti mensae accumbere veteres christiani picturis illis significarunt, vivere in Christo, et Christo frui eorum temporum aequalia passim epitaphia praedicant; quare nil aptius potuit a pictoribus excogitari, quam ut de pisce, sub quo Christus intelligitur, coelestes convivas satiari demonstraret. Et sane hoc ab illis symbolum usurpatum vere fuisse facile evincam. Tametsi enim pleraeque id genus picturae adeo evanidae jam sint, ut quodnam cibi genus illis mensis appositum fuerit nec Bosius nec ego ipse oculis assequi potuerim, tamen

neque eadem omnino a coelesti convivio aliena est

(1) *Affirmavit.* Polidori, l. c., p. 247.—(2) *Sociare.* Tract. 123, *in Joann.* Evang. — (3) *Commemorasti.* Vid. *Spicil.*, t. I, 558.—(4) *Demonstrant.* V. Patrizi, *De Evangeliis*, t. II, p. 319.

piscem proprie fuisse insignis in SS. Petri et Marcellini coemeterio pictura aperte docet. Haec illa ipsa est, quam edidit Bosius R. S., p. 391 (Aringhi, t. II, p. 119), quamque coeleste convivium exprimere, collata simili quadam in eodem nuper reperta pictura, certissimum fit. Ibi porro in tripode non coctum nescio quem quadrupedem, qui in editis exemplis visitur, sed piscem depictum esse diligenter deterso nuper tectorio nitidissime apparuit. Verum haec ad eucharistiam, ut praedixi, vix ulla ratione spectare posse judico. Quum aeternae vitae et resurrectionis pignus antiquissimi quidem Patres agnoscunt; at fidelibus, qui hanc vitam agunt, illud futurae pignus datur, non illis, qui futuram jam non exspectant, sed sunt assequuti. Quare piscem, in coelesti mensa positum, Christi quidem symbolum esse nihil dubito, ad eucharistiam tamen ἰχθὺν eumdem quoque referre vereor, ne nimis exquisita et nimis longe petita argumentatio possit videri.

27.
Tertii saeculi esse callistianas picturas declarant :

Jam ad callistianas picturas redeo, quarum, quod restat, aetatem, quam potero dilucide, aggredior definire. Quae demonstratio triplici e fonte deduci potest : e loci nempe topographia, ex ipsa picturarum indole ac stilo, ac demum ex inscriptionibus, quae illis sepulcris affixae olim fuerunt; haec vero, ne infinitus sim, breviter indicare potius, quam explicare pergo. Subterranei coemeterii via, in qua quinque illae sitae cellae sunt in eodem plano ac sepulcrali pontificum crypta excavata est, atque eidem ita proxime conjuncta, ut nisi ipsa hypogaei structura posteriori aetate effossam fuisse non levibus indiciis prodat, parem fere cum pontificum sepulcris originem et antiquitatem habere videatur unice verisimile. Atqui non modo nulla recentioris effossionis in subterranea hac via indicium vel vestigium apparet, sed quantum de ejus loci topographia, quae magna adhuc hypogaei parte humo et ruinis oppleta nondum cognosci perfecte potest, licet judicare, cryptam in qua Pontianum primo Antherus composuit, eodem fere quo via et cubicula, de quibus loquor, tempore excavatam opinor fuisse. Quare si conjecturis semel indulgere fas esset, in hanc fere opinionem venirem eam coemeterii partem Antherum ipsum effodiendam et construendam curasse, quippe quem *multas fabricas per coemeteria* fieri jussisse anonymus in Bucheriano, quem vocant, catalogo, fidissimus auctor testatur; quam opinionem, nisi brevitati studerem, tot indiciis confirmarem, ut non jam mera fortasse conjectura, sed valde probabilis cogitatio posset videri. Et quoniam primam saltem et alteram cellam fossores sibi condidisse et reservasse ex appictis eorumdem imaginibus et collatis aliis id genus monumentis mihi persuasi, hoc illos ipsos esse qui Antheri pontificis jussu hanc Callistiani coemeterii partem effoderunt, verisimillimum judico. Sed opinionem hanc meam, quam tacere nolui, quanti quisque volet aestimabit. Illud non conjecturis, sed ratione et veterum artium scientia cognoscimus harum picturarum stilum atque indolem aetatem saeculo tertio recentiorem prorsus excludere. Et sane multo antequam ejus hypogaei historia, quae ab anni superioris effossionibus cognosci coepit, utcumque innotuisset, quin immo cum Marci vel Damasi sepulcra proximis sub ruinis latere verisimilis plerisque opinio videretur, hanc tamen, quam protuli, de earum picturarum aetate sententiam, e stili unice indicio, me saepe praesente, dedit Joseph. Marchius V. C. cujus in christianis monumentis scientiam nemo non suspicit; quare effossis nunc demum e proxima crypta non Marci vel Damasi, sed Antheri aliorumque romanorum tertio saeculo pontificum titulis, vere et sagacissime illum judicasse ipse rerum eventus demonstrat.

1° Locorum topographia,

2° Argumenta picturarum,

Sed illa fortasse tutior discernendae picturarum aetatis via ac ratio est, quae res ipsas picturis expressis et vestium ornamentorumque formas expendit. Haec enim

lex sive optimos, sive pessimos artifices pariter adstringit, ut in picturarum argumentis, iisque, quae ad vivendi rationem ac consuetudinem spectant aetatis mores et opiniones vel nescientes, interdum quoque inviti exprimant, et posteris prodant. Quo argumenti genere nihil aptius ad picturarum, de quibus loquor, antiquitatem confirmandam atque asserendam. Nam ut argumentationis summa tantum capita innuam, primum illius sollemnis quasi cycli[1], quod in plerisque jam editis coemeteriorum picturis eruditi viri deprehenderunt, nullum in his cubiculis vestigium apparet, sed partim numquam alibi visae et interpretatu difficillimae sive allegoriae sive historiae, partim vel in ejus cycli picturis passim obviae ex utroque foedere historiae, sed alia prorsus forma expressae, ut cyclum illum, cum haec artifex pinxit vel nondum exstitisse vel nondum receptum vulgo fuisse facile quivis intelligat.

Vestium deinde ratio consideranda est a plerisque vel Callistiani coemeterii picturis manifesto diversa. De quibusdam enim quasi ascetarum philosophico habitu imaginibus jam dixi, quas tamen non alibi facile offenderis; tunicam sub pallio in exeuntis praesertim tertii et vertentis quarti saeculi monumentis fere omnes virorum imagines induunt. Et sane jam medio saeculo tertio Cyprianus philosophicam illam *exserti ac seminudi pectoris inverecundiam* fastidire et christianum *factis non verbis, nec vestitu sed veritate sapientiam praeseferre* debere aperte pronuntiaverat (*De bono Patientiae*, n. III). Quo minus mirandum est hujuscemodi ascetarum imagines in ejus, quam dixi, aetatis monumentis jam non apparere[2]. Reliquarum item imaginum, quae in his picturis occurrunt, vestes ante medium saeculum tertium propriae christianorum videntur fuisse. Fossores enim tunicam albam discinctam ab omni prorsus ornatu puram induunt, quam *discinctam candidam* acta martyrum Perpetuae et Felicitatis appellant, et Ecclesiae ministros eadem uti consuevisse satis innuunt : et quod magis mireris, tum puer quidam, qui orantis habitu depictus est, cum femina illa quae ante mensam adstat tunicas item puras praeferunt, id est nec purpureis clavis nec calliculis, nec ullo id genus ornatu distinctas, quod in puerorum feminarumque imaginibus vix umquam alias me vidisse memini. Demum in his picturis argumenta quidem e divinis libris et christianis ritibus petita sunt, caetera vero ornamenta puram putam ethnicae artis imitationem referunt, qualis, si exemplum quaeris, delphinus ille est tridenti implicatus, quem ex his ipsis picturis jam exhibui (tab. II, n. 5). Quae adeo vehementia maximae antiquitatis indicia sunt, ut ante medium saltem saeculum tertium confectas has picturas cuivis, ut reor, facile persuadeant.

3° inscriptiones ibidem repertae.

Sed potissime in inscriptionibus hujus, quam quaerimus, aetatis probatio est. Licet enim plerique sepulcrorum tituli multo ante quam via et cellae de quibus loquor, his proximis annis denuo effoderentur, ablati jam fuissent (quod qua proprie aetate factum fuerit certis indiciis comperi), pauci tamen qui suis adhuc loculis affixi sunt, et caeterorum plurima praesertim fragmenta quibus totum conspersum hypogaeum erat ante saeculum saltem quartum condita in his sepulcris cadavera fuisse adeo perspicue significant, ut nullum dubitationi locum relictum existimem. Epita-

(1) *Cycli.* Raoul-Rochette, *Tableau des Catacombes*, ch. III. — (2) *Apparere.* Prudentium, qui toties deprehenditur coram vetustis heroum christianorum imaginibus, eorumdem cecinisse certamina, nostras aut similes vidisse picturas non dubitaverit, quicumque *Psychomachiae* legerit initium. Eodem enim plane quo in callistiana pictura, habitu ascetico succincta Fides cum « veterum Cultura deorum » prælium in Prudentianis versibus inire conspicitur. *Edit.*

> Prima petit campum, dubia sub sorte duelli
> Pugnatura fides, *agresti turbida cultu*,
> *Nuda humeros, intonsa genas, exserta lacertos.*
> Namque repentinus laudis calor ad nova fervens
> Prælia, nec telis meminit, nec *tegmine cingi*,
> Pectore sed fidens valido, *membrisque retectis*,
> Provocat insani frangenda pericula belli.

phiorum enim, quae saeculo demum quarto confecta fuerunt, indolem ac stilum ex infinitis prope, ut jam docui, certam anni notam praeferentibus titulis facile discimus, a quibus tituli in via et cellis suprascriptis reperti dictione, scriptura, appictisque ornamentis tantum distant, ut antiquiores esse quivis statim agnoscat. Et sane nullum in his sive titulis, sive fragmentis, sive sepulcris monogrammatis ☧ vestigium apparet, quod saeculo saltem quarto antiquioris aetatis non leve indicium est, contra in paucis, quae vastatorum manus effugerunt sepulcrorum tabulis, anchorae imago bis, boni pastoris item bis, navis semel, oleae semel occurrunt, usitatissima, quod omnes norunt, primaevis christianis symbola, et in quarti saeculi titulis vix raro obvia; monogramma demum quoddam semel apparet, sed hujus proprie formae ☧, quod saeculo tertio et in eodem hoc coemeterio adhiberi a christianis consuevisse insignis apud Boldettum (p. 80) anni 268 inscriptio luculenter testatur. Dictio in his titulis adeo simplex, munda et laconica est, ut nuda saepe nomina, nonnumquam brevem elegantemque adclamationem unice praeferant, nempe : *Priscus in pacem; Augurine in Dom. et* ☧; *vivas in Deo, dormi in pace;* et qui caeteris paullo plenior ac diffusior est titulus, quem huic commentario infra attexendum [p. 584,] curavi, ea tamen indole est, ut si monumentum cui affixum olim fuit ipse non vidissem, christianus an ethnicus sit jure dubitassem. In quo Caeciliae cujusdam Faustae nomen non longe a Caeciliae celeberrimae martyris crypta non sine quadam admiratione me fateor legisse; rarissimum enim in christianis epitaphiis Caeciliae gentis nomen esse eorum collectio declarat; ecce autem proxime ejus martyris sepulcrum hoc ipsum jam tertio nomen apparet. Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ, neque enim conjecturis lubet indulgere. Graeca totidem saltem ac latina heic epitaphia sunt, fortasse etiam numerosiora, quantum ex fragmentis licet conjicere, quod item saeculi tertii nondum inclinati indicium esse cum alia argumenta demonstrant, tum praesertim nuper reperti ejus aevi pontificum tituli, quos graeca omnes lingua scriptos esse, puto, jam nosti. Scriptura demum cum saeculi quarti titulis nullam, cum tertii ac maxime cum pontificiis, quae modo laudavi epitaphiis, maximam similitudinem habet. Plura alia eaque vehementia indicia silentio praetereo, quod explicare illa nequeam, antequam monumenta ipsa diligenter ediderim. Sed quae summatim attigi talia, ni fallor, sunt, ut collata praesertim cum ejus hypogaei historia ac topographia, tum picturarum argumentis et stilo ante medium ferme saeculum tertium factas has picturas fuisse aequis harum rerum aestimatoribus, spero, persuaserint.

Tertio igitur saltem sæculo eamdem fuisse atque etiam nunc in Ecclesia Romana de Eucharistia fidem, postremo concluditur.

Quo quid illustrius excogitari, vir clarissime, potuit ad catholicae ecclesiae de eucharistia doctrinam confirmandam atque asserendam, siquidem arcana haec tessera, quam de divina eucharistia inde a saeculo saltem tertio romana ecclesia cum gallicana et africana, ut Tertulliani verbo utar, *contesseravit,* illud diserte significat alto premendum silentio mysterium hoc unice fuisse eucharistiam ipsum esse ἰχθὺν Christum Dei Filium Servatorem. Sed haec Tuae partes sunt, in quas nolim imprudens invadere; archaeologum enim non theologum me agere oportere probe sentio. Quare, quoniam officio jam meo utcumque me functum esse video, et huic epistolae finem faciendum esse res ipsa monet, hanc tu spartam pro rei dignitate, vir clarissime, exornare et catholicam Ecclesiam christianasque litteras doctrina studiisque Tuis juvare atque illustrare perge.

Scribebam Romae, prid. kal. jul. MDCCCLV.

INDEX INSCRIPTIONUM,

quæ ἰχθύος *signo notatæ sunt* [ad pag. 550, n. 4].

Inscriptiones, quae ἰχθύος signo notatæ sunt, recensere pergo et numeris distinguere, quo facilius illas possim in commentario adhibere; editores non omnes, sed monumenti testes primarios unice appello; non enim inscriptionum collectionem heic edo, sed merum indicem conficio. De litterarum aetate in titulis, quos ipse vidi, quoties sileo, certi quidquam me definire nolle significo; nulla tamen hoc in numero inscriptio est, quae scripturam saeculi quinti vel sexti epitaphiis unice propriam praeferat. Ab inscriptionibus quae ipsas litteras ΙΧΘΥC exhibent, exordior.

1. Loculus in coemeterio Priscillae via Salaria nova, et in ea proprie parte, quae antiquissimis picturis a Bosio editis ornata est (v. Aringhi, R. S. t. II, p. 297 et seqq.), qui has in calce exaratas litteras unice praefert: ΙΧΘΥC.

2. Titulus in lapide alabastrita, exeunte elapso saeculo defossus e veterum aedificiorum ruinis, quae sunt via Appia nova mill. p. m. v, cujus fragmentum nunc exstat in musaeo Kircheriano (et laudatur a Fr. Lenormant, *Mém. sur l'inscr. d'Autun*, [extrait des *Mélanges d'archéologie*, t. IV], p. 5), paene integrum descripsit d'Agincourt, cujus autographum exemplum repperi in Vaticana bibliotheca. In ea, quae modo periit, parte incisum fuit monogramma ☧ circulo inclusum, et superius litterae LIORV*m*, quas ego sic restituendas existimo: AVRELIORVM. Sepulcrum nobilis christianae familiae in ejus praedio situm hoc titulo indicari, quin et ipsam sepulcri aetatem medio saeculo quarto esse definiendam multa mihi persuadent, quae non est hujus loci enarrare. Caeterum recentiorem aetatem vel ipsa tituli palaeographia videtur excludere.

Item epitaphia litteris ΙΧΘΥC in summa vel ima tabula adscriptis, quae sequuntur.

3. Graecum epigramma in lapide opisthographo qui jam nuspiam apparet, adversa pars latinum, aversa graecum titulum praeferebat. Lapidem in coem. S. Hermetis Lupius (*S. Sev.*, p. 104) et Marangonius (A. S. V. p. 76) ita cuidam loculo, cruento calice insigni, viderunt affixum, ut latina inscriptio conspicua foret, graeca lateret, quam ab antiquiori loculo revulsam olim fuisse manifesto apparebat. In loculo unum tantum cadaver erat, ejus nempe de quo latinus est titulus. Graeca ergo inscriptio latinam aetate necessario superat, et quoniam sepulcrum, cui adhaesit, violatum vel demolitum statim fuisse non est certe verisimile, non mediocre inter utramque temporis spatium intercessisse credendum est. Latina vero quarto saeculo recentior nullo pacto potest haberi.

4. Latinus titulus editus a Bottario, R. S. t. III, p. 116, n. 1, et Mamachio, *Ant. Ch.* t. IV, p. 12. E subterraneis coemeteriis circa an. 1730 effossum iidem testantur, sed in coemeterii nomine discordant, qua in re indiligens uterque fuit. Lapidem Perusiae vidit Vermiglioli, *Iscr. Perug.* 2. edit. t. II, p. 575, n. 2; nunc periit.

5. Titulus latinus musaei Vaticani e coem. S. Hermetis teste Lupio, *S. Sév.* p. 145, et in *Opp. posthumis*, t. I, p. 83, 178, 228: alios editores consulto praetereo. Litterae satis antiquae sunt, quod quoties dico scripturam, quae saeculo saltem quinto antiquior videatur, significo. Certius quidpiam de scripturae aetate plerumque definire non audeo, et hoc ipsum non semper audeo.

6. Titulus latinus mus. Vaticani in ingenti tabula marmorea, quae arcosolium videtur occlusisse, e subterraneis coemeteriis prodiit; edita fuit a Marinio, *Arv.* p. 255.

7. Fragmentum epigrammatis latini in horreis villae Burghesianae ad portam Flaminiam, unde effossum fuerit ignoro; lapidis tamen modulus et forma, quantum ex superstite fragmento conjici potest, subterranei coemeterii sepulcro claudendo unice videtur idonea. Scriptura satis elegans est, et inscriptionum saeculi circiter tertii fere propria. Totum fragmentum communibus typis exhibere nequeo; postremos tres versus exscribam qui fere integri sunt, et ex Virgilio Æneid. II, 143, 144, nullo negotio restituuntur; reliquorum vix paucae litterae supersunt [vid. supra, p. 544, n. 111]:

HIC TI*bi* FINIS ER*at* VITAE DVLCISSIME NATE
SET PATER OMNIPOTENS ORO MISERERE LAB*orum*
TANTORVM MISERE ANIMAE NON DIG*na*
FERENTIS
IX. . . (palma)

8. Latinus titulus in quo acrostichis Ι · Χ · Θ · Υ · C · Ν incisa est e coem. SS. Gordiani et Epimachi testibus Fabretto, p. 329, 485, et Buonarrotti, *Vetri*, p. 17. Boldettus, p. 58, ponit in coem. Cyriacae, sed hujus plane incredibilis in tradenda monumentorum historia negligentia est, de qua lectores monere necessario cogor. Reliquos editores praetereo; lapis ubinam exstet, et an adhuc exstet ignoro.

9. Lat. titulus musaei Kircheriani quem innuit J. Marchi *Mon. primitivi dell' arte cristiana*, p. 70 (cf. Lenormant, l. c.); in summo titulo notae D · M · tum ΙΧΘΥC ΖΩΝΤΩΝ, inferius anchora et duo pisces. Effossus fuit anno 1841, in monte Vaticano cum aliis christianis epitaphiis magnae molis tabulis inscriptis, quae certas medii saeculi quarti notas praeferebant et in Vaticanae basilicae exhedris posita fuisse perspicue apparebat. Hujus lapidis forma exigua et superius fastigiata cum sepulcris illis nil commune habere mihi visa est; litterae quoque epitaphiis illis manifesto antiquiores, et saeculo facile tertio incisae, quare e subterraneis potius Vaticani coemeterii ruinis illuc asportatum olim fuisse verisimilior conjectura est.

Sequuntur epitaphia sola piscis imagine nobilitata ad num. usque 25; quae recensentur a n. 10 ad 16, jam non exstant.

10. Lat. tit. e coem. Priscillae editus a Boldetto, p. 385.

11. Id. e coem. Callisti ed. idem, p. 364.

12. Id. ex eodem coem. ed. idem, p. 409, et Bottari, R. S. t. III, p. 117, n. 11, qui tamen piscis imaginem omisit.

13. Id. ex eod. coem. ed. id. p. 360, iterum p. 484, negligentius, ibique e coem. Cyriacae effossum scribit.

14. Id. ex eod. coem. ed. id. p. 366.

15. Id. e coem. Priscillae, ed. Bosius R. S. p. 534, unde Aringhi R. S. t. II, p. 288, qui hunc titulum male cum alia ethnica inscriptione miscet.

16. Graeca inscriptio e coem. S. Hermetis: ed. Lupi, *S. Sev.* p. 65; iterum, *Op. post.* t. I, p. 165.

17. Lat. tit. musaei Vaticani e coem. S. Hermetis teste Lupio, *S. Sev.* p. 105, et *Op. post.* t. I, p. 153.

18. Lat. tit. quem vidi Anagniae in SS. Cosmae et Damiani e coem. Gordiani teste Marangonio, A. S. V. p. 103. Litterae pessimae sunt; saeculo circiter quarto scriptum opinor.

19. Lat. tit. quem vidi Velitris in sacello gentis Borgiae, effossus e coem. Pontiani anno 1778 teste Marinio

in sch. mss. edd. Amadutius, *Anecd.* litt. t. IV, p. 542, n. 60; Vermiglioli, *Iscr. Perug.* ed. I, p. 331, Cardinali, *Iscr. Veliterne*, p. 201, n. 134.

20. Lat. tit. quem vidi Florentiae in aedibus Rinucciniis, effossus e coem. Praetextati anno 1744 teste Marangonio, *Cose Gentilesche*, p. 464; edidit quoque Passionei, *Iscr. ant.* p. 124, n. 78. Praefert notas D · M; saeculo facile tertio scriptum opinor.

21. Lat. tit. musaei Lateranensis in tabula oblonga, quae reperta est anno 1843 in coem. S. Hermetis, suo adhuc loculo affixa, litteris saeculi minimum tertii vel ineuntis quarti, fortasse antiquioribus, quem placet exscribere:

M · AVR · AMMIANVS · FECIT
SIBI · ET · COIVGI · SVAE · CORNE
LIAE TRYFERATI BENE CONBE
NIEN TIBVS.
piscis

De dictione *bene conbenientibus* cf. Suetonium in Tiberio, § 7.

22. Lat. tit. quem suo adhuc loculo affixum repperi anno 1852 in coem. SS. Petri et Marcellini, optimis litteris et valde antiquis, item piscis imagine ab alia manu levi graphio inscalpta:

LEONTIE · IN PACE QVE ·
VIXIT · ANNIS · XXVII ·
MENS · IIII · DIE · XXVIII ·
FECIT · PRIMVS · CVM ·
LABORONE SVE · *piscis*

(Cf. Gori, *Inscr. Etr.* t. II, p. 74, n. 41.)

Lapis loco motus non est, et ea coemeterii pars, in qua adhuc exstat, quantum a picturis, quibus ornata est (quarum partem edidit Bosius, R. S. p. 391, partem inde ab anno 1852 nos ipsi effodi vidimus) a titulis permultis, quos diligenter expendi, et signis, quae in calce circa loculos exarata sunt, didici, constantinianeam aetatem manifesto superat. Indidem et sequens titulus est cujus dissita fragmenta a fossoribus olim disjecta ego conjunxi, et supplevi.

23. Litterae saeculi circiter tertii:

CLODIO SAL · · · · *d*VL
CIS · SI · M *o f* IL
delphinus ME · SO · RV *m* XXXII
IS · PI · R*itu*S *delphinus*
IN · BO*no*

24. Fragmentum graecae inscriptionis pessimis litteris, effossum anno 1853 in inferiori hypogaeo coemeterii SS. Nerei et Achillei, et illa proprie parte cujus aetatem infinitis prope ex indiciis ac praesertim ex repertis ibidem pluribus nummis, saeculis secundo et tertio definiendam esse didici:

piscis ΚΟΥ. . . .
ΣΕΙΡΙΚ. .

25. Fragm. latini tituli in mus. Lateranensi pessimis litteris e subterraneis coemeteriis effoss. anno 1824; vestigia inscalpti olim piscis in ea, quae superest, parte, conspicua sunt.

26. Graecum epigramma olim Romae, dein Argentorati in musaeo Oberlini, appicta agni imagine inter duos pisces; ed. Schoepflinus, *Alsatia illust.* t. I, p. 601, idem *mus. Schoepflini*, p. 72. Inde Welcker, *Syll. epigr. graecorum*, p. 115. Christianam esse ex appictis signis recte vidit Raoul Rochette, *Mém. de l'Acad. des inscr.* XIII, p. 129, sed et in epigrammatis verbis christianitatis indicia nonnulla sunt, a quibus declarandis brevitatis gratia heic abstineo.

27. Lat. tit. anni 401, appicto Lazari sepulcro, candelabro, ut omnes interpretantur, heptolychno, domo, libra, et pisce, de quo jam dixi in commentario: effossus fuit e coem. quodam via Latina.

28. Lat. tit. e coem. subterraneis, in quo protome defuncti et piscis imago inscalpta est; Marinius excepit e libris tabularii sacrarii pontificis, et descripsit in scheda sua 3787.

29. Lat. tit. e coem. S. Hermetis teste Lupio, *S. Sev.* p. 53, et Marangonio, A. S. V. p. 122; praeter piscem clypeus sive orbiculus ansatus inscalptus est, in cujus medio monogramma ☧.

30. Fragmentum latini tituli in coenobio S. Gregorii ad clivum Scauri effoss. e coem. Cyriacae anno 1762 teste Blasio in *Inscr. bibl. S. Gregorii*, p. 346, 17, qui multo plenius edidit, quam nunc est, piscis ramusculum palmae ore praefert, appictum quoque monogramma ✶.

31. Lat. tit. quem vidi Neapoli in mus. Borb. olim in Borgiano e suburbanis coem. subterraneis; appictae imagines sunt piscis et mallei, et monogramma ☧; ed. post alios Mommsen, I. R. N. n. 7185.

32. Lat. tit. quem vidi Anagniae in SS. Cosmae et Damiani, et effossum e suburbanis coem. subterraneis certo scio; litterae non inelegantes et satis antiquae:

CASSVS ♁
DOMNINVS
delphinus
navim dorso
sustinens

33. Lat. tit. Roma in arcem Junonis translatus, quem edidit Grut. 642, 1, inter ethnicos. Marinius christianis accensuit, et recte: navis enim et piscis symbola appicta sunt, quae sic in uno epitaphio conjuncta in ethnicis titulis numquam vidimus; praeterea piscis inter duas litteras DM effictus est, quem locum plus semel Christi monogramma occupat; demum tituli dictio antiquioribus christianis epitaphiis simillima [vide an emendanda quae sup. p. 511].

34. Lat. tit. e coem. Priscillae, cui appictae imagines feminae orantis, columbae et piscis, Bold. p. 573; Lupi mutilum vidit Romae, *S. Sev.* p. 118, *Op. post.* t. I, p. 177, Garampius Brictinovii in aede cathedrali, quod testatur Marinius, *Papiri Diplom.* p. 355.

35. Graec. tit. e coem. subterraneis (quod lapidis forma declarat) appicto pisce, avicula, et vasculo; ed. Lupius, *S. Sev.* p. 185; periit.

36, 37. Latini tituli duo; uterque medium monogramma ☧, hinc inde columbam et piscem, praefert; alter e coem. Priscillae (Bold. p. 371), alter e S. Agnetis (Bold. p. 453): perierunt.

38, 39. Latini tituli duo, in quorum uno columba et monogramma ☧, cui hinc palmae, vel olivae ramus, inde piscis coronam ore praeferens appingitur; altero asciae, columbae, palmis vel olivae ramis insistentes et piscis; utrumque e coem. Priscillae ed. Bosius, p. 505 et 506, unde Aringhi, t. II, p. 259: perierunt.

40. Graecus titulus e coem. S. Hermetis teste Bosio, R. S. p. 564, unde Aringhi, t. II, p. 327; appictus est piscis, et columba palmae ramusculo insistens, et eamdem ore praeferens: periit.

41. Lat. tit. e subterraneis urbis coemeteris quem ed.

Oliverius, *Marmora pisaurensia*, p. 70, n. 175 : bini pisces et pavones sunt inscalpti : Pisauri jam non exstat.

42. Fragmentum latini tituli e subterraneis urbis coem. effossum anno 1817; nunc in mus. Later.; aviculae et piscis signa rudi graphio inscalpta sunt.

43. Fragmenta latini tituli e coem. S. Agnetis anno 1851, nunc in mus. S. S.; avis olivae ramum praeferens, vasculum et piscis sunt inscalpti.

44. Lat. tit. e coem. quodam via Latina teste Bosio R. S. p. 303, cui appictas fuisse boni pastoris, monogrammate ☧ in summo capite inscripto, et piscis imagines, quas Bosius omisit, didici ex apographo Francisci Ptolomei in codice Senensi K. VIII, 3, p. 371, et Jani Nicii Erythraei apud Mamachi, *Orig. christ.* t. III, p. 18.

45. Sarcophagus e veteris Vaticanae basilicae fundamentis erutus, cui inscalptae boni pastoris, piscis et anchorae imagines, de quo jam dixi in commentario.

46. Graec. tit. qui adhuc exstat Urbini in aedibus municipalibus; anchoram, piscem et latinas litteras D M praesefert, effoss. e coem. S. Helenae teste Fabretto, p. 590, n. CVII.

47. Lat. tit. in aedib. Barberinorum olim positus (nunc jam non exstat); unde effossum ignotum; ed. Oderici, *Diss.* p. 43, et Zaccaria, *Ann. Lett.* t. I, P. II, p. 206; appicta anchora, piscis, monogrammata.

48. Lat. tit. in horto puellarum mendicantium e subterraneis coemeteriis, quem ed. Fabr. p. 569, n. 129. Accuratius exemplum habeo ex Lupii schedis Vaticanis: appicta anchora, piscis, monogramma; lapis periit.

49. Lat. tit. olim in S. Salv. in Lauro, appicto pisce, anchora et columba palmae ramum praeferente, e schedis Aldi junioris autographis in cod. Vat. 5253, p. 251 : ed. idem Aldus, *Orthogr.* p. 482, 2, sed omissis symbolis, quare inter ethnicos posuit Grut. 877, 6, itemque Mur. 1691, 3, qui e sch. Ambrosianis. Lapidem post saeculum XVI nemo vidit.

50. Lat. tit. anni 234, pisce et anchora insignis, e coem. S. Hermetis, de quo dixi in commentario.

51. Lat. tit. in musaeo Perusino, olim Florentiae apud Gaddios, sed Roma cum aliis titulis illuc translatum opinor; edd. Gudius, 262, 7. Malvasia, *Marm. Fels.* p. 307; Gori, *Inscr. Etr.* t. I, p. 200, n. 41; Vermiglioli, *Iscr. Perug.* t. II, p. 594, n. 28, aliique qui ab his pendent; Gorius piscis et anchorae erectae hinc inde effictas imagines christianitatis indicia esse pronunciavit, alii sive negligenter sive scientes volentesque ethnicis accensuerunt. Sed omissa Dis Manibus dedicatio, et signa illa ita prorsus, ut in christianis saepe titulis unice occurrunt, effieta, Gorii sententiam aperte confirmant.

52. Lat. tit. mus. Vat. inter ethnicos; sed effossus fuit e coem. S. Agnetis anno 1767 : et lapidis partem periisse in qua piscis et anchora erant insculpta ex Marini apographo didici (*Inscr. christ.* ms. p. 573, 14). Caeterum etiamsi christiana haec symbola incisa lapidi non fuissent, tamen et christianum et coemeterii S. Agnetis proprium titulum pronunciassem. In illo enim coemeterio numerosam, praeter alias, inscriptionum quasi familiam agnovi, quae ab uno eodemque lapicida incisa fuit litteris in exemplum elegantissimis, eleganti item breviloquentia, ut vel sola dictione et scriptura, quae de hac familia sunt, inscriptiones inter millenas nullo erroris periculo possim discernere. Totam autem hanc, quam dixi, familiam saeculo saltem tertio recentiorem non esse certissima indicia demonstrant, quae nimis prolixum foret heic recensere. Ipsum titulum exscribere pergo

DIONYSODORAE · FILIAE · DVLCISSIMAE
VICTORIA · MATER · FAVSTINVS · PATER
NICE · SOROR · VICTOR · FRATER

53. Graec. tit. mus. Vat. e subterraneis coem. (quod lapidis forma declarat) : appicta anchora *cruciformis* et piscis, ed. Lupi, *S. Sev.* p. 136, aliique multi.

54. Lat. tit. quem vidi Pisauri in musaeo Oliveriano pisce et anchora *cruciformi* insignis, effossus fuit e coem. Priscillae teste Zaccaria in Lupii *Op. post.* t. I, p. 289, et Lamio, *Nov. Lett. di Firenze*, an. 1749, p. 358, 3; neuter piscis imaginem exhibet.

55. Lat. tit. e coem. Praetextati teste Marangonio, A. S. V. p. 111, columba et uvae racemus itemque piscis anchorae alligatus summum et imum titulum exornant : periit.

56. Id. ex eod. coem. eodem teste l. c. p. 107; piscis medius, gemina hinc inde anchora : periit.

57. Lat. tit. quem vidi Romae in sacello domestico Laurentii Lucidi praesulis v. c. optimis litteris, saeculi minimum tertii, duplici anchora, media columba et pisce, appicto quoque uvae racemo satis eleganter, e coem. Cyriacae effossum testatur Gorius, *Inscr. Etr.* t. III, p. 356, n. 31, sed symbola pessime exhibet.

58. Lat. tit. quem Anagniae vidi in SS. Cosmae et Damiani, duplici primum hinc inde anchora, dein pisce leviori graphio ab alia manu appictis; litteris D M primo inscriptis deinde deletis; e coem. S. Saturnini teste Marangonio, A. S. V. p. 151, qui inter ethnicos posuit, quod leviter incisam piscis imaginem, et deletas litteras DM non adverterit; totam inscriptionem, non solam piscis imaginem christianam judico, cujus opinionis argumenta, cum breviter indicare non possim, cogor silentio praeterire.

59. Lat. tit. e coem. Callisti; anchora *cruciformis*, media, geminus hinc inde piscis (Bold. p. 366) : periit.

60. Graecum epigramma e coem. Priscillae teste Bold. p. 370. Inde millies repetitum et emendatum; et in hoc quoque Solesmensi Spicilegio, t. I, p. 559 : mediam inscriptionem occupat anchora *cruciformis*, gemino appicto hinc inde pisciculo : periit.

61. Lat. tit. in coenobio S. Pauli via Ostiensi, sed e subterraneis coem. ed. Nicolai, *Basil. Ostiense*, p. 159, n. 259 : appicta symbola, eadem quae in num praeced. prorsus omittit et tacet.

62. Lat. tit. in lapide Tiburtino effoss. anno 1795 prope sepulcrum Metellae via Appia teste Marinio (*Inscr. christ.* ms. p. 524, 5); sed lapidis formam sic describit ut a reliquis christianis epitaphiis dissimillima esse videatur. Tamen inter christianas ponit, ob appicta certe symbola, quae quidem deficiente praesertim quovis ethnicae superstitionis indicio et tota tituli dictione soloeca et christianis simillima maximam vim habent ut Marinii sententiam amplectar. Ecce ipsum titulum :

AEGRILIVS
EOT · · IVS
PHILADES
POTVS DVL
CISSIMVS
ET · PIENTIS
SIMVS · SVI
PARENTES
FECERVNT
VIXIT · AN
VIIII · D · XL
M · S

Orbiculus in sex partes divisus similimus panibus qui sunt in tabella n. 71.

anchora *cruciformis*, piscis.

63. Lat. tit. e coem. Lucinae, appictis duobus piscibus et duobus circulis, id est panibus, teste Marangonio in scheda autographa quam descripsit Marinius (sch. 2083):

idem ille titulus est, quem Bold. edidit, p. 51, sed adeo corruptum et omissis potioribus christianitatis indiciis quae Marangonianum unice exemplum exhibet, ut ethnicus potius quam christianus videatur. Caeterum in christianarum inscriptionum collectione de hoc titulo ita loquar ut omnem omnino de ejus christianitate dubium me deposuisse nolim videri.

64. Lat. tit. cujus pars exstat in mus. Vat. pars tempori cessit, integrum vidit in coem. Praetextati Marang. A. S. V. p. 133, et in musaeo Passioneio; Bened. Passionei, *Inscr. Ant.* p. 113, 14. Uterque in ea, quae nunc periit, parte Christi monogramma et delphinum tridenti implicatum exhibet.

65, 66. Fragmenta duo e coem. Callisti (verius SS. Nerei et Achillei sub praedio, *Jor. Marancia*) quae descripsit Bosius, R. S. p. 216 (unde Aringhi, t. II, p. 521 et 522); unum tridentem praefert, aviculam et piscem; alterum anchoram *cruciformem*, piscem, et nescio quas circulo inscriptas litteras.

Nunc demum imagines recensere pergo quae nonnullis sepulcrorum tabulis incisae sunt, in quibus nuda symbola, litterae nullae.

67. Piscis et columba olivae ramum rostro praeferens e coem. S. Zephyrini teste cod. Vat. 5409, p. 35 *versa*: quod Zephyrini coemeterium hic codex nominat SS. Nerei et Achillei esse de quo sub n. 65 jam indicavi, certo mihi constat.

68. Piscis, anchora, avis, flos, vel alius quispiam virens ramusculum e coem. Cyriacae apud Agincourt, *Sculpture*, tab. VII, n. 2.

69. Piscis inscalptus lapidi opisthographo, quem e subterraneis viae Appiae coemeteriis effossum in caupona quadam ibidem vidi anno 1850. Utrinque inscriptio ethnica fuit, sed illa quae ad cadaver obversa latebat intacta est, illa contra, quae exterius posita conspicua erat, deleta tota fuit, et piscis imago, christiani sepulcri quasi tessera super inscalpta.

70. Piscis et columba ramusculum praeferens; tabella e subterraneis Urbis coemeteriis, quam vidi in pago vulgo Rocca di Papa in aedibus Fondiorum.

71. Duo pisces et quinque panes, tabella effossa e coem. S. Hermetis anno 1845, nunc in mus. Kirch.

72. Duo pisces, avicula longiori ramo insistens, circulus in quo viri caput, tabella e coem. subterraneis in mus.

73. Piscis et ornatus quidam quasi gemmata corona; fragmentum tabulae marmoris carystii, e coem. subterraneis, nunc in mus. Later.

74. Piscis; tabella in claustro coenobii S. Laurentii in agro Verano, certe e coemeteriis subterraneis, facile e Cyriacae.

75. Tabula ingens oblonga, nunc in mus. Lateranensi, quam suo adhuc loculo affixam vidi anno 1851 in coem. Praetextati, medium occupat vas panibus, ut reor, refertum, quos duo pavones hinc inde appetunt, utrinque in extrema tabula delphinus ex aquis exsurgens, et anchora erecta.

Illud adhuc monendum restat me in his titulis nullum recepisse, quem christianum esse pluribus ex indiciis non constaret, quae indicia, ubi opus fuit, significavi (cf. nn. 33, 62, 63). Nemo itaque suspicetur me inscriptiones omnes quae piscis imaginem exhibent, hoc ipso unice argumento christianis accensuisse. Quod si fecissem, in doctorum hominum reprehensionem jure potuissem incurrere, re tamen et facto vix rarissime errassem. Piscis enim imaginem, quasi symbolum ipsis titulis conjunctum, qua unice forma in omnibus, quae recensui epitaphiis occurrit, vix semel aut iterum in tanta ethnicarum urbis Romae inscriptionum multitudine exsistere tuto possum affirmare; inscriptione nempe apud Fabr. p. 220, n. 577, cui tres pisces appicti sunt, et alia quam in coenobio vidi S. Pauli via Ostiensi (Nicolai, *Basilica Ost.* p. 126, n. 159) cujus in summo titulo anchora erecta media inter duos delphinos eminet. Sed de his ipsis inscriptionibus haec moneo, fabrettianam in manuscripto exemplo, quod in schedis barberinis ego vidi, christianis multo minus similem, quam in Fabrettii volumine apparet, videri; appicti enim pisces non ejus formae sunt, quam in coemeteriorum titulis passim offendimus, quamque Fabrettus typorum unice inopia adhibuit, sed ejus quae ad serpentium imagines proxime accedat, siquidem serpentes vere non sint; alteram vero, quae in coenobio S. S. prostat, ad christianorum quidem coemeteriorum sepulcra non pertinere certo constat, ethnici tamen hominis monumentum spectare non item. Nullam enim ethnicae superstitionis notam titulus praefert, immo, quod mireris, eo proprie loco, quo dedicatio Dis Manibus scribi debuit, novo prorsus in romanis ethnicis titulis exemplo anchora et pisces sunt insculpti, quare cum certo cognoverim prioribus saeculis fideles non defuisse, qui familiaria sibi posterisque extra communium coemeteriorum fines in praediis suis sepulcra constituerent, tale quidpiam in titulo, de quo loquor, latere valde suspicor. Nec saepius hujuscemodi symbola in ethnicis extra Urbem titulis occurrunt. Si enim epitaphia militum classis Ravennatis excipias, quorum quasi insigne fuit geminus delphinus medio interdum erecto tridente (v. Spreti, *de Amplit. et evers. U. R.*, t. I, cl. I, nn. 79, 88, 93, 105, 112, et alibi passim), quae signa neque in Misenatium classiariorum titulis, quantum ab Mommsenio (J. R. N. p. 145 et seqq.) et Garruccio (*Classis praetoriae misenensis monumenta*, Neapoli, 1852) disco, umquam apparent, et vix in uno extra Ravennam titulo me deprehendisse nunc memini (Mur. 1103, 5); si haec, inquam, excipias, nescio an alia piscis ethnico titulo, quasi symboli loco, appicti exempla repperientur. Quod de symbolis dico in ipsa tituli tabella inscalptis, ut quaedam quasi tituli pars esse videantur; sculpturarum enim, quae sive titulorum fastigia, sive urnularum cinerariarum latera exornant, aliam ac plane diversam rationem esse, qui haec monumenta callent probe norunt. Usus porro et exercitatio optima in his minutiis judicandi et discernendi magistra est.

INDEX SIGILLORUM ET GEMMARUM.

76. ΙΧΘΥC, gemma annul. Costadoni, l. c. p. 300; Ficoroni, *Gemmae litter.* tab. XI, n. 6.

77. Ι☧ΘΥC, gemma ann. quam christianae bibliothecae dono dedit D. de l'Escalopier, v. c.

78. ΙΧΘΥC, piscis; gem. ann. Munter, *Sinnbilder*, etc., tab. I, n. 23.

79. ΙΧΘΥC, piscis; gem. ann. Marinius, *Inscr. ch.* ms. p. 156, 17.

80. ΙΧΘΥC, arbor; gem. ann. Idem, l. c.

81. ΙΧΥΘ, litterae throno, sive bisellio inscriptae, gemm. ann. Saggi, *delle Diss. dell' acad. di Cortona*, t. VII, p. 44, tab. II, n. 13.

82. ΙΧΘΥCΩΤΗΡ, duo pisces, gem. ann. Costadoni, l. c. tab. , n. 11; Mamachi, *Ant.* t. I, p. 56.

83. ΙΧΘΥC, anchora et duo pisces, annulus aureus cum onyce. Ap. Marin. l. c. p. 156, 13.

84. ΙΧΘΥC, delphinus anchorae *cruciformi* implicatus, annulus aureus. Costadoni, l. c. n. 10. Mamachi, l. c. t. III, p. 23. Lupi, O. P. t. I, p. 233.

85. ΕΙΧΘΥC, anchora cruciformis, hinc inde piscis gem. ann. Marin. l. c. 156, 14.

86. ΙΧΘΥC, idem; gem. ann. Ap. eundem l. c.

87. ΙΗCΟΥ, anchora *cruciformis*, duo pisces; gem. ann. Munter, l. c. tab. 1, n. 4, et *de duob. vet. Eccl. mon.* Hafniae, 1810, p. 1.

88. ΙΗCΟΥC ΧΡΕΙCΤΟC anchora *cruciformis*, utrinque piscis, gem. ann. Victorius, *Num. aer. vet. christ.* p. 105; Lupi, l. c. I, p. 233; Mam. l. c. 1, p. XXXI, et t. III, p. 21; Garampi, *Memorie della beata Chiara da Rimino,* p. 76.

89. ΙΗ☧, anchora *cruciformis*, utrinque piscis; annulus aureus. Marin. l. c. p. 158, 7.

90. ΙΗΧΘ, anchora *cruciformis*, gem. ann. Costadoni, l. c. n. 6; Marin. l. c. t. III, p. 22.

91. ΙΧΘΥC et in aversa gemma anchora. Victorius, l. c. p. 92; Mamachi, l. c. t. I, p. 428.

92. ΙΧΘΥC, pastor bonus, arbor; gem. ann. Marin. l. c. 156, 17.

93. ☧ ΘΥC... ☧ ΗΙ, bonus pastor; in aversa gemma arbor, navis, monogramma, anchora et duo pisces; fragmentum gemmae annularis in musaeo collegii *de Propaganda Fide.*

94. ΙΧΘΥC, bonus pastor, arbor, piscis; gem. ann. Mingarelli, *Libri tres de Trinitate* Didymo caeco asserti, in fronte libri; *Nov. Lett. di Firenze*, an. 1755, p. 596.

95. ΙΧΘΥC, bonus pastor, Α, Ω; gem. ann. Allegranza, *Opuscoli,* p. XI.

96. ΙΧΘΥC, piscator piscem hamo capiens; gem. ann. Vallarsi, S. Hieron. Opp. t. I, p. 18; Costadoni, l. c. n. 8; Mam. l. c. t. III, p. 23.

97. Annulus aureus bina gemma ornatus, una piscem exhibet, altera arborem cui insidet columba, et litteras AEMILIA; fuit in musaeo Imolensi Julii Caesaris Ginnasii.

98. Quaedam quasi crux, nisi anchora est, inferius mutila, hinc inde piscis. Costadoni, l. c. n. 7.

99. Bonus pastor, anchora, piscis, Ionas, columbae aliaque symbola in gemma ann. Ap. Costadoni, l. c. n. 12, et Polidori, l. c. t. I, p. 253.

100. Anchora *cruciformis*, duo pisces, PELAGI; gemma annularis. Costadoni, l. c. n. 5; Mam. l. c. t. III, p. 23.

101. Bonus pastor, in aversa gemma anchora cruciformis et duo pisces. Costadoni, l. c. p. 315.

102. Bonus pastor, piscis, arbor, gemma ann. Costadoni, n. 14.

103. Anchora *cruciformis*, cui implicatus est delphinus; gemma annul. Allegranza, *de Monogr. chr.* p. 1.

104. Piscis navim sustinens, super navim erectum malum *cruciforme;* gem. ann. Ficoroni, l. c. n. 8.

105. Piscis navim sustinens, aliaque symbola in gem. ann. ab Aleandro singulari commentario illustrata (Romae, an. 1626); de qua plerique christianarum antiquitatum interpretes.

106. Pisces duo, media palma; magni sigilli ectypon plumbo impressum, his ipsis diebus a Petro Hercule Viscontio V. C. Ostiae repertum.

Fabrettiana sigilla (p. 568) aliaque praetereo, quoniam eadem cum jam descriptis videntur esse; nonnulla item ex editis negligo, quod de eorum sinceritate valde dubitem; multo plura repperiet qui musaeorum latebras vel Romae investigabit.

AUCTARIUM EDITORIS AD DUOS PRÆCEDENTES INDICES.

Arrogantiorem me nemo, opinor, habebit, si ipso cl. Equite, ut dixi, invitante, canonem ab ipso feliciter inceptum et pro consilio egregii viri integrum, paulo latius producere pergo: non adeo quidem incautus ut quæ is consulto omisit, ad fastidium usque proponam, aut colophonem velim iis addere quæ idem idoneus judex a nemine perficienda pronunciavit. In hoc enim pelago quis expiscabitur omnia? Neque id me multum sollicitat, quod casu plane fortuito contigerit obire regiones, bibliothecas, academias cl. archæologo Romano non accessas, ubi pauca quæ ipsius oculos fugerunt, hic illic offenderim. Movet alia me potior præstantiorque telæ continuandæ causa.

Totus quidem erat doctissimus Eques in præcipuo inceptæ meæ disceptationis argumento, qualis et unde processerit, et quousque, arcana illa ἰχθύος tessera, quæ per se sola, quovis signo certe christiano vel historiæ aut parabolæ adminiculo destituta, Christum ipsum, eumque integerrimum respicit. Hanc vero pleniorem fidei formulam e piscis solitarii imagine editam ita cum arcani disciplina coaluisse duxit, ut, jam recedente hac paulatim, et illam existimaverit, paulo post constantineam ætatem, sensim obsolevisse. Commentarius autem ille, quo certe nemo facile condiderit uberiorem, in unam tamen est et primam Melitonis de pisce symbolico formulam, quam præ cæteris tam ad sacros codices [p. 521, col. 1] quam ad antiquissimas lectiones liturgiarum [p. 523] et varia SS. Patrum testimonia admovi strenue, si quid valeo, diligenterque contuli [p. 525 sqq.].

Verum et alia neque una superest ejusdem symboli linea, quam uti primam et præcipuam, non injucundum erit, nec minus proficuum simili commentario monumentorum prætexere. Restat enim ἰχθύς, non jam solitarius, quasi hieroglyphica methodo spectandus, sed historico instructus rerum apparatu, quo juxta rei symbolicæ leges, promtius ad Christum solum accommodetur. Ἰχθύς iterum adest, ad sanctos quidem aut multiplicem Ecclesiæ conditionem, sed ex uno eodemque pisce Christo, derivandus. Tum demum est ἰχθύς ex eodem alveo per antinomiam in malam Antichristi partem et significatum deductus.

Hæc enim omnia tentanda sigillatim sunt, tum ut symboli ratio integra habeatur, tum ut monumenta eo notata signo et explicentur recte et cum totius antiquitatis christianæ scriptis concilientur. Tam enim ex ultimis quam e prima et præstantiore formula integerrimam fidei nostræ professionem excipiendam esse haud aliter monumenta docebunt, quam congesta paulo ante Patrum testimonia, quorum indolem tenoremque ut uno coerceam exemplo, ecce tibi ad cumulum erit illud quod supra omiseram, utpote ab novissimo et incognito auctore, sed eo ipso nomine jam vulgaris et perpetuæ traditionis teste locupletiore: is Pseudo-Bernardus est, qui in ultimæ Melitonianæ formulæ verba, quasi ex argumenti mei limite, de VII discipulis et CLIII piscibus commentatur in hunc modum: « Ipse numerus, h. e. centum quinquaginta, et septem discipuli, requiem concorditer sonat; et sicut singuli quinquagenarii ad unitatem, ita septem discipuli ad octavam, h. e. ad Christum tendunt, et in uno omnes consummantur. Sicut autem unum corpus, *unus panis*, unus homo, vel *unus piscis*, Christus et omnes electi, ita diabolus, cum omnibus reprobis, unum corpus et unus hostis. [*Meditatio in passion.*, n. 34, S. Bernardi Opp., t. IV, p. 103, Gaum.] »

An igitur triplici formulæ qua *Christus*, *Ecclesia* vel *Antichristus* in pisce intelligitur, suppetat monumentorum series triplex et continua, quæ cum consonis omnium ævi christiani sæculorum testimoniis, cum sanctorum actis, et sacris liturgiis procedat eodemque respiciat, indagandi quum meum fuerit consilium, exiguo saltem illud indiculo iterum assequi, insolens minime erat.

I.

Ut ab iis exordiar quæ ad cl. Equitis argumentum propius accedunt, ne instituta ab eo numerorum series intercidat, erit igitur

107. Piscis latere coctili in delphini effigiem formatus, his in ipsius antica parte litteris inustis: LEGIO XXII PR. F.; anno 1842 effossus, Arensburgi, in Hassia, inter plura indubiæ christianitatis indicia, quæ Bollandiani operis continuatorem egregium J. Van Heckium in eam induxere sententiam, hac legione XXII PR*imitiva* F*ideli*, ab urbe Hierosolyma, paulo post obsidionem, ad Treviros translata, tum primum christianam fidem cum hac nostra tessera fuisse ad Rhenum usque traductam. *Acta SS.* ad oct. XVII, t. VIII, p. 33-35.

108. Trevirensis titul. lat. e tumulo Hloderici vicarii, sæc. IV, in quo duo pisces et avicula. De Caumont, *Bulletin monument.* t. x, p. 487.

109. Pisciculi duo, media *cruciformis* anchora, in sarda paulo infra urbem Noviomagensem, non procul a Vahalis ripa, VIII kal. jan. 1627, inventa, quam primus edidit Smetius, ejusdem possessor, in peculiari dissert. *De Sarda seu carneola crucem et pisciculos referente ad quartum lapidis jactum infra Neom. inv.* Neom. 1630; eadem repetita ibid. a. 1785, cum notis viri cujusdam eruditi; editio utraque rarissima, mihi dono data posterior est a cl. v. G. Guyot, Neomagensi. Gemmam eamdem Fortunius Licetus operose explicat in *Hierogl. gemm. ann.* p. 390-398 ed. Patav. 1653, et brevius in *Epist. ad N. Heinsium.* Unde vereor ne forte hoc exemplum et tria sequentia duo cl. Eques sub brevi aliquo elogio quod me fugit, memoraverit.

110. Onychem a præcedenti carneola diversam, sed iisdem plane notatam symbolis, ad Vahalim quoque infra Neomagum repertam, illustrat Smetius in *Antiquit. Neom.* p. 54, confirmante eodem batavo erudito, in not. laud. dissert. p. 21.

111, 112. Pisciculos duos pensiles, ex ebore effictos, uti veterum christianorum cimelia habuit, descripsitque idem Smetius, in l. diss. p. 10, quæ ob præcedentia omnino duxi non omittenda.

113. Pisces duo et ramusculus in lampade figlina, reperta in agro Carthaginensi, quæ delineatur in schedis nostris et exstat in museo Lugdunensi Batavorum.

114. Baptisterio Ringstadiensi in Dania pisces insculpti tres, trianguli instar compositi. Munter, *Antiquit. Abhandlung.* Tab. 26.

115. Piscis medius, stella in orbiculo uno, in altero monogramma, e quo A et Ω innexa pendent. Ibid. fig. 25.

116. Piscis sub navicula; anchora sursum aut navis armamenta, pendente funiculo; hinc et hinc litteræ S. T. e museo D. de l'Escalopier, Leleux edidit, t. I, *Revue de l'archéologie*, p. 404.

117. Delphinulus erectus, avicula ramum ore ferens: hinc litteræ duæ χιονοειδῶς C. I; inde alia Q aversa. Ex eodem museo, *ibid.*

118. Delphinus, quem pene dixeris cuspide clavo simili transfixum, in lampade Syracusis reperta e museo amicissimi viri abb. Landriot, edita in hujus tomi tab. III, n. I.

119. Ad Gallias me reducit S. Arnulfi annulus, quem delineandum curavi in tab. III, n. 4, ad fidem exemplaris ex archetypo ab ipso S. præsulis successore piissimo cera expressi; indidem duplo majorem accepit tabulæ nostræ imaginem peritissimus artifex idemque dilectissimus, R. P. Martinus, quem ad majus tanti monumenti decus nominare satis erit. Jam vero ab ævo S. Arnulfi inde ad nos ejusdem annulum perpetua fuisse religione de manu ad manum transmissum, atque hodiedum in Metensis ecclesiæ thesauro asservatum, constans traditio est: quam firmissimis nixam titulis, publicisque instrumentis, immo sacris perpetuis et annuis solemnitatibus, sed et non paucis miraculis, ea fiducia testantur novissimæ Metensium historiæ scriptores Benedictini indigetes, quæ dubiorum nebulis aut præposteræ litigationi locum non reliquit omnino ullum. Perspicuo enim tramite ducimur ad Paulum Diaconum, qui κειμήλιον oculis suis se in palatio vidisse, et ab ore Caroli M. audivisse testatur, quæ de eodem annulo in actis S. Arnulfi enarrantur [1]. *Hist. de Metz*, 1786, t. I, p. 991. Neque jam satis antiquitatis est: duce enim cl. Equite, nemo gnarus eximium gemmæ artificium perspiciet quin eam ad tempora S. episcopo longe superiora consequenter ascribat. Hic vero nassa insculpitur qua includitur piscis, ad quem currere duo pisciculi gestiunt, ut jam animo subeat illud Tertulliani tritissimum: « *Nos pisciculi secundum* ΙΧΘΥΝ *nostrum*, in aqua nascimur. »

Alio me vocant, nec tamen ab argumento meo recessurum, picturarum quædam κανονίσματα quæ quum ab arcana et hieroglyphica tesseræ simplicitate declinant parumper, eumdem tamen illum piscem solitarium non sine quadam constantiore solemnitate ad Christum solum, eumque Eucharisticum, apertissime dirigunt. Agedum, nobis annumeretur

120. Piscis unicus in mensæ dominicæ tabella, Christo cum undecim assidente, dextra panem, sinistra calicem suis porrigente, quem exhibeo in tabella III, n. 2, mecum perhumaniter communicatum a D. Piegay, summo seminarii Æduensis præside, e sacramentario S. Gregorii, sæc. VIII. Cf. Libri, *Catal. des Biblioth.* Autun, n. 19 *bis.*

121. In codice gr. 74 bibl. Paris. Imper., facile sæc. IX, fol. 95, instruitur eadem cœna Dominica in stibadio: assident in utroque segmatis cornu Christus hinc, inde Petrus; tum ab illis cæteri, medius vero Judas, solus sine nimbo, qui manum extendit, tangitque piscem assum in paropside. Picturam edidissem, nisi præivisset Sirmondus in sua ad Jos. M. Suaresium epistola. *Opp.* t. IV, p. 665.

122, 123, 124. Eadem pictura fol. 13, 157, 195, nisi quod secundo loco omnibus idem nimbus inest.

125. Ibid., fol. 29, pisces septem, quorum unus non mediocriter major cæteris est, piscantes apostoli in littus educunt. Mitto alia id genus, quæ tamen mere historica non putem.

126. Ibid., fol. 32, pisces duo et v panes, et iidem, vel ubi de VII panibus agitur, fol. 77, 80, 178. Thema enim appingebatur quale conceptis verbis inscribitur in Dionysii monachi libro nuper ex Atho monte a cl. v. Didron allato, jamque publici juris, quem lege in gall. versione *Manuel d'Iconogr.*, p. 176, 177, 189, 202, 203.

127. Unus quoque sit, pro cæteris orientalibus, Evan-

(1) *Enarrantur.* Plura de hac portentosa annuli aut clavis in pisce adinventione si quis, κριτικώτατος argutandi pruritu, quæritet, ego illi tædium exempla congerendi ultro adimam: jam enim habet supra pro libitu succutienda 1° *Acta* S. Arnulfi Metensis; 2° S. Lupi Senonensis; 3° S. Egwini Wigorniensis; 4° S. Brunonis Misnensis, v. p. 531, 532. Quibus addo perlibenter; 5° *Acta* S. Metrones Veronensis, Bolland. VIII maii, p. 306, 6° S. Attelani Zamorensis, ib. v octobr., p. 243, ut totius occidentis ecclesiæ eadem mendacii invidia conflagrent. Quibuscum, ut solet, amice conspiraverit et ipsa orientalis superstitio. Ecce enim Salomon habuisse cantatur sapientiæ suæ thesaurum in annulo totum; qui quum lavaret, gemmam, digito ablatam, clanculum male feriata furia rapuit, marique immisit. A solio vero quum quadraginta diebus rex abstinuisset, in piscis obsonio annulus repertus tandem est. Herbelotum quidem habeo vadem, ad v. *Salomon.* Quid ergo? Si ex eo quod plura non constant, idcirco necesse est omnia in dubium abeant, jam totum hoc Melitonianum opus, quodcumque est, in μυθοὺς et inanes larvas diffluet, in quo Clavis cum pisce tam prodigialiter copulatur, ut miranda illa Clavis S. Egwini per piscem ex Hibernia Romam usque allata pene tibi rediviva prostet. Seria sint ultima: a S. Arnulfo omnem superstitionis calumniam, tribus ante hunc diem sæculis, Browerus eluebat in *Ann. Trevir.* lib, VII, n. 22.

geliorum codex Florentinus, syriace scriptus anno 586, quem facile ex eodem canone exaratum æstimabis post elegantem descriptionem J. B. Lami in *Deliciis eruditorum*, non omissis ab eo piscium picturis, tab. XV et XVIII; vid. t. II, p. 486.

Tum in sequentibus notanda ejusdem picturæ varietas, quæ omnium fere occidentalium solemnis erit et diuturna consuetudo, qua Iscariotes ille non solum nimbo plerumque careat, sed extra mensam vagetur, quasi *excommunicatus*, ut modo torvo vultu, averso capite, videatur piscem suffurari, clanculum et raptim auferre, seque proripere foras; modo humi jaceat, sedeatque obstinato similis; modo genu flexo hypocritam agat piscem suscipiendo. Otiosum vero non sit iterum notare liturgicorum cum symbolicis monumentis consensum. Non enim in toto sacræ hebdomadis officio, immo a dominica Passionis ad Pascha, quo tempore solemnior sacræ communionis usus, quidquam frequentius Ecclesia latina consignavit, quam perpetuam Iscariotis detestationem. Pronum igitur erat, neque sine Dominica cœna passionem, nec cœnam sine egregio quodam in hypocritam et proditorem anathemate, repræsentari. Adeo frequens est id operis argumentum, ut quum illud centies offenderim, pene neglexerim, quod de re consuetissima fit, attente loca, tempora, varietates conscribere. Paucis itaque pauca exempla et promiscua erunt.

128. Pingitur hujusmodi Dominica cœna in codice Bruxellensi 922, in qua Christus cum undecim accumbit. V. *Moyen âge et Renaissance*, t. II, p. 51, ubi parum accurate piscis redhibetur.

129. Eadem fere pict. in Evangel. Altivillarensi, quod asservatur in biblioth. Epternacensi, sæc. IX.

130. Item, in veteri sacramentario Lemovicensi, sicut in Æduensi, Christus medius dextra panem, sinistra calicem monstrat. Cum Christo undecim assident; duodecimus vero æque nimbo distinctus, vasculum porrigit piscemque infert, genu flexo. Picturam, pisce pene omisso, edidit de Bastard, cum præcedenti (*livrais.* VIe.)

131. Item, in codice Ambianensi, n. 64, a. 1187, a Ferrando Petri de Fimes in usus Sancii regis Arragonum splendidissime scripto, IX discipuli cum Christo cœnæ assident; unus, inclinato genu, piscem recipit. (Cf. supra, p. LXXXI.)

132. Item, in Psalterio S. Ludovici dicto, nunc in bibl. Paris. Armament. asservato, sæc. XIII.

133, 134. In bibliotheca regia Hagæ comitis codex alius sæc. XIII, eodem S. regis nomine insignitus (jure ne an immerito, alii viderint) similem non uno in loco piscem exhibet; quarum ectypa in schedis nostris reposita. Insignius exhibet piscem assum coram VII discipulis.

135, 136. Ab eodem S. rege non ita recedit codex Sangerman. 37, de quo vide *Proleg.* p. XXIII, cujus artifex elegantissime cœnam Dominicam in exigua cohibuit alveola fol. 115, ut, cum Christo tres tantum apostoli sedeant, neque tamen desit piscis solitarius in patella, neque Judas extra mensam rejectus. Idem fol. 112 habet picturam quæ conspicitur in tabula nostra III, n. 3, cujus argumentum explicatur hoc lemmate supra scripto: « Et erit in die illa: Attenuabitur gloria Jacob, et pinguedo carnis ejus marcescet. Et erit sicut quærens spicas in valle Raphaïm. » Is. XVII, 4. Huc usque, respectu ad alveolæ superioris picturam, quæ messores exhibet. Quod sequitur, ad nostram pertinet: « Vota et gloria et beatitudo Jacob periit, quia regnum et sacerdotium ablatum est omnino a Judæis. » Regnum enim sub oculis habes in tabella, ubi Christus et Ecclesia eadem corona redimentur; sacerdotium vero, in mensa et pisce illo unico, in paropside sacra posito, cui Christus Pontifex benedicit, antequam eum jam consecratum Ecclesia in patella sua recipiat. Utrumque porro Synagoga quum amiserit, lugens abit sinistrorsum. Hæc sæc. XIII.

A picturis codicum regiorum transeo ad basilicas, exempla tantum e præcipuis accepturus.

137. Monasticam et Parisiensem S. Germani ecclesiam, codici præcedenti proximam, tum primum adeo libenter, in cujus portæ majoris fronte, mutila, sed nondum penitus erasa, emicat sculptura vetus cœnæ Dominicæ; Judam vero, certissime ante mensam positum, piscemque recepturum non ita abstulit ætatis injuria, quin saltem locus ejus perspicue cernatur; unde, si quis unquam restituere sculpturam velit, necesse omnino est neque respuerit nostra, nec omiserit codicem Sangermanensem.

138. Antiquam id genus cælaturam amisit ecclesia S. Benigni Divionensis, quæ tamen adhucdum satis integra asservatur in museo urbis publico, alieno certe in loco minusque digno, prætereа ære incisa inseritur in *Burgundicam Historiam*, auct. D. Plancher, t. III, a quo eamdem in *Spicil.* tomo I, p. 558, utcumque descripsi. Sed his adde Judam esse procul dubio decimum cum discipulum, ante mensam inclinatum genu, destitutum nimbo, pisce vero donatum. Est opus sæc. XII.

139. Eodem *Spicil.* loco tetigi picturam insignem ecclesiæ Bituricensis, in qua diceres σεμνῶς stare magistrum, immo cum senis consurgere discipulis, mœstumque Joannem in sinum suscipere, dum piscem ægre tradit proditori, sedenti arroganter, qui et alterum jam a mensa detraxit. V. *Vitraux de Bourges*, pl. V, p. 190.

140. In simili pictura basilicæ Rothomagensis discipuli novem, medius Christus, coram eo Judas, isque solus in sella sedens sine nimbo, piscem unum dextra tenet, sinistra alterum a piissimo magistro recipit. *Moyen âge et Renaissance*, Peint. sur verr., pl. IX ter.

141. Singulare quoddam inter similia occurrit in pictura ecclesiæ Argentoratensis, ubi duplex vir sine nimbo hinc et inde piscem recipit; vide utrum opifex eurhythmiæ, ut alias centies, consuluerit, an forte duplicem fidelium communionem, hinc bonam et inde pravam, exegerit, id quod in duplici pisce simillimo inque eadem mensa apposito forte non semel intenderunt, *Vitr. de Bourges*, *Etudes* n. XII.

142. Eadem sculpturæ argumenta in ecclesia majori Burdegalensi conspicienda alii notaverunt. De Caumont, *Bulletin monumental*, t. IX, p. 452.

143-149. Adde minores quasdam ecclesias, quibus idem eo magis consecratum pervulgatumque fuisse constet, ut S. Caprasii Agennensis, S. M. ad Dom., Octovillæ et Vouvant apud Pictavos, Tonquedec in Britannia minori, S. Petri de Drocis Carnutensium, etc. *Ibid.*; ut quem modo laudavi, præclarissimus vir egregie dixerit, vidisse se eumdem omnino cœnæ Dominicæ apparatum tam in Germania quam in Gallia, emenso 200 leucarum itinere, per varia a V inde sæculis ædificia, repetitum (De Caumont, l. l.).

150. Ne Angliam omittamus, præsto auctores nobis sunt Jos. Strutt et J. R. Planche, occasione accepta e sancti Thomæ Cantuariensis mensa quadam pisce instructa, instrui similiter in multis per Angliam imaginibus cœnam Dominicam. V. *The royal and ecclesiastic. Antiquit. of England*, etc., 1842, Lond., p. 149, plat. XI.

151-157. Et aderit Italia sive nova, sive antiqua, quum Gemonæ, Pirani et Arevalo teste, etiam Romæ in baptismalium piscinarum ornamentis pisces recenter insculpti conspiciantur [ad Prudent. p. 599]; quum in Aquileiensi baptisterio depictus est sæculo IX Christus cruci affixus, et vinea ex ima et media cruce fruticans, cujus præcipuus ramusculus ore piscis sorbetur et involvitur. [Bartoli, *Antichità d'Aquil.*, p. 403, 406]. Sed quid vetat ne non temere neque per ludum videatur piscis invectus sive a Marco de Oggiano in cœnam Dominicam (*Hieronymite di Castellazzo*), sive a Leonardo de Vinci, in suo

longe celebriore *cœnaculo* Florentino? Quid, si, non uno præeunte, ἰχθύος interpres aliquis sese ad hoc Raphaelis miraculum, quod *Virginem ad piscem* dixere, assurgere confidat [1]? Cf. Belloc, *Sur la vierge au Poisson de Raphael*, p. 78. Didron, *Iconogr. chrét.* 327-339.

158, 159. Ut quid vero longinquum iter meo periculo fecerim quum in via et domi ἑρμαῖον habeam? Cluniacensi namque in museo (Parisiensium cætera pervagari non vacat, minusque decet), occurrebant sub n. 404 et 792, inter plura quæ omittere piget, lipsanothecæ duæ, quarum prior, XIV sæculi, ebore constrata, assum in sartagine piscem cœnæ addit, posterior vero, sæculi XVI, et piscem habet et Judam torvo vultu, dira facie, sacrum munus suscipientem, dum alteri pisci in parte dextera mensæ posito Christus dextera benedicit.

160. Age, indidem et tu, me comite, velim adeas Parisiensem B. M. V. basilicam, teque circa ambitum chori feras, sculpturas circumspecturus hinc et inde elaboratas [2], a. 1351; quarum in primis a parte dextra, conspicitur Christus, duos inter discipulos Emausenses, ab illis in fractione panis repente recognitus. Unde, quasi fidem illico exserturus, discipulus dexter dexteram tendit, manumque in pisce solitario egregie imponit. Id quod me primum intuentem in admirationem, fateor, rapuit, ac si rursus præ oculis habuissem illam sententiam titulo Augustodunensi in ævum consecratam :

Ἔσθιε, πῖνε.., ΙΧΘΥΝ ἔχων παλάμαις.

II.

Multa præterea sunt, quæ licet ad hanc sublimitatem non ita promte ducant, prolixiore via finem attingunt eumdem : qualia dixero quæ cum piscium et panum αὐξήσει, cum pisce στατηροφόρῳ, cum evangelicis piscationibus connexa, primum quidem Ecclesiam sive electos, sanctosve aut fideles respiciunt, postmodum vero eadem Christo non minus apte cohærent. In hisce igitur, quum præter jejunam historiam, præstantiora quærenda tuto esse, tam a Melitone [v. p. 521], quam a perpetua traditione catholica [v. p. 526, 527] firmiter doceamur, quid mirum huic quoque inferiori formulæ consentire sive prisci, sive medii ævi monumenta, inceptamque hactenus catenam novis incrementis ultra posse merito jure continuari? Viam quippe callistianæ picturæ quæ modo in tantam erupere lucem, aperiunt.

161. Ad eas vero si quo jure ex innumeris antea editis una saltem quinque panum duorumque piscium imago accedat, hanc intueri mihi videor, dummodo nullam habeat falsitatis notam, in Aringhiana tabella lib. IV, c. 37, p. 112, ubi viri septem stolati coram panum et piscium cophinos, humi genibus provoluti, manifestæ adorationis obsequia fundunt. Sed similia fortasse testimonia præstabunt sexcentæ ejusdem argumenti picturæ, quarum præcipuas vel nudo calculo recensere longum. Vide, si vacat, Aringhi, t. II, p. 288, 296, 312, 322, 333, 422, 428, 538, 552; Bottari, tab. XIX, XX, XXIII, XXXI, XXXVI, XXXVII, XL, XLIX, LI, LIX, LXVI, LXXVII, LXXXIII, LXXXIV, LXXXV, LXXXIX, XCVII, CXV, CXVIII, CXXXIV, CXXXV, CLVIII, CLXXXVIII.

162. Pigeret non uno saltem verbo memorare christiana veterum vitrorum ornamenta figlinorumque opificiorum ornamenta, quæ ad arcanam Eucharistiæ professionem non semel pertinere Secchius evicit. V. *De Vasis sacr. vitr. vett. Christian.* Rom. 1840. Quarum picturarum una pro sexcentis erit : in patella apud Boldettum æri incisa, p. 197, vir in medio orbiculo volumen utraque manu veneranter gestat, ad cujus dexteram, Christo benedicente, pisces panesque multiplicati; ad sinistram, e rupe Moyses fontem elicit; infra, Tobias piscem manu tenet, supra, tres pueri in fornace hymnum eucharisticum concinunt : hunc enim cyclum tam concinne compositum vix a sublimiore mysterio alienum putem. Sed Cf. Buonarotti, *Osservaz. sopr. alc. framm.* p. 17; *Osservaz. ai medaglioni*, p. 395, etc.

Alia porro linea est quæ me longius forte, per insignia sanctorum peculiari signo piscis distinctorum, circumduceret. Præter enim eos quos antea, excussis obiter Actis SS., excitavi numero non paucos, quorum imaginibus pisces inesse solent, recensendi insuper essent tum ex sacro latinorum albo, S. Simeon apostolus, S. Lupus Senonensis, SS. Metrone et Zeno Veronenses, S. Attelanus Zamorensis, S. Stanislaus Cracoviensis; tum ex orientalium synaxariis S. Christophorus, S. Antonius Romanus. De ultimis tantum pauca, eaque picturis consecrata.

163. In S. Stanislai Cracoviensis imaginibus piscis cum lampade pingitur, opinor ob sancti martyris digitum in pisce lumine cœlesti repertum. Boll. VI, mai, p. 202.

164. An omittendus S. Antonius, Slavorum ille apostolus, idem apud eos cognomine Romanus? quem referunt e veteri Roma missum ad technas Novæ compescendas; mola quippe vectum ab oceano in flumen Volkovium, pisceque in littus adducto, ex illo eumdem hausisse immensam thesaurorum copiam, quantam in ædificando Nowgorodensi monasterio omnium maximo erogavit. Cypr. Robert. *Univ. cathol.* t. XIII, p. 32.

165. Neque silenda omnino Cittula, Plinio quidem ζεὺς dicta, recentioribus Romanis *piscis sancti Petri*, ab ipso, jubente Christo, captus digitisque duobus apostoli impressus; dicitur vero a Græcis χριστοφόρος, aientibus nempe S. Christophorum, dum Jesulum humeris ægre gestans, mare trajiceret, piscem hunc apprehendisse et inusta digitorum vestigia in dorso reliquisse. His æquus bonusque lector facile censebit non unum monumentum illustrari, sed neque deesse symbolum. Cf. P. Jovius, *de Piscibus Roman.* c. 32; Cangius ad *Cittulam*, ex cod. Paris. 6838.

166. E diverticulo ad mea me reducet Æduensis imaguncula visu dignissima, quam primum in medium afferre me, in tab. III, n. 5, permisit vir humanissimus, Gabr. Bulliot, in cujus museo asservatur; cui vero potissimum e sanctis ἰχθυοφόροις signum illud ascribam, hactenus mihi non liquet. Ex quodam autem retinaculo, cujus vestigia in postica parte supersunt, id facile annumeraverim inter signa peregrinantium, quæ longo ordine recensuit nuper vir doctus. Vid. *Bulletin monumental*, t. XIX, p. 506. Simillima sane effigies videretur cum typicis S. Joannis imaginibus, si pro pisce serpens calici superesset : at ἰχθῦν inter et dilectissimum discipulum arcanum esse nexum suaderent delicatula quædam S. Gertrudis, quæ certe antea non debuissem omittere : vidisse quippe se ait « immensum pelagus divinitatis introrsus in pectore Jesu, et in eo beatum Joannem in specie tenellæ apiculæ (*forte leg.* naviculæ) tamquam pisciculum ineffabiliter delectatione et libertate natantem. » *Insinuat.* lib. IV, c. 4.

His vero et aliis monumentis notum in pisce fuisse fidei, sapientiæ, scientiæ signum, quæ quum paulatim ad sensum naturalem aut in deteriorem partem deflectunt, huc pauca affero.

167. In codice Boloniensi, sæc. XII, quo psalterium continetur picturis concinne ornatum, ad Psalmi CXVIII

(1) *Confidat.* Juvenis, sive Tobias, sive alter, piscem manu ferens, Raphaelio adolescenti satis similis, conspicitur in fronte Surianæ editionis Venetæ, a. 1581. Jam *super æthera notus* Aldorum delphinus, anchoræ involutus. Hæc enim et multa id genus nostra aliquatenus, ubivis sæculo XVI, circumferebantur.
—(2) *Elaboratas.* Lectori nolim invidere nomina artificum aquibus conditum totum Parisiense opus, nunc dimidia parte truncatum : ii sunt *Rauy* et *Bouteiller*, ambo Joannes agnomine, quos a. 1351, una manum operi admovisse e titulo ad sæc. XVII usque superstite compertum est. Gilbert, *Descr. de la Bas. de Paris*, p. 244. Non pauca invitus omittam quæ Bononiæ, Compendii, Niverni exstant, etc. v. Didron l. l.

v. 105, his verbis: *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, appictus est vir cujus pedi piscis adjacet.

168. In tomo eximiæ antiquitatis, a nemine quod sciam collato, sæc. circiter VIII, in quo Sedulii carmina leguntur, præmittitur pictura Christi magistri sedentis in cathedra, quæ duobus hinc et inde erectis piscibus quasi suffulta, cruciforme monogramma in fastigio præfert. Codex asservatur in officina Plantiniana Antverpiensi inter plura illustrissimæ Moretorum familiæ patria κειμήλια.

169, 170. Huc facile spectarent innumeri litterarum ductus ἰχθυομορφοί, qui universos pene libros ejusdem ætatis, quum maxime a sæculo V ad X, plerumque cum columba mille modis connexi, fere soli exornant. Exempli gratia sit solemne quoddam thema ex tribus ductum aut quatuor piscibus, se invicem arctissime mordentibus, quorum superior crucem ore gestat : picturam ter exhibet sacramentarium Gellonense, fol. 22, 124, 269, sæc. VIII. Primam edidit de Bastard, l. l. t. II, tab. III. Quid, quod in eodem sacræ liturgiæ libro, fol. 99, prima nominis *Dei* littera efformatur ex uno brachio exserto et pressa manu quæ craticulam, assumque in ea piscem tenet suspensum, quibus præclare signantur hæc verba : *Deus, tuorum gloria sacerdotum!* Næ, ægerrime patiar ut nihil jam illud sit præter inanem calami lusum.

171. E re nostra saltem erit lapis sepulcralis in ecclesia B. M. V. Dunelmensi, vulgo dicta *Gateshead* in Anglia, sæculi XIV; in quo crux media insculpitur, appositis hinc et hinc pisce et clave, quæ in scientiæ symbola per me converteris. V. Edw. L. Cutts, *A manual for the study of the Sepulchr. Slobs and Crosses of the Midle Ages*, Lond. 1849, p. 31.

172. Rem igitur non facessat piscis in scuto sapientiæ desursum versus, quasi profunda rimaturus, quem videre est tum in majore porta Ambianensis basilicæ B. M. V., tum in pictura quam cl. abbas Duval edidit non sine eleganti commentario, in quo tamen de pisce altum tenet silentium. Cf. *Bulletin monum.* t. II, p. 417, et supra, p. 530, lege Origenem, Augustinum, Arnobium juniorem, Cassiodorum, etc.

173. Jam ambigendi nullus locus erit eumdem esse sensum in pisce illo quem Bernardus [1] scholasticus S. Gangerici Cameracensis circa ann. 1228 sigillo suo inserendum curavit, jam a me evulgatum in tabella tom. II, n. 7.

Nolim hæc, ne ullus commentandi finis sit, extendere ad lampades, ad coronas, ad pharia, ad pharos cantaros, quorum delphinus φωσφόρος aut delicatulæ murenæ solemnia ornamenta erant, v. supra, p. 531, 532. Meminerit lector, cui aliena tantisper arrident, illud quod supra non neglexi, sapientissimi græcorum heroum Ulyssis annulum et clypeum fuisse delphino insignitum [Cf. Plut. *Opp. mor.* p. 1205, Didot].

III.

Verum ad ultima formulæ nostræ corollaria progressi, jam pene in proximo profanæ allegoriæ christianique symboli limite consistimus. Namque e veterum fabulis, ea licet e christianorum monumentis constanter amoveam, unam cæteris candidiorem, vix μυθολογουμένων fæce inquinatam, illuc haud ægre accersam. Non delphino tantum quamdam φιλομάθειαν olim concessere, sed sirenum muneri esse voluerunt noscere arcana vestigia rerum, terrena cœlestiaque secreta rimari, siderumque motus regere et intueri penitus. Hæc quippe post Homerum Pythagoras; post Italos, academici; post Platonem, Tullius, *de nat. Deor.* Sed Pythagoræ sapientia cœlestis in musis erat; in sirenibus, terrestris; unde lemma : Μούσας Σειρήνων ἡδίους ἡγεῖσθαι.

Quæ quidem potissimum retulero ad sirenen orientalem, Cœlestem deam, cæteris antiquiorem, eamque hemipiscem. Alia namque dici, fingique solent de Græcorum sirenibus, quæ ut diverso volucrum habitu induuntur [2]; sic in alium plane sensum, de voluptatum illecebris accipiuntur. Unde, quemadmodum in oriente posteriores ὀρνιθοειδεῖς nullibi comparent, ita in græco romanoque orbe, nisi forte Tuscos veteres adimas [3], prior incognita pene est. Sed in utraque forma certum est transiisse sirenas ad christianos, postquam Physiologus, ut alias disputavi, videlicet circa Gregorii Magni ævum, quasi novo christianæ civitatis jure donatus est [4]. Quo vero sensu, sive in piscium, sive in avium involucro, eas intellexerint christiani, ambiguum minus est. Qui enim ad Physiologi fontem ierit, simulque locum Hieronymi ad Isaiam, de sirenibus fere unicum, repetitumque millies, probe tenuerit, ex universis ferme monumentis unum illud excipiet, Homericum simul et Hieronymianum, sirenas esse meretricias « voluptates, quæ dulci et mortifero carmine animas pertrahunt in profundum, ut, sæviente naufrago, a lupis et canibus devorentur [Hier., *Opp.* t. IV, p. 246]. » Hæc paulo fusius in extremo operis margine posui, ne muta sit sirenum Sangermanensium sculptura quam in primam lucem edere non neglexi, tab. V, n. 6 A, B, C., aut nimis absona quæ longo ordine occurrunt id genus monumenta, de quibus in eruditorum palæstra varii variis modis non semel conseruere manus. Ex his porro texenda iterum est canonis nostri linea, quæ jam in tertiam classem piscium, sive eorum qui per antinomiam prava significant, deducetur.

174, 175. Nullum inter christianos novi exemplum sirenis antiquius quam in sacramentario Gellonensi, certe sæc. VIII picturis insignito; cui statim a fronte primoque titulo, in tertia dictione codicis qui incipit : *In nomine Dñi*, tribus his litteris, siglorum in vicem, siren, crini-

(1) *Bernardus.* Nullus enim dubito quin nuda illa B littera designet scholasticum quemdam Bernardum, qui anno 1228 cum Roberto S. Mariæ Cameracensis scholastico egit *compromissum de limitatione scolastriarum eorumdem.* Titulus exstat in archivo Flandrensium gallorum Insulano, cui præest cum omnium laude cl. v. Leglay. Ipsi sigillum, titulum notamque hanc omnem acceptam refero. — (2) *Induuntur.* Inde cum sirenibus facillima Stymphalidum et Harpyarum confusio est, neque strictiori discrimine sirenes a nereidibus secernuntur. Nolim igitur urgeri quæ supra, p. 512 aut alias, de sirenibus post eruditos viros attuli. — (3) *Adimas.* Non desunt qui vel ipsa nominum indagine suspicati sunt non ita longe a Chaldæorum Oanne Janum, Tullio Eanum abesse. Unde quemadmodum Oannes et dea Cœlestis a Chaldæis ad Syros confuso nexu miscentur, ita Janum apud Tuscos veteresque Latinos soror quædam aut uxor, *Jana* vel *Camasena* aut *Carmena*, perpetuo comitatur, quæ vago quidem nomine vocatur, piscis vero formam constanter retinet, nec vacat a quadam arcana rerum harmonia. Adde, quod eidem dantur duæ sorores, ac proinde non multum dissimiles, *Porrima* et *Postverta*, quarum una in nonnullis picturis carminibus præesse videtur. Hæc prænotare non supervacaneum, ob nonnullas quæ mox afferentur, picturas sculpturasve, ubi vel inter christianos, modo duæ sirenes comparent, modo tres, quarum una videtur carminibus præesse. Jam bonus ille Nicasius abbas, insulse ludendo trium sirenum rationem posuit ἐν σιτίοις, ἐν ποτοῖς καὶ ἐν ἀφροδισίοις. Alii severiore digito monstrarunt in iisdem tres concupiscentias; alii alia capitalium vitiorum. Non inficior sub his simulacris tectum fuisse malum christiano more, ideo συμβολικῶς consideratum : sed, tacente antiquitate christiana, silere tutius est. Cf. J. A. Hartung, *Die Religion der Römer*, II, p. 227; Jo. Lydus, *de Mensib.*, II, 2 : Athen. XV, 692 : Macrob. *Saturn.* I, 9. — (4) *Est.* Ipse Physiologus utriusque formæ sirenes describit : cujus quidem antiquiores textus græcam de feminis ὀρνιθοειδεῖς fabulam pressius retinent : sed vernaculæ interpretationes, jam non ita recentes, abeunt libentius ad pisciformia monstra. Cf. *Mél. d'Archéol.*, t. II, p. 175.

bus duplici cincinno ligatis, quasi natans et inclinato corpore, supereminet., Paulo infra, fol. 61, iterum eadem in littera M cum pisce implicatur, crinibus pendentibus, vultu horrida, quam ad vivum curavit exprimendam cl. v. de Bastard (*Ecrit. visigoth.* xvie liv.).

176. Intacta pene nobis reliquit in hoc Parisiensi theatro archeologorum frequentia quæ nunc primum edimus, monasticæ basilicæ S. Germani a Pratis anaglypha, quibus ab introitu majoris portæ capitellum primæ ad sinistram columnæ exornatur. Opus sæculi xi est, in eo perrarum, quod orientalium lapidum instar duplicem Sirena præ se fert. At noli omittere tertium caput, licet pene evanidum, quo jam integra trium sirenum fabula absolveretur, tritumque recurret Physiologi ἐπιμύθιον de abjiciendis sæculi voluptatibus [1]. Id tantum addo libenter, præfixam cœlaturam esse quasi in atrio ecclesiæ, ubi solemne ab omni ævo est erigi baptisterium. Nonneminem forte juvabit has pisciformis viri mulierisque, ut videtur, imagines a duplici Oannes typo in orientalium gemmis conspicuo, cujus ipsi nos infra proferimus exemplar, deducere; quin immo ramos et frondes quæ non desunt sculpturæ nostræ, conferre sive cum sacra orientalium arbore, *Homam* vocant, sive cum nostri Physiologi περιδεξίῳ δένδρῳ [p. 356] aut hydropis eryca arborea [p. 341]; quem ariolandi campum aliis totum cedo libenter.

177. Siren unica, utraque manu duplicem caudam erectam premens, media sex inter pisces, hinc inde trinos, exstat juxta chori introitum (raro quidem exemplo!) affixa capitello ultimæ columnæ ad dexteram introeuntis in basilicam S. Deodati ad Vosagum, sæculi circiter xi. Apographon in schedis *Spicilegii* est.

178, 179. Haud multum dissimilis siren sculpitur, tum ante fores ecclesiæ oppidi vicini in Alsatiæ finibus, vulgo Kaiserberg, quam egomet vidi; tum in *Monumento*, ut aiunt, S. Antonini, apud Aquitanos, V. *Archit. civ.*, t. 1, p. 143 curant. cll. vv. Verdier et Cattois.

180. Diversa plane siren in ecclesia Argentoratensi, quæ nimirum lactantem puellum gremio fovet. Leucothoam esse et Melicertam promte dixeris. Sed cave ab ejusdem cauda septem implicata draconibus, quorum singuli cum singulis pariter cauda ligantur. Vidit cl. v. A. Martin, obiterque descripsit. *Bulletin monum.* t. ii, p. 326.

181. Est eadem omnino cum simili apparatu in ebore musei Monacensis, eodem teste, l. l.

182. Inter multa vitiorum symbola zoologica a turriculis basilicæ S. Dionysii pendet una, averso capite, olim pectine ornata et speculo, quam descripsit luculenter cl. D^a Felic. d'Ayzac, infra memorata, l. l., p. 190.

183, 184. Semel et iterum sirenes in turre quæ ostio domus veterum Bellovacensium episcoporum imminet, sedem habuere, unam ante fores, unde e lapide excisa Siren solitaria pendet, quam pene tulit ætas; alteram in testudine prætorii cujusdam, cui appictæ sirenes quinque sunt, variis musicis instrumentis colludentes. De singulis disseruit D. Cartier, *Revue archéologique*, t. x, p. 505.

185. Una est in Ecclesia Prahec Britanniæ minoris, *Bulletin monum.*, t. vii, p. 515.

186. Una, in ecclesia S. Melanii Rhedonensis, *Ib.*, l. l.

187. Una in claustro S. Albini Andegavensis, cultrum dextra, sinistra piscem intentat, quæ docto cuidam Cenomanensi erat anima christiana ex aquis in novam vitam erumpens; jam vero cuilibet sireni fallacia vicina nimium est. Cf. *Ib.*, l. l.

188. Una in columna abbatialis quondam ecclesiæ Cunaldi, Andegavensis, pisces duos utraque manu tenet, et porrigit duobus viris, quorum prior surdum fingere videtur, posterior lagenam, nisi fallor, obtendit projicitque, quo ludibrio Sirene detenta, ita enim fabula tulit, periculum tollatur. Sed alia erat doctissimi viri interpretatio quam ab ore disputantis excepit, *Bulletin monum.*, ix, p. 554; a quo profecto vix recedere non cogerer. V. *Revue d'architect.*, l. l.

189. Una in ecclesia S. Eutropii Santonensis. *Ib.*, l. l.

190. Una in arcu majoris portæ ecclesiæ S. Michaelis, in Podiensi urbe. *Revue d'architect.*, l. l.

191. Una in eodem arcu ecclesiæ S. Aniani Cosnensis, in diœcesi Nivernensi; tenet dextra florem, sinistra fumigosum nonnihil ventilat. *Bulletin monum.*, t. xvi, p. 492.

192. Exemplum unum sit e bestiariis, unius scilicet Sirenis duos pisces gestantis, e codice gallico Bibl. Parisiens. 632 descriptæ, depositæque in schedis D^æ Felicit. D'Ayzac.

193-204. Vix uno verbo excitandæ jure sunt gentilitiæ Sirenes, quales insertæ in scutis familiarum Lusignan, Tolosani de Sesquières, Poissonnier, de Xames [2]; aut aliæ longe plures in Anglicis stemmatibus, iterumque cum pectine aut speculo, quas retinuere. cll. vv. Boyne, Byron [3], Caledon, Hood, Howth, Osway, Skeffington, Smith, etc. Vid. J. Burke, *A gener. a. herald. Diction. forthe Peerage*, etc.

Huc usque pisciformes syrenas recensui : multo pauciora erunt de iis quæ in volucres abeunt, ne cum iis videar extra terminos meos avolare.

205. Media tum inter utrasque formas, tum inter christiana et ethnica monumenta, ideoque non omittenda siren Neapolitana, ἁγνὴ *Parthenope* idcirco dicta, referente Eustathio scholiasta, quod, multis pudicitiæ ejus insidiantibus, ultro se abscissis crinibus deformavit. Vide an inde explicentur speculum, pecten, cultrum, quibus medii ævi sirenes instrui solent.

206. Iterum utriusque formæ sirenes dedisset duas sculptura olim affixæ lipsanothecæ S. Clotildis in ecclesia Parisiensi, argento fusæ circa a. 1520-1523. Hinc et inde affixa duobus angulis anterioribus duæ erant sirenes; inferne pisces, sed alis superne expansis; posteriores angulos muniebant onocentauri simili artificio elaborati. Jam vides exsculpi integrum capitulum xv Physiologi nostri, p. 350. V. *Acta S. Clotild.* Bolland., iii, jun., p. 293.

207. In Physiologi codicibus sæc. xiv aut xv, eadem utriusque figuræ exemplaria non desunt; quorum unum habes splendide editum a merentissimo ex Physiologi editoribus. V. *Mélang. d'archéolog.*, t. ii, pl. xxiv.

208. Alia sæc. xiii, etiam nunc superest in eadem Parisiensi basilica ante fores sinistras majoris portæ, sed adeo fœde mutila ut archæologorum oculos fugerit. Qui integram olim vidit abbas Nicasius, eam diserte designare non dubitavit. V. *les Sirènes*, etc., p. 63.

209. Ætate omnium major est Siren ὀρνίθεος, nisi forte sub ejus pennis Harpya lateat, quæ exornat arcum superiorem portæ ecclesiæ S. Salvatoris Nivernensis : cui locum fecero promtius, tam ob antiquitatem illius, elegantemque ejusdem descriptionem a cl. abb. Crosnier (*Bulletin monum.*, t. xviii, p. 492), quam propter hoc lemma S. Petri lapideæ imagini egregie adaptatum:

Visibus humanis monstratur mystica clavis.

210, 211. Aut recentiores sunt, aut penitus profanæ quas ad cumulum addo duas, unam quidem sæc. xii, in privatis ædibus dictis : *Synagogæ domus*, sive *Maison de la Réole*, in Burdigalensi pago; alteram vero, mulierem

Sinus Abrahæ, III, 447, 484.
Sion, III, 291, 405.
Sitis, II, 255.
Situla, II, 173.
Sirenes, III, 350, 384, 427, 581.
Smyrna, III, 296.
Sobrietas, III, 256.
Soccoth, III, 295.
Sodales, III.
Sodoma, III, 294.
Sol, II, p. LXVI, LXXVII, 60; III, p. 405, 420, 447, 451.
Somnus, II, p. LXXVIII, 269.
Sophonias, III, 306.
Soror, III, 405.
Specula, III, 162.
Spelunca, III, 484.
Spica, II, 431.
Spina, II, 368, 405.
Spiritus, II, 46; III, 447, 483.
Spongia, III, 232, 405.
Sponsa, III, 119, 451.
Sponsus, III, 119, 1447, 405.
Stagna, II, 165.
Stannum, II, 291.
Stare, II, 15, 268; III, 405.
Stella, II, p. CXVII, 67; III, 405, 451, 483.
* Stephanus, III, 447.
Stercus, II, 140.
Sterilis, III.
Stillicidium, II, 269,
Stipula, II, 433, III, 405.
Stola, II, 39; III, 150, 405.
Stragulum, III.
Struthio, III, 503; III, 363, 405.
Stulti, III, 261.
Subcinericium, III, 405.
Suburbana, II, 176.
Sues, III, 47.
Sulci, II, 126; III, 405, 414.
* Sunamitis, III, 451.
Superhumerale, III.
Superliminare, III, 198, 414.
* Tabulæ lapideæ, III, 406.
Talentum, II, 281; III, 451. — Talenta duo, *ib.* — Quinque, *ib.* — Decem millia, *ib.*
Tali, II, 265.
Talpa, III, p. 80, 406.
Tanis, III, 295.
Tapetia, III, 165.
Taurus, III, p. LXXXI; III, 17, 406.
Tectum, III, 188.
Tempestas, II, 92; III, 405.
Templum, II, p. LXXXVII; III, 184, 406 451.
Tempora opportuna, II, p. LXX, III; III, 405.
Tenebræ, II, 108.
Testis, III, 244.
Terebinthus, II, 364.
Ternarius, III, 415.
Terra, II, p. LXXI, 120; III, 451 485.
* Testamentum, 406.
Thabor, III, 296.
Thalamus, III, 121, 451, 414.
Tharsis, III, 299.
Thesaurus, II, 286.
Thomas, III, 506.
Thorax, II, 518.
Thronus Dei, II, 14; — In Ecclesiæ, III, 393. — Throni, III, 405.

Thus, II, 413.
Thymiama, III.
Tigris, III, 61, 290, 406, 414.
Tinea, III, 86.
Tintinnabula, III, 228.
Titio, III, 253.
Togorma, III, 500.
Tola, III, 505.
Tonitrua, II 82; III, 405.
Topazion, II, 339.
Torques, III, 159.
Torcular, III, p. LXXII; III, 406, 458.
Torrens, II, 159; III, 485, 406.
Torris, III, 253.
Trabs, III, 406.
Trachonitis, III, 294.
Transitus Domini, II, 13.
Tredecim, III, 286.
Tribuli, II, 368; III, 406.
* Triclinium, III, 451.
Triginta, III, 287.—Triginta tres. *ib.*
Triticum, III, 406.
Tuba, III, 146; — Dei, II, 21; III, 405, 406.
Tubal, III, 299.
Tunica, II, 39.
Turbo, II, 92.
Turris, III, 174, 451, 406.
Turtur, II, 490; III, 357, 388, 485, 406.
Tyathira, III, 296.
Tympanum, III, 144, 406.
* Tympanistria, III, 451.
Tyrus, III, 292, 293.
Ubera, II, 33, 251.
Umbilicus, II, 257; III, 406.
Umbra, II, 108, III, 435, 447, 406.
Uncinus, II, 314.
Unda, II, 167; III, 406.
Undecim, III, 286.
Unguentum, II, 385; III, 451, 406.
Unicornis (v. *Monoceros*).
Unitas, III, 282.
Unus, III, 415.
Uriel, III, 300.
Urna aurea, III, 212.
Urtica, II, 422.
Ursus, II, 371, 447.
Uterus, II, 253. — Domini, II, II; III, 406.
Utres, III, p. LXXXIII, 222.
Uva, II, 455; III, 451, 406.
Uxor, III, 106.
Vacca, III, 21.
Vallis, II, 128, 406.
Vapor, III, 446, 447.
Vas, III, 219, 451.
Vectes, II, p. LXXVI; III, 206.
Vellus, III, 451, 406.
Venator, III, 77.
Venter, II, 258; III, 406, 486.
Ventilabrum, II, 439; III, 406.
Vepres, II, 368.
Ver, II, 115; III, 406.
Vertex, II, 185; III, 406.
Verbum, III, 446, 447.—Dei, II, 7; III, 406.
Veritas, III, 446, 447.
Vermis, III, 85.
Vesper, II, 70.
Vesperæ, II, p. LXIX, 106.
Vespertiliones, III, 507, III, 406.
Vestes, II, 37; III, 150, 406.
Vestigia, II, 263; III, 406. — Domini, II, 5.
Vestimenta sacerdotis, III, 228.
Vetustas, III, 485.
Via, II, 15, 31; III, 447, 451, 406.—Arcta, aspera, directa, plana, prava, spatiosa, *ib.*
Vicini, III, 136.
Victoria, II, 322; III, 406.
Victus, III, 406.
Vidua, III, 106, 415.
Vigilare, II, 19; III, 406.
Vigiliæ, III, 271.
Viginti, III, 282.—Duo, quatuor, quinque, octo, *ib.*
Villa, III, 174.
Vindemia, III, 457, 406.
Vinea, II, 449; III, 406.
Vinum, II, 461, 485; III, 406.
Violæ, III, 406.
Vipera, III, 93, 347, 379.
Vir, III, 102.
Virga, II, 338; III, 451, 406.
Virgo, III, 116.
Virtus, III, 447.
Viscera, II, 256; III, 406.
Visitatio, III, 485.
Vita, III, 446, 447, 448.
Vitis, II, 406; III, 453, 451.
Vitrum, II, 340; III, 451.
Vitta aurea, III, 207.—Coccinea, III, 351.
Vitulus, III, 19.
Vivi, III, 272, 406.
Volatilia (v. *Aves*).
Volatus, III, 475, 406.
Vomeres, II, 315.
Vox, III, 44.
Vulpes, III, 64, 351, 382.
Vultur, II, 502; III, 352, 384.
Zabulon, III, 303.
Zacharia, III, 305, 306.
Zara, III, 304.
Zeb, III, 300.
Zebea, III, 300.
Zerahav, III, 359, 389 (V. *Addenda*, p. 625).
Zelus, III, 406, 416, 486.
Zizania, II, 406, 437.
Zorobabel, III, 306.

ADDENDA ET EMENDANDA

AD TOM. III.

I.

Bertgithæ monialis epimetrum

De Nominibus sacris in epistola ad Baldhardum fratrem suum [ad p. xvii, n. 2].

Tertiam et vigesimam seriem divinorum Nominum, de qua raptim, ubi de cæteris, dixeram in notula, haud injucundum erit novis curis huc adducere (Bonifacii epistola c., al. lxiii). Monialis quidem fetus est, et ætatis quæ solet haberi ferrea in ævo barbarorum. Sæculo quippe octavo, Hibernica quædam virguncula, a regione et domo patria exsul, orbataque parentibus, ab unico superstite fratre qui eam consolaretur, sed in Hibernia subsistente, avelli non potuerat, quin, « fluminibus licet, terrisque et multis aquarum congregationibus » interpositis, non semel soror de fratre cogitaret noctesque interdum duceret insomnes, quia « fortis est, ait, ut mors, dilectio. » Rogat eum igitur, ut aliquo modo efficiat ne non ipsum jam conspiciat, antequam moriatur. Tum subdit versiculos, qui etsi facillime ligari pergunt, solvuntur omnes post sextum, cum incomta barbarie a male feriatis scriptoribus, sed maxime in clausula sacris nominibus insignita, quæ quidem mutila forte est. Multa præeunte Vallarsio restitui, Vidone æquali potissimum usus [v. p. 418].

Vale, vivens feliciter,
Ut sis sanctus simpliciter,
Tibi salus per sæcula
Tribuatur per culmina.

Vivamus soli Domino
Vitam semper in sæculo.
Ipsum profecto precibus
Peto profusis fletibus
Solo tenus, sæpissima
Subrogare auxilia;

Ut simus digni gloria,
Ubi resonant carmina
Angelorum lætissima,
Æthralisque [1] lætitia.

Clara Christi clementia,
Celsæ laudis in sæcula,
Angelicis valeamus [2]
Victrices jungi millibus,
Paradisi perpetuis
Perdurantes in gaudiis [3].

Helion, Hel et Heloim,
Heli, Sabaoth, Saddai
Adonai [Heloe], Ia...
Alleluia! [alleluia]!

I.

Veteres quidam piscium, plantarum et lapidum catalogi ex Hugone Lugdunensi vel Aureliano Magdunensi, Pseudo-Hildegardi aliisque excerpti [ad p. lii, liii].

Ad pleniorem Physiologi canonem exigendum utile visum nonnullis est neque cæteris ingratum, opinor, erit, si quæ maxime recensioni nostræ desunt, piscium saltem nomina, plantarumque etiam et lapidum, addantur ex quibusdam veterum physicorum libris ἀνεκδότοις, quos vix brevissima memoria in immensis nostris prolegomenis vacavit obiter consignare.

1. Præcat nomenclatura piscium theostica et latina, e codice Bruxellensi 1829, quæ forte

(1) *Æthalis*, ed. *Æthralis* Vallarsius. Hier. Opp. ii, p. . — (2) *Valeamus ang. victr. jungi milliis* Vall. — (3) *Gaudiis, Elonque, El, et Michael, Acaddai, Adonai, Allevatia, alleluia* ed. *Eloimque et — Et Michael — ac Saddai — Adonai — allevet la — alle*luia. Vall. quasi in sex στίχοις, ruptis metris.

datura est vocabula hactenus ignota glossario veterum Saxo-Germanorum. Eam tantum e Pseudo-Hildegardis consimili canone satis erit augere. Codicem exscribo purum :

Cœtus.	Hrael.
Piscis.	Fisc.
Pina.	Delfin.
Bacharus.	Merespin.
Ballena.	Hran.
Porco-piscis.	Stiriza.
Usocus.	Scolh.
Cancer.	Crabba.
Ysox.	Leax.
Ostrea.	Ostre.
Geniscula.	Muerle.
Sardina.	Haerint.
Platissa.	Floc.
Item	*et* Bubla.
Cochlea.	Peoliu.
Lucius.	Haeud.
Mugil.	*Idem.*
Tinchis.	Sliu.
Lypus.	Beors.
Castorius.	Befor.
Chephalus.	Heardra.
Murenula.	Smaelael.
Sartate.	Smylt.
Bifarius.	Fiscrelle.

II. In physicæ Pseudo-Hildegardis lib. v sunt pisces xxxvi quorum nomina sequuntur :

1. *Cete* [*vulg.* Balæna]. — 2. *Huso* [acipenser Huso]. — 3. *Merswin* [Phocæ species]. — 4. *Storo* [acipenser Sturio]. — 5. *Salmo* [Salmo Salar]. — 6. *Welca* [Silarus Glanio. — 7. *Lasz* [*al.* Esox]. — 8. *Copprea* [?]. — 9. *Hecht* [Esox Lucius]. — 10. *Barbo.* — 11. *Carpo* [Cyprinus Carpio]. — 12. *Bresma* [Sparus pagrus]. — 13. *Elsua* [?]. — 14. *Kolbo* [?]. — 15. *Fornha* [Salmo Trutta]. — 16. *Monuwa* [?]. — 17. *Bersich* [Percæ species]. — 18. *Meysich* [?]. — 19. *Piscis conchas super se habens.* — 20. *Ascha* [Salmo Thymallus]. — 21. *Rotega* [?]. — 22. *Allec* [Clupea Harengus]. — 23. *Crasso* [?]. — 24. *Hasela* [?]. — 25. *Blicka* [?]. — 26. *Pafenduno* [?]. — 27. *Slya* [v. Tinchis *supra*]. — 28. *Grundula* [?]. — 29. *Stechela* [?]. 30. *Steynbisza* [?]. — 31. *Rulheubt* [?]. — 32. *Cancer* [Astacus fluviatilis]. — 33. *Anguilla* [Muræna anguilla]. — 34. *Alroppa* [Gadus lota]. — 35. *Gunbelen* [?]. — 36. *Lampreda* [Petromyzon spec.].

III. Magistri Hugonis de Lugduno *librum de virtutibus herbarum* e codice Turonensi M. 433 obiter excitavi in proleg. p. LXXII, quem, non tantum dicendum est æquo pede cum Pseudo-Macro procedere, sed re maturius perpensa, eumdem esse suspicor atque *Odonem Magdunensem* sive Macrum; dubium quodcumque tollet, si præsto esset, codex Turonensis : satis erit elenchum quem profero Hugonis cum codice Macri Paris. 1656 conferre. Hinc et inde est.

Cap. 1 de Artemisia, 2 de Abrotano, 3 de Absinthio, 4 de Urtica, 5 de Alliis, 6 de Plantagine, 7 de Ruta, 8 de Viola, 9 de Aristologia, 10 de Marrubio, 11 de Hyssopo, 12 de Yri, 13 de Enula, 14 de Apio, 15 de Altea, 16 de Salvia, 17 de Aneto, 18 de Betonica, 19 de Savina, 20 de Porris, 21 de Camomilla [*Antemium seu Camomilla*, Macri cod. l.], 22 de Nepta [*Calamentum* ib.], 23 de Puleio [*Pulegium* ib.], 24 de Feniculo, 25 de Accidula, 26 de Portulaca, 27 de Lactuca, 28 de Rosa, 29 de Liliis, 30 de Satureia, 31 de Ligustria, 32 de Astricio, 33 de Cerefolio, 34 de Atriplice, 35 de Coriandro, 36 de Nasturcio, 37 de Eruca, 38 de Papavere, 39 de Cepis, 40 de Bovis lingua, 41 de Sinapi, 42 de Caule, 43 de Pastinaca, 44 de Origano, 45 de Serpillo, 46 de Vulgagine [bis inseritur in eodem Macri codice, in quem perturbato ordine hic loci ponuntur: *Centaurea*, *Gamandrea*, *Nigella*, *Cicuta*, *Menta*, *Moralius lapis* [Borax], *Ciperus*, *Leonia*, *Mellisophylos* (*Achillea millefolium*), etc.], 47 de Senecione [ib. *Sencion*], 48 de Chelidonia, 49 de Centaurea, 50 de Dracontea, 51 de Gaisdo [ib. *Gauda*], 52 de Elleboro albo, 53 de Elleboro nigro, 54 de Verbena, 55 de Gamandra [ib. *Gamandrea* et *Chamadreos*], 56 de Maurella, 57 de Jusquiamo, 58 de Malva, 59 de Paratella, 60 de Pipere, 61 de Peretro, 62 de Gingibero [ib. deest], 63 de Cumino [ib. deest], 64 de Galanga [item], 65 de Zedoar, 66 de Garofalo [ib. *Gariofilus*], 67 de Cinnamomo [ib. *Annamis*], 68 de Costo, 69 de Spica, 70 de Spica celtica [ib. *Celerica spica*], 71 de Thure, 72 de Aloe, 73 de Pionia, 74 de Cicuta, 75 de Cipero, 76 de Boraco. Codex Turonensis continet v. 2620 Hugoni Lugdunensi ascriptos.

IV. En quo ordine ponuntur quibusque inscribuntur nominibus lapides xxv in lib. iv *Physicæ* Pseudo-Hildegardis :

1 Smaragdus, 2 Jacinthus, 3 Onychinus, 4 Berillus, 5 Cardonix, 6 Saphirus, 7 Sardius, 8 Topazius, 9 Chrysolithus, 10 Jaspis, 11 Prasius, 12 Calcedonius, 13 Crisopassus, 14 Carbunculus, 15 Ametistus, 16 Achates, 17 Adamas, 18 Magnes, 19 Ligurius, 20 Cristallus, 21 Margarita, 22 Berlen, 23 Cornelion, 24 Alabastrum, 25 Calx.

Quæ quum diligenter, singulis in capitibus cum Damigerone conferrem, etsi hinc et inde permulta sint fœdis superstitionibus oppleta, nostra tamen vidi in aliam prorsus abire viam. Quam igitur antea promiseram, instituendam hæc inter et nostra concordiam, missam omnino facio, spe dejectus quam e præpropera unius codicis lectione conceperam. Unde eo magis constat Damigeronem meum esse plane diversum et a rivulis longe antiquioribus derivari.

III.

De Sigillo privato Henrici II Angliæ regis [ad p. 233].

Statim ut tum primum evolvendo anonymi anglici codicem Mazarinum, in hanc incidi pagellam ubi auctor privatum Henrici II sigillum scite et vere archæologico sermone describit, non paucos videbam amicos tam Andegavenses quam Anglos unanimi plausu inexspectatam hanc ἐξήγησιν excepturos, neque me mea spes fefellit. Tum enim ex Andegavo cl. v. Marchegay, tum ex Anglia gnarissimi horum monumentorum interpretes Fr. Palgrave, Albertus Way, Cosmo Innes, a me meisque amicis excitati simul consurrexere. Nondum quidem omnes, candide dicam, desiderii mei explevere exspectationem, ut vix inceptam hactenus esse hac de re inquisitionem facile pronuntiem. Nolim vero mihi meisque lectoribus minus gratas esse amœbæas cll. vv. Alberti Way et Cosmo Innes literas ea occasione scriptas; quas quum lectoris in usus meus et utriusque amicus, spectatissimus scoticus presbyter ultro exscripsit, eas idcirco recitabo latinasque faciam libentissime. Hæc igitur inter alia Albertus Way Cosmo Innes scripsit, die 15 junii anni proxime elapsi :

« Haud mediocre me desiderium cepit meam quoque symbolam afferendi in investigationem illius paginæ quam excutiendam tu recepisti, dignam profecto quæ curiosius spectetur. At voti minus compos, spe mea ego dejectus paulisper sum, studio vero rem tanti pretii amplius prosequendi, non item. Vero enim quam simillimum est penes Henricum II fuisse hujusmodi sigillum; an vero alicubi unum sit, unde ectypon in lucem detur, perdifficile scitu est : quum bene noveris vel majora hujus reconditæ ætatis sigilla rara admodum esse.

« Cæterum adeo comperta res est hujus ævi homines passim usos fuisse, sigillorum in vicem, gemmis antiquis quarum symbola vel epigrammata cum singulorum lemmate solemniori consentiebant, ut nullus ego dubitem quin sincera sit quam mihi protulisti, hujus symboli ἐξήγησις, vehementerque optaverim fore ut quis ejusdem auctor sit, quave vixerit ætate, edoceamur.

« Publica vero sigilla, quæ veniunt hic memoranda, puto esse duo illa quæ edidit Sandford in *Genealogical History*, p. 54, quorum quidem unum, idque Andegavense, in eo notatu dignum est quod ex utraque parte, antica et postica, eumdem exhibet equitem, sinistram lancea et vexillum, dextra nudum gladium gestantem.

« Porro Joannes, Henrici filius, sculpto lapide usus pariter est, superstite patre, quem in aversam sigilli majoris faciem inseruisse putem, ut eo, quatenus Mauritaniæ comes, titulos suos confirmaret. Sigillo autem inscribebatur tantum : SECRETUM JOHANNIS. »

Hæc vir ille, humanissimus utique et pereruditus. Auctor nobis erit Mabillonius noster [*De Re Diplom.* lib. II, c. 16. p. 140] in Willelmi I sigillo insculpta hinc et inde fuisse lemmata pariter rhythmica in hunc modum :

Hoc. Normannorum. Willelmum. nosce. patronum.
Hoc. Anglis. regem. signo. fatearis. eumdem.

Plura si quis requisierit, sive de sigillis regum anglicorum, sive de usu veterum gemmarum in medii ævi sigillis, sive denique de serpentinis symbolis in re numaria, adeat, si lubet, cll. vv. C. Lenormand, et de Witte, *Trésor de Glyptique* (sceau des rois d'Angleterre, pl. III, n. 1) p. 2. N. de Wailly, t. II, pl. 74, 75; *Rec. de sceaux du* M. A. pl. 1, 6, 7, 10. Alex. Xav. Panelii S. J. *De Cistophoris*, Lugd. 1734.

IV.

De Armeniorum ave Zerahav [ad p. 389].

Veterum Armeniorum fabellam de ave Zerahav quem ultimi græci Physiologi ignoravisse penitus videntur, ab Oriente tamen transiisse in Occidentem suadent Physiologi codices recentiores; quibus nimirum appicta est imago volucris eamdem omnino indolem gerentis quæ apud nostros Armenios enarratur. Textum quidem ad manum non habuit diligentissimus Physiologi editor sæpe laudatus, picturam vero non omisit; quam videre est in ejusdem *Miscellan. archæolog.* t. II, tab. 23. Sed vide qua diuturnitate soleant populares fabellæ perennari. In hac enim pene ætate nostra, viator quidam per Indiam iter agens, aliquamdiu in urbe Goa commoratus, hæc ibidem scripsit :

« L'un des mariniers me monstra un petit oiseau qui n'estoit pas plus gros qu'une linote, et me dit qu'il ne bougeoit de la mer et n'alloit jamais à terre, et que lorsque la femelle veut pondre ses œufs, elle monte fort haut, jusqu'à ce qu'on ne la peut voir, et pond ainsi ses œufs, et un chaque fois qu'elle monte, et puis cet œuf vient en bas ballotant par l'air qui est tres chaux en ce pays là; et avant qu'il soit tombe en la mer, il est clos, puis la mer le nourrit : ce que je trouvai merveilleux et rare en la nature. » F. Mocquet, *Voyages*, liv. III, p. 283, 1 vol. in-4, 1608, 1609. » Quæ quidem a nostris non ita differunt, ut alia reputentur.

V.

De Physiologo adversaria [ad p. 338-390].

I.

P. 350, ad cap. XV.—Ab illo Sirenum argumento, quod non semel aliis proposui tractandum, non discedam quin e rarissimis veterum patrum de illo monstro testimoniis, unum afferam, cui illustrando non cæcus Œdipus requirendus mihi videtur. Eccillum e Theodoreti *Comment.* in Esaiæ cap. XIII, 23, *Opp.* t. II, p. 62, interprete J. Sirmondo : « *Et accubabunt illis Sirenes.* Incorporea quidem est natura dæmonum, sed homines decipere soliti, alienas illis quasdam formas ostentant. Ex recepta igitur opinione hominum nomina imposuit; et Onocentauros quidem appellat, quas veteres *Empusas* dicebant, qui nunc vivunt *Onoscelidas* vocant [ἃς οἱ παλαιοὶ μὲν Ἐμπούσας, οἱ δὲ νῦν Ὀνοσκελίδας (*crura asinina habens*, *lamia*) προσαγορεύουσι]; Sirenas autem, eos qui variis illecebris decipiunt. » Ex quo loco id emolumenti obiter accipiam, ut forte non inepte corrigatur anonymus quidam anglus quem in *Prolegom.* adducimus, p. LXXV : «Fingunt *logici*, [jam malim legas : *physiologi*], simias tibicines et *onosliras.* » Malim iterum *Onoscelidas*, quam quod inter uncos adduxi : ὄνου λύρα. — Accedat et illud, quo vix erit inter Christiana quidquam in Sirenum laudem rarius et antiquius. In codice quippe Æduensi, quem ad VII, immo ad VI sæculum per me retuleris, legebam inter Cassiani *Collationes* quædam musica epiphonemata, vetustissimis instructa notis, ex quibus distincta olim fuisse videntur triplicis generis *Alleluia :* primum vulgo dictum *Fulgida alleluia;* secundum *Hieronyma*, an *hieronymiana?* Tertium vero cæteris prolixius eo solemni titulo præsignitum vidi : *Sirena alleluia.* Hæc alicubi edere me juvabit.

II.

P. 391 ad Physiologi finem. — Novum hisce diebus exsurgere vidimus Physiologi commentarium, cæteris multo splendidiorem, in veterum videlicet vestium fimbriis, tegminibus, sericis auratisque filis appictum. Meum utique non est, qui longo sim itinere defunctus, huc usque excursum jam justo ampliorem extendere. Unum tamen est, quod, quum antea ipse temere aut invitus omiserim, vereor ne et aliis exciderit. Nihil certe et Physiologum nostrum et textilia quæque monumenta magis commendare dicam quam non pauca *Libri Pontificalis* sive Anastasii Bibliothecarii loca quibus præstantiora summorum Pontificum donaria describuntur. Ex quibus lege pauca : N. 461, Gregorius IV obtulit vestem de olovero cum *Gryphis* et *Unicornibus.* — N. 465, item, vestem aliam *cum Leonibus, habentem resurrectionem Domini,* de chrysoclavo,... et vela sex cum *Aquilis.*—N. 466, vestem in quo archangeli et apostoli cum diversis *lapidibus* et *margaritis.* — N. 460, cum *Aquilis* et *Gryphis.*—N. 471, signum Christi habet *historiam in modum Leonis.* – N. 478, *Gryphi cornua habentes* in frontibus picta.., velum habens *Phasianos* XII.—N. 498, Leo IV « obtulit cortinam alexandrinam, habentem *historiam Pavonum,* portantium desuper homines et aliam *historiam Aquilarum, rotarum*que et *avium* cum *arboribus.* » V. t. II, p. 500, 502, etc. Ed. Blanch.

III.

Cæterum, si cui forte moverim stomachum, iterum iterumque Physiologi argumentum retractando, velim is, quicumque sit, ex uno discat exemplo quam stolide cæcutire possit, quam inepte aberrare vel gnarissimus vir id genus scribendi temere et leviter aggressus. Hæc enim lego in libro apud Belgas non minimi pretii, *Annuaire de la Bibliothèque royale* de Bruxelles, t. III, p. 71, 72 : « Maurin, éditeur de S. Ambroise (lepidum sane lepidi capitis initium! Lege : *les Bénédictins de S. Maur*, etc.) remarque que ce traité (le Physiologus) est perdu depuis longtemps. Au surplus, il y a en français un Physiologus de Thibaud (Theobaldi utique liber, sub cujus nomine nusquam gallice prodiit). L'auteur, qui voulait garder l'anonyme (se Theobaldum expresse nominat in ultimo versu) s'est pourtant nommé : et ces mots *Judæa, regio mea,* semblent annoncer qu'il était né au delà des mers, soit d'une famille chrétienne, soit de parents israélites. « Quæ quidem rescripta modo verba nusquam omnino leguntur in XII capitulis Theobaldi; tantum illud in cap. *de formicis* occurrit : « quas quia Judæus non amat, inde reus. » An indidem exsculptum sit quodcumque illic citatur, totaque Belgæ auctoris instructa historia, nolim promtius asserere.

VI.

De pisce gentilitio [ad p. 519].

Ne jejunior videatur, saltem qua ad Galliam pertinet, elenchus scutorum et sigillorum quæ gentilitio pisce insigniuntur, pauca hic resumere et addere lubet, quibus tam in Gallia quam in Anglia floruisse hujusmodi stemmata comperiatur. Piscem igitur habes in scutis aut sigillis familiarum aut civitatum Bar, Barbeville, Barbarin de Chambon, Bièvres, Blocq, Caudebec, Chabot, Chaslis, Champgirault, Deluc de Fontenay, Franquemont, Ferault, Germonville, Gougnon, Hannivelle de Mannevillette, Helye, Lestang, Aubin de Malicorne, Brun de Miraumont, Montbeliard, Nouget, Orcival, Pichard de Saucats, Poisson, Raoul, Ronsard, Salmes, Sardigny, Tanques, Le Vaillant de Renneville, etc.

VII.

De sibyllina acrostichide [ad p. 524].

Tæderet nos tam leviter attigisse sibyllinum ἰχθύος argumentum, nisi otium pene nobis fecisset vir eadem hac provincia functus iterumque non sine multa laude omniumque plausu functurus, χρησμῶν σιβυλλιακῶν nuperrimus editor, C. Alexander, a quo inter plura promissa scriptum est, t. II, p. 228, ad lib. VIII, v. 217 : « Hinc revera incipit acrostichis illa apud veteres christianos celeberrima, de qua diximus jam olim in annotatione ad h. v., plura dicturi in Exc. v., ubi et ostendemus in his verbis Ἰησοῦς Χρειστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ latere aliam acrostichidem ἰχθύς, apud veteres non minus claram ac sæpe pro ipso Christi nomine usurpatam. » Utique nobis et licet et lubet confidenter exspectare donec iteratis curis vir diligentissimus in hunc campum excurrerit, jamque satis erit ejus vestigia etiamnunc et nostra relegere, ut post eum, additisque iis quæ supra ipsi obiter notavimus, præcipuas quæ hactenus datæ sunt Sibyllini acrostichii editiones et interpretationes, recenseamus :

I. Græcum acrostichium, ex hoc lemmate : ΙΗΣΟΥΣ. ΧΡΙΣΤΟΣ.ΘΕΟΥ.ΥΙΟΣ.ΣΩΤΗΡ.ΣΤΑΥΡΟΣ, in lib. VIII Oracul. Sibyllinor., v. 217, ab eodem Alexandro repetitum, l. l.

II. Idem a Constantino Magno insertum in *Conc. ad cœt. SS.* V. supra p. 525.

III. Latin. acrostich. anonymi, ex hoc lemmate : JESUCS.CHREISTOS.TEU.DNIOS.SOTER, apud S. August., *De Civit. Dei*, lib. XVIII, c. 23.

IV. Idem, ex eodem lemmate apud Paulum Diaconum, *Homil.* XII, *de Annuntiat. B. M. V.* vide Idem ex eod. lemm. apud Rabanum Maurum, *De Universo*, lib. XV, c. 3.

VI. Idem, cum notis musicis e cod. sæc. IX Bibl. Paris. Imp., n. 1154, edidit E. de Coussemaker, *Hist. de l'harm. au moyen âge*, pl. IV et VI.

VII. Idem, cum aliis id genus notis e cod. sæc. IX ejusd. Bibl., n. 2832, ed.; *ib.*, tab. VI. Fragmenta ejusdem carminis idem inseruit in tab. XXIII et XXVI.

VIII. Idem, ex Augustiniano lemmate apud Petrum Blesensem, *Adv. Jud.*, c. 38, Bibl. PP., t. XXIV, p. 1209.

IX. Idem, ex lemmate n. I, ab anonymo apud Onuphrium Panvinum. V. Alex., l. l. p. 232.

X. Idem, ex hoc lemmate : IESUS.CHRISTUS.DEI. FILIUS.SERVATOR.CRVX, ab Onuphrio Panvino, *De Sibyllis*, apud Alexandr., p. 233.

XI. Idem, ex hoc lemmate : IESVS.CHRISTVS.DEI. FILIVS.SERVATOR.CRVCS, a Castalione in edit. sua *Sibyllinor.*, v. Alex., p. 234.

XII. Idem, ex alio lemmate : IESVS.CHRISTVS. DEI.FILIVS.SERVATOR.CRVC, a Joanne Aitzma, in *Speculo Sibyllor.*, v. Alex., p. 235.

XIII. Idem, ab Alexandro ex novo lemmate : IESUS. CHRISTUS.DEI.FILIUS.SALUS.IN.CRUCE, *ibid.*

VIII.

Syllabus auctorum qui de piscibus peculiari scriptione disseruerunt [ad p. 542].

Absolvetur hoc ultimo indice variorum Physiogolorum census, quorum universitatem pro viribus nostris sub lectorum oculis varia in loca inserere sategimus [*De lapidibus;* t. II, p. 344-346 ; *De lignis et floribus*, ib., p. 467-469 ; *De avibus*, *ib.*, p. 519-520 ; *De bestiis*, t. III, p. 98-101]. Eos vero nomine par est appellare qui singulari libro nostra disputaverunt. Qui enim aut obiter, aut dato consilio et fusiore stylo eadem, sed cum aliis excusserunt post Aristotelem, Plinium, Athenæum, Plutarchum, nemo sine immenso volumine comprehendet. Sed neque omnes ἰχθυογράφους proprie dictos novisse me confido. Hæc tantum nomina inter eundum notabam, servata utcumque ratione temporum :

DAMOSTRATUS. — Ἁλιευτικῶν βιβλ. κ'. Eudoxia in *Ionia*, v. supra, p. 391.

ARISTOTELES. — Ἐν τῷ Περὶ ἰχθύων, *id.*, lib. VII, p. 303 E.

ARISTOPHANES BYZANTINUS. — Ἐπιτομὴ τῶν ἐν ἰχθύσι φυσικῶν. Joann. Lyd. *De Magist.*, III, 63, V, 259.

MARCELLUS SIDITA. — Ἰατρικὰ περὶ ἰχθύων, ἀποσπ., ed. F. Lersh. Didot. 1846.

TIMOTHEUS ATHENIENSIS. — Ἁλιευτικά, supra, p. 361.

OPPIANUS CILIX. — Ἁλιευτικῶν βιβλ. δ', ed. idem et K. Lersh., *id.*

APULEIUS. — *De Piscibus.* Cf. Fabric. Periit.

DORION. — Περὶ ἰχθύων, passim apud Athen. lib. VII. Excidisse dolendum est.

THEOPHRASTUS. — Περὶ ἰχθύων, inter Opp. Neap. 1654 et al.

NUMERIUS HERACL. — Ἁλιευτικά, apud Athen., p. 13, Casaub.

COENIUS ARGIVUS. — Item, ibid.

PANCRATIUS ARIAS. — Item, ibid.

POSIDONIUS CORINTHIUS. — Item, ibid.

SELEUCUS TARSENSIS. — Item, ibid.

LEONIDES BYSANTINUS. — Item, ibid.

PAULUS JOVIUS. — *De Romanis piscibus*, Rom. 1524, etc. — *De Piscibus marinis, fluvial., aquat.*, *ib.*, 1527.

JANUS DUBRAVIUS. — *De Piscinis*, lib. V, Norimberg. 1623, v. p. 499.

LUDOVICUS NONNIUS. — *De Ichthyophagia.*

OLAUS RUDBECK. — *Ichthyologia biblica*, Upsal. 1705, 1722.

J. CYPRIANUS. — COSTADONIUS. — POLYDORIUS [v. supra, p. 540, 541, 542].

DE PONTAC. — *Des Sirènes selon la doctrine secrète des Hébreux*, diserte laudat Nicasius in seq. dist.

NICAISE. — *Les Sirènes*, ou *Discours sur leur forme et figure.* Anisson, 1691.

AMÉDÉE PICHOT. — *Esquisses de voyage, le Perroquet de Walter-Scott.* Paris, 1834. [Huc insertam esse rescivi, neque tamen legere vacavit, dissertationem *De Sirenibus* quam multa refertam aiunt et varia eruditione. Neque omittendus recentior Ferdin. Piper, Mytholog. und Symbolik der christlich. Kunst von der ältest. Zeit., [p. 377.]

EMENDANDA.

IN PROLEGOMENIS. *De re symbolica*, cap. I, p. VII, lin. ult. dele punctum. — P. XI, lin. 38, *Matthia*, l. *Mathia.* — P. XIII, not. col. 1, lin. 29, lege ἰχθύς. — P. XV, n. 5. Titulus Hymnarii laudati est in t. I : *Lateinische Hymnen des Mittelalters*, Freyburg im Breisgau, 1853, quæ latine præfiguntur sequentibus tomis II et III, a. 1854 et 1855 editis. Notkerianus vero hymnus legitur ibid., t. I, p. 5; alius autem non multum dissimilis occurrit paulo post, n. 6, p. 9. — P. XXIII, not. 1, dele finem : *Dudum jam monuere*, etc.—P. XXVIII. Syllabo auctoris *de naturis rerum* deesse ducem omnium et longe celeberrimum, Origenem, qui profecto ab universa id genus scriptione abstinere non debuit, piget eoque magis omissum miror quod unicum de hoc libro testimonium ipse ego protuli in Spicil. t. I, p. 268, iterumque memoravi supra, p. 317, n. 21. — P. XXX, col. 2, lin. 31. *A. Petra et ab initio*, lege : *A Patre, ab initio.*

Cap. II, p. XL, lin. 38, leg. *tum monumentorum.* — P. XLII, lin. 9, melius : *hic loci in quod.* — P. XLIII, lin. 28, leg. *si qua supersunt.* — P. LVIII, lin. 19, melius *Palæmon;* item et in not. ult. — P. LIX, notam 4 expungere per me licet, ob ea quæ supra de Hildegarde notavi. — P. LXIV, lin. 6 : quum Philonis Judæi opera Armenii veteres diligenter conquisierint, ac plura ejusdem retinuerint quæ alibi non comparuere, suspicor ad eosdem pervenisse Philonis *Alexandrum;* cujus p. LVIII mentionem feci inter physiologicos libros : scilicet Judæi cum Carpathio Armeniis noto confusio perquam facilis. — P. LXXII, lin. 1, vid. quæ supra, p 624, de Hugone disputantur. — *Ib.* lin. 14, ἰκονισμοί, lege : Εἰκονισμοί.

IN PARTE I. — *Clavis* cap. IX. — P. 2, not. 4, lin. 3, lege : *congesta sint.* — P. 3, not. col. 2, lin. 2, lege inter uncos : p. 520. — P. 21, quæ Grabii nota mihi erat, potius Sirmondi esse reor emendationem, quales video infra p. 87, n. 7, p. 245, n. 4, et alibi. — P. 24, not. 4, vide locum Melitonis in t. II, p. LXIV, lin. 17, et cf. Gregentii ep. Tephrensis disput. cum Herbano Judæo [Galland. XI, p. 604 E], pene Melitoniana referentis : Καὶ τὸ φυτὸν δὲ τοῦ Σαβὲκ... τὸν σταυρὸν προετύπου τὸν τίμιον · ὁ μὲν γὰρ κριὸς τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου προσηλωθεῖσαν σάρκα τῷ σταυρῷ προετύπου. — P. 25, not. 5, lin. 2, leg. *formulæ exhibent.* — P. 29 *a*, lin. 25, ante *simplices* deest *Agna.* — P. 32, n. 6, lin. 3, lege *allegorias.* — P. 36, post lin. 21, pone numerum XXI pro XXII. — P. 77, n. 17, lege CXXIII, 7. — P. 95, 96, articulis præfige numeros LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV, pro aliis male positis. — P. 100, l. 20. Bali eum esse opinarer de quo Albertus M. non semel : « Homo antiquissimus, Belus nomine, natus de Ephesio, » et alias : « Bebas de civitate Rinor, » vel juxta versionem Aristotelis interprete Michaele Scoto : « Betel ex illis de civitate Epheses (sic). » Cf. Jourdain, *Des anc. trad. d'Arist.*, p. 313. Id vero caliginem inducit non modicam quod alibi deprehendi Plinium in arabicis libris solere dici *Belum* et *Belinum.* Ex uno exemplo vide non potuisse me in hoc et in variis id genus syllabis meis aliud scribere quam jejunam et critica disquisitione destitutam nomenclaturam. — P. 101, col. 3, lin. 10, de Fulgentio, vid. *Prol.* t. III, p. XLIX, n. 3.

Cap. X, p. 116, lin. 14, forte melius : *Ista juventutis invenerunt.* — P. 165, l. 5, *Externa bona*, lege : *Exempla bona.* — P. 167, col. 3, lin. 4, dele vocem *græcus;* et p. seq., col. 2, lin. 12, eamdem expunge. — P. 168, col. 1, in lin. 3, et col. 2, in lin. 8, idem nomen irrepsit, quod iterum accidit in col. 3, lin. 14 et 25, ubi præterea *Matthæus Cantacuzenus* sæculi XI inter auctores sæculi XIV peregrinatur.

Cap. XI, p. 169, n. 2, lege : *Civitatem.* Cant. III, 3. — P. 171, col. 2, lin. 7, lege *Petrus Riga*, ut scribere solet anonymus Anglus. — Ibid. et pag. seqq. lege *Benoni* ubi perperam scribitur ex constanti codicis sphalmate *Bennoni.* Obstat etiam metri lex in versu quo nota 7 concluditur. — P. 193, lin. 33, forte : *Vita districta?* — P. 197, not. col. 2, lin. 6, mutilam vocem restitue ante parenthesim : *canoribus*, neque bonis auctoribus ignotam : « Res est blanda canor, etc. » Ovid., *Art. am.* III, 315. — P. 199, lin. 28, pro *Cor*, lege : *fenestra, os hominis.* — P. 201, lin. 31, dele notulam *bis* insulse invectam post numerum 10. — P. 279, not. lin. 1, lege *Hieronymum.* — P. 280, lin. 5, expuncta vocula, lege : *De ecclesiasticis chori officiis.* — Ibid., not. 1, lin. 2, lege *latinam fecit.*

Capp. XII et XIII, p. 290, not. lin. 7 et 8, leg. *longe antiquiorem.*—Ibid., lin. 20, lege : *retexuisse catalogum.*

— P. 293, in artic. XIII, XIV, importune abundant quæcumque ad *Tyrum* pertinent, eadem nimirum ac ea quæ leguntur in superiore art. 12. — P. 300, not. 10, lin. 2, lege *Etymol.* II, non *Etymol.* VI. — P. 307, col. 2, lin. 6, lege : *omnium amplissimi.* — Ibid., ad not. col. 2, lin. 5, adde : Sub hac epigraphe : *Fragmentum libri nominum hebraicorum antiquissimum e codice Paris. Coislin.* ed. et illustrav. Hohlenberg Th. prof. Hafniæ, 1836. — P. 308, ad art. XLIV, lege : *Eustachius Lensius.* — Ibid., not. 7, lege : « Is in cod. Florentino, cæteri qui inde sequuntur e codd. Paris. »

IN PARTE II.— *Hieronymus*, p. 313, lin. 4 not. 4. Nolui, Hieronymi ductus exemplo, notarumque angustiis pressus, Varronianæ eruditionis thesauros absoluto definire calculo : in censum utique meum adduxissem et fragmentum insigne epistolæ ad Servium Sulpicium apud Aulum Gell., lib. II, c. 10 ; et librum *de Ora maritima* quem memorat Servius ad Æneid. I, 112, et V, 19 ; tum *Mysticorum*, tumque *Corollariorum* de quibus Fulgentius in sua Mythologia Virgiliana, tum demum *Moralium, Sententiarum* forte, earumdemque cum iis quas infra corrasimus, etc. — P. 313, lin. 11, 12. Quæ intervallo satis incommodo sunt interrupta, sane multo satius est, immo necesse est cuncta continuo tenore legi.—P. 315, not. 4, lin. 2, lege : *fragmenta e Philocalia.* — P. 316, not. 9, dele *in* male repetitum ante *Catenas* et *quibus passim.* — P. 317, neque omnino nulla dicam deesse huic qualicumque Origenianorum operum elencho : succussis enim iterum schedulis meis invenio aut penitus omissa aut Ruæi editioni addenda : 1° scholia in *Deuteronomium*, edita a Galland. t. XIV, append. p. 8-14 ; 2° fragmentum epistolæ Origenis *ad Photium et Andream presbyteros*, ib., p. 10 ; 3° in *filium Naue*, ib. p. 14 ; 4° in *Judices*, ib., p. 15 ; 5° in *Regum*, ib. p. 16-24 ; 6° in *Ecclesiasten*, ib., p. 30 ; 7° *Chronica* quidem omnia ita ad manum erant ut unde fuerint a me omissa, non satis video. — P. 327, l. 16, lege : *persona ; portans autem cum umquam.*

De Physiologo. P. 338, not. 1, lin. 11, leg. περὶ τῆς φύσεως. Initium cod. E, quod in tab. tom. II, n. V proferimus ex autographo, sic barbare legendum : Οὗτος ἡ ἀρχή· τὸ εἶδος καὶ τὴν φύσιν τοῦ ἐλέφαντος ἄρξομαι· ὡς μέγεθος τῶν πάντων, μεγεθέστατος πέφυκεν. — P. 359, ad scholii finem, consimilia leguntur in Anastasii *Odego*, c. II : Οἷον ἔλαφος [εἴρηται] διὰ τὸ Ἐλεῖν τοὺς ὄφεις... Ὄφις, τουτέστιν ὁ φείς, ἤγουν ὁ λαλήσας πρὸς τὴν Εὔαν ποτέ. Gretser, t. XIV, p. II, p. 26 C, D. — P. 369, not. II, leg. Matth. XXV, 12. — P. 382, XVIII, leg. *Panthera.*

P. 391, 392. De Phoca hic loci frequenter memorata legendi sunt Joannes Lydus, p. 50, et Cosmas Indicopleustes, a quo verbis et picturis eadem, qualem sibi veteres delineavere, describitur. Galland. t. XI, p. 578.

P. 393, not. col. 1, lin. ultim. leg. *recenseas.*

P. 396, ad notam, coptica quæ volebam a peritis excuti, excussa quidem fuere a clarissimo Ægyptiacæ antiquitatis magistro, C. Lenormant, a quo piget accepisse me paulo serius quædam adversaria, quæ spero fore ut alias non omittantur, quum ad Origenem, neque inani spe decipior, iterum redire mihi contigerit.

P. 406, art. 390, lege *Zelus.* — P. 421, not. lin. 2, leg. *Alenconiensi.* — P. 425, lin. 13, leg. *Colossus*, ut patet, e lin. 18, obstantibus licet codicibus. — Ibid., not. lin. 3, lege : *in Vinc. Bellov. speculum naturale.*—P. 438, not. 3, leg. *Dan.* II, 34. — P. 472, not. 11, leg. *Marc.*—P. 474, not. 5, leg. *Is.* L, 3.—P. 492, not. 17, leg. *Gen.* XLII, 25.

ΙΧΘΥΣ. P. 500, notam supple e p. 540. — P. 508, in syllabo col. 1, l. 8, col. 2, l. 2, leg. *Eckhel;* idem corrige, p. 509 *a*, lin. 12, etc.—P. 520, not. col. 2, lin. 13, *manifestum* lege *manifestam.* — P. 526 *a*, in titulo II dele vocem *Cophini.*—P. 528, lin. 46, 47, supple et lege : *Pisces squamosi, fortes in fide.* — P. 529 *a*, l. 11, lege : ὑπηρέτην ; not. l. 4, lege : πολύμνηστε. — P. 530, l. 23, lege : ἰχθύς, φιλομάθεια ; ib. *a*, l. 4. — P. 531 *a*, lin. penult. lege : *Romam* defert. — P. 537 *a*, in tit. art. lege : ἰχθῦι. — P. 540 *a*, art. XX. lin. 7, lege : *sont esprit et vie.* — P. 541, not. lin. 11, lege : *quin mihi.* — P. 547, not. lin. 1, adde in lacuna : p. 577. — P. 571, not. vers. 1, lege : *Prima petit;* v. 4 : *Ad nova fervet.* — P. 574, num. 30, in fine stellula pro monogrammate posita perperam. — P. 578, n. 135, lin. 16, *redimentur*, lege *redimiuntur.* — P. 579, n. 143-149, lin. 3, *Agemensis*, lege *Agennensis.* — Ibid. n. 151-157, lin. 2, lege *Pirani, et Arevalo teste, etiam Romæ, in baptismalium.*—P. 580, n. 160, lin. ult. lege Ἔσθιε.—Ibid. n. 161, lin. 6, l. *Cophinis.*—P. 581 *a*, lin. 38, *tab.* V, lege *tab.* III, —Ibid. n. 206, lin. 2, lege *affixa*, et lin. 4, lege *affixæ.* — P. 583, n. 214, lege *in sculpturis.* — P. 583 *a*, lin. 48, *arcanum illud esse*, lege *a. illud non esse.*

P. 606, lege *Guerricus de S. Quintino.* — P. 611, lin. 3, *Poeta*, adde : *ethnicus.* — P. ead. lege *Protadius Bisontinus.* — P. 612, lin. 56, dele : *S. Bonifacii, ib.* — P. 621, lin. 64, *Silva*, lege *Siloa* ; numerum 405 pone in art. sequenti.—P. 623, not. 1, lege in lacuna : P. 1275 *ed. Vall. Parisiis repetitæ.* — P. 624, col. 2, in fine dele punctum.

ELENCHUS

RERUM QUÆ HOC TOMO CONTINENTUR.

PROLEGOMENA ad tom. III. I

DE RE SYMBOLICA *ad Clavem S. Melitonis illustrandam.* V

CAPUT I. — *De formulis ex universa re symbolica sumtis.* VII

Art. I. S. Melito. VIII

Art. II. S. Eucherius. XVIII

Art. III. S. Gregorius M. XXI

Art. IV. B. Rabanus Maurus. XXIV

Art. V. S. Bernardus. XXIX

CAPUT II. — *De præcipuis formularum spiritualium ordinibus.* XXXVIII

Art. I. De liturgicorum symbolorum formulis. XIL

Art. II. De Physiologo. XLVII

Syllabus auctorum qui formulas symbolicas generatim exegerunt. LXXXI

PARS I.

CLAVIS. CAP. IX-XIII *cum variorum commentariis.*

CAPUT IX. — *De bestiis et cæteris animantibus.* 1

APPENDIX ad cap. V. — *Auctores de animalibus.* 98

Apud Plinium. *ibid.*

Apud Isidorum. 99

Apud Vincentium Bellovacensem. 100

Nomina eorum quibus Physiologus ascribitur. 101

Veteres *Physiologi interpretes*, editores et commentatores (v. *Proleg.*). *ibid.*

CAPUT. X. — *De Hominibus.* 102

APPENDIX ad caput X. — *Veteres in Cantica canticorum interpretes.* 167

CAPUT XI. — *De Civitate.* 169

APPENDIX ad caput X. — *Veteres interpretes ritualium legis antiquæ et novæ sacramentorum.* 278

CAPUT XII. — *De Numeris.* 282

CAPUT XIII. — *De Nominibus hebraicis.* 290

APPENDIX ad capit. XII et XIII. — *Scriptores præcipui veteres de Nominum et Numerorum significationibus.* 307

PARS ALTERA.

Variorum collectanea et fragmenta maxime de rebus symbolicis.

S. HIERONYMUS STRIDONENSIS.

Epistola XXXIII ad Paulam de collato Varronis et Origenis operum indice, pene ex integro restituta. 311

MARCUS TERENTIUS VARRO.

Sententiæ ad Paxianum (al. *ad Papirianum*, malim *ad Paxámum*). 318

LOXUS MEDICUS.

De Physiognomia. 321

DAMIGERON *et varii ethnicæ vetustatis scriptores de virtutibus lapidum.*

Liber Damigeronis peritissimi de lapidibus. 324

CETHEL, *aut veterum judæorum physiologorum de lapidibus sententiæ.* 335

PHYSIOLOGUS, *aut veterum gnosticorum in naturas rerum interpretationes.*

Φυσιολόγος. 338

Allegoriarum Physiologi interpretatio vetus Armenia. 374

APPENDICES. — *Demostratus Apamæensis.* 391

Timotheus Atheniensis. *ibid.*

Metrodorus et *Zoroaster.* 392

Astrampsychus. 393

ORIGENES.

Fragmenta et biblicæ interpretationes e Glossario Ansileubi. 395

TICHONIUS, Afer.

Septem Scripturæ S. regularum sive clavium epitome. 397

S. NILUS, senior.

Epistola ad Nemertium scholasticum, Anastasio Biblioth. interprete. 398

S. PATRICIUS, Hibernorum episcopus.

Prologus metricus ad librum de tribus habitaculis. 399

S. EUCHERIUS, episcopus Lugdunensis.

Formulæ minores. 400

TEXTUS PICTAVENSIS.

Rhythmus in Eusebii canones. 407

S. GREGORIUS Magnus.

CCCX Gregorianæ formulæ ad spiritualem S.S. intelligentiam. 409

PHYSIOLOGUS ÆTHIOPICUS.

Sermo XXXVIII, *De tribus Pueris.* 419

S. ISIDORUS, Hispalensis episcopus.

De laudibus Salvatoris. 417

ANSILEUBUS et EBARCIUS.

Fragmenta e Physiologo. 418

Scripturarum claves. 420

S. PRUDENTIUS, Trecensis episcopus.

ADHELMUS, philosophus.

Fragmenta de naturis rerum. 425

B. RABANUS MAURUS.

Allegoriæ in universam S. Scripturam.

1. Adami Præmonstratensis recensio. 428

2. Anonymi cujusdam scholastici apparatus. 436

VARIORUM SACRÆ NOMENCLATURÆ.

1. Τὰ φῶτα. 446

2. XXXIV *Christi nomina singulis Hebræis post a.* XXV *tradita.* *ibid.*

3. Ὀνόματα τοῦ Χριστοῦ. 447

4. Τὰ κϐ' ὀνόματα τοῦ Προδρόμου. 448

5. WIDO, *de nominibus Christi.* *ibid.*

6. *Rhythmus ex Dei nominibus.* 449
7. *De nominibus B. V. M.* 451
ANONYMUS ANGLUS.
Distinctionum monasticarum et moralium libri V. 452
ANONYMUS CISTERCIENSIS. — *Prologus.* 487
ANONYMUS CLAREVALLENSIS. — *Prologus.* *ibid.*
PETRUS DE MORA.
Ex *Arte Sermocinandi, de Rosa.* 489
Indiculus capitulorum. 496
Procemia. 498

APPENDIX.

ΙΧΘΥΣ, SIVE DE PISCE ALLEGORICO ET SYMBOLICO.
CAPUT I. — *De veterum pisce allegorico.* 499
Art. I. De pisce apud Assyrios et antiquiores Orientales. *ibid.*
Art. II. Syrorum de pisce monumenta et testimonia. 501, 503
Art. III. De pisce apud Ægyptios. 504
Art. IV. De allegorico pisce quædam Indo-Germanica. 506
Art. V. De pisce allegorico apud Græcos et Romanos. 508
Art. VI. Paralipomena de pisce allegorico. 513
CAPUT II. — *De pisce symbolico.* 520
Art. I. Testimonia sacra melitonianis formulis expressa. 521
Art. II. Testimonia liturgica Occidentalium et Orientalium. 522
Art. III. SS. Patrum testimonia. 524
Art. IV. Ex Actis Ecclesiæ et Sanctorum. 530
Art. V. Analecta et Paralipomena de ἰχθύος symbolo, 532. — Titulus S. Abercii, *ibid.* — Vetus interpres in Hexaemeron, 533. — Physiologus græcus, 534. — Physiologus arabicus, 535. — S. Augustinus, *ibid.* — Verecundus, 536. — Anastasius Sinaita, *ibid.* — Milo Elnonensis, 537. — Theodoricus Metensis, *ibid* Fulcoius Bellovacensis, *ibid.* Guillelmus de Campellis, *ib.* Adamus Præmonstratensis, Petrus de Riga, *ibid.* — Petrus de Capua, *ibid.* — Anonymus Anglus, *ibid.* — Nicolaus de Byard, 540. — Mauricius, *ibid.*—Jacob. Benig. Bossuetius, *ibid.* — D. Anselmus Costadonius, *ibid.* — Aloysius Polydorius, 541. — J. Nepom. Seppius. *ibid.*
Art. VI. De christianis monumentis ἰχθὺν exhibentibus. 543
J. B. DE ROSSI EPISTOLA. 6
Ejusdem *index inscriptionum quæ ἰχθύος signo notatæ sunt.* 573
Ejusdem *index sigillorum et gemmarum.* 567
Auctarium ad duos præcedentes indices. 568
INDICES tom. II et III.
Index locorum Scripturæ Sacræ. 585
Index codicum mss. qui exigendis tom. II et III inservierunt aut in illis peculiariter memorantur. 601
Index veterum scriptorum sæcul. XVI superiorum quorum mentio fit aut opera exstant in tom. II et III. 602
Index rerum sive typorum symbolorum quæ formulis adornantur. 614
ADDENDA et EMENDANDA. 623